| » 371 b | » 22 ult. | potuimus | » 559 b | » 9 ult. | possumus |
| » 372 a | » 25-24 ul. | congregationis | » 560 b | » 18 | congregationi |
| » 375 a | » 13 ult. | quae | » 564 b | » 5 ult. | quo |
| » 376 b | » 18 ult. | ab ipsis | » 567 a | » 25 | ab ipsis gestantur |
| » 377 a | » 17 | erigendarum | » 567 b | » 12 | erigendarum gestari solita |
| » 378 a | » 8 | adversus illos | » 569 a | » 10 | adversus illas |
| » 378 b | » 31 | quod olim | » 570 a | » 16 | quoad olim |
| » 378 b | » 12 ult. | illique | » 570 b | » 2 | illisque |
| » 378 b | » 1 ult. | sic. | » 570 b | » 13 | sicque |
| » 379 b | » 24 | reditibus | » 571 b | » 18 ult. | redditibus |
| » 380 a | » 40 | ne absolvitur | » 572 b | » 28 | ne absolvitor |

1 Correctionem hanc nunc addimus.

| *Edit. Rom. Main. Tom.* XIV. | | | *Edit. Taur. Tom.* XXIV. | | |
|---|---|---|---|---|---|
| *Pag.* 380 *b* | linea 13 | syllabarum . . . . . . . | *Pag.* 573 *b* | linea 18 | syllaborum |
| » 380 *b* | » 45 | sit . . . . . . . . . . . | » 573 *b* | » 20 | sint |
| » 380 *b* | » 51 | ceterorum . . . . . . . | » 573 *b* | » 26 | exterorum |
| » 382 *b* | » 26 *ult.* | intendimus . . . . . . . | » 577 *a* | » 5 | intendemus |
| » 382 *b* | » 6 *ult.* | abisso . . . . . . . . . | » 577 *a* | » 22 | amisso |
| » 383 *b* | » 13 | praeceptum . . . . . . . | » 578 *a* | » 13 | prohibitum (?) |
| » 384 *a* | » 1 *ult.* | desponsae . . . . . . . | » 579 *b* | » 9 | desponsatae (?) |
| » 385 *b* | » 17 | Primo . . . . . . . . . | » 581 *a* | » 25 | Pro |
| » 385 *b* | » 2 *ult.* | Quoniam monachi . . . | » 581 *b* | » 20 *ult.* | Quoniam autem, sicut monachi |
| » 386 *b* | » 20 *ult.* | reditum . . . . . . . | » 583 *a* | » 19 | redditaum |
| » 391 *b* | » 6 | ut infra. . . . . . . . . | » 589 *b* | » 5 | et ut infra |
| » 391 *b* | » 33 | et provinciae . . . . . | » 589 *b* | » 13 *ult.* | provinciae |
| » 393 *b* | » 15-14 *ult.* | cuiuscumque . . . . . . | » 592 *b* | » 13 | quibuscumque |
| » 394 *a* | » | deleri . . . . . . . . . | » 593 *b* | » 18 | delere |
| » 394 *b* | » 20 *ult.* | 1734 . . . . . . . . . . | » 595 *a* | » 9 | 1735 |
| » 395 *a* | » 6 | possit post . . . . . . | » 596 *a* | » 17 *ult.* | possit, nisi post |
| » 395 *b* | » 30 | cum initium . . . . . . | » 596 *b* | » 10 | cui initium |
| » 395 *b* | » 11 *ult.* | amplius . . . . . . . . | » 596 *b* | » 5 *ult.* | ampliamus |
| » 396 *a* | » 15-16 | extrahatur . . . . . . . | » 597 *a* | » 26 | extrahantur |
| » 396 *a* | » 41 | recitatae . . . . . . . . | » 597 *b* | » 13 | reitate |
| » 396 *a* | » 46 | ac ipsius . . . . . . . . | » 597 *b* | » 20 | ad ipsius |
| » 396 *a* | » 6-5 *ul.* | cognoverint . . . . . . . | » 597 *b* | » 3 *ult.* | cognoverit |
| » 396 *b* | » 25 | immune . . . . . . . . | » 598 *a* | » 14 *ult.* | immuni |
| » 396 *b* | » 26-27 | deputanda . . . . . . . | » 598 *a* | » 12 *ult.* | deputandae |
| » 396 *b* | » 45 | definitionibus . . . . . . | » 593 *b* | » 9 | defensionibus |
| » 397 *a* | » 32 *ult.* | apostolicarum . . . . . . | » 599 *a* | » 6 *ult.* | et apostolicarum |
| » 397 *a* | » 31 *ult* | solae. . . . . . . . . . | » 599 *a* | » 4 *ult.* | sola |
| » 398 *b* | » 13-12 *ult.* | hospitalia . . . . . . . | » 602 *a* | » 12 | hospitalis |
| » 400 *a* | » 10 *ult.* | ipsi . . . . . . . . . . | » 604 *b* | » 14 | ipsi habeant |
| » 407 *a* | » 29 | persuadeat . . . . . . . | » 613 *b* | » 12 *ult.* | persuadeant |
| » 409 *b* | » 6-7 | includatur . . . . . . . | » 617 *a* | » 11-12 | includantur |
| » 412 *b* | » 26-25 *ult.* | altare. . . . . . . . . . | » 621 *b* | » 1 | abbate (?) |
| » 418 *a* | » 8-7 *ult.* | visitatione . . . . . . . | » 629 *a* | » 26 | visitationem |
| » 421 *b* | » 20 | monasterii . . . . . . . | » 633 *b* | » 18 | monasterii scribant |
| » 421 *b* | » 26 | officium . . . . . . . . | » 633 *b* | » 21 | cuius officium |
| » 422 *a* | » 8 | ut . . . . . . . . . . . | » 634 *a* | » 26 | uti |
| » 424 *b* | » 17 | in iussu . . . . . . . . | » 637 *b* | » 28 | sine iussu |
| » 427 *b* | » 33 | pone hos . . . . . . . . | » 642 *a* | » 7 | post hos |
| » 432 *b* | » 4 | cantet . . . . . . . . . | » 648 *b* | » 25 | cantent |
| » 433 *b* | » 16 *ult.* | litteris . . . . . . . . . | » 650 *b* | » 17 | litteras |
| » 439 *a* | » 2 *ult.* | infirma . . . . . . . . . | » 658 *a* | » 2 *ult.* | infima |
| » 439 *b* | » 8 | in . . . . . . . . . . . | » 658 *b* | » 6 | ad |
| » 442 *b* | » 23 *ult.* | desiderant . . . . . . . | » 663 *b* | » 3 | desiderent |
| » 443 *a* | » 11 *ult.* | et iniuncto . . . . . . . | » 664 *b* | » 1 | ex iniuncto |
| » 443 *a* | » 6 *ult.* | accepimus . . . . . . . | » 664 *b* | » 6 | acceperimus |
| » 443 *b* | » 14 | praecipuae . . . . . . . | » 664 *b* | » 16 *ult.* | praecipue |
| » 445 *b* | » 33 *ult.* | auditoris . . . . . . . . | » 668 *a* | » 19 *ult.* | auditorio |
| » 446 *a* | » 15 | nostri deputavimus . . . | » 668 *b* | » 11 *ult.* | deputaverimus |

# CONTINUATIO PONTIFICATUS

# CLEMENTIS XII

# CLEMENTIS XII

## CONSTITUTIONES

*Ab anno quinto pontificatus ipsius et deinceps.*

An. C. 1734 CLEMENS XII, quem in Romanum Pontificem electum diximus die XII iulii MDCCXXX, quindecim peractis promotionibus, XXXV creavit cardinales. Sedit in pontificatu annos novem, menses sex, dies vigintiquatuor. Obiit vero die VI februarii MDCCXL. Cuius corpus primum ad S. Petrum delatum, postea in Lateranensi basilicâ tumulatum est in monumento quod sibi vivens extruxerat. Vacavit sedes menses sex, dies undecim.

---

### CXL.

*Ut omnes conventus provinciarum Peruntinae et Chilensis Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini in possessionem privilegiorum, in qua usque modo fuerunt, deinceps absque ullâ alteratione permaneant, etiamsi octo religiosos de familiâ non habeant, non obstantibus litteris Pauli V, quibus huiusmodi domos supprimi iubebatur.* An. C. 1734

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Conventus Ordinis Praedicatorum et Eremitarum S. Augustini in provinciis Peruntina et Chilensi in America, quamvis tres dumtaxat religiosos de familia alerent, fruebantur privilegiis ceterarum domorum regularium.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Davila, frater expresse professus Ordinis Praedicatorum in sacrâ theologiâ magister, et pro suâ Peruntinâ provinciâ procurator, et Didacus Salinas et Cabrera, frater pariter expresse professus Ordinis Eremitarum S. Augustini, in eâdem sacrâ theologiâ magister, assistens generalis Hispaniarum, ac pro Peruntinâ et Chilensi provinciis itidem procurator, quod in vastissimis Americae meridionalis regionibus dictae provinciae plures reperiuntur regulares conventus fundati vel in locis a civitatibus valde remotis vel in oppidis parvis et miserrimis, qui non alio fine illic sunt fundati, quam ut

spirituali christifidelium ibidem commorantium utilitati inserviant. Idem etiam accidit in aliis conventibus, qui dicuntur prioratus, pro Indorum christifidelium assistentiâ ac instructione erectis, qui solum ex tribus provinciis supra relatis sunt in provinciâ Peruntinâ eorumdem Ordinum. Praedicti vero conventus, ut plurimum, sunt pauperrimi, et consequenter nec habent nec alere possunt nisi dumtaxat sex, quinque, quatuor, aut tres religiosos de familiâ, cum quibus et spiritualibus fidelium huiusmodi indigentiis abunde providetur et disciplinae regularis sequela, quoad posse, conservatur. Quibus de causis, tam ex constitutionibus seu statutis Ordinis, apostolicâ confirmatione roboratis, quam ex inconcussâ inveteratâque dictarum provinciarum praxi, omnibus domorum seu conventuum regularium usque modo privilegiis, eorumque priores seu praelati canonice electi voce activâ in capitulis provincialibus eorumque electionibus gaudebant.

Paulus vero V iussit eos supprimi conventus in quibus octo saltem religiosi ali non possunt, mandati huius executionem episcopis committens.

§ 2. Anno autem MDCXI, die XXI septembris, a felicis recordationis Paulo V praedecessore nostro quaedam litterae in simili formâ Brevis expeditae emanarunt, per quas statuebatur quod conventus provinciarum Americae, qui numerum saltem octo religiosorum alere non possunt, supprimerentur, et religiosi in illis residentes ad alios conventus, ubi regularis vigeret observantia, transferrentur; committendo earum executionem arbitrio episcoporum illarum partium, si ipsis pro divini cultus augumento et regularis disciplinae observantiâ expedire videretur, eorum super hoc conscientiam onerando.

Sed quamvis ut supra iussis factum nunquam fuerit satis, ex mente quoque episcoporum, qui ea dixerunt non exequenda; nonnulli tamen ad privandos illarum domorum priores voce activa in capitulis provincialibus eadem exequi vellent.

§ 3. Sed nunquam usque modo relatae litterae a dictis episcopis executioni mandatae fuerunt, imo retroactis annis tunc existens archiepiscopus S. Fidei novi regni Granatensis tunc etiam existentibus S. R. E. cardinalibus Congregationis negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae per peculiares litteras ipsis directas retulit impossibile prorsus fore ad earum executionem devenire: et certe per centum vigintiduos annos eam haud omisissent, si dictas litteras aut reducendas ad praxim vel convenientes illìc iudicassent, quum ipsis tam serio et sub conscientiae gravamine earumdem executio fuisset demandata. Porro, post centum fere annos a praedictarum litterarum expeditione, in unâ aut aliâ provinciâ aliqui particulares religiosi (personarum exterarum fulti patrocinio), ob personales vitiatosque fines, earum executionem demandarunt, non quoad conventuum suppressionem, aut quoad alios effectus in eisdem litteris contentos, sed solum quoad finem excludendi a suffragio activo in capitulo provinciali eiusque electionibus priores seu praelatos conventuum octo religiosos de familiâ non habentium; illosque de facto saepius excluserunt, maximo cum scandalo et pacis regularis iacturâ: ut frequenti experientiâ compertum est, ex eiusmodi litterarum executione ingentia ferme pullulare damna, cum illarum observantia demandetur solum quoad vocalium exclusionem, et hoc ipsomet tempore celebrationis capituli, aut immediate ante, nimirum quando praetendentes agnoscunt, se, votum ferentibus vel non ferentibus dictis prioribus, posse includi vel excludi, consequenterque solum tendat ad turbandam provinciarum pacem et ad fovendas continuas inter religiosos discordias, vel ad validandam vel annullandam ad proprium nutum et libitum electionem, ut memoratus S. Fidei archiepiscopus eidem Congregationi cardinalium retulit. Et ex

hoc sequitur quod praedictarum litterarum executio modo dicto plus damni quam utilitatis dictis provinciis afferat; et, si quoad suppressionem conventuum in usum adducitur, in maximam dictorum fidelium perniciem redundaret.

Pontifex illis conventibus antiqua iura et privilegia confirmat.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, quo fraudibus malitiisque via praecludatur, et conventuum indemnitati et capitulorum religiosorumque quieti consulatur, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut omnes supradicti conventus in possessionem privilegiorum, in qua usque modo fuerunt, deinceps absque ullâ alteratione permaneant, etiam si octo religiosos de familiâ non habeant aut possint alere, eorumque priores seu praelati legitime electi voce activâ in capitulis provincialibus aliisque electionibus sicut antea potiantur et gaudeant, et eodem prorsus modo priores conventuum Indorum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus.

Hasce litteras perpetuo valituras.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus praefati Pauli et aliis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum litteris, per quas determinatus numerus religiosorum in monasteriis praefinitur, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum, Ordinum et conventuum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem adiicit.

§ 7. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iulii MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 19 iulii 1734, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

## CXLI.

*Septuagintaquinque ducatos, qui post obitum singulorum cardinalium officialibus et ministris sacri S. R. E. cardinalium collegii per haeredes defuncti iuxta Pauli V constitutionem solvendi erant, deinceps a singulis cardinalibus in suâ ad cardinalatum promotione solvi praecipit.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Paulus V ministris sacri collegii solvi iussit a cardinalibus in die promotionis septuaginta ducatos: totidemque post mortem.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Paulus PP. V praedecessor noster, considerans assiduos labores, quos officiales seu ministri sacri S. R. E. cardinalium collegii in rebus et negociis eiusdem sacri collegii procurandis substinebant, per quasdam suas in simili formâ Brevis die III ianuarii MDCXIX expeditas litteras, motu suo proprio, ac ex certâ scientiâ, secretario, clerico et computistae ipsius sacri collegii septuaginta quinque ducatos auri de Camerâ, nimirum vigintiquinque pro quolibet eorum, a singulis cardinalibus in promotione ad cardinalatus honorem, ac totidem post obitum singulorum cardinalium, etiamsi ad cardinalatus dignitatem promoti Romam nondum venissent, et sive illos in Romanâ Curiâ, vel extra eam et ubique decedere contingeret, in supplementum mercedis ordinariae eorumdem officialium sive ministrorum deberi, illisque coniunctim per pro tempore existentes cardinales praedictos, seu eorum agentes et haeredes respective, absque morâ solvi, et eis consignari debere, sine tamen praeiudicio quorumcumque iurium Camerae Apostolicae quomodolibet debitorum ac solvendorum, auctoritate apostolicâ perpetuo statuit et ordinavit, prout in Pauli praedecessoris litteris praefatis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Sed cum exactio dictorum septuagintaquinque ducatorum post mortem cardinalium difficilis reddatur,

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, septuagintaquinque ducatorum auri huiusmodi eisdem officialibus seu ministris post obitum cardinalium, sicut praemittitur, debitorum, ac per defunctorum haeredes solvendorum, exactio perquam difficilis reddatur, praecipue ubi ipsos cardinales extra ditionem ecclesiasticam, et maxime ultra montes ab humanis decedere contingit, ita ut multoties eorum solutionem etiam post peractas exactiores diligentias a praefatis haeredibus nullatenus consequi valuerint, dictique officiales seu ministri eo aegrius istiusmodi emolumentis careant, quod merces eorum ordinaria admodum tenuis existat, sibique vicissim non mediocres labores aliaque onera incumbant, ac propterea secretario multae etiam expensae faciendae veniant, clerico vero ac computistae praedictis alieno servitio seu ministerio sese addicere per statuta eiusdem sacri collegii vetitum sit: nos, praemissa, ac praesertim dicta emolumenta ipsis officialibus sive ministris tamquam mercedem, seu pro eorum mercede, praestanda fore attendentes, illorumque proinde indemnitati prospicere volentes, motu simili, ac ex certâ scientiâ nostrâ, septuagintaquinque ducatos, qui post obitum singulorum cardinalium eisdem officialibus seu ministris per haeredes defunctorum iuxta Pauli praedecessoris litterarum praefatarum formam et dispositionem, solvendi et consignandi erant, deinceps a singulis cardinalibus in suâ ad cardinalatus honorem promotione per se seu eorum agentes ipsis officialibus sive ministris absque morâ, unâ cum aliis septuaginta quinque ducatis similibus in eorum promotione huiusmodi debitis et assignatis, ut praefertur, solvi et consignari deberi,

Eos in ipsâ promotione solvi iubet.

sine ullo pariter quorumcumque iurium Camerae Apostolicae debitorum et solvendorum praeiudicio, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo itidem statuimus et ordinamus.

Exequutores mandati huius deputat.

§ 3. Iniungentes propterea dilectis filiis eiusdem S. R. E. collegii cardinalium moderno et pro tempore existenti camerario, necnon causarum Curiae Camerae praedictae generali auditori, quatenus infra mensem a die promotionis dictorum cardinalium computandum, etiamsi ipsi cardinales nondum, ut supra dictum est, Romam venerint, per collegii praedicti depositarium, vel aliàs, prout melius expedire videbitur, centum quinquaginta ducatos auri de Camerâ in totum secretario, clerico et computistae praefatis, quibusvis appellationibus, subterfugiis et cavillationibus remotis, persolvi curent, et etiam cum effectu faciant, ac summarium et expeditum ius illis administrent, omnibusque remediis opportunis sibi benevisis etiam cum invocatione auxilii brachii saecularis cogant et compellant.

Derogat obstantibus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae memoratus Paulus praedecessor in suis litteris praedictis voluit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII augusti MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 augusti 1734, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CXLII.

*Nonnulla privilegia provincialibus Societatis Iesu in partibus Indiarum existentibus a sanctae memoriae Pio IV concessa confirmantur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Pius IV aliique Pontifices patribus Societatis Iesu facultatem concessêre dispensandi cum neophitis Indiarum in gradibus affinitatis vel consanguinitatis a iure divino non prohibitis ad contrahenda matrimonia.

§ 1. Cum dudum felicis recordationis Pius PP. IV, praedecessor noster, inter alia, ut Societatis Iesu provinciales, vel ab eis deputati presbyteri, cum neophytis Indiarum, aliarumque orientalium regionum, in quocumque seu quibusvis a iure divino non prohibitis consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel aliàs coniunctis, ut, impedimentis huiusmodi non obstantibus, matrimonium inter se contrahere et solemnizare, seu in iam etiam scienter contractis matrimoniis huiusmodi remanere valerent; in partibus ubi Ordinarii locorum facile adiri poterant, in foro conscientiae tantum, perpetuo, et insuper ibidem, infra tamen viginti annos tunc proxime futuros, quod ipsi locorum Ordinarii, de presbyterorum eorumdem tamquam adiutorum et assessorum suorum in locis praefatis, et ubi eorum commode potuisset haberi copia, consilio, et cum illis etiam in iudiciali foro; in reliquis autem provinciis, Ordinariorum praesentiâ destitutis, vel ab eis remotis, quod iidem provinciales et deputati presbyteri cum eisdem neophytis etiam in utroque foro, auctoritate apostolicâ, gratis dispensare libere et licite valerent, plenam et liberam facultatem sub certis modo et formâ tunc expressis, concesserit; et aliàs prout in ipsius Pii praedecessoris nostri litteris desuper in simili formâ Brevis die XV iulii MDLXIII expeditis uberius continetur; et successive alii Romani Pontifices praedecessores nostri facultatem huiusmodi tam presbyteris quam Ordinariis praefatis non perpetuo sed ad certa limitata tempora, ac novissime, nempe die XI iunii

*Huic facultati Clemens XI terminum posuit viginti annorum.*

MDCCI, recolendae memoriae Clemens PP. XI praedecessor etiam noster ad viginti annos tunc proximos per suas respective in eâdem formâ Brevis litteras, sub certis modo et formâ in illis expressis, inter alia prorogaverit seu de novo concesserit; et, sicut pro parte dilecti filii procuratoris generalis eiusdem Societatis Iesu nobis nuper expositum fuit, praedicti viginti anni, ad quos memorata facultas a Clemente praedecessore prorogata seu de novo concessa fuerat, iamdudum expiraverit, ipseque procurator generalis dubitet, ne in procul dissitis illis regionibus aliqui seu aliquis e missionariis, credentes facultatem eiusmodi a Sede Apostolicâ fuisse renovatam, cum neophytis praefatis in dictis gradibus bonâ fide dispensaverint, et, eâ de causâ, aliquâ sint censurâ innodati; cupiatque propterea dictus procurator generalis nedum eamdem facultatem ad aliud nobis bene visum tempus prorogari, sed etiam provincialibus illarum partium et confessariis ab ipsis delegatis indulgeri, quatenus omnes et quoscumque, qui dictâ facultate, postquam expiraverat, usi fuerint, in foro conscientiae absolvere, ac dispensationes bonâ fide concessas ratas habere possint:

*Hoc expirato termino illum prorogat Clemens XII ad alios viginti annos.*

§ 2. Hinc est quod nos, populorum illorum ex gentilitatis tenebris et erroribus ad veri luminis agnitionem et christianae fidei veritatem conversorum et ab hac Sanctâ Sede remotissimorum animarum saluti et spiritualibus necessitatibus pro pastoralis officii nostri curâ prospectum esse cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium in totâ republicâ christianâ generalium inquisitorum adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ deputatorum consilio, tam provincialibus et ab eis deputandis presbyteris, quam locorum Ordinariis praefatis, cum dictis neophytis in quocumque seu quibusvis (non tamen in primo) consanguinitatis vel affinitatis gradibus vel aliàs coniunctis seu se attinentibus, ut matrimonium inter se contrahere, seu in eo etiam scienter contracto remanere valeant, dictis quidem presbyteris in locis et regionibus, ubi Ordinarii non adsunt, vel ultra duas dietas iuxta constitutionem similis memoriae Pauli PP. III etiam praedecessoris nostri editam existunt; ipsis vero Ordinariis e contra, ubi presbyteri praefati adsunt, vel eorum commode haberi potest copia, de eorum tamquam adiutorum et assessorum suorum consilio, et cum illis; ubi autem non adsunt, nec eorum commode copia haberi potest, etiam sine illis, in utroque foro gratis dispensandi, et eos, qui in gradibus prohibitis huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis aliisque censuris, poenis ecclesiasticis, in utroque foro gratis pariter absolvendi, ac prolem inde susceptam legitimam decernendi; necnon eisdem presbyteris et Ordinariis, servatis locorum circumstantiis et limitationibus huiusmodi, cum eisdem neophytis in primo gradu etiam rectae lineae affinitatis ex copulâ illicitâ resultantis se attinentibus, ut matrimonium quoque inter se contrahere, seu in etiam scienter contracto remanere similiter valeant, in occultis tamen et in foro conscientiae tantum, ac urgentibus iustis causis, gratis etiam dispensandi, et eos, qui in primo affinitatis gradu huiusmodi etiam scienter contraxerint, ab excessibus et excommunicationis, aliisque censuris et poenis ecclesiasticis in foro conscientiae tantum gratis similiter absolvendi; dictisque Ordinariis alios presbyteros idoneos a se prius approbatos, in locis ubi non adsint mis-

sionarii similem facultatem habentes, quoad praemissa in sui locum subdelegandi, licentiam et facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et impertimur: praesentibus ad viginti annos a die illarum datae computandos tantum duraturis, ac uno eodemque tempore tam quoad principales et presbyteros Societatis Iesu, quam quoad Ordinarios praefatos expiraturis: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

*Matrimonia cum huiusmodi dispensationibus contracta post expiratum dictum terminum validat.*

§ 3. Praeterea, eorum, qui matrimonia huiusmodi post expiratam facultatem, a Clemente praedecessore nostro sicut praemittitur prorogatam seu de novo concessam, in gradibus huiusmodi forsan contraxerint, dispensationemque respective ad id concesserint, statui et conscientiarum quieti providere volentes, omnia et singula matrimonia, quae, vigore dispensationis super praedictis gradibus seu impedimentis per missionarios seu etiam Ordinarios illarum partium post expiratam facultatem sic prorogatam quomodolibet concessae, aliàs tamen rite et legitime, contracta fuerint, auctoritate et tenore praefatis revalidamus, ac valida et legitima decernimus, in omnibus et per omnia, perinde ac si ab initio et in eorum radice, praeviâ sufficienti dispensatione, contracta fuissent, absque eo quod illi, qui sic contraxerint, matrimonium de novo contrahere seu novum consensum praestare ullo modo debeant aut teneantur; dictis vero provincialibus Societatis Iesu, et presbyteris ab eis deputandis, necnon Ordinariis locorum, illos, qui expiratâ facultate huiusmodi interim usi fuerint ut praefertur, a quibuscumque censuris et poenis ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurrerunt, pro hac vice tantum absolvendi, dictâ auctoritate, harum serie, facultatem similiter tribuimus et impertimur.

*Huius concessionis exequutionem committit.*

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Obstantibus derogat.*

§ 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac, quatenus opus sit, quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

*Transumptis adhiberi fidem mandat.*

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis Iesu subscriptis, et sigillo praepositi generalis eiusdem Societatis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesenti-

bus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 septembris 1734, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CXLIII.

*Damnatio et prohibitio libelli gallico idiomate editi sub titulo:* Lettre pastorale de monseigneur l'evêque de Montpellier addressée au clergé et aux fidèles de son diocèse pour leur notifier un miracle opéré dans son diocèse par l'intercession de M. François de Paris et les prémunir contre un Bref de N. S. P. le Pape en date du 3 octobre 1733 et deux écrits de monsieur l'archevêque d'Embrun de la meme annèe 1734: *ac cuiuscumque alterius similis scripti ab eodem episcopo Montispessulanensi editi, vel quod deinceps edi contigerit.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Libellum de quo in rubrica damnat, illius legi retinerique prohibet.

§ 1. Cum, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, non ita pridem in lucem prodierit quidam libellus gallico idiomate editus, cui titulus: *Lettre pastorale de monseigneur l'evêque de Montpellier adressée au clergé et aux fidèles de son diocèse pour leur notifier un miracle opéré dans son diocèse par l'intercession de M. François de Paris, et les prémunir contre un Bref de N. S. P. le Pape en date du 3 octobre 1733 et deux écrits de monseigneur l'archevêque d'Embrun de la même année, 1734*: nos, relatâ nobis libelli huiusmodi censurâ, auditisque desuper nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et aliorum in sacrâ theologiâ magistrorum sententiis, pro commissâ nobis ab Æterno Pastore gregis sui curâ, dominicas oves, quantum nobis ex alto conceditur, a noxiis praeservare cupientes, de memoratorum cardinalium consilio, libellum praedictum, uti continentem propositiones respective falsas, scandalosas, simplicium seductivas, perniciosas, temerarias, contumeliosas, auctoritati Apostolicae Sedis et universae Ecclesiae derogantes, impias, schismati, schismaticis et haeresi faventes, de haeresi suspectas, erroneas et haereticas, sub superius expresso, aliove quovis titulo, ubicumque et quocumque alio idiomate, seu quavis editione et versione, hucusque impressum ac manu descriptum, aut, quod absit, imposterum imprimendum et describendum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, ipsiusque libelli impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto et absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam nisi per nos et Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in mortis articulo constitutus, absolvi possit, omnino interdicimus.

Exemplaria locorum Ordinariis tradi iubet.

§ 2. Volentes, et auctoritate praefatâ mandantes, ut, quicumque libellum praedictum penes se habuerint, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel haereticae pravitatis inquisitoribus, qui autem eidem episcopo Montispessulanensi subsunt, metropolitano tradere atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent.

Cetera epi-

§ 3. Ceterum omne quodcumque aliud

scopi Montispessulanensis scripta damnat. simile scriptum, a dicto episcopo Montispessulanensi, quovis etiam titulo et idiomate iam editum, vel quod deinceps edi et evulgari contigerit, auctoritate ac tenore praefatis damnamus quoque et reprobamus, illiusque impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum sub pari excommunicationis poenâ omnino itidem prohibemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Praesentes litteras praecipit publicari. § 3. Ut autem eaedem praesentes litterae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Transumptis credi vult. § 5. Ipsarumque litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI octobris MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 11 octobris 1734, pontif. anno V.

Pro domino cardinali OLIVERIO,

P. L. JACQUET.

*Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi* MDCCXXXIV, *indictione* XII, *die vero* XII *mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XII anno* V, *supradictae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curiae generalis in Monte Citatorio, in acie Campiflorae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Franciscum Bartolotti apostolicum cursorem.*

PETRUS ORIGHI magister cursorum.

## CXLIV.

*Confirmatio duorum decretorum seu statutorum a capitulo generali Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Christianae in Galliâ editorum circa vocem provincialium in capitulis generalibus, eorumque praesidentiam capitulis provincialibus.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hyacinthus de Bénoit, presbyter ac procurator generalis clericorum saecularium Doctrinae Christianae in Galliâ, quod in capitulo generali eiusdem Congregationis hoc anno Parisiis celebrato, cap. II constitutionum inibi editarum, statutum fuit (reservatis tamen desuper nostris et Apostolicae Sedis beneplacito et approbatione), ut, si tempore capituli generalis dictae Congregationis munus praepositi provincialis alicuius provinciae ipsius Congregationis per obitum aut aliàs qualitercumque vacans reperiretur, tunc interesse deberet[1] capitulo generali praefato tamquam vocalis, et eodem modo quo ipse praepositus provincialis eiusmodi munere in eâ provinciâ immediate functus fuisset, vel, eo deficiente, qui ad praescriptum dictarum constitutionum eamdem provinciam regeret; et cap. VII cautum est, ut, si novus praepositus provincialis foret de gre- Procuratoris huius Congregationis preces.

1 Quisnam? Deest subiectum (R. T.).

mio capituli itidem provincialis, nec ei praesit praepositus generalis aut eius delegatus, idem novus praepositus provincialis capitulo provinciali praesideret; si vero[1] esset in eàdem Urbe, vel non ita distans ut intra unum vel alterum diem adesse posset, advocaretur, non interrupto capitulo, et, si veniret, exciperetur uti vocalis; idque potiori iure locum sibi vindicaret respectu capituli generalis quoad praepositum generalem huiusmodi, si forte aliquem eligi contingeret qui de gremio ipsius capituli generalis non fuisset. Quare praefatus Hyacintus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Pontifex annuit petitis.

§ 2. Nos igitur, ipsius Hyacinthi procuratoris generalis votis hac[2] in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, enarrata duo decreta seu statuta cap. II et VII dictarum constitutionum, a capitulo generali eiusdem Congregationis Doctrinae Christianae sicut praemittitur edita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 3. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII novembris MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 novembris 1734, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CXLV.

*Quod decanatus Sacrae Rotae auditorii ab episcopo etiam titulari optari non possit; nec in Rotâ cognosci causae ipsorum auditorum eorumque consan-*

1 Edit. Main. legit *vere* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *ac* pro *hac* (R. T.).

*guineorum in primo gradu: causae vero in Rotâ semel inductae avocari ab eâdem nequeant.*

**Clemens episcopus,
servus servorum Dei,
ad perpetuam rei memoriam**

Prooemium.

In summi pontificatus speculâ a Christo domino constituti, ad quaecumque Urbis tribunâlia mentis nostrae aciem dirigentes, ea praecipue, quae auditorum palatii nostri laudem interque eos unanimem tranquillitatem confovere possunt, prae oculis speciatim habemus, ut nempe auditorium ipsum cunctis nationibus, huc pro controversiarum decisione convenientibus, incorruptae mentis praeconio celebretur, eiusque iudicia, ut hactenus factum est, ubique terrarum debito plausu excipiantur.

Causae huius constitutionis.

§ 1. Itaque nos, intimo cordis affectu iustitiam, eo quo par est studio et sedulitate, ac sine ullâ acceptione personarum, in causis iamdudum introductis vel imposterum introducendis administrari et nullo modo retardari cupientes, quod aliàs piae memoriae antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum hac de re editis constitutionibus cautum est, omnes longarum litium ambages et controversias, magnâ, ut decet, sollicitudine, ad debitum finem perduci volumus; quandoquidem tam spectatae virtutis auditorium ab iisdem Pontificibus antecessoribus nostris, nobisque ipsis, ob integritatis et utriusque iurisprudentiae famam tanti factum fuisse constat, ut quasi certatim permagnis gratiarum privilegiis et honoribus illud ornare studuerint; quibus ipsi auditores optime instructi, unoque iusti et recti studio prae oculis habito, ius suum cuique tribuere satagerent. Quod hactenus, Dei gratiâ opitulante, factum, amplius deinceps factum iri speramus, itaut in toto auditorio vix quidquam desiderandum supersit.

Nonnullae controversiae inter ipsos auditores aliquando insurrexere.

§ 2. Nihilominus, eodem auditorio pro suâ vigilantiâ et probitate nobis humiliter suggerente, animorum suorum quieti iustitiaeque consultum iri, si una et altera controversiae formido e medio tolleretur, quae interdum discordias serere ac totius auditorii animos non sine gravi causarum ventilandarum incommodo turbare possent: quorum nos providam circumspectionem et boni publici studium laudantes, eorumque expositiones plurimi facientes, hac nostrâ constitutione eas effectum per illos optatum assequi volumus. Quae quidem huc summatim reducuntur. Ut imposterum, decanatu auditorii vacante, atque ad munus ipsum decani auditore inter ceteros antiquiore[1], sed tamen episcopali, archiepiscopali, vel etiam patriarchali dignitate, residentiae oneri adstrictae, vel etiam non adstrictae, sed a titulo tantum denominatae[2], in partibus, ut dicitur, infidelium, qui quidem auditor antiquior, eiusmodi dignitate praeditus, tunc munus locumtenentis occupans, in concursu alterius ex iisdem auditoribus, minus tamen antiqui, atque simili dignitate minime fulgentis, sive etiam qui, uti decanus actu existens, ad aliquam ex memoratis dignitatibus promoveretur, ideo decani munus, pro altero sibi immediate succedenti relinquere deberet: quandoquidem olim hac de re discordes atque inter se diversae fuerint sententiae, itaut quisque suam, utpote sibi magis gratam, sequeretur, singulis etiam quamdam observantiam pro se adducentibus; unde factum ut in hac sententiarum diversitate diversa etiam interque se discordantia iudicata

Utrum episcopus posset decani munus suscipere.

1 Syntaxin seq. corrigere desperamus (R. T.).
2 Videtur legendum *adstrictâ... non adstrictâ... denominatâ* (R. T.).

prodierint, ut sane contigit tempore felicis recordationis praedecessoris nostri Pii IV, qui in constitutione suâ anni MDLII, quae incipit *Dudum siquidem*, datâ apud S. Marcum, VI kalendas augustas, pontificatus anno III, sanxit, decanatum, tamquam non ferendum cum episcopatu Perusino, ad quem Iulius Oradinus auditor antiquior evectus fuerat, propterea tunc temporis tribuendum alteri auditori minus antiquo magistro Petro de Rubeis; tempore vero piae memoriae praedecessoris quoque nostri Benedicti XIII, in causâ agitatâ inter dilectum filium nostrum Pompeium, nunc S. R. E. cardinalem Aldrovandum nuncupatum, tunc antiquiorem, sed archiepiscopum Neocaesariensem, ac bonae memoriae magistrum Carolum Cerrium in dicto auditorio minus antiquum, per Congregationem particularem ab eodem Benedicto deputatam, decanatus adiudicatus est eidem Pompeio cardinali, utpote archiepiscopali dignitate fulgenti: Altera vero dubitationis occasio nobis proposita haec est: Sanctae memoriae decessor noster Pius IV in constitutione, quae incipit *In throno iustitiae*, datâ apud S. Marcum, VI kalendas ianuarias, pontificatus anno III, sanxit, ne causae propriae auditorum, eorumve familiarium et consanguineorum vel affinium usque ad secundum gradum, iuxta ius canonicum computandum, cognoscantur in Rotae auditorio; quam postea dispositionem piae memoriae antecessor noster Paulus V confirmavit aliâ suâ constitutione *De reformatione tribunalium Urbis*, in titulo *De auditoribus Rotae*, quae incipit *Universi agri*, datâ apud S. Petrum, kalendis martii, pontificatus anno VII; nihilominus, hoc minime obstante, in eodem Rotae auditorio successu temporis multas causas agitari contigit, quamvis essent de exceptis in iamdictis antecessorum nostrorum constitutionibus: idque factum esse reperitur etiam quum sanctae memoriae antecessores nostri Gregorius XV et Alexander VIII in minoribus constituti eidem auditorio adscriberentur: qui postmodum, licet ad supremum gradum pontificatus evecti, deque iamdictâ inobservantiâ optime conscii, nihil tamen contra eam decreverunt.

Utrum causae auditorum et consanguineorum cognoscendae in Rotâ.

In hoc vero auditores supplicarunt Clementi XI ut confirmaret statutum ab eis, ut scilicet procedi posset utraque parte consentiente.

§ 3. Quapropter hodierni dilecti filii palatii nostri auditores nunc seriò cogitantes, et vim dispositionum, clausularum et decretorum in relatis constitutionibus apostolicis contentorum, ac eorumdem usus discordes memoriâ repetentes, sanctae memoriae decessori nostro Clementi XI supplicationes suas porrexerunt, ut decretum, ab iis hac de re conditum, confirmaret, quo affirmabatur in dictis causis tuto procedi posse utrâque tantum parte consentiente: cui quidem supplicationi Clemens Pontifex per organum bonae memoriae Ioannis Dominici S. R. E. cardinalis Paracciani nuncupati, tunc sui auditoris, die XXX septembris anni MDCCII ita rescripsit: *Quoad tertium* (ubi scilicet de hoc agebatur) *dabitur resolutio postquam maturius examinatum fuerit dubium. Interim Sanctitas Sua permisit servari solitum.*

Hinc variae inter auditores opiniones.

§ 4. Sed nihilominus adhuc crescente litigantium malitiâ, complures ex iis non solum in causis post praestitum consensum exceptis, sed etiam post editas ab ipso causarum auditorio decisiones, et forte etiam prolatas in primo reditu, quem vulgo turnum appellant, sententias, aliò declinare studuerunt.

Re prius a nonnullis S. R. E. cardinalibus examinatâ,

§ 5. Quare, ut tam absona a nostro auditorio, in unam iustitiam erga quoslibet exercendam religiose incumbenti, nos, votis eorumdem dilectorum filiorum obsecundantes, providâ curâ arceremus,

quinque ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus rem totam examinandam commisimus, ut, his omnibus unâ cum singulis suis circumstantiis diligenter perpensis, quid aequius et utilius a nobis statuendum esset ipsi suggererent: quod quidem die xxx mensis septembris proxime elapsi mature fecerunt. Siquidem in unum convenientes, peracto diligenti totius negocii examine, quid opportunioris remedii esset adhibendum, unanimi consilio exposuerunt.

Constitutiones ab auditoribus editas confirmat Clemens.

§ 6. Quibus grato animo acceptis, ut in Rotae auditorio iustitia et pax se mutuo amplectantur, nos motu proprio, ex certâ scientiâ ac deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula, tam super eius decanatu, quam super quibuscumque aliis in eodem auditorio hucusque introductis et discussis, ab eo iudicata, itaut eorum nullitas ab infrascriptis, non ad aliquod praeteritorum praeiudicium, sed ad exactiorem futurorum regulam, desumi possit, firma et stabilia remanere decernimus. Deinceps vero, et perpetuis futuris temporibus, episcopum, archiepiscopum et patriarcham, etiam titulares, decanatum optare non posse statuimus, sique decanum ad aliquam ex his dignitatibus etiam titularem promoveri contigerit, non obstante etiam retentione loci auditoris expressâ in provisione ecclesiae, decanatum ipsum vacare volumus. Dictas vero Pii IV et Pauli V praedecessorum nostrorum constitutiones restringendas esse ad causas proprias auditorum Rotae et consanguineorum in primo gradu tantum, necnon ad eos qui auditorum studiis inserviunt. Ubi vero agitur de aliis, quae iuxta dictas constitutiones in Rotae auditorio cognosci non poterunt, eas in eodem auditorio cognosci posse, sed auditori, dum cognoscuntur, ab aulâ exeundum. Quo vero ad causas introductas et introducendas, eas post consensum partium, etiam in casibus in quibus disponitur in Rotâ non cognosci, ex eâdem Rotâ avocari minime posse.

Hanc constitutionem infirmari aut ullo notari vitio non posse statuit.

§ 7. Praesentes quoque litteras nostras, cum omnibus et singulis in eis contentis, etiam ex eo quod ad id interesse habentes vocati et auditi non fuerint, vel ex eo quod illae, nullâ subsistente causâ, vel etiam de facto, processisse dici possent, seu etiam processerint, aut ex aliâ quavis iuridicâ et legitimâ etiam necessario exprimendâ causâ, vel quocumque praetextu, de nullitatis vitio, seu intentionis nostrae aut quovis alio defectu notari, impugnari, invalidari, retractari et ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, seu adversus illas quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium aut oris aperitionem impetrari, vel etiam motu et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis constitutionibus, ac nostrae et Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ac litteris apostolicis in contrarium etiam motu pari et concistorialiter emanatis, aut quibusvis aliis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanaverint, toties in pristinum et eum, in quo ante praemissa erant, validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ, per nunc et pro tempore existentes auditorii praedicti seu Rotae auditores quandocumque eligendâ, concessas, validasque et efficaces fore et esse, sicque et non aliâs per quoscumque iudices etiam au-

ditorii iam dicti auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, et quamcumque eorumdem[1] Congregationem apostolicâ auctoritate super his quandocumque deputandam, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, ac ex nunc irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, apostolicâ auctoritate perpetuo decernimus, statuimus et declaramus.

Obstantibus derogat.

§ 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Cancellariae praedictae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac secundodictâ Pii ac praedictâ Pauli praedecessorum dictorum, aliisque super decanatu ac causis praedictis contra praemissa quomodolibet disponentibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictique auditorii, quatenus opus sit, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu simili et concistorialiter, ac aliâs in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis, ac in futurum concedendis, approbandis et innovandis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi eisdem praesentibus pro expressis, perinde ac si in eis de verbo ad verbum inserti forent, habentes[2], illis aliâs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Clausulae.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXIV, XV kalendas decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 17 novembris 1734, pontif. anno V.

A. card. prodatarius.

F. card. OLIVERIUS.

*Visa de Curia:*

I. archiep. Ancyranus.

*Loco † plumbi.*

I. B. EUGENIUS.

Reg. in Secret. Brevium.

1 Male edit. Main. legit *earumdem*

2 Vocem *habentes* nos addimus (R. T.).

---

## CXLVI.

*Iubilaeum universale ad implorandam divinam opem pro pace inter principes christianos et aliis Catholicae Ecclesiae necessitatibus.*

**Clemens Papa XII,**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Ecclesiae militantis regimini, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, divinâ providentiâ praesidentes, acerbissimo sane ac pene inexplicabili paterni cordis nostri moerore angimur, dum, mentis nostrae aciem longe lateque circumferentes, attente contemplamur quantis christiana respublica luctuosis hisce temporibus fere undique iactetur calamitatum fluctibus et procellis, cumque potissimum intuemur dirum atroxque bellum inter principes catholicos non ita pridem exortum, ac vehementius in dies recrudescens, florentis-

simas orbis christiani provincias ac potentissima olim regna caedibus, ruinis, excidiis et vastationibus complere ac misere depascere; et quamvis, de dominici gregis salute ac publicâ tranquillitate solliciti, nihil eorum, quae officii nostri ratio a nobis postulat, humanaque monet prudentia, praetermittamus, ut tot tantisque malis et aerumnis remedium quaeramus, ac praesertim, quidquid in nobis est virium consilii in id conferre non cessemus, quo eorumdem catholicorum principum animi, sublatis gliscentibus dissidiis, ad mutuam concordiam revocentur, ac in pristinae charitatis compagem restituantur; quia tamen vani sunt hominum conatus, nisi gratiae caelestis ope adiuventur, manus et oculos cum lacrymis et gemitu ad Eum assidue attollimus, qui altissimum posuit refugium suum, quique concludit ostiis mare, et ei dicit usque huc venies et non procedes amplius et hic confringes tumentes fluctus tuos, ut Ipse pro suâ clementiâ, in qua praecipue confidimus, motas sedet, ac imminentes repellat tempestates, saevientisque belli et alia divinae suae ultionis flagella a christifidelibus procul avertat.

Christifideles hortatur ad opem divinam implorandum.

§ 1. Quamobrem vos omnes, quibus curam et sollicitudinem nostram impendimus, ad id ipsum coniunctis nobiscum precibus a Deo totius consolationis humiliter efflagitandum excitandos duximus. Fugientes igitur a facie arcus, adeamus cum fiduciâ ad thronum gratiae, scissis per veram poenitentiam cordibus nostris, caelestem iram, quam iniquitates nostrae provocaverunt, obsecrationibus, ieiuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus placare studeamus, ut, qui castigat nos propter scelera nostra, salvet nos propter misericordiam suam, et quam mundus dare non potest, populo suo supplicanti pacem benigne largiatur.

Pia opera hic statuta facientibus indulgentias elargitur.

§ 2. Hae autem ut ferventiori spiritus ardore uberiorique fructu fiant, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire et largâ manu erogare decrevimus. Itaque de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus contulit, universis et singulis utriusque sexus christifidelibus in almâ Urbe nostrâ degentibus, qui S. Ioannis in Laterano, Principis Apostolorum et S. Mariae Maioris de eâdem Urbe ecclesias, seu basilicas, vel earum aliquam, intra decursum proximae, quae erit secunda Adventus, vel immediate subsequentis hebdomadae, usque ad dominicam sequentem inclusive, saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint, ac quartâ et sextâ feriis et sabbato alterius ex praefatis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint; ceteris vero extra Urbem praedictam ubicumque degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios seu officiales vel alios ut praefertur faciendae decursura-

rum, saltem semel visitaverint, ac quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam ut praemittitur erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Navigantibus, regularibus, infirmisque modum huiusmodi assequendi indulgentias praescribit.

§ 3. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, supradictis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali vel maiori aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel aliud proximum tempus prorogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Amplas confessariis concedit facultates.

§ 4. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus et regularibus cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti, tam in Urbe praefatâ quam extra eam ubique locorum ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem, quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis ut praemittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, delictis, quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, et hac vice tantum, absolvere et liberare valeant; et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis: in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

Ab Ordinariis locorum huiusmodi indulgentias publicari praecipit.

§ 5. Quapropter, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis qui curam animarum exercent, non tamen qui per dictos praedecessores a S. R. E. communione quomodolibet separati fuerint, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civi-

tates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

A supradictis facultatibus irregularitatem excepit.

§ 5. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquo modo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque pariter easdem praesentes iis, qui, etiam eorum nomine speciatim non expresso, a communione S. R. E., ut praefertur, segregati, seu a Nobis et Apostolicâ Sede, aut[1] ab aliquo praelato vel iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse aut debere.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, praesertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum et congregationum sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter nominatim et expresse ad effectum praemissorum derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *ut* pro *aut* (R. T.).

Fides transumptorum.

§ 7. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum et gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III decembris MDCCXXXIV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 3 decembris 1734, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

*Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi* MDCCXXXIV, *indictione* XII, *die vero* IV *decembris*, *pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XII anno* V, *supradictae litterae apostolicae affixae et publicatae fuerunt ad valvas basilicarum Lateranensis, Vaticanae et Liberianae, Cancellariae Apostolicae, Montis Citatorii, Aciei Campiflorae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Petrum Righi apostolicum cursorem.*

FRANC. BARTOLOTTUS, magister cursorum.

CXLVII.

*Summarium indulgentiarum, quae conceduntur fratribus et sororibus Ordinis Servorum B.M.V. et confratribus Septem Dolorum, Ordinis ecclesias statutis anni diebus visitantibus, vel etiam coronam Septem Dolorum nuncupatam recitantibus, adimplendo insuper nonnulla pia opera quae in hac constitutione praescribuntur.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Unigeniti filii Dei salvatoris nostri Iesu Christi, qui, pro reconciliandâ auctori suo humanâ naturâ, de caelis ad mundi huius infima descendere, nostraeque mortalitatis carnem sumere, et tandem errata nostra ineffabili dignatus est charitate diluere, vices, licet immeriti, gerentes in terris, gregem dominicum curae nostrae commissum ad viam salutis eternae perducere satagentes, religiosas virorum et sanctimonialium familias, aliosque utriusque sexus christifideles, quorum merita pro demeritis penitus sunt imparia, ad pia et meritoria opera exercenda, propositis spiritualibus indulgentiarum muneribus, ita excitamus, ut per ea felicitatis aeternae praemia facilius consequi mereantur.

Ordinis Servorum B. V. laudes enarrat. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, Ordo fratrum Servorum B.M.V. nuncupatorum a suis primordiis ad haec usque tempora Catholicae Ecclesiae admodum utilis et fructuosus extiterit, et dilecti filii eiusdem Ordinis fratres quamplurima christianae pietatis et charitatis opera sedulo exercuerint, et praesertim in aeternâ christifidelium salute procurandâ assiduos labores alacriter susceperint, ac dilectus filius noster Petrus Maria tituli S. Ioannis ante Portam Latinam nuncupati S.R.E. presbyter cardinalis Pieri nuncupatus, qui Ordinem ipsum expresse professus prioris generalis et nonnulla alia dicti Ordinis munera et officia laudabiliter sustinuit, dudum suas preces pro quibusdam indulgentiarum et peccatorum remissionibus ac poenitentiarum relaxationibus aliisque gratiis spiritualibus favore dictorum fratrum et ecclesiarum ab eis administratarum, nec non super recitatione infrascriptae coronae, quae Septem Dolorum nuncupatur, ac aliàs ab Apostolicâ Sede reportandis, nobis humiliter porrexerit, et nos, ad praemissorum effectum, particularem videlicet dilectorum etiam filiorum nostrorum Antonii Xaverii de Gentilibus prodatarii nostri, et Ioannis Antonii Guadagni, nostri in Urbe eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis, ac Marcelli Passeri, respective nuncupatorum, nostri pro-auditoris respective presbyterorum eiusdem S.R.E. cardinalium Congregationem, assignato illi in secretarium venerabili fratre nostro Carolo Alberto Cavalchini moderno archiepiscopo Philippensi, apostolicâ auctoritate deputaverimus, eidemque Congregationi sic a nobis, ut praefertur, deputatae opportunas ad id facultates concesserimus; deinde vero sub die XXXI mensis maii proxime praeteriti Antonius Xaverius et Ioannes Antonius ac Marcellus cardinales praefati insimul congregati, et re mature discussâ, infrascriptas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, aliasque gratias per nos, ut infra, concedendas censuerint; postmodum vero dictus Carolus Albertus archiepiscopus relationem dictae Congregationis et eorum quae in illâ ab Antonio Xaverio ac Ioanne Antonio et Marcello cardinalibus praefatis pertractata, quaeque a nobis concedi posse eis visa fuerunt, sub die XI

mensis augusti etiam proxime praeteriti nobis fecerit:

Praeter indulgentias aliàs Ordini concessas, eiusque ecclesias visitantibus, ac praecipue confratribus Septem Dolorum,

§ 2. Nos, qui erga dictum Ordinem peculiarem devotionis affectum semper gessimus, eiusdemque Ordinis protectoris munus, olim a bonae memoriae Nereo, dum viveret, eiusdem S.R.E. cardinale Corsini nuncupato, patruo nostro, obtentum, dum cardinalatus honore fungebamur per plures annos egimus, et ad summi apostolatus apicem divinâ favente clementiâ assumpti, quoad vivemus, retinendum duximus, quique, quando, cum[1] Deo placuerit, vitâ functi fuerimus, ad illud obeundum dilectum etiam filium nostrum Nereum dictae S. R. E. diaconum cardinalem etiam Corsini nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre Germano nepotem, per litteras apostolicas in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper expeditas apostolicâ auctoritate praefatâ deputavimus, Petrum Mariam cardinalem, ac fratres Ordinis huiusmodi, aliosque christifideles ecclesias dicti Ordinis frequentantes, christianaeque pietatis opera penes eosdem fratres aut aliàs exercentes, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac omnes et quascumque indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros fratribus praefatis et monialibus dicti Ordinis ac utriusque sexus christifidelium confraternitatibus Septem Dolorum eiusdem B. Mariae Virginis nuncupatis, auctoritate pro tempore existentis prioris generalis dicti Ordinis ac vigore facultatis ei ab Apostolicâ Sede impartitae canonice erectis, earumdemque confraternitatum confratribus, nec non aliis christifidelibus christianae pietatis opera huiusmodi penes illos exercentibus hactenus concessas, et praesertim indulgentiam plenariam confratribus huiusmodi processioni Septem Dolorum nuncupatae quolibet mense fieri solitae interessentibus per felicis recordationis Paulum Papam V praedecessorem nostrum per suas binas quasdam videlicet sub datum Romae die X mensis martii anni Domini MDCXI alteras vero sub datum Tusculi die VII mensis iunii eiusdem anni MDCXI in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper expeditas litteras apostolicas concessam et successive per piae memoriae Innocentium PP. XI similiter praedecessorem nostrum per alias suas etiam in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper sub datum Romae die XXIV mensis octobris anni eiusdem Domini MDCLXXXII etiam expeditas litteras apostolicas confirmatam, quas omnes, dummodo illae praesentibus non repugnent, salvas et illaesas esse intendimus, illorumque[1] ac aliarum infrascriptarum litterarum apostolicarum recolendae memoriae Benedicti XIII etiam praedecessoris nostri necnon infrascripti summarii tenores etiam veriores ac datas praesentibus pro expressis habentes, motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine et ex voto Congregationis particularis huiusmodi:

Novas concedit indulgentias.

Omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus saltem contritis, illis videlicet qui praefatas ecclesias dicti Ordinis quocumque anni die devote visitaverint, inibique saltem orationem dominicam et salutationem angelicam pro christifidelibus tam viventibus quam in Christi charitate defunctis per modum suffragii semel recitaverint, quinquaginta dies; iis vero, qui horis canonicis in ecclesiis Ordinis huiusmodi decantandis seu recitandis, et qui anti-

1 Particulam *cum* nos addimus (R. T.).

1 Videtur legendum *illarumque* (R. T.).

phonae *Salve Regina* inibi pariter singulis anni diebus decantari seu recitari solitae respective devote interfuerint, et pro S. M. E. exaltatione, haeresum extirpatione, haereticorum et infidelium conversione, ac inter christianos principes conciliandâ et fovendâ pace, concordiâ et unione, ac pro tempore existentis Romani Pontificis salute, pias ad Deum preces effuderint, ac qui ecclesias Ordinis huiusmodi in earum dedicationum [1] respective diebus a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, necnon, vere poenitentes et confessi, singulis sabbati diebus respective etiam devote visitaverint, inibique, ut supra, oraverint, quoties id egerint respective centum dies, et eisdem utriusque sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui a dominicâ Septuagesimae usque ad dominicam Palmarum inclusive semel in unoquoque die septies orationem dominicam ac toties salutationem angelicam praefatas recitantes, ac feriâ IV maioris hebdomadae, feriâ V in Coenâ Domini et feriâ VI in Parasceve cum eleemosynae impartitione, et singulis tertiis cuiuslibet mensis feriis, exceptis tamen illis, quae praefato tempore intra Septuagesimae et Palmarum dominicas huiusmodi inclusae, ac, septies easdem orationem dominicam, et toties salutationem angelicam, sive vesperas defunctorum recitando, omnibus domini nostri Iesu Christi, unâ tantum, ac septem eiusdem B. Mariae Virginis, duabus tantum infrascriptis et per infrascriptos superiores regulares eligendis respective exceptis, respective festivitatibus, et per octo dies festivitatem eiusdem B. M. V. Septem Dolorum nuncupatae, tertiâ dominicâ mensis septembris celebrari solitam, etiamsi illa ad aliam diem canonice transferri contingat, sequentes, ac singulis S. Iosephi, S. Augustini et Omnium Sanctorum eiusdem Ordinis, et cum eleemosynae huiusmodi impartitione, Inventionis et Exaltationis sanctae Crucis respective festivitatibus, etiamsi aliqua illarum canonice, ut praefertur, transferatur, respective a primis vesperis usque ad occasum solis dierum, in quibus omnes et singulae festivitates huiusmodi celebrabuntur, et, quoad Inventionis et Exaltationis huiusmodi festivitates praefatas, etiam per octo dies illas respective sequentes, singulis annis easdem ecclesias dicti Ordinis respective etiam devote visitaverint, inibique etiam pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, ac aliàs ut praefertur pias ad Deum preces effuderint, respective, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ misericorditer in Domino perpetuo relaxamus. Item eisdem utriusque sexus christifidelibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac praefatâ sacrâ communione refectis, qui orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem interpolatarum, de locorum Ordinariorum licentiâ in qualibet ex dictis ecclesiis praefati Ordinis semel in anno tantum instituendae, per aliquod temporis spatium devote interfuerint et ut praefertur pias ad Deum preces effuderint, ac in unâ ex solemnitatibus eiusdem domini nostri Iesu Christi, orationem dominicam et salutationem angelicam septies, sive vesperas defunctorum recitando, et in duabus respective a superioribus localibus dicti Ordinis eligendis (quae tamen, cum electae fuerint, amplius variari non possint) ex septem eiusdem B. M. V. respective

[1] Edit. Main. legit *dedicationum* (R. T.).

festivitatibus, ac in illius Septem Dolorum, ut praefertur, nuncupatâ et dominicâ tertiâ mensis septembris, ut praefertur, celebrari solitâ festivitate, etiamsi illa in aliam diem, ut praefertur, canonice transferri contingat, respective etiam a primis vesperis usque ad occasum solis singularum quatuor ultimodictarum festivitatum easdem ecclesias dicti Ordinis etiam annis singulis devote visitaverint, inibique pro dictae sanctae matris Ecclesiae exaltatione, ac aliàs ut praefertur respective pias ad Deum preces effuderint, et quoad ultimodictam festivitatem apud altare seu cappellam Septem Dolorum eiusdem B.M.V. nuncupatae etiam devote oraverint, quoties id in unâquaque ex quatuor posterioribus festivitatibus huiusmodi egerint; necnon praefatis utriusque sexus christifidelibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac dictâ sacrâ communione, si id commode fieri poterit, refectis, vel saltem contritis, qui, antequam ex hac vitâ migraverint, etiam in eorum mortis articulo, in interioris poenitentiae signum, habitum per fratres quoad viros et quoad mulieres per tertiarias dicti Ordinis respective gestari solitum deferendum etiam post illorum obitum humiliter petierint, respective plenariam omnium et singulorum suorum peccatorum indulgentiam et remissionem apostolicâ auctoritate praefatâ etiam perpetuo concedimus et impartimur. Et eisdem fratribus et monialibus dicti Ordinis expresse professis, etiam vere poenitentibus et confessis, ac dicta sacrâ communione refectis, praefatas ecclesias eiusdem Ordinis in Nativitatis, Praesentationis, Annunciationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem B. Mariae Virginis respective festivitatibus a primis vesperis usque ad occasum solis singularum sex festivitatum huiusmodi singulis annis devote, et quoad moniales praefatas intra claustra eorum respective monasteriorum annis singulis visitantibus, inibique pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, ac aliàs ut praefertur pias ad Deum preces effundentibus, infirmitatis tamen aut gravis senii causâ hoc facere impeditis existentibus, aliquod aliud ad arbitrium superioris localis regularis pium opus peragentibus, singulis sex festivitatibus huiusmodi respective plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, per eos ad illorum arbitrium pro fratrum et monialium dicti Ordinis illorumque et illarum consanguineorum et insignium benefactorum respective animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicabilem, eâdem apostolicâ auctoritate etiam perpetuo concedimus et impartimur. Eisdemque fratribus et monialibus, ut supra, poenitentibus et confessis, ac eâdem sanctâ communione etiam refectis, de eiusdem superioris licentiâ, in omnibus et singulis vigiliis festivitatum eiusdem B. M. V. in pane et aquâ, aut, hoc facere nequeuntibus, in pane et vino, et, seu etiam id nequentibus, uno tantum ferculo per communitatem apposito ad arbitrium eiusdem superioris addito, ieiunantibus, et per dimidium horae de eâdem B. Mariae Virginis devote meditantibus, quoties id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis, aut aliàs, ut praefertur, debitis poenitentiis etiam pro fratrum et monialium eorumque consanguineorum et insignium benefactorum huiusmodi animabus praefatis, quae, ut praefertur, Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicabiles, similiter in formâ Ecclesiae consuetâ pariter perpetuo relaxamus.

Indulgentiae recitantibus coronam Septem Dolorum appellatam.

§ 3. Ac insuper, ut christianus populus ad Dei cultum sub eiusdem B. Mariae Virginis auspiciis ferventius accendatur, quascumque indulgentias et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, coronam, quae in Septem principalium Dolorum, quos eadem B. Maria Virgo in unigeniti Filii sui vitâ et obitu passa fuit, recordationem ex septem septenariis angelicarum salutationum, septemque dominicis orationibus, necnon tribus aliis salutationibus angelicis in honorem lacrimarum eiusdem B. Mariae Virginis cum peculiari dolorum huiusmodi explicatione et meditatione composita existit, pie recitantibus, ab eodem Benedicto praedecessore per suas litteras apostolicas etiam in formâ Brevis sub die XXVI mensis septembris pontificatus sui anno I expeditas, et incipientes *Redemptionis Domini*, concessas et impartitas, et in earum summario typis impresso contentas, illis tamen exceptis quae in § V eiusdem summarii continentur, quaeque tantummodo per nos revocatae et abrogatae censeantur, dictâ apostolicâ auctoritate similiter perpetuo confirmantes et approbantes, omnibus utriusque sexus christifidelibus, qui etiam vere poenitentes et confessi, seu firmum confitendi propositum habentes, praefatam coronam, ab aliquo ex fratribus dicti Ordinis mediate vel immediate receptas, pie et devote recitaverint, quoties id egerint, centum annos; illis vero qui coronam praefatam, ut praefertur, receptam secum ferentes, illam singulis secundis, quartis et sextis feriis, ac de praecepto Ecclesiae festis diebus etiam devote recitaverint, et subinde etiam vere poenituerint et confessi fuerint, centum quinquaginta annos; et eisdem christifidelibus, qui, conscientiae suae examine rite peracto, etiam vere poenitentes et confessi, praefatam coronam etiam devote recitaverint, et pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione, ac catholicae religionis augmento pias ad Deum preces effuderint, ducentos annos; eisdemque christifidelibus pariter vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione praefatâ etiam refectis, ac coronam praefatam frequenter recitare secumque deferre solitis, quoties ipsi sacrosanctae missae sacrificio aut sacris concionibus debitâ cum attentione interfuerint, aut ipsum SS. Eucharistiae sacramentum, dum ad aliquem infirmum defertur, associaverint, sive devium aliquem ab haereticâ pravitate aut blasphemiâ seu detractionis culpâ, aut aliàs ad viam salutis reduxerint, sive pacem cum inimicis propriis vel alienis composuerint, aut septies orationem dominicam et totidem salutationes angelicas praefatas devote recitantes, aliquod aliud spiritualis vel corporalis misericordiae opus in eorumdem domini nostri Iesu Christi et B. Mariae Virginis sive alterius sancti eorum patroni honorem egerint, decem annos respective de iniunctis eis, aut aliàs, ut praefertur, debitis poenitentiis etiam in formâ Ecclesiae consuetâ similiter misericorditer in Domino relaxamus. Necnon eisdem utriusque sexus christifidelibus, qui quater in qualibet hebdomadâ memoratam coronam recitare soliti fuerint, die per unumquemque ex eis eligendâ, vere poenitentes et confessi praefatum SS. Eucharistiae sacramentum sumpserint, et ipsam coronam devote recitaverint, semel in anno; ac praefatis utriusque sexus christifidelibus, qui per integrum mensem praefatam coronam quotidie recitaverint, et deinde vere poenitentes et confessi dictâque communione refecti pro sanctae matris Ecclesiae exaltatione, chri-

stianorum principum pace et concordiâ, ac haeresum extirpatione pias ad Deum preces effuderint, et, quoad fratres et moniales, si ipsi, integram coronam praefatam recitare nequeuntes, in casu tamen verae impotentiae tantum, aliquem hymnum eiusdem B. M. V. recitaverint, respective, plenariam omnium et singulorum peccatorum suorum indulgentiam et remissionem etiam perpetuo concedimus et impartimur.

Indulgentiae confratribus Septem Dolorum concessae ad fratres et sorores Ordinis praefati extenduntur.

§ 4. Praeterea quia a nonnullis dubitatum fuit an fratres et moniales praefati de indulgentiis, peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus praefatis, confratribus, ut praefertur concessis, huiusmodi participent: nos, omnem et quamcumque ambiguitatem quavis occasione vel causâ, aut aliàs quomodolibet insurgentem, de medio tollere volentes, fratres et moniales huiusmodi de omnibus et singulis indulgentiis, peccatorum remissionibus, ac poenitentiarum relaxationibus, eisdem cònfratribus per quoscumque Romanos Pontifices etiam praedecessores nostros hactenus quomodolibet concessis et in posterum concedendis (dummodo tamen per eosdem fratres et moniales opera dictis confratribus iniuncta adimpleantur), vere participare, illasque valide lucrari posse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, dictâ apostolicâ auctoritate etiam perpetuo volumus et declaramus.

Fratribus pro animabus defunctorum celebrantibus eae a purgatorio liberantur.

§ 5. Demum, quod praefatae indulgentiae animabus christifidelium, quae similiter Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari possint; item, de omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, quod quotiescumque quilibet presbyter regularis dicti Ordinis missam defunctorum iuxta dicti Ordinis statuta pro animabus fratrum et monialium eiusdem Ordinis, quae similiter Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, in eorum ecclesiis dumtaxat celebraverit, animae ipsae de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequantur, itaut, eiusdem domini nostri Iesu Christi ac beatissimae Virginis Mariae sanctorumque omnium meritis eis suffragantibus, a purgatorii poenis liberentur, apostolicâ auctoritate praefatâ etiam perpetuo concedimus et indulgemus.

Hasce litteras perpetuo valituras declarat.

§ 6. Praesentes quoque litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel annullari posse, sed illas semper et perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac dicti Ordinis pro tempore existentem protectorem, ac alios quoscumque eiusdem S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Obstantibus derogat.

§ 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de indulgentiis concedendis ad instar, aliisque, etiam in synodalibus,

provincialibus, generalibus universalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis etiam in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter motu, scientia et potestatis plenitudine similibus derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis harum litterarum credi iubet.

§ 8. Volumus autem, quod praefatae Coronae nemini possint vendi nec commodari, et, si secus fiat, indulgentiae, pro illarum recitatione, ut praefertur, concessae et impartitae, cessent, nulliusque sint roboris vel momenti; quodque earumdem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem ipsis praesentibus adhiberetur si illae exhibitae forent vel ostensae.

Firmitas concessionum.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae relationis[1], concessionis, impartitionis, confirmationis, approbationis, declarationis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, etc.

1 Videtur legendum *relaxationis* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXIV, V idus decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 decembris 1734, pontif. anno V.

---

## CXLVIII.

*Superiores regulares, etiam locales Ordinis Servorum B. M. V. facultate gaudent ecclesiastica indumenta ad huius Ordinis ecclesias pertinentia benedicendi, dummodo in benedictione huiusmodi sacri Olei unctio non adhibeatur.*

**Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Supernâ dispositione, cuius inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, in Apostolicâ Sede collocati, de religiosis viris, qui sub peculiaribus institutis[1] Deo ferventius famulantur, praecipuam gerimus curam, illosque privilegiis augere ac favoribus prosequi satagimus opportunis.

Ad preces cardinalis Pieri instituta cardinalium Congregatio ad examinandum quas gratias spirituales huic Ordini concedi conveniret.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, Ordo dilectorum filiorum fratrum Servorum B. M. Virginis nuncupatorum a suis primordiis ad haec usque tempora catholicae Ecclesiae admodum utilis et fructuosus extiterit, ac dilectus filius noster Petrus Maria tituli S. Ioannis ante Portam Latinam nuncupati S. R. E. presbyter cardinalis Pieri nuncupatus, qui, Ordinem ipsum expresse professus, prioris generalis et nonnulla alia dicti Ordinis munera atque officia laudabiliter sustinuit, dudum suas preces pro quibusdam gratiis spiritualibus favore dictorum fratrum et ecclesiarum ab eis administratarum ab Apostolicâ Sede roborandis nobis humiliter porrexerit; et nos, ad praemissorum effectum, par-

1 Edit. Main. legit *institutis* (R. T.).

ticularem, videlicet dilectorum etiam filiorum nostrorum Antonii Xaverii de Gentilibus, pro-datarii nostri, et Ioannis Antonii Guadagni, nostri in Urbe eiusque districtu vicarii in spiritualibus generalis, ac Marcelli Passeri, respective nuncupatorum, nostri pro-auditoris respective, presbyterorum eiusdem S. R. E. cardinalium, Congregationem, assignato illi in secretarium venerabili fratre nostro Carolo Alberto Cavalchini moderno archiepiscopo Philippensi, apostolicâ auctoritate deputaverimus, eidemque Congregationi, sic a nobis, ut praefertur, deputatae, opportunas ad id facultates concesserimus; deinde vero sub die xxxi mensis maii proxime praeteriti Antonius Xaverius et Ioannes Antonius ac Marcellus cardinales praefati insimul congregati, et re mature discussâ, inter alia, infrascriptum indultum per nos concedendum censuerint; postmodum vero dictus Carolus Albertus archiepiscopus relationem dictae Congregationis, et eorum, quae in illâ ab Antonio Xaverio et Ioanne Antonio ac Marcello cardinalibus praefatis pertractata, quaeque a nobis concedi posse eis visa fuerunt, sub die xi mensis augusti etiam proxime praeteriti nobis fecerit:

De huiusmodi Congregationis consilio superioribus localibus huius Ordinis facultatem tribuit benedicendi sacros apparatus.

§ 2. Nos, qui erga dictum Ordinem peculiarem devotionis affectum semper gessimus, eiusdemque Ordinis protectoris munus olim a bonae memoriae Nereo, dum viveret, eiusdem S. R. E. cardinali Corsini nuncupato patruo nostro obtentum, dum cardinalatus honore fungebamur per plures annos egimus, et, ad summi apostolatus apicem divinâ favente clementiâ assumpti, quoad vivemus, retinendum duximus, quique, quando Deo placuerit, vitâ functi fuerimus, ad illud obeundum dilectum etiam filium nostrum Nereum dictae S. R. E. diaconum cardinalem etiam Corsini nuncupatum, nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, per litteras apostolicas in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper expeditas apostolicâ auctoritate deputavimus Petrum Mariam cardinalem, ac fratres Ordinis huiusmodi specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, et ex voto Congregationis particularis huiusmodi, quod omnes et singuli superiores regulares, etiam locales, dicti Ordinis indumenta et paramenta ecclesiastica ad dicti Ordinis ecclesias tantum spectantia, dummodo in eis sacri Olei unctio non adhibeatur, rite benedicere libere et licite possint et valeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo concedimus et indulgemus.

Firmitas concessionis.

§ 3. Praesentes quoque litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae vel alio quantumvis substantiali defectu notari, impugnari vel annullari posse, sed illas semper perpetuo validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et omnibus, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliàs per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac dicti Ordinis pro tempore existentem protectorem, ac alios quoscumque eiusdem S.R.E. cardinales de latere legatos, vice-legatos et Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere,

et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis personis etiam in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio facienda et habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum omnium et singulorum tenores eisdem praesentibus etiam pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, latissime et plenissime ac specialiter et expresse motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Clausulae praeservativae.

§ 5. Volumus autem earumdem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si illae exhibitae forent vel ostensae.

§ 5. Nulli ergo omnino hominum, etc.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXIV, V idus decembris, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 decembris 1734, pontif. anno V.

## CXLIX.

*Facultas patribus Capuccinis Gallis missionariis apostolicis in partibus infidelium degentibus exercendi artes medicinae et chirurgiae.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Supplicatum patribus pro dispensatione ab observantiâ regulae quoad hoc caput.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum ac missionum exterarum eorumdem Capuccinorum Gallorum in partibus infidelium degens in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, praefati missionarii Galli in eisdem partibus elaborantes medicinae et chirurgiae artibus tum catholicorum, quos in fide consolidant, tum infidelium, quos non raro ad veritatis cognitionem adducunt, benevolentiam sibi concilient; id vero per constitutiones Ordinis praedicti cap. V, auctoritate apostolicâ confirmatas, omnibus expresse prohibeatur ne artes huiusmodi extra Ordinem exerceant: nobis propterea dictus Cherubinus humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concessio, de quâ in rubrica.

§ 2. Nos igitur, ipsius Cherubini desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fratribus missionariis Gallis missionum exterarum dicti Ordinis, artium medicinae et chirurgiae huiusmodi

peritis, etiam in sacro presbyteratus ordine constitutis, in memoratis[1] partibus infidelium nunc et pro tempore commorantibus, de superiorum suorum licentiâ, dummodo in illis locis nullus adsit medicus vel chirurgus saecularis qui infirmis in eorum infirmitatibus medeatur, artes medicinae et chirurgiae praefatas, iuxta illarum praecepta, ad commodum et utilitatem catholicorum in partibus infidelium huiusmodi nunc et pro tempore existentium dumtaxat, gratis tamen et sine ullâ prorsus mercede, ac in casu necessitatis tantum, exercere, ac medicamenta et alia necessaria praebere libere et licite, ac sine ullo conscientiae scrupulo, vel irregularitatis, alteriusve poenae vel censurae ecclesiasticae incursu, possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die v ianuarii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno v.

Dat. die 5 ianuarii 1735, pontif. anno v.

F. card. Oliverius.

1 Edit. Main. legit *memorati* (R. T.).

## CL.

*Indulgentia plenaria perpetua pro visitantibus aliquam ex ecclesiis fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, tam hactenus erectis quam imposterum erigendis, die festo Ss. martyrum Berardi, Petri, Accursii, Adiuti et Othonis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

**Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae credidit divina dignatio, libenter erogamus, sicut ad fovendam incitandamque fidelium erga sanctos in caelis cum Christo regnantes devotionem salubriter expedire in Domino arbitramur. Exordium.

§ 1. Supplicationibus itaque dilectorum filiorum Vincentii de Comitibus, ministri, et Ioannis Baptistae Minucci procuratoris generalium Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum dicti Ordinis hactenus erectis ac imposterum erigendis, et ubicumque locorum existentibus, die festo sanctorum martyrum Berardi, Petri, Accursii, Adiuti et Othonis eiusdem Ordinis Minorum professorum a primis vesperis usque ad occasum solis festi huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haere- Concessio indulgentiarum de quibus supra.

sum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam; monialibus vero supradicti Ordinis, ac aliis in earum quolibet monasterio nunc et pro tempore degentibus, vere pariter poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, quae suam respective ecclesiam supradicto festo visitaverint, et ut praefertur oraverint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Fides transumptorum.

§ 2. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 ianuarii 1735, pontif. anno V.

F. card. Oliverius.

---

## CLI.

*Contra homicidas ac deferentes arma prohibita in almâ Urbe et reliquo Statu Ecclesiastico.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

In supremo iustitiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam constituti, tametsi subditos nostros charitatis potius vinculo quam legum severitate in officio continere semper optaverimus, considerantes tamen crebra quae in temporali S. R. E. ditione, ac etiam in hac almâ Urbe nostrâ patrantur homicidia, ac succrescentem in dies virorum sanguinum inmanitatem, qui, posthabitis gravissimis praedecessorum nostrorum sanctionibus, ac omnis divini humanique iuris plane obliti, quinimmo vel feris ipsis animantibus, utpote in genus suum minime saevientibus, crudeliores, passim, levissimâ etiam quandoque de causâ, proximum suum depascuntur, eiusque cruore quasi musto inebriantur, nedum corporibus mortem inferentes, sed non raro animabus quoque pretiosissimo domini et salvatoris nostri Iesu Christi sanguine redemptis (si non sint armis spiritualibus divinâ praeveniente gratiâ munitae) aeternam perditionem procurantes, cogimur, licet inviti, nova validioraque quaerere et adhibere remedia, quibus tam exitiale ac detestabile flagitium de eâdem Urbe ac finibus universae ditionis praefatae, cuius peculiaris cura ac tutela nobis a Domino commissa est, propulsetur atque exterminetur, eas in primis ineundo rationes, per quas omnis spes ac fiducia impunitatis, quae illecebra peccandi persaepe esse solet, delinquentibus adimatur, ut, quos a tam atroci scelere nec Dei timor, neque humana necessitudo, nec fraterna charitas retrahit[1], poenarum temporalium sibi quocumque praecluso effugio ac evadendi aditu necessario subeundarum formidine deterriti, tandem ab effundendo proximi sui sanguine manus abstineant.

Malis ex huiusmodi armorum delationa provenientibus ut occurratur,

§ 1. Hinc est quod nos, non minus ex iniuncto nobis divinitus apostolicae sollicitudinis munere, quam publicae tranquillitatis ac securitatis studio, multorumque ad nos identidem delatis querimoniis excitati, post maturam, quam super eâ re cum nonnullis ex venera-

1 Male edit. Main. legit *retrahi* (R. T.).

bilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et dilectis filiis Romanae Curiae praelatis ad id a nobis specialiter deputatis, qui rem ipsam iussu nostro diu atque accurate discusserunt, habuimus, deliberationem, de illorum consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac in Urbe praedictâ, aliisque civitatibus, terris et locis nobis et eidem S. R. E. in temporalibus mediate vel immediate subiectis, perpetuo valiturâ constitutione, quae infra sequuntur, ut serpenti morbo huiusmodi occurramus, statuenda et ordinanda duximus.

Praedecessorum Pontificum similes constitutiones innovat.

§ 2. Ac primum quidem omnes et singulas constitutiones a felicis recordationis Pio II, Paulo II, Sixto IV, Iulio II, Leone X, Clemente VIII, Iulio III, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Innocentio XI, Innocentio XII, ac Benedicto XIII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris adversus homicidas saluberrime editas, quarum tenores praesentibus litteris pro plene et sufficienter expressis et de verbo ad verbum insertis haberi volumus, cum omnibus et singulis in eis contentis, quae ipsis praesentibus contraria non sunt, harum serie approbamus, confirmamus et innovamus, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi vel allegari posset, restituimus et plenarie reintegramus, atque deinceps omnino ac inviolabiliter observari praecipimus et mandamus. Et quia haud satis est delicta prohibere, nisi etiam, quae illa patrandi occasionem ac commoditatem praebent, provide submoveantur, omnes propterea et quascumque praedictorum, ac praesertim Pii IV et Pii V, necnon recolendae memoriae Alexandri VIII, quarum initium est *Etsi cuncta, etc.*, aliorumque antecessorum litteras et ordinationes, quibus vetantur delatio, retentio et venditio sclopulorum, *archibusetti* vulgariter nuncupatorum, pugionum, cultrorum, parvarum sicarum, aliorumque armorum mensurae brevioris tribus palmis, utpote ad caedem clam et dolose inferendam aptorum, prout quoque edictum kalendis ianuarii MDCCVIII de mandato piae memoriae Clementis Papae XI praedecessoris quoque nostri promulgatum, ceteraque bannimenta hucusque publicata, antedicta aliave similis vel alterius generis arma in Urbe ac ditione praefatis sub diversis etiam capitalibus poenis prohibentia, quae itidem praesentibus pro expressis et ad verbum insertis haberi volumus, ac omnia et singula in eis contenta similiter approbantes ac innovantes, ne poenarum per eorumdem decessorum litteras, edictum et bannimenta adversus illorum transgressores, cuiusvis in illis expressae qualitatis et conditionis fuerint, statutarum executio ullatenus impediatur, tenore praesentium districte interdicimus quibuscumque tribunalibus, magistratibus ac iudicibus tam Urbis praefatae quam aliarum civitatum, terrarum et locorum nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectarum, ac quibusvis eiusdem S. R. E. cardinalibus etiam de latere legatis, ne in causis delationis ac retentionis istiusmodi armorum ulli delinquenti poenas, quas quomodolibet incurrerunt, gratiose remittant aut componant, ac vel in minimâ etiam parte moderentur, sed ea dumtaxat, quae stricti iuris fuerint, iuxta praecisam formam et dispositionem litterarum edicti et bannimentorum praefatorum decernant et exequantur. Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex qualitate personarum, gratiae, compositioni, aut poenae moderationi locum esse, aequitate ita suadente,

prudenter existimaverint, nihilominus neque nunc[1] ad concessionem gratiae, compositionem aut moderationem poenae devenire possint, nisi praeviâ nostrâ ac Romani Pontificis pro tempore existentis expressâ approbatione; sub nullitate gestorum, ac inde sequutorum, et, quoad iudices praefatos, sub pecuniariis insuper aliisque etiam corporalibus nostro et eiusdem Pontificis arbitrio infligendis poenis; memoratisque cardinalium Congregationibus ac cardinalibus etiam de latere legatis quamcumque facultatem, quae eis de iure, usu vel consuetudine, seu aliàs quomodolibet competere posset in dictis causis delationis aut retentionis armorum arbitrandi, gratiam impertiendi et componendi, ac moderandi poenas huiusmodi, harum serie abrogamus et revocamus.

Occisor si causa sit rixae puniendus poenâ ordinaria.

§ 3. Praeterea, sicuti in bannimentis generalibus pro Urbe praefatâ ac universo Statu nostro Ecclesiastico editis cavetur homicidas non excusari a poenâ ordinariâ etiam pro homicidio in rixâ commisso, si ex processu constiterit rixam ex causâ irrationabili seu bestiali, ut vocant, ortam fuisse; ita, quia tantum legibus addendum venit, quantum rixarum et homicidiorum frequentia excreverit, statuimus ut in Urbe ac quibuscumque civitatibus, terris et locis nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectis praedictis, comprehensis etiam quatuor Legationibus ac civitatibus Bononiensi, Ferrariensi et Beneventanâ, aliisque etiam specialem et individuam mentionem requirentibus, occisor poenâ pariter ordinariâ puniatur, licet homicidium sequutum sit in rixâ, si homicida rixae auctor fuerit, utque calor iracundiae a poenâ ordinariâ delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixae ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, quod sufficere volumus ut reus ad actus extraneos diverterit vel divertisse debuerit; declarantes quod, ubi luculenter ex processu huiusmodi constiterit in actu homicidii nullam adfuisse rixam inter occisum et occisorem, nec pro parte occisoris probetur intra dictum intervallum sex horarum homicidium immediate praecedentium aliquam subortam fuisse rixam, interfector poenae ordinariae omnino subiiciatur. Neve praetextu erroneae et nunquam approbatae consuetudinis, sive interpretationis, quispiam decipiatur, ad omnium et singulorum memoriam serio revocamus, praedictâ poenâ ordinariâ teneri nedum ore proprio homicidium confessos, sed etiam qui de commisso homicidio iuxta iuris canonici ac civilis dispositionem, quam in ceteris quibuscumque delictis sartam tectamque fore volumus, convicti fuerint: quibusvis praetensis usu et stylo rebusque iudicatis in contrarium minime attentis.

Confirmatâ Innocentii XII constitutione de non rehabilitandis iis, qui animo doloso et praemeditato occidunt, eam extendit ad homicidas quoque qui sine huiusmodi animo interficiant.

§ 4. Cumque ad reprimendam sanguinariorum hominum audaciam, quae iam tunc invalescebat, idem Innocentius XII praedecessor, in supradictâ suâ constitutione incipiente *Viros sanguinum, etc.*, inter alia expresse ac omnino prohibuerit, inquisitos, processatos, condemnatos aut bannitos, sive uti principales, sive uti mandatarios, sive uti complices, aut auxilium aut consilium, vel favorem praestantes ex causâ seu occasione homicidii pro quo poena ordinaria vel extraordinaria imposita fuisset seu imponenda foret, et quos quibuscumque futuris temporibus similiter inquiri, processari, condemnari seu banniri contigisset in Urbe et universâ ditione ecclesiasticâ, nullo unquam tempore vel modo, ex aliquâ gratiâ seu compositione, vel per viam cassationis

1 Legerem potius *tunc* (R. T.).

processus, remitti, seu quoquo modo gratiose rebanniri, habilitari, seu cum eis dispensari, minusque illis aliquem salvumconductum seu liberum commeatum (praeterquam pro vero, reali et necessario servitio iustitiae, et tunc pro eo dumtaxat tempore quod huiusmodi servitio congrueret) concedi per quoscumque civitatum et locorum praefatorum gubernatores, provinciarum rectores, dictae Romanae Ecclesiae in temporalibus vicarios et iustitiae officiales, et quoscumque alios, quamvis speciali et individuâ mentione dignos, ac etiam ipsos cardinales de latere legatos, quorum tamen respectu dictam suam constitutionem locum habere decrevit in homicidiis animo doloso et praemeditato commissis: quamvis nulla suboriri possit dubitatio, quin praedicti cardinales de latere legati, pro eorum eximiâ dignitate ac laudabili iustitiae zelo, semper eâ qua decebat moderatione ac prudenti circumspectione antehac usi sint facultate sibi sic praeservatâ quoties de homicidiis in rixâ aut aliàs sine animo doloso et praemeditato sequutis actum fuit; attamen (quia praeconcepta spes veniae consequendae perversos homines animosiores pronioresque reddit ad rixas et contentiones excitandas et confovendas, earumque calore caedes patrandas), quo damnabilis haec praesumptio ex eorum animis penitus evellatur, eorumque saevitia irremissibiiium poenarum metu compescatur, enarratam constitutionem ac prohibitionem, quam idem Innocentius XII praedecessor quoad cardinales de latere legatos in homicidiis animo doloso et praemeditato locum sibi vindicare voluit, sicut praemittitur, ad homicidia etiam in rixâ et sine praemeditatione commissa per praesentes extendimus et ampliamus; itaut de cetero non liceat eisdem cardinalibus de latere legatis, neque etiam ipsis cardinalium Congregationibus, sine nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis speciali mandato, inquisitos, processatos et condemnatos aut bannitos ex causâ vel occasione homicidii etiam in rixâ et absque praemeditatione patrati, et gratiâ seu compositione, vel per viam cassationis processus, remittere, seu gratiose rebannire, habilitare, seu cum eis dispensare, neque illis aliquem salvumconductum, praeterquam pro vero, reali et necessario servitio iustitiae, et tunc pro eo dumtaxat tempore quod huiusmodi servitio congruat, concedere, etiamsi pacem ab haeredibus vel consanguineis aut filiis defuncti habuerint.

Ecclesiasticis superioribus mandat, ne quibuscumque homicidis sibi subiectis ullam habilitationem, remissionem etc. concedant ante elapsum quinquennium a patrato homicidio.

§ 5. Venerabilibus quoque fratribus nostris archiepiscopis et episcopis ac dilectis filiis locorum Ordinariis, in ecclesiasticâ ditione praefatâ consistentibus, in virtute sanctae obbedientiae, ac sub nostrae Romani Pontificis pro tempore similiter existentis indignationis poenâ, earumdem tenore praesentium praecipimus, ne in causis homicidii, sive qualificati et animo doloso et praemeditato, sive in rixâ commissi, quibuscumque reis eorum iurisdictioni et foro quavis causâ subiectis, iam condemnatis seu bannitis, sive quos in futurum per eorum curiam inquiri, processari, condemnari seu banniri contigerit, ullam similiter gratiam, absolutionem, compositionem, cassationem processuum, poenae remissionem seu moderationem, habilitationem, dispensationem et salvumconductum, liberumve commeatum (excepto dumtaxat dicto reali et necessario iustitiae servitio pro congruo illius tempore) imposterum impertiantur, nisi post elapsum a die admissi delicti quinquennium, et tunc in eiusmodi causis ea tantum, quae stricti iuris canonici fuerint, exequantur: decernentes quidquid

contra hanc nostram prohibitionem, ab eis eorumque curiis, necnon etiam a dictis cardinalibus de latere legatis, ac cardinalium congregationibus, factum fuerit, cum inde pariter sequutis, ipso iure nullum ac irritum, nulliusque roboris et momenti fore, nec tam in iudicio quam extra illud delinquenti, etiam ad effectum inducendi et allegandi bonam fidem, ullatenus suffragari posse et debere.

Armorum ignitorum explosiones pro diversitate reatus diversimode vindicandae.

§ 6. Ad haec ne ulla actio, ad necem tendens seu praeordinata, inulta remaneat, sancimus et ordinamus, ut pro armorum ignitorum explosione delinquens, si deliberate exploserit et subsequuta sit offensio, ultimi supplicii poenam in perpetuum incurrat; sin autem non deliberatà explosione aliquem offenderit, triremium poenam in perpetuum subeat; et, si animo quidem deliberato, sed absque alicuius offensione, eiusmodi arma laxaverit, poenae triremium per decennium obnoxius sit; ac demum ubi nec praemeditatio nec offensio intervenerint, simplex tamen explosio, quinquennali remigatione vindicetur.

Nominationes gubernatoris Urbis et cardinalium legatorum invalidat.

§ 7. Ad nominationes quoque, quae fiunt pro liberatione reorum iam damnatorum a promerito supplicio, nostrae dirigentes considerationis intuitum, in eo quod attinet ad illas nominationes, quibus nonnullae archiconfraternitates, aliaeque societates Urbis et ditionis huiusmodi, ob egregia quae assidue exercent pietatis et christianae charitatis opera, ex specialis Sedis Apostolicae concessione, quae tamen sit in viridi observantià, potiuntur, quaeque satellitibus seu curiae apparitoribus pro bannitorum et in contumaciam condemnatorum capturà in praemium laboris concedi consueverunt, nihil praeter consuetudinem innovandum decrevimus; at[1] nominationes eorumdem bannitorum et in contumaciam damnatorum, quas ex gratià dictae Urbis gubernator, cardinalium Congregationes, ac ipsi cardinales de latere legati executoribus iustitiae et aliis quibuscumque attribuere solent, vires deinceps nolumus obtinere, nec nominatis ex causà homicidii in aliquo prodesse, nisi nobis seu eodem Pontifice pro tempore existente prius consultis, habitoque desuper nostro vel eius assensu.

Nemini privilegiato fori privilegium in causa homicidii suffragatur.

§ 8. Et quoniam experimento compertum est, administrationem ac cursum rectae et expeditae iustitiae, qua reipublicae salus praecipue innititur, summopere obturbari vel ab excessivo numero privilegiatorum, vulgariter *patentati* nuncupatorum, vel a minus rectà intelligentià privilegiorum concessorum: proinde, salvis firmisque remanentibus decretis ac resolutionibus quae temporibus felicis pariter recordationis Urbani Papae VIII et dictorum Innocentii XI ac Innocentii XII praedecessorum aut aliàs quandocumque eà super re emanarunt, volumus quod privilegium fori nemini quorumcumque privilegiatorum huiusmodi tam in Urbe quam in reliquo Statu Ecclesiastico praedictis; (officialibus aliisque privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium eiusdem S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, ac ministris necessariis actu inservientibus, archiepiscopis, episcopis ac Ordinariis praefatis, eorumque curiis, dumtaxat exceptis) pro crimine homicidii suffragetur; sed dicti privilegiati, quatenus clericali charactere insigniti, ecclesiasticae, et quatenus laici fuerint, saeculari iurisdictioni subiaceant; reservantes nobis facultatem declarandi, quinam quotque esse debeant veri fami-

1 Male ed. Main. legit *ut* pro *at* (R. T.)

liares dictorum archiepiscoporum, episcoporum et Ordinariorum, ac officiales necessarii curiis ecclesiasticis verum et actuale servitium praestantes.

Clerici quo methodo puniendi.

§ 9. Insuper, quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis et ab omni culpâ et maculâ immunis vitae ac virtutum exemplo praelucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suae vocationis immemores, ut, impellente humani generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant: nos, perversorum quorumcumque malitiae obviandum esse, non indulgendum, probe intelligentes, ad istorum quoque fraenandam pervicaciam perpetuo itidem statuimus, quod clericus primae tonsurae nullum beneficium ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones clericis huiusmodi a Concilio Tridentino praescriptas servaverit ac servet, pro duobus tamen homicidiis, animo deliberato et praemeditato per eum patratis, privilegio fori et canonis, in odium tanti excessus, et ad aliorum terrorem, exuatur, et uti incorrigibilis omnino saeculari potestati subiiciatur, ab eâ tamquam laicus legitimis poenis plectendus; clericus quoque in minoribus ordinibus constitutus, nec pariter beneficiatus, nec praescripta a Concilio Tridentino servans, tam coelebs quam coniugatus, in causis homicidii dicto privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque a proprio episcopo seu Ordinario repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abiecit, reassumere possit, nisi post totaliter expiatam admissi delicti poenam: declaratio autem an reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit, ad episcopum aliumve loci Ordinarium omnino spectet, non retardatâ interim delinquentis assecuratione faciendâ etiam per iudicem laicum nomine Ecclesiae, qui illum pariter Ecclesiae nomine ad illius dispositionem retinere possit ac debeat, donec dicta declaratio prodierit: quacumque diversâ ac etiam contrariâ iuris canonici et apostolicarum constitutionum dispositione seu interpretatione necnon consuetudine haud refragante.

Ecclesiastici animo doloso et praemeditato occidentes non gaudent, sicut etiam laici, immunitate ecclesiasticâ.

§ 10. Porro, cum idem Benedictus praedecessor, animadvertens homicidia huiusmodi suo etiam tempore increbrescere, nec minus quam alia facinora, in celebri constitutione dicti Gregorii XIV etiam praedecessoris, quae incipit *Cum aliàs, etc.*, recensita, publicae quieti officere, pro commissi sibi apostolici officii debito per praedictam suam anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, sexto idus iunii, cui initium est *Ex quo divina, etc.*, evulgatam constitutionem, laicos animo praemeditato ac deliberato proximum suum interficientes ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excluserit et repulerit, ac pro exclusis atque repulsis haberi voluerit: nos, ob gliscentem in dies quorumdam ecclesiasticorum nequitiam, qui, nullâ proprii status habitâ ratione, non raro in adeo nefarium detestandumque crimen prolabuntur, ipsorum Gregorii et Benedicti praedecessorum constitutionibus, quas supra confirmavimus atque innovavimus, inhaerentes, et, quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum reos immunitate ecclesiasticâ nequaquam iuvari iterum decernentes, eamdem Benedicti praedecessoris constitutionem, laicos animo praemeditato ac deliberato proximum suum, sicut praemittitur, interficientes a beneficio immunitatis ecclesiasticae excludentem, ad ipsos ecclesiasticos cuiuscumque gradus et ordinis existant in Urbe ac universâ ditione nobis et Sedi Apostolicae mediate vel

immediate subiectâ homicidium animo similiter praemeditato ac deliberato patrantes extendimus quoque et ampliamus, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum iudice ecclesiastico competente cognoscatur, et ab eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sanguinis, ad praescriptum sacrorum canonum condignâ puniantur animadversione.

Rei quomodo extrahendi e loco immuni.

§ 11. Ulterius, ad varias doctorum, qui eiusdem Benedicti praedecessoris mentem quoad personas in dictâ eius constitutione comprehensas interpretari ac explicare voluerunt, sententias et opiniones dirimendas, declaramus homicidii reos natu minores vigintiquinque, maiores vero viginti annis, tam laicos quam clericos, atque omnes et singulos, sive laicos sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dictâ Benedicti praedecessoris constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus; ita scilicet ut illorum extractio e loco immuni atque traditio curiae saeculari, quoad laicos, ad eiusdem curiae saecularis requisitionem, fiat a curiâ ecclesiasticâ, et clerici ab ipsâ curiâ ecclesiasticâ ex officio omnino extrahantur iuxta normam infra dicendam.

Immunitate non gaudent quoque ex causa homicidii in contumaciam condemnati.

§ 12. Item declaramus omnes et singulos praedictos tam laicos quam ecclesiasticos, qui in Urbe ac ditione praefatis, ex causâ et occasione homicidii etiam in rixâ commissi cum armis seu instrumentis suapte naturâ aptis ad occidendum, inquisiti et processati vel in contumaciam banniti et condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale vel ad propriam defensionem, immunitatis praefatae beneficio minime etiam gaudere.

Ordo servandus in extractione reorum e loco immuni.

§ 13. Utque reorum ratione homicidii ut praefertur excepti inquisitorum seu bannitorum et in contumaciam condemnatorum extractio ab ecclesiis aliisque locis immunibus atque traditio suo cuique iudici competenti legitimis modo et formâ a curiâ ecclesiasticâ fiant, volumus et ordinamus, ut, quotiescumque iudici ecclesiastico competenti innotuerit aliquem laicum seu ecclesiasticum ex causâ homicidii excepti inquisitum atque processatum ad ecclesiam seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate ac personae reitate subministrata vel acquisita suppetant iudicia, quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem iudex ecclesiasticus, ex officio, ac nemine etiam requirente, si delinquens sit clericus, sin vero laicus, postquam a curiâ saeculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab ecclesiâ seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii saecularis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, devenire teneatur; extractumque ad suos, si tuti et securi fuerint, sin minus, ad curiae saecularis carceres adsportari, ibique sub tutâ custodiâ detineri curet et faciat: ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo, quoad inquisitum nondum condemnatum, dictus iudex ecclesiasticus ex acquisitis seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab extracto homicidium a prefatâ Benedicti predecessoris et hac nostrâ constitutionibus exceptum patratum fuisse cognoverit, ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur, extractumque, si laicus sit, ministris et officialibus

curiae saecularis, si autem clericus, eius competenti iudici ecclesiastico tradere et consignare possit ac debeat, exactis tamen receptisque in actu traditionis et consignationis huiusmodi a iudice quidem saeculari iuramento et ab ecclesiastico promissione in verbo veritatis de restituendo extractum ecclesiae locove immuni, sub poenâ excommunicationis latae sententiae nobis et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatae, quatenus extractus in suis defensionibus, quae ad tramites iuris et ordinationum apostolicarum ei competunt, praefata elidat seu diluat indicia; et, si illa minime eliserit sive diluerit, et delinquens repertus fuerit, iudici suo, scilicet ecclesiastico in clericum, saeculari in laicum, ut iuris esse censuerit, animadvertere liceat. Quoties autem de iam bannito, aut in contumaciam damnato ex causâ homicidii superius excepti sive laico sive ecclesiastico agetur, quilibet iudex ecclesiasticus, ut praefertur, competens, ad illius, laici nimirum instante curiâ saeculari, et clerici ex officio, extractionem ab ecclesiâ locove immuni, cum interventu quoque personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, ac traditionem suo respective iudici, sicut mox dispositum est, faciendam procedat; solamque sententiae contumacialis et actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num istiusmodi sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit ad formam constitutionum apostolicarum, pronunciare ac declarare queat et debeat, an bannitus et in contumaciam damnatus consignandus veniat, necne, exactis pariter et receptis, quatenus consignetur, a iudice saeculari iuramento; si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico verò, si fuerit clericus, promissione ipsum ut supra restituendi ecclesiae, locove immuni, sub antedictâ poenâ excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus ei ad praescriptum praefatarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem et iniustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit; quod si id praestare nequiverit, et ex eisdem sententiâ et actis rite et recte gestis reus repertus fuerit, iudex competens sententiam exequi, et, quando aliquem in poenâ irrogatâ excessum deprehenderit, etiam moderari valeat; ita quod quaecumque declaratio a praedicto iudice ecclesiastico facta in iudicio ecclesiasticae immunitatis super consignatione banniti et in contumaciam damnati eiusque denegatione, nullatenus deservire et a nemine allegari possit in alio diverso ac separato iudicio, in quo scilicet de praefatae sententiae contumacialisex ecutione postmodum disputari contingeret; ad quem effectum dicta declaratio iudicis ecclesiastici perinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo iudicis competentis in cognoscendâ et definiendâ validitate seu nullitate, iustitiâ seu iniustitiâ eiusdem sententiae contumacialis ingeratur.

§ 14. Hanc autem methodum et formam sic a nobis stabilitam exacte et inconcusse ab omnibus deinceps observari volumus et mandamus, quacumque aliâ praedecessorum dispositione aut contrariâ interpretatione ac praxi in quibusvis curiis Urbis et ditionis praefatarum quomodolibet et quandocumque invectâ, necnon declarationibus a tribunalibus dictae Urbis ac etiam a Congregatione pro tempore quoque existentium eiusdem S. R. E. cardinalium immunitati ecclesiasticae et controversiis

Haec extractionis forma semper et inconcusse servanda.

iurisdictionalibus praepositâ etiam iteratis vicibus emanatis, haudquaquam obsistentibus.

Ampliationes bullarum Gregorii XIV et Benedicti XIII ditionem ecclesiasticam tantum tangunt.

§ 15. Ceterum quae memoratis constitutionibus Gregorii XIV et Benedicti XIII praedecessorum, in cunctis christiani orbis partibus iuxta earum tenorem ac[1] dispositionem inviolabiliter retinendis ac custodiendis, per modum extensionis et ampliationis adiicienda duximus, nusquam ad ceteras regiones, utpote, sicut in Domino gaudentes accepimus, non adeo multiplicia grassantur homicidia, neque ultra ditionem ecclesiasticam praefatam extendere et ampliare intendimus.

Praesentium litterarum validitas et executio.

§ 16. Decernentes, easdem prasentes litteras et in eis contenta quaecumque semper ac perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere tam in Urbe quam in reliquis omnibus civitatibus, terris et locis nobis ac S. R. E. mediate vel immediate subiectis, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac ipsis Bononiensi, Ferrariensi, ac Beneventanâ civitatibus, aliisque etiam specialem et individuam requirentibus praefatis, ac generaliter in quibuscumque curiis tum ecclesiasticis tum saecularibus, etiam baronalibus respective, nullis exceptis, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et eorumdemque cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 17. Non obstantibus praemissis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac quorumcumque praedecessorum nostrorum litteris, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis, etiam dictis cardinalibus eorumque Congregationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam concistorialiter, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Male edit. Main. legit *ad* (R. T.).

Terminus peremptorius ad huius Constitutionis obligationem.

§ 18. Volumus autem, ut, lapsis decem respectu dictae Urbis eiusque districtus, ac viginti diebus respectu totius reliqui Status nostri Ecclesiastici, postquam praesentes litterae valvis ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum et in acie Campiflorae de eâdem Urbe per aliquem ex cursoribus nostris affixae et publicatae fuerint, omnes et singulos tam in Urbe quam in Statu praefatis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter ac nominatim intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae.

§ 19. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum approbationis, confirmationis et innovationis, prohibitionis, abrogationis, decretorum, praeceptorum, mandatorum et statutorum, ordinationum, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae, MDCCXXXV, kalendis februarii, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 1 februarii 1735, pontif. anno V.

A. card. pro-datarius.

F. card. OLIVERIUS.

*Visa de Curiâ:*

I. archiep. Ancyranus.

*Loco † plumbi.*

I. B. EUGENIUS.

Reg. in secret. Brevium.

*Anno a Nativitate domini nostri Iesu Christi* MDCCXXXV, *indictione* XIII, *die vero* XXII *mensis februarii, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XII anno* V, *supradictae litterae affixae et publicatae fuerunt ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, in acie Campiflorae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Ioannem Triphellium apostolicum cursorem.*

IOSEPH OLIVETANI, mag. curs.

---

## CLII.

*Annua contributio per monasterium S. Scholasticae Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, facienda monasterio Sacri Specus eiusdem Congregationis et Ordinis, fieri censetur etiam titulo compensationis quorumdam bonorum, ac fieri debet in pecuniâ numeratâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Statutum aliàs a Pontifice, contributionem, de quâ in rubrica, fieri posse in pane, vino, etc. et procuratorem generalem Congregationis Cassinensis solum esse superiorem monasterii Sacri Specus.

§ 1. Aliàs inter diversas ordinationes, quas, pro instauratione salubrique regimine et gubernio monasterii Sacri Specus prope oppidum Sublacense Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, per terras[1] nostras in simili formâ Brevis expeditas litteras edidimus, certis ex causis tunc expressis mandavimus, ut monasterium S. Scholasticae eorumdem Congregationis et Ordinis, ipsi monasterio Sacri Specus adiacens, summam quingentorum quadraginta quinque scutorum monetae romanae quotannis contribuere deberet in duabus aequalibus solutionibus pro sustentatione quatuor monachorum duorumque conversorum, ac unius famuli, cum equo sive mulâ in dicto monasterio Sacri Specus, cum facultate, in di-

1 Videtur legendum *certas* pro *terras* (R. T.).

minutionem annuae summae sic contribuendae, subministrandi totum panem, vinum et oleum necessarium alimoniae praefatarum aliarumque personarum in eodem monasterio Sacri Specus pro tempore degentium; ac subinde decrevimus quod procurator generalis praedictae Congregationis Cassinensis itidem pro tempore existens, solus deinceps et unicus superior et abbas foret ipsius monasterii Sacri Specus, quin abbas alterius monasterii S. Scholasticae se in illius gubernio quoad spiritualia et temporalia ingereret, sed ad dictum procuratorem generalem omnimoda eius administratio atque directio, religiosorumque destinatio et mutatio spectarent: et aliàs, prout in litteris nostris praefatis, novissimis quidem die IV maii proximi praeteriti emanatis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter specificatis et ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Causae recedendi ab hoc statuto.

§ 2. Cum autem, sicut venerabilis frater noster Petrus Marcellinus episcopus Tusculanus S. R. E. cardinalis Corradinus nuncupatus, supradictae Congregationis Cassinensis apud nos et Sedem Apostolicam protector, nobis novissime exposuit, praefatum monasterium Sacri Specus, antequam eidem Congregationi Cassinensi simul cum alio S. Scholasticae uniretur, non solum proprios priores et monachos haberet, sed plura etiam praedia, census, aliaque bona, res et iura obtineret, quae post obitum prioris et monachorum praedictorum dicto monasterio S. Scholasticae incorporata fuerunt; attentâ vero separatione unius monasterii ab altero ita per nos factâ, lites controversiae seu praetensiones inter utrumque monasterium huiusmodi, quae religiosam tranquillitatem fraternamque charitatem ac animorum concordiam inter monachos dictorum monasteriorum summopere necessariam perturbarent, facile progressu temporis, nisi praevertantur[1], excitari possent, sicuti quoque multarum dissensionum et querimoniarum occasio tolleretur, si cautum foret ut praefata summa quingentorum quadraginta quinque scutorum, quam dictum monasterium S. Scholasticae eidem monasterio Sacri Specus annuatim contribuere tenetur, in posterum in pecuniâ numeratâ integre persolveretur, quemadmodum ex conventione inter dilectos filios modernos abbatem et cellararium monasterii S. Scholasticae ac priorem et monachos monasterii sacri Specus praedictorum initâ de praesenti servaretur[2], nobis propterea idem Petrus Marcellinus episcopus cardinalis humiliter supplicavit, quatenus in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Nova determinatio prout innuitur in rubrica.

§ 3. Nos igitur, ipsius Petri Marcellini episcopi cardinalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, ac utriusque monasterii praefati paci et tranquillitati prospicere cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod enarrata contributio quingentorum quadragintaquinque scutorum per dictum monasterium S. Scholasticae eidem monasterio Sacri Specus quotannis facienda, sicuti praemittitur, etiam in compensationem, ac ex causâ et titulo compensationis praediorum, censuum, aliorumque bonorum, rerum et iurium, quae olim ad ipsum monasterium Sacri Specus spectabant, dictoque monasterio S. Scholasticae incorporata seu quomodolibet applicata fuerant, fieri censeatur; itaut praefatum monasterium Sacri Specus nihil, prae-

1 Male edit. Main. legit *pervertantur* (R. T.).
1 Videtur legendum *servatur* (R. T).

ter et ultra annuam contributionem huiusmodi, ratione praediorum, censuum, bonorum, rerum ac iurium praedictorum, ab illo S. Scholasticae praetendere aut petere, neque illud desuper molestare vel inquietare valeat, sed eâ contributione contentum sit: ac vicissim dictum monasterium S. Scholasticae summam quingentorum quadraginta quinque scutorum praefatorum singulis annis in duabus solutionibus aequalibus ad praescriptum priorum litterarum nostrarum omnino et exacte pendere ac contribuere teneatur, in compensatione quoque et ex causâ et titulo compensationis huiusmodi, nec e tali contributione ullatenus quovis praetextu et colore sese eximere, illamve differre possit; ac insuper quod istiusmodi contributio perpetuis futuris temporibus in pecuniâ numeratâ integre fieri debeat, ipsisque abbati priori et monachis monasterii Sacri Specus aliunde et undecumque voluerint panem, vinum et oleum emere et parare liberum sit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus, declaramus et ordinamus.

Huius praecepti firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis[1], ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inconcusse observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quavis praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari; ipsique Petro Marcellino episcopo cardinali, moderno, ac pro tempore existenti praedictae Congregationis Cassinensis apud Sedem Apostolicam protectori harum serie iniungentes, ut easdem praesentes litteras executioni mandari, observari et custodiri mandet et faciat.

1 Edit. Main. legit *illos* (R. T.).

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus, quoad ea quae praesentibus adversantur, prioribus litteris nostris praefatis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in iisdem prioribus litteris nostris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII februarii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 28 februarii 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

## CLIII.

*Statutum ut capitulum generale Ordinis S. Hippolyti Mexicani de cetero de sexennio in sexennium celebretur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Capitula generalia quolibet triennio celebrare, grave Ordini cum esset,

§ 1. Cum, sicut dilecti filii fratres Ordinis hospitalis S. Hippolyti Mexicani tam suo quam eiusdem Ordinis nomine nobis nuper exponi fecerunt, per constitutiones dicti Ordinis auctoritate apostolicâ confirmatas expresse disponatur, quod illius capitulum generale quolibet triennio celebretur, id vero, cum eiusmodi Ordo per diversas Ame-

ricae regiones dilatatus sit, gravem incommoditatem afferat, ac superior generalis Ordinis huiusmodi visitationem suam in triennio praedicto complere nequeat; cupiantque propterea iidem exponentes opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri:

Clemens illud protrahit ad sexennium in perpetuum.

§ 2. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis, etc., censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem undique mature discusserunt, consilio, ut de cetero (praedictas constitutiones eiusdem cap. IV hac in parte reformantes) capitulum generale praedicti Ordinis hospitalarii quolibet sexennio, a proximo futuro capitulo generali quod anno proxime venturo celebrandum est incipiendo, atque ita de sexennio in sexennium continuando celebretur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Praesentis constitutionis firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 9 aprilis 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLIV.

*Confirmatio decreti Congregationis de Propagandâ Fide super tumulatione cadaverum missionariorum regularium in infidelium partibus existentium.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum Congregationis de Propagandâ Fide super tumulatione cadaverum missionariorum.

§ 1. Nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum super tumulatione cadaverum missionariorum Ordinum regularium in partibus Syriae et Palestinae

emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

*Decretum sacrae Congregationis generalis de Propagandâ Fide, habitae*[1] *die* VII *februarii* MDCCXXXV, *referente eminentissimo et reverendisssmo domino domino cardinali Petra praefecto.* Sacra Congregatio, ad tollenda iurgia et dissensiones, quae non raro oriri solent in partibus Syriae et Palestinae occasione tumulationis cadaverum missionariorum Ordinum regularium, confirmavit et renovavit decreta super huiusmodi re aliàs edita, et praesertim anno MDCXCII, itemque confirmata anno MDCCII, per quae sancitum fuit: quod deferatur private cadaver a propriis religiosis; in coemeterio autem tantum adesse debeat parochus cum stolâ et cruce, et dicat orationes iuxta formam praescriptam in rituali, permittendo postea ut reliquae orationes dicantur a superiore religionis, et per ipsum ac suos religiosos dari sepulturam. Praesens autem decretum renovatorium[2] praedictorum decretorum eadem sacra Congregatio praecepit notificari superioribus generalibus eorum Ordinum, etiam Societatis Iesu, quorum religiosi missionariorum munus in antedictis partibus obeunt, ut ab omnibus et quibuscumque suis respective subditis illud omnino et inviolabiliter observari curent. Datum Romae ex aedibus eiusdem sacrae Congregationis die XIX martii MDCCXXXV. — V. card. PETRA praefectus. — P. DE MONTIBUS secret. *Loco † sigilli.*

Huiusmodi decretum a Pontifice confirmatum.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Romanâ Curiâ missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis in infidelium partibus existentium procurator, nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: nos, specialem ipsi Cherubino gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate praedictae Congregationis cardinalium.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, quorumcumque Ordinum, et aliis quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Edit. Main. legit *habita* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *renovatorum* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII aprilis MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 13 aprilis 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLV.

*Confirmatio Brevis Urbani VIII super declaratione quod Ordo fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum per rectam lineam sine intermissione descendit a lineâ S. Francisci.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro religiosâ christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum quiete provide facta et declarata fuisse noscuntur, ut solidiore robore persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Urbanus VIII declaravit fratres Ordinis Capuccinorum veros esse Ordinis sancti Francisci.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum fuisse et esse ex verâ et nunquam interruptâ lineâ ac veros et indubitatos fratres dicti Ordinis S. Francisci et illius regulae observatores, subque ipsius S. Francisci regulâ militasse et militare, decrevit et declaravit, et aliàs prout uberius continetur in dicti Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet: *Urbanus PP. VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Salvatoris etc[1].

Urbani litteras confirmat Clemens.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bonaventura a Ferrariâ, minister generalis eiusdem Ordinis, nobis nuper exponi fecit, ipse praemissa, quo firmius subsistant et inviolabilius serventur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Bonaventurae ministro generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, omniaque in eis contenta, dictâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Et hanc declarationem perpetuo servari praecipit.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praeinsertis Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 maii 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

1 Vide suo loco, tom XIII, pag. 562 (R. T.).

## CLVI.

*Concessa facultas generali nunc et pro tempore existenti Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum unâ cum definitorio generali concedendi licentiam fratribus Capuccinis presbyteris ad audiendas saecularium confessiones ab Ordinario approbatis in illis locis, ubi conventus sui Ordinis existunt, et in quibus confessariorum penuria viget.*

**Clemens Papa XII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Clemens VIII, Gregorii XIV constitutionem, qua cauetur, ne Capuccini saecularium audiant confessiones, abrogans, eorum ministro generali facultatem concessit nonnullos fratres approbandi ad easdem audiendas confessiones.

§ 1. Dudum emanarunt a recolendae memoriae Clemente Papa VIII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis tenoris qui sequitur, videlicet: *Clemens Papa VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Aliàs felicis recordationis Gregorius Papa XIV praedecessor noster, ex causis tunc expressis, motu eius proprio[1], suâ perpetuo valiturâ constitutione statuit et ordinavit, quod nullus Congregationis Capuccinorum Ordinis fratrum Minorum nuncupatorum sancti Francisci in laicorum utriusque sexus et clericorum saecularium, quacumque dignitate, praeeminentiâ, auctoritate et facultate suffulti essent, confessionibus occupari, vel confessiones eorum audire, etiamsi ad id faciendum a superioribus Ordinis, aut protectore, aut etiam ab Apostolicâ Sede quomodolibet et sub quacumque verborum formâ licentias eatenus obtinuissent, prout in eiusdem Gregorii praedecessoris litteris in formâ Brevis sub datâ die I iunii MDXCI expeditis plenius continetur. Cum autem diversi utriusque sexus christifideles pro eorum erga dictum Ordinem seu Congregationem Capuccinorum devotione cupiant religiosis eiusdem Congregationis confiteri posse: nos, illorum pio desiderio benigne annuentes, motu proprio et ex certâ nostrâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefatas Gregorii praedecessoris litteras, quarum tenorem praesentibus pro expresso haberi volumus, ita moderamur, ut minister generalis eiusdem Congregationis Capuccinorum et definitores in capitulo generali congregati, ut, in eodem capitulo tantum, quibusvis eiusdem Congregationis religiosis ad confessiones audiendas approbatis, si[1] ipsis ministro generali et definitoribus videbitur, licentiam audiendi saecularium utriusque sexus confessiones usque ad novi capituli generalis celebrationem, et non ultra, et sic de capitulo generali in capitulum generale concedere respective possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, facultatem concedimus et impartimur; et quascumque licentias audiendi saecularium huiusmodi confessiones quibusvis eiusdem Congregationis fratribus ab illius protectore aut quocumque alio, etiam de expresso nostro mandato, in perpetuum concessas, harum serie revocamus et annullamus: decernentes irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praefati Gregorii XIV praedecessoris, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem, quae praesentibus ipsis adhiberetur, fides adhibeatur. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III februarii MDCIII, pontificatus nostri anno XI.

M. Vestrius Barbianus.

1 Edit. Main. legit *propria* (R. T.).

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

Hanc facultatem extendit Clemens.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Bonaventura a Ferrariâ, minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, iuxta quoddam decretum nostrum, sive per nostras pariter in formâ Brevis expeditas litteras, definitorium generale dicti Ordinis in hac almâ Urbe nostrâ de praesenti resideat, et bis in hebdomadâ plerumque pro discutiendis ac resolvendis rebus Ordinis huiusmodi uniatur, dictus vero Bonaventura minister generalis in dies ab Ordinariis et communitatibus et hominibus nonnullorum locorum, necnon multis honorabilibus familiis efflagitetur, ut fratres praedicti Ordinis sacramentales christifidelium confessiones excipere possint, ac proinde opportune in praemissis a nobis provideri summopere desideret: nos, ipsum Bonaventuram ministrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Bonaventurae et pro tempore existenti ministro generali praedicti Ordinis, ut unâ cum definitorio generali huiusmodi petitiones sibi super praemissis factas expendere, si et quatenus illas congruentes et necessarias repererit, praesertim in illis locis ubi conventus sui Ordinis existunt, et in eis ceteroqui confessariorum penuria viget, potestatem fratribus Ordinis praedicti in sacri presbyteratus ordine constitutis, et ad audiendas saecularium confessiones ab Ordinario loci approbatis, concedere libere et licite possit et valeat, quamcumque necessariam et opportunam facultatem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, tribuimus et impartimur; quemadmodum in capitulo generali eiusdem Ordinis servari consuevit.

Derogat contrariis.

§ 3. Non obstantibus praedictâ Clementis praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV maii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 14 maii 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLVII.

*Indulgentiae docentibus et pueris discentibus doctrinam christianam in Urbe ac universâ Italiâ, insulisque adiacentibus, extenduntur ad adultos qui catechismo huiusmodi intererint.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Caelestium munerum thesauros dispensationi nostrae a Domino creditos, cum ad catholicae religionis incremen-

tum et animarum salutem profuturos speramus, libenter elargimur.

Extensio de qua in rubricâ.

§ 1. Cum itaque ab ipso apostolici regiminis nostri primordio, ad uberes fructus ac spiritualem fidelium aedificationem, qui ex assiduo usu et explicatione catechismi sive doctrinae christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis nostrae intuitum, diversas ordinationes a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad promovendum hoc pium fidelique populo imprimis necessarium opus, quo ille nimirum fidei catholicae rudimentis ac mysteriis omnibusque christianis virtutibus instruitur, salubriter editas, per edictum die xv novembris MDCCXXX iussu promulgatum confirmaverimus ac etiam ampliaverimus: nunc nos, christifideles tam almae Urbis nostrae, quam universae Italiae, ac insularum adiacentium, pro tempore existentes, ut operi huiusmodi ferventius incumbant, novis spiritualium gratiarum muneribus excitare volentes, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, quae a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris praefatum catechismum seu doctrinam christianam iuxta decreta Concilii Tridentini in ecclesiis aut oratoriis pueros docentibus, aut eidem, dum edocetur, intervenientibus, hactenus concessa reperiuntur, ad adultos Urbis, Italiae et insularum praedictarum ipsi catechismo seu doctrinae christianae interessentes, harum serie, apostolicâ auctoritate, extendimus et ampliamus.

Explicatio huiusmodi indulgentiarum.

§ 2. Praeterea de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, eisdem adultis, qui vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, eiusmodi pio exercitio devote intervenerint, qua vice id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus; qui vero illud assidue frequentaverint, eumdem catechismum doctrinamve christianam docentes vel addiscentes, ac vere similiter poenitentes et confessi sacrâque communione refecti pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, in Nativitatis domini nostri Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis dominicae, necnon Ss. Petri et Pauli apostolorum festis diebus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 27 iunii 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLVIII.

*Prohibitio recipiendi in provinciâ Italiae Ordinis fratrum SS. Trinitatis redemptionis captivorum religiosos cuiusvis Ordinis transitum requirentes, sub poenâ excommunicationis et pri-*

*vationis vocis activae et passivae tam contra recipientes quam receptos ipso facto incurrendâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Sollicitudo pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos urget atque impellit, ut, paternam religiosorum Ordinum Altissimi obsequiis mancipatorum uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre iugiter satagentium curam gerentes, ea quae Ordinibus ipsis noxia esse noscuntur annuere[1], et illorum professores in salutari vitae normâ, quam amplexi sunt, conservare studeamus.

Per constitutiones Ordinis vetitum religiosos aliorum Ordinum recipere absque consensu definitorii provincialis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Aloysius seu Ludovicus Vasta, praesidens provincialis provinciae Italiae Ordinis fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, quod, cum per constitutiones dicti Ordinis lib. I, cap. XLVIII, § 14 indispensabiliter prohibeatur ne religiosi aliorum Ordinum recipiantur (quemadmodum etiam experientiâ compertum sit[2] quantum praeiudicii nonnullis eiusdem provinciae conventibus religiosos translatos in eos recipere allatum sit), in capitulo provinciali provinciae huiusmodi anno MDCCXX ordinatum decretumque fuit ne imposterum aliquis religiosus alterius Ordinis absque consensu totius definitorii provinciae praedictae ad habitum admitti et recipi posset.

Quod tamen cum a nonnullis superioribus non observaretur,

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nonnulli superiores tam provinciales quam locales, ad instantias et requisitiones personarum saecularium, et ob alias particulares causas, proponere, et in eorum conventus aliquot religiosos translatos recipere sibi licere existimaverint, ipse vero Iosephus Aloysius seu Ludovicus praesidens provincialis, quo tam sibi quam aliis futuris superioribus memorati Ordinis haec via omnino praecludatur, opportune in praemissis a nobis providere et ut infra indulgeri summopere desideret:

Specialiter statuitur sub poenis prout in rubricâ.

§ 3. Nos igitur, Iosephi Aloysii seu Ludovici praesidentis provincialis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut de cetero perpetuis futuris temporibus nec ipsi Iosepho Aloysio seu Ludovico praesidenti provinciali, neque alicui alteri superiori, cuiuscumque gradus seu conditionis existat, sub quovis praetextu in capitulo provinciali sive conventuali memoratae provinciae ullum cuiusvis alterius Ordinis religiosum, etiamsi sit dicti Ordinis Excalceatorum nuncupatorum, proponere, et in eamdem provinciam seu in aliquem conventum, sine expresso totius definitorii provincialis legitime congregati unanimi in scriptis praestito consensu, excommunicationis, ac privationis eorum officiorum, et inhabilitationis ad illa, ac vocis activae et passivae poenis tam contra recipientes quam receptos ipso facto incurrendis, recipere ullo modo liceat, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus, statuimus et declaramus.

Sicque in perpetuum servari

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, va-

1 Videtur legendum *amovere* (R. T.).
2 Potius lege *est* (R. T.).

ac iudicari praecipitur. lidas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V.

Dat. die 4 iulii 1735, pontif. anno V.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLIX.

*In ratiocinatores Camerae Apostolicae assumuntur tres legumperiti e procuratorum collegio, cum aliis ordinationibus pro rectâ eiusdem Camerae ac rerum ad eam spectantium administratione.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. § 1. Ad circumspectam Romani Pontificis providentiam pertinet non solum dominici gregis sibi divinitus commissi custodiae et saluti iugiter invigilare, verum ad rectam quoque administrationem pontificii aerarii, unde continua pro tuitione ecclesiasticae ditionis atque communibus etiam christianae reipublicae necessitatibus subsidia depromuntur, mentis suae aciem convertere, ac ex eis, quae olim per suos praedecessores in eum finem prudenter quidem praescripta ac instituta fuerunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente et rationabilibus ex causis, quibus praesertim feliciori eiusdem aerarii dispensationi consulitur, aliqua interdum moderari et immutare, aliàsque in his apostolicae suae sollicitudinis partes interponere, sicut in Domino magis expedire arbitratur.

Magis proficuum Camerae Apostolicae fore ducens ut eius computa per legum peritos administrentur, § 2. Itaque nos, ab ipsis pontificatus nostri primordiis serio considerantes, quod iam inde perspectum habueramus cum in minoribus constituti thesaurarii generalis Camerae Apostolicae munere perfungebamur, eidem nimirum Camerae Apostolicae conducibile ac proficuum fore, si ad officia ratiocinatorum ipsius Camerae, quae peritis in computis seu rationibus conficiendis per Romanos Pontifices praedecessores nostros câtenus conferri consueverant, et novissime a dilectis filiis Ioanne Baptista Leonori, Ioanne Antonio Tartaglia, ac Eustachio Mauri omni ceteroquin fide et probitate gerebantur, imposterum assumerentur viri legum scientiâ praediti, ac in rebus et controversiis forensibus Romanae Curiae imprimis versati, utpote quibus longe facilius redderetur publica instrumenta locatio-

num, appaltuum, affictuum, aliorumque contractuum cameralium pro tempore ineundorum, eorumque capitula, pacta et conventiones ordinate et qua par est perspicuitate ad mentem contrahentium componere, ac tabellas, quae, ut moris est, ipsis instrumentis adiunguntur, ad rectam iustamque methodum et oeconomiae regulam disponere, necnon documenta et probationes, ad expeditam litium cameralium definitionem conferentia, ex libris et scripturis penes eos ratione dictorum officiorum existentibus desumere, ac ipsius Camerae defensoribus subministrare (in quibus praecipua eorumdem ratiocinatorum sollicitudo hactenus consistere debuit); ac insuper attendentes per istiusmodi viros doctrinâ ac longo negotiorum forensium usu praestantes cumulatius expletum iri quae pro salubri Camerae praefatae regimine inferius statuenda atque iniungenda duximus, quin id eis impedimento foret, quominus minoribus et subalternis curis eamdem Cameram concernentibus etiam vacare, maxime vero libros computorum, aliaque rem rationariam spectantia assuetâ[1] aliorum ministrorum operâ probe ordinare valerent; et propterea, quod animo conceperamus diuque mente agitaveramus, pro maiori praedictae Camerae utilitate atque commoditate ad effectum perducere ac perficere volentes, habitâ prius eâ super re cum aliquot venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, ac praesertim Annibale Albano, episcopo Sabinensi, cardinali S. Clementis nuncupato, nostro ac ipsius S. R. E. camerario, maturâ deliberatione, auditisque dilectis filiis magistro Carolo Maria Sacripante moderno thesaurario generali, nonnullisque aliis ministris et officialibus eiusdem Camerae, per schedulam Motusproprii die XXVII mensis aprilis proxime praeteriti propriâ manu nostrâ signatam, inter alia, memoratos Ioannem Baptistam Leonori, Ioannem Antonium Tartaglia, et Eustachium Mauri a dictis officiis ratiocinatorum Camerae praedictae, eorumque exercitio, titulo iubilationis, ut vocant, exemimus et absolvimus, ac in illorum locum quoad officia et exercitium huiusmodi dilectos quoque filios Philippum Boschettum, Ioannem Franciscum Marcùs et Ioannem Iulianum Rubini e collegio procuratorum seu patronorum causarum palatii nostri apostolici assumptos et electos subrogavimus et deputavimus sub nomine seu appellatione superintendentium computatoriis cameralibus, statuentes, ut, his quandocumque decedentibus, seu alicui eorum decedenti, alii de eodem collegio per nos et Romanos Pontifices successores nostros similiter eligendi itidem subrogarentur, sicque deinceps perpetuis futuris temporibus servaretur; ac subinde per aliam similem schedulam Motusproprii die XIII currentis mensis iulii manu quoque nostrâ signatam congrua emolumenta singulis tam ratiocinatoribus ut supra absolutis et iubilatis quam superintendentibus praedictis respective constituimus et assignavimus; et aliàs, prout uberius continetur in utrâque nostrâ schedulâ Motusproprii praefatâ, tenoris qui sequitur:

§ 3. Primae videlicet: *Clemens PP. XII, Motu proprio, etc.* Avendo noi riconosciuto anche per esperienza avuta in tempo che eravamo tesoriere, che sarebbe di molto vantaggio per la nostra Camera, se le tre computisterie della medesima fossero esercitate da persone della sfera legale, le quali potrebbono con maggior facilità concepire al suo lume e colla dovuta chia-

Motu proprio, emeritos declarans praesentes ratiocinatores, tres curiales e collegio procuratorum ad id muneris exercendum deputat.

1 Forsan *assumpta* (R. T.).

rezza degl'istromenti di appalti, affitti ed altri contratti, e respettivamente i capitoli di detti istromenti, come anche somministrare nelle Congregazioni camerali e dei Conti quei motivi di fatto e di ragione tanto in scritto che in voce, che possono conferire alle resoluzioni delle controversie ed altri affari camerali, che in quelle s'esaminano per giustizia, nel che consiste una delle primarie incombenze di chi esercita le dette computisterie; e considerando ancora, che li tre odierni computisti Giambattista Leonori, Gianantonio Tartaglia ed Eustachio Mauri, avendo esercitate con sommo onore, diligenza e fedeltà le loro cariche, sono ormai in età che merita la nostra indulgenza per isgravarli delli incomodi e fatiche che porta seco il loro ministero: abbiamo perciò determinato di giubilare ciascuno di essi, ed in loro vece e luogo surrogare fin d'adesso altre tre persone da scegliersi da noi nel collegio de' procuratori delle cause del nostro palazzo apostolico, e dimostrare in tal congiuntura la stima che abbiamo della nostra Curia Romana e di esso collegio, in cui sogliono ascriversi i soggetti più qualificati di detta Curia. Quindi è per tanto, che, di nostro moto proprio, certa scienza e deliberazione, e pienezza di nostra volontà e potestà, avendo quì per espresso e di parola in parola inserto il tenore di qualunque Bolla, Costituzione, Motoproprio, Chirografo, o altra qualsivoglia disposizione, sì nostra che de' nostri predecessori, nelle quali si parli o disponga delle dette computisterie della nostra Camera, e de' soggetti da destinarsi all'esercizio delle medesime, ed ogni altra cosa necessaria ed opportuna che ricercasse speciale ed individua menzione, come anche de' Brevi o altre disposizioni, tanto nostre, che di Benedetto XIII di santa memoria nostro predecessore, concernenti le coadiutorie fatte ad Antonio Durani computista del nostro palazzo apostolico ed a Gaetano Caivani computista delle dogane generali con la futura successione alle prime vacanze di computisterie camerali (le quali coadiutorie con il presente rivochiamo affatto ed annulliamo, e vogliamo, che siano di niuna forza e valore, come se non fossero ottenute), ordiniamo e vogliamo che li suddetti tre odierni computisti Giambattista Leonori, Gianantonio Tartaglia, ed Eustachio Mauri fin da ora restino e s'intendano giubilati, con la riserva però di quelli emolumenti che da noi si esprimerà in altro nostro Motoproprio, e nel modo e forma che in esso si dirà, e in luogo de' medesimi e di ciascheduno di loro ammettiamo e surroghiamo fin d'adesso all'esercizio e sopraintendenza delle tre computisterie della nostra Camera i tre seguenti soggetti, che da noi per tale effetto si scielgono dal suddetto collegio de' procuratori delle cause del nostro palazzo apostolico, cioè Filippo Boschetti, Gianfrancesco Marcus e Giangiuliano Rubini con il titolo di sopraintendenti alle medeme computisterie, e con tutti e singoli pesi ed incombenze annesse a dette computisterie, e specialmente di ritenere i ministri soliti e necessarî per regolare con tutto il miglior ordine ed esattezza il libro mastro, siccome gli altri libri e scritture che riguardano l'azienda della nostra Camera, e respettivamente con tutti e singoli onori, emolumenti, certi ed incerti, regalie e prerogative, e preeminenze, da conseguirsi tanto per ora e durante la detta giubilazione quanto dopo la mancanza de' giubilati, nel modo e forma che si dirà nell'altro Moto-

proprio di sopra mentovato; e in mancanza de' suddetti da noi nominati e scelti, e di ciascheduno di loro, vogliamo che in avvenire sempre ed in perpetuo si debbano surrogare, in luogo dei mancanti, altri simili soggetti da sciegliersi da noi e da nostri successori respettivamente nel predetto collegio di procuratori delle cause del nostro palazzo apostolico, essendo questa la precisa e deliberata volontà diretta al beneficio e vantaggio della nostra Camera, come sopra ci siamo espressi; volendo e decretando che questo nostro Motoproprio debba avere il suo pieno e totale effetto, nè possa in alcun tempo da veruno impugnarsi sotto qualunque pretesto ed eccezione, nè pure per motivo che non vi siano state udite le persone sopra nominate, o altre che vi avessero o potessero avere interesse, e debba in tutto e per tutto eseguirsi ciò che in esso abbiamo ordinato con sola nostra sottoscrizione, benchè non s'ammetta in Camera, nè si registri ne' suoi libri, nonostante la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, e quali si siano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche, usi, stili, consuetudini, detti Brevi, o altro come sopra concernente dette coadiutorie con la futura successione alle prime computisterie vacanti a favore de' predetti Antonio Durani e Gaetano Caivani, ed ogni altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendo qui, come sopra abbiamo detto, il tenore per espresso, per questa volta ed al fine suddetto deroghiamo. Proibendo l' opporre di difetto di sorrezione ed orrezione, come anche togliendo la facoltà di giudicare ed interpretare in contrario a tutti li giudici, tribunali anche della nostra Camera e Congregazioni ancora de'cardinali, dichiarando perpetuamente irrito, inane ed attentato tutto quello si facesse in opposto, essendo così mente, e volontà nostra espressa. Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo questo di XXVII aprile MDCCXXXV.

CLEMENS PP. XII.

§ 4. Alterius vero:

*Clemens PP. XII, Motuproprio, etc.* Avendo noi con altra nostra cedola di Motoproprio del dì 27 aprile prossimo passato originalmente esibita per gli atti del Conti, uno de' segretarî della nostra Camera, giubilato, per le cause ed effetti in quella espressi, li tre computisti di essa Camera, cioè Giambattista Leonori, Gianantonio Tartaglia ed Eustachio Mauri, ed in loro luogo surrogato con il titolo di sovrintendenti Filippo Boschetti, Gianfrancesco Marcùs e Giangiuliano Rubini del collegio de' procuratori delle cause del nostro palazzo apostolico; e volendo ora in seguito di detta nostra cedola prendere ulteriori provisioni per regolamento delle medesime computisterie, e stabilire il congruo assegnamento sì agli uni che agli altri, come anche ai loro sostituti e giovani, nel modo come appresso: pertanto colla presente nostra cedola di Motoproprio, nella quale abbiamo per espresso il tenore dell' altra da noi come sopra segnata, ed ogni altra cosa quantosivoglia necessaria da esprimersi, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema potestà, assegniamo a' suddetti tre giubilati computisti, ed a ciascuno di essi, dal 1° di maggio prossimo passato, sinchè naturalmente viveranno, per loro provisione annui scudi ottocento moneta da pagarsi de' denari della nostra Camera con ordini di monsignor tesoriere generale diretti al depositario della medesima, di mese in mese la rata parte, oltre le

Singulis emeritis, novisque ratiocinatoribus emolumenta assignat.

medaglie d'oro e d'argento nella festività dei santi apostoli Pietro e Paolo, e le solite franchigie da essi anche godute per lo passato. Rispetto poi ai detti tre sovrintendenti, vogliamo che siano e debbano essere fra i medesimi non meno eguali le incombenze che gli emolumenti, e che per ridurre le dette tre computisterie a detta uguaglianza, debba esso monsignor tesoriere con la sua solita esattezza e possibile celerità fare il ripartimento degli appalti ed altri interessi camerali, a tenore del quale dovrà ciascuno di detti sovrintendenti soddisfare puntualmente alle incumbenze assegnategli: a' quali ed a ciascuno di essi per loro provisione, affinchè debbano con tutta diligenza ed esattezza unicamente applicare alle medesime, oltre la parte di pane, vino e companatici del nostro palazzo apostolico, medaglie d'oro e d'argento nella suddetta festività dei santi apostoli Pietro e Paolo, franchigie solite godersi, e provisione di carta, penne, inchiostro ed altro occorrente per servizio di dette computisterie, assegniamo per ora dal detto dì 1° maggio scudi cento per ciascuno il mese, da pagarsi come sopra de' denari di detta nostra Camera, senza la medesima sia tenuta al pagamento di alcuna pigione; e per reintegramento di detta nostra Camera per li suddetti assegnamenti, e per le provisioni che dovrà la medesima pagare a' sostituti e giovani addetti al servizio di dette computisterie, da notarsi in conto a parte, vogliamo che debbano spettare ad essa nostra Camera tutti e singoli emolumenti, regalie, ed altro in qualsivoglia modo solito ritraersi dai suddetti computisti giubilati, l' importo de' quali ordiniamo che debba in avvenire interamente depositarsi nella depositeria generale di essa nostra Camera, e porsi in conto a parte, per doversene poi, reintegrata che sarà la medesima di tutte le somme pagate per li suddetti assegnamenti e provisioni, fare la distribuzione, secondo gli ordini che da noi e nostri successori saranno dati al detto monsignor tesoriere. In caso poi di morte di alcuno de'suddetti giubilati, vogliamo che debba subito cessare l'emolumento assegnatogli, e quello a beneficio commune de'nuovi eletti ripartirsi egualmente fra di loro, detratta prima però la somma di cui la nostra Camera dovrà essere reintegrata per quello potesse essere in disborso per il pagato di più tanto ai giubilati, che alli nuovi eletti, loro sostituti e giovani, al quale effetto abbiamo come sopra ordinato, che di detti emolumenti debba tenersene conto a parte, in maniera che, cessata la giubilazione, tutto quello che si troverà depositato e si depositerà successivamente in ciaschedun anno in detto conto a parte per titolo de' suddetti emolumenti, regalie ed altro, dovrà, dopo seguita la suddetta effettiva ed intiera reintegrazione, spettare e conseguirsi intieramente dai suddetti sovrintendenti in fine dell'anno per egual porzione. E perchè li sostituti e giovani di dette tre computisterie, oltre la provisione che erano soliti di avere, conseguivano anch'essi diversi altri emolumenti e regalie, distintamente da quelle che si esigevano da' detti giubilati, vogliamo ora ed ordiniamo, che anche l' importo di queste, assieme unito, debba intieramente depositarsi nella suddetta depositaria in conto a parte, e tutto assieme unito e considerato, e servata la debita proporzione, ripartirsi da detto monsignor tesoriere, e poi ad arbitrio di detti sovrintendenti distribuirsi fra li medesimi sostituti e giovani di tutte le suddette computisterie, e rispettivamente

pagarsegli, oltre la detta loro provisione, di quadrimestre in quadrimestre, con ordine di detto monsignor tesoriere, al quale diamo e concediamo tutte le facoltà necessarie di poter prendere tutt'altre provisioni che egli per l'esecuzione della presente nostra cedola stimerà più proprie ed espedienti, essendo così mente e volontà nostra espressa. Volendo e decretando, che la presente nostra cedola di Motoproprio, benchè non ammessa nè registrata in Camera, a tenore della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore con la nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa mai opporre di sorrezione, orrezione, nè d'alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione; ma che così debba sempre dichiararsi, definirsi ed interpretarsi da qualsivoglia giudice, reverendissimo cardinal camerlengo, dal detto monsignor tesoriere, dal tribunale della nostra Camera, e da qualsivoglia altro tribunale benchè collegiale, dichiarando nullo ed invalido tutto ciò che si facesse o si tentasse di fare in contrario, ancorchè non siano stati chiamati, citati nè sentiti monsignor commissario della nostra Camera, li suddetti computisti giubilati e nuovi eletti, e qualunque altro che vi avesse o potesse avere in qualsivoglia modo interesse; non ostante la suddetta Bolla *De registrandis*, e l'altra del medesimo sopra la riforma del tribunale della nostra Camera, e quelle di Paolo II, Paolo IV e del detto Pio IV *De rebus Ecclesiae et Camerae non alienandis*, ed in quello faccia di bisogno, l'anzidetta nostra cedola di Motoproprio come sopra da noi segnata, la regola della nostra Cancelleria *De iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche, Brevi, Motiproprî e Chirografi, istromenti d'appalti confermati ed approvati da noi e dai nostri predecessori, e specialmente li Brevi e Motiproprî delle deputazioni in computisteria dei suddetti Leonori, Tartaglia e Mauri, quantunque fatte durante la loro vita naturale, ed ogni altro Breve, Motoproprio, chirografo o altra disposizione, in cui siansi concedute le coadiutorie con la futura successione alle prime computisterie vacanti a favore delle persone nominate nel precedente nostro Motoproprio, e di qualsivoglia altra persona che con qualunque specialità l'avesse ottenuto da noi o dai nostri predecessori, e che meritasse d'essere individualmente nominato, leggi, statuti, riforme, usi, stili e consuetudini, ed ogni e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il loro tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, per questa volta sola all'effetto suddetto pienamente deroghiamo. Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo dì 13 luglio 1735. — CLEMENS PP. XII.

*In praeinsertis contenta perpetuo servari praecipit.*

§ 5. Nunc autem nos, firmiori praemissorum robori et efficaciae peramplius prospicere cupientes, motu et deliberatione paribus, ac ex certâ scientiâ nostrâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostrâ perpetuo valiturâ constitutione, binas schedulas nostras praeinsertas, ac omnia et singula in eis earumve qualibet quovis modo contenta et expressa, indeque secuta et secutura quaecumque, confirmamus et approbamus, ac rata et grata habemus, illisque omnibus et singulis perennis et inviolabilis ac irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, validitatem atque stabilitatem adiicimus, ac quoscumque tam iuris quam facti ac solemnitatum quarumli-

bet etiam quantumvis formales et substantiales defectus, si qui in praemissis vel eorum aliquo quandocumque intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, praetendi vel intelligi unquam possent, etiamsi de illis, ad hoc ut sanari valerent specifica mentio facienda esset, plenissime et amplissime supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus, removemus et abolemus.

Novorum ratiocinatorum munus quale esse debeat.

§ 6. Utque Camera nostra praedicta propositum, optatumque finem consequatur, ac quae exinde expectantur commoda reipsâ sentiat, meminerint superintendentes sic deputati ac pro tempore deputandi, quod omne eorum studium ac curam eò iugiter conferre et intendere debeant, ut quibuscumque detrimentis, damnis et praeiudiciis, quae eidem Camerae quoquo modo et undecumque obvenire, seu inferri et intentari possent, sedulo occurrant.

Ab eis itaque ceterisque Camerae apostolicae officialibus quae peragenda sint declarat.

§ 7. Quo vero ipsis superintendentibus mens et intentio nostra, et quae sibi facienda et praestanda fuerint, plenius innotescant, tum pro eâ quam rerum cameralium habemus cognitione ac experientiâ, tum ex providâ dicti magistri Caroli Mariae thesaurarii generalis opus hoc strenue promoventis insinuatione, quae mox subiiciuntur specialiter illis aliisque dictae Camerae ministris et officialibus praecipere ac indicare opportunum existimavimus.

Ratiocinatores debent bona quaecumque eiusdem describere in peculiari libro.

§ 8. Postquam igitur confecta fuerit per eumdem magistrum Carolum Mariam thesaurarium generalem aequalis illa divisio seu partitio appaltuum et affictuum cameralium, quam in alterâ ex praeinsertis schedulis nostris Motusproprii demandavimus, superintendentes praedicti, ultra descriptionem genericam in libro maiore eiusdem Camerae pro dimetiendâ totius patrimonii extantis quantitate faciendam, alteram addant descriptionem omnium bonorum, rerum ac iurium dictae Camerae in peculiarem librum ad id destinandum referendam, ad evitandam quamcumque eorum disperditionem, utque perpetuae conservationi ipsius patrimonii magis cautum sit; in quo quidem peculiari libro dictorum bonorum qualitates, quantitates, fines ac dependentiae, resque et iura praefata singillatim specificentur, et si fieri potest, eorumdem bonorum mensurae annuique redditus recenseantur, ita ut, si quid quoad bona, redditus, res et iura praedicta immutatum seu variatum deprehendatur, unde id evenerit dignosci congruumque remedium adhiberi possit.

In eoque adnotare omnes eorumdem variationes.

§ 9. Et quia mutationes seu variationes circa bona, redditus, res et iura eiusmodi imposterum provenire forsan poterunt vel ex novis contractibus ineundis vel ex sententiis ac decretis quae a tribunalibus aut iudicibus ordinariis et delegatis almae Urbis nostrae desuper proferri contigerit, iidem superintendentes in dicto peculiari libro diligenter adnotent omnes et singulas mutationes seu variationes, si quae pro tempore quandocumque ex dictis contractibus vel sententiis ac decretis aut aliunde et ex quavis aliâ causâ et occasione processerint; mandantes quoque, pro maiore et ulteriore cautelâ, dilectis etiam filiis modernis ac pro tempore similiter existentibus Camerae praefatae notariis seu secretariis, quatenus singulorum contractuum ac sententiarum et decretorum, quae per eorum acta respective celebrata, lata et publicata fuerint, statim distinctam, claram et fidelem notulam tradant illi ex superintendentibus praefatis, cuius curae commissa fuerint bona, res et iura dictae Camerae, quae istiusmodi contractus ac sententiae et decreta respi-

ciunt; simulque de iis certiorem reddant pro tempore existentem ipsius Camerae commissarium generalem, cuius sit investigare et recognoscere per se vel alios, an iidem superintendentes officio suo hac in parte satisfecerint; quibus per dictos superintendentes, notarios, seu secretarios, et commissarium generalem peractis, facile quidem erit in casu molestiarum in promptu habere ea quae ad eiusdem Camerae, illiusque iurium, rerum et bonorum defensionem ac tuitionem qualibet occasione pertinere possunt.

Pacta affictuum, locationum etc., corrigere etc., reformare.

§ 10. Ipsorum quoque superintendentium assidua opera versari debeant in corrigendis ac reformandis capitulis seu pactis et conditionibus locationum, affictuum et appaltuum cameralium praefatorum, et tabellis eis annecti solitis, quae sic correcta et reformata, atque ad debitam perspicuitatem et cohaerentiam redacta, mutuo inter eos consilio expendere ac scrutari teneantur, ne aliquando contingat ut capitula unius appaltus, tametsi inter se cohaerentia et clara, aliquid tamen contrarium aliis appaltibus preseferant, ex quo dicta Camera refectionis damnorum, quas *restauri* vocant, aliasve quaestiones vel cum altero conductore seu appaltatore subire cogatur, sicut pluries antea accidisse nobis relatum fuit; eaque postmodum subiiciant examini eorumdem thesaurarii et commissarii generalium pro tempore existentium, atque ubi ab his revisa et approbata fuerint, tunc demum exhibeant in actis alicuius ex supradictis notariis seu secretariis: idque fiat octo mensibus, antequam novae oblationes recipiantur, ad hoc ut pro futuris locationibus interim perspecta ac explorata sint oblatoribus capitula, pacta et conventiones, quibus res locandas conducere poterunt, vix unquam vel in minimo moderanda, aut quoquo modo varianda et mutanda, intra quorum proinde limites suas oblationes perstringere debeant, sciturí ex nunc pro tunc et e contra, quod Camera prefata ad eorumdem capitulorum, pactorum et conventionum tramites ac normam novas locationes erit initura.

Singulasque difficultates subinde exortas adnotare.

§ 11. Cumque etiam post correctionem et reformationem capitulorum et tabellarum huiusmodi, atque initos iuxta eorum tenorem novos contractus, aliqua super praemissis ab unâ alterâve parte in Congregatione computorum nuncupatâ difficultas, quae humanâ solertiâ praevideri nequiverat, moveri, novaque inde litium occasio emergere posset: unusquisque ex dictis superintendentibus in codice pro appaltibus suae curae commissis seorsim retinendo diligenter adnotet ac referat quascumque quaestiones ac difficultates, quae super singulis appaltibus in praefatâ Congregatione computorum vel alibi pro tempore excitatae atque discussae fuerint, ut in successivis renovationibus contractuum eas prae oculis habeant, et ad novam, si opus fuerit, ipsorum capitulorum et tabellarum emendationem et reformationem devenire valeant, sicque omnis aditus praecludatur litibus et controversiis, quae ex pactis et conventionibus vel inter se pugnantibus, vel obscurioribus, nec satis clare explicitis, non raro antehac cum gravi eiusdem Camerae et appaltatorum incommodo, cui omnino obviare intendimus, exurgere consueverunt.

Quolibet trimestri notulam debitorum Camerae conficere et sollicitatoribus tradere.

§ 12. Ad haec, quo nomina debitorum ipsius Camerae, nunc et pro tempore existentium, citius, quam fieri potest, discutiantur, exigantur, debitaque pecunia ad eius depositarium generalem perveniat, superintendentes praefati quolibet trimestri geminos indi-

ces[1] nomina eorum debitorum, quibus tempus solutionis vel iam cessit vel prope instat, distincte ac fideliter continentes, ipsi thesaurario generali deferant, quorum unum nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti exhibebit, et alterum penes se retinebit, ac, iuxta nostram seu dicti Romani Pontificis mentem et voluntatem ab eodem thesaurario generali eis explicandam et significandam, consimilem aliamve notam postmodum consignent sollicitatoribus Camerae praefatae, qui ad exactionem nominum praedictorum invigilare debebunt, atque de trimestri in trimestre de nominibus exactis rationem reddent; eorum vero, quae exigenda remanebunt, notulam tradent dicto commissario generali, ut omnibus opportunis iuris viis et rationibus debitorum huiusmodi morositas coërceatur tam in urgendâ reali solutione, quam etiam in procurandâ securitate eiusdem Camerae pro residuali, si quod supersit, eius credito.

Congregationi *residuorum* interesse.

§ 13. Et ad hoc ut singuli superintendentes ceterique Camerae ministri et officiales praefati munus suum eo diligentius exequi studeant, volumus et ordinamus, ut qualibet primâ feriâ tertiâ cuiusvis mensis absque ullâ praeviâ intimatione habeatur quatuor horis ante meridiem coram eodem thesaurario generali Congregatio quae *residuorum* nuncupetur, in qua dicti superintendentes ac ministri et officiales unâ congregati, propositis omnium debitorum nominibus, alteroque ex dictis indicibus per ipsos superintendentes allato, rite perpendant, quid solutum ac residuum fuerit, quidque quacumque ratione dispungendum, et quomodo circa residualia credita providendum veniat, ut scilicet maturiora expeditioraque inveniri ac ferri possint remedia, quibus eiusdem Camerae indemnitati ac securitati optime consultum sit; qua quidem in re dictos superintendentes adeo sollicitos esse praecipimus, ut in Congregatione infra memorandâ mense septembri cuiuslibet anni cogendâ integrum ac generalem statum omnium totius anni residuorum creditorum ipsius Camerae referre valeant.

Librum maiorem rationum recte disponere ad hoc ut quolibet anno dati et accepti ratio institui possit.

§ 14. Sedulo quoque curent iidem superintendentes, ut supradictus liber maior rationum, ab altero eorum per ipsum thesaurarium generalem deputando pro tempore retinendus, in quo recepta et expensa per totum annum continentur, recte conficiatur, et sub finem cuiuslibet anni ad generalem computorum aequationem et solidationem perducatur, necnon collatis invicem consiliis in id incumbant, ut generale computum, seu, ut aiunt, bilancium anni praecedentis efformetur, ex quo liquido ac strictim appareat unumquodque caput, sive partita, omnium receptorum et expensorum, cum specificâ mentione titulorum et causarum, unde prodierint, quos et quas dicti superintendentes ita prosequi ac rimari teneantur, ut de iis unâ cum toto statu oeconomico introitus et exitus tam scripturae quam capsae, et cum collatione seu comparatione unius anni cum alio praecedente, in generali Congregatione camerali (quam citra ullam pariter intimationem quolibet anno ante ferias generales, penultimâ nempe feriâ tertiâ mensis septembris, quatuor pariter horis ante meridiem haberi, et, ad formam et praescriptum cuiusdam ordinationis in libris decretorum ipsius Congregationis cameralis registrandae, celebrari omnino etiam volumus) universam rationem instituere ac perficere queant, quam nobis ac Romanis Pontificibus successoribus praefatis per eumdem thesaurarium gene-

1 Pessime edit. Main. legit *Iudices* pro *indices* (R. T.).

ralem scripto protinus deferri praecipimus et mandamus, ut totam patrimonii ac aerarii pontificii administrationem explanatam ac compendiose et luculenter descriptam inspicere, et si qui fuerint excessus in annuo exitu animadvertere, cunctamque rem oeconomicam prudenti dispensatione ac aequo pondere et mensurâ moderari valeamus, dictique successores nostri valeant: in qua Congregatione praecipimus quoque integrum ac generalem statum omnium totius anni residuorum creditorum Camerae praefatae referri, geminosque illius indices[1] ipsi thesaurario generali tradi, quorum unum nobis seu dicto Pontifici exhibeat, et alterum apud se retineat, sicuti quoad alios similes indices[2] residuorum creditorum praefatorum quolibet trimestri faciendos supra disposuimus.

Cuilibet novo Pontifici bilancium expensarum praeteriti regiminis tradere.

§ 15. Quandoquidem ex annalis administrationis computo, sicut praemittitur peracto, facile resciri poterit initio cuiusvis pontificatus, qui fuerit anteacti regiminis status oeconomicus: quamobrem, statim ac Romanus Pontifex pro tempore existens diem obierit extremum, dicti superintendentes ipsum librum maiorem omnino claudant, nihilque in eum amplius referant, ac novum pro futuro pontificatu similem librum parent ac disponant: item praefati superintendentes totius praecedentis pontificatus oeconomiâ fidele conficiant computum seu bilancium, ex quo status Camerae praefatae, ac omnis in dicto pontificatu administratio, tam quoad exitum, quam quoad introitum, eorumque causas tum ordinarias tum extraordinarias, manifeste pateat; dictoque computo seu bilancio illud etiam dati et accepti tempore quo Sedes Apostolica vacaverit et Conclavis separatim addant; dictum vero computum seu bilancium novo Pontifici, infra duos menses a die suae creationis computandos, per eumdem thesaurium generalem pariter exhibeatur, ut annuus proventus et exitus, ac denique universus Camerae praefatae status ei dilucide innotescat: unde futurum arbitramur ut pontifices noviter assumpti, superiorum temporum administratione prae oculis habitâ, necessaria et salubriora inire possint consilia, quibus apostolicum aerarium bene diligenterque regatur ac procuretur.

Singuli Camerae officiales monentur ad suggerendum ea Pontificibus, quae eiusdem Camerae rei proficere posse puteut.

§ 16. Speramus itidem non modo eosdem superintendentes, verum etiam ceteros omnes et singulos ministros et officiales dictae Camerae, ad quos disposita in praesenti constitutione respective spectant, omni sedulitate atque ex animi nostri sententiâ officii sui partes expleturos, eos insuper monentes, quod, si in actuali muneris sui exercitio aliquid deprehenderint quod iuxta rerum ac temporum vicissitudines nobis vel successoribus nostris novarum legum et ordinationum seu antiquarum explicationis et declarationis causam et occasionem, pro meliori feliciorique dicti aerarii regimine, merito praebere posset, illud nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti libere et aperte renunciare ac suggerere haud praetermittant.

Quolibet anno perquirendum, an unusquisque muneri suo satisfecerit.

§ 17. Demum, ut haec nostra constitutio et in eâ disposita perpetuis futuris temporibus exactius serventur, illorumque memoria e mentibus omnium et singulorum, quos quomodolibet concernunt, nunquam excidat, statuimus ut initio supradictae Congregationis generalis, mense septembris cuiuslibet anni, sicut praemittitur, habendae, eadem constitutio palam et distincte ibidem recitetur; ac primum omnium districte

1 Edit. Main. legit *Iudices* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Iudices* (R. T.).

inquiratur, num omnes et singuli praedicti munus suum, ac praesertim in ipsâ constitutione praescripta, per totius anni, de quo pro tempore agetur, decursum, usquequaque ac rite adimpleverint.

Praesentis constitutionis observantia et firmitas.

§ 18. Decernentes, ipsas praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod praedicti ratiocinatores ut supra absoluti et iubilati, ac qui in officia eorumdem ratiocinatorum expectativae ac futurae successionis aliasve gratias obtinuerant, ut praefertur, aliive quilibet cuiuscumque gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, ac quibusvis privilegiis et indultis suffulti, seu aliàs specificâ et individuâ mentione et expressione digni, in praemissis seu eorum aliquo ius vel interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati et auditi, nec causae, propter quas praesentes emanarunt, sufficienter adductae, specificatae et iustificatae fuerint, aut ex aliâ quacumque quantumvis iustâ, legitimâ et privilegiatâ causâ, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, ac etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, ac etiam intentionis nostrae et interesse habentium consensûs aliove quolibet etiam quantumvis magno, formali, essentiali, ac incogitato et inexcogitabili defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, limitari, retractari, rescindi, aut in controversiam vocari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato, quemquam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse; sed easdem praesentes litteras, omniaque et singula in eis contenta huiusmodi, adversus quascumque impugnationes et impedimenta semper et omni tempore valida, firma et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, in omnibus et per omnia, perinde ac si vocatis vocandis ac de praefatorum aliorumque omnium et singulorum ius et interesse habentium et praetendentium expresso consensu facta fuissent et emanassent, ac proinde ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter ac inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam supradictarum causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. camerarium, et alios cardinales, etiam de latere legatos, nec non vice-camerarium, thesaurarium generalem, praesidentes clericos, commissarium, ceterosque dictae Camerae et Sedis Apostolicae officiales et ministros, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et quandocumque functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Camerarius S. R. E. eiusdem perpetuus exequutor.

§ 19. Quocirca eidem venerabili fratri nostro Annibali Albano episcopo Sabinensi cardinali S. Clementis, moderno, ac pro tempore existenti, nostro ac ipsius S. R. E. camerario, motu simili per apostolica scripta mandamus, quatenus praesentes litteras et in eis contenta tam in dictâ Camerâ quam extra eam, ubi, quando et quoties opus fuerit, solemniter publicari, ac per omnes, quos illa

concernunt, exacte observari, ac debitae executioni demandari curet et faciat, ac universos praedictos ad illorum observationem cum effectu cogat et compellat, contradictores quoslibet ac inobedientes et rebelles, seu non parentes, auctoritate nostrâ, appellatione postpositâ, compescendo ; nobis ulterius ac eidem Pontifici pro tempore existenti facultatem expresse reservantes in eiusmodi delinquentes, ac etiam eos qui in praemissis peragendis negligentes segnioresve fuerint, seu aliàs quoquo modo defecerint, pro modo culpae ac negligentiae, nostro dictique Pontificis arbitrio animadvertendi.

Obstantibus derogat.

§ 20. Non obstantibus praemissis, et, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo, aliisque nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, necnon felicis recordationis Pii PP. IV praedecessoris nostri, quae incipit *Cum inter ceteras*, super reformatione tribunalis Camerae praedictae eiusque officialium editâ (in iis quae praesentibus litteris nostris adversantur, salvâ ac firmâ remanente in ceteris omnibus illius dispositione), et alterâ eiusdem Pii praedecessoris de gratiis qualecumque interesse Camerae praefatae concernentibus in ipsâ Camerâ intra certum inibi expressum tempus praesentandis et registrandis, itaut praesentes litteras ibidem praesentari et registrari nunquam necesse sit, aliisve constitutionibus et ordinationibus apostolicis, dictaeque Camerae et quibusvis aliis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel aliâ qualibet firmitate roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam praedictis et aliis personis, etiam specialem mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, et aliàs quomodolibet, etiam concistorialiter, in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, ac quantiscumque vicibus approbatis et innovatis, ac illis etiam quae in schedulis nostris praeinsertis voluimus non obstare ; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, causas et occasiones, praesentibus pro plene et sufficienter et exactissime expressis, insertis, servatis, specificatis respective habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse ac plenissime pariter et amplissime derogamus, et derogatum esse volumus et mandamus ; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 21. Ceterum volumus quoque ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Prohibitio eam infringendi.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum approbationis, confirmationis, mandatorum, praeceptorum, decretorum, ordinationum, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si

quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXV, pridie idus iulii, pontificatus nostri anno V[1].

Dat. die 14 iulii 1735, pontif. anno V.

A. card. pro-datarius.

F. card. OLIVERIUS.

Visa de Curiâ:

I. archiep. Ancyranus.

*Loco † plumbi.*

I. B. EUGENIUS.

Registrata in Secretariâ Brevium.

Anno a nativitate Domini nostri Iesu Christi MDCCXXXV, die vero XV mensis iulii, indictione XIII, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Clementis divinâ providentiâ Papae XII anno V, supradicta constitutio affixa et publicata fuit ad valvas ecclesiae Lateranensis, basilicae Principis Apostolorum, Cancellariae Apostolicae, Curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie Campiflorae, ac aliis locis solitis et consuetis Urbis, per me Antonium Pellicia apostolicum cursorem.

NICOLAUS CAPPELLI magister curs.

---

## CLX.

*Bona ecclesiarum, iamdiu ab haereticis occupata in Palatinatu inferiore et ducatu Neoburgensi, iis condonantur possessoribus, qui ad fidem catholicam convertuntur*[2].

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Inter multiplices gravissimasque apostolatus curas, quibus assidue detinemur, in eam potissimum incumbimus, ut, extirpatis haeresum vepribus, catholica fides ubique gentium floreat ac colatur, ovesque diabolicâ fraude seductae et per devia misere errantes, agnitâ tandem veritate, ad gregem dominicum reducantur; piisque orthodoxorum principum de Ecclesiâ Dei optime meritorum in idipsum laudabiliter tendentibus votis, quantum cum Domino possumus, libentissime annuimus.

Carolus comes Palatinus, praevidens plerosque achatolicos, qui occupata iamdiu ecclesiarum bona detinent, a catholicâ fide suscipienda exterreri posse, si ad ea restituenda compellerentur,

§ 1. Cum itaque, sicut dilectus filius nobilis vir Carolus, comes palatinus Rheni, sacri Romani Imperii princeps, elector Heydelbergensis, nobis nuper exponi fecit, tametsi diversa bona ecclesiastica in Palatinatu inferiore ac ducatu Neoburgensi, temporali suae ditioni subiectis, consistentia, quae olim, dum haeresis in illis finitimisque regionibus cuncta misceret ac turbaret, per acatholicos occupata fuerant, progressu temporis, benedicente Domino, recuperata seu aliàs vindicata fuerint, dictique Caroli principis electoris maiores seu progenitores duces Neoburgenses postmodum a Sede Apostolicâ ac praesertim felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro de aliquibus bonis sic recuperatis quasdam pias fundationes et applicationes aliasque dispositiones fieri seu approbari, necnon tam illi quam etiam ipse Carolus princeps elector nonnullorum aliorum bonorum praefatorum administrationem, quae etiam ad praesens durat, sibi per Sedem praedictam respective concedi ac tribui obtinuerint; nihilominus plura ex bonis ecclesiasticis supradictis adhuc extent, quae etiamnum a dictis acatholicis detinentur ac si sua et propria forent, eorumdem vero acatholicorum plerosque a reditu ad gremium sanctae matris Ecclesiae deterreat ac moretur[1] metus ne bona praedicta, quibus nunc potiuntur, post sui reditum huiusmodi dimittere cogantur, utpote quibus destituti,

1 A creatione anno VI (R. T.).

2 Non absimilem concessionem pro ducatu Saxoniae vid. const. LXVII, tom. praec. p. 414. (R.T).

1 Edit. Main. legit *moreretur* (R. T.).

vitae humanae subsidiis ac commodis, quibus diu assueverunt, exuerentur, eorumque filii et familiae, congruâ ac etiam quandoque necessariâ sustentatione carentes, ad inopiam duramque egestatem redigerentur: idem Carolus princeps elector, animadvertens quod, si acatholicis praefatis, postquam ad religionem catholicam conversi fuerint, bona sic occupata retinere liceret, sicut non ita pridem similium bonorum occupatoribus in ducatu Saxoniae a nobis concessum fuit, merito sperari posset, fore ut acatholici praedicti, tali sublato metu seu remoto, ad orthodoxae fidei et Ecclesiae unitatem, abiectis erroribus, facilius reverterentur, nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Eis illa condonari petit a Pontifice.

§ 2. Nos igitur, dicti Caroli principis electoris in Deum pietatem et catholicae religionis tuendae et propagandae studium plurimum in Domino commendantes, eiusque desiderio hac in re, quantum nobis ex alto conceditur, obsecundare cupientes, simulque considerantes, salutem animarum, pretioso domini nostri Iesu Christi sanguine redemptarum, terrenarum rerum ceterisque humanis rationibus praecellere, eiusmodi supplicationibus inclinati, firmis salvisque remanentibus quibuscumque fundationibus, applicationibus, aliisque dispositionibus de bonis sic recuperatis a Sede Apostolicâ ac praesertim a memorato Alexandro praedecessore factis seu approbatis, necnon administratione aliorum bonorum huiusmodi eidem Carolo principi electori concessâ et attributâ, ut praefertur, quibus per praesentes nullatenus derogare aut quicquam desuper immutare vel innovare intendimus, omnia et singula bona ecclesiastica, cuiusvis qualitatis et valoris, in Palatinatu inferiore et ducatu Neoburgensi huiusmodi consistentia, quae praeteritorum temporum calamitate occupata, nec hucusque recuperata et vindicata fuerunt, sed a dictis acatholicis adhuc uti sua propria detinentur, sicut praemittitur, modernis eorum possessoribus seu detentoribus, qui ad catholicam religionem deinceps redierint, eorumque successoribus quibuscumque itidem catholicis et in sinceritate orthodoxae fidei perseverantibus, unâ cum fructibus perceptis, de apostolicae potestatis plenitudine harum serie ex specialis dono gratiae remittimus, condonamus, cedimus et relaxamus, dictisque possessoribus seu detentoribus, eorumque successoribus, ut ipsi de bonis praefatis tam inter vivos quam ex causâ mortis, aut aliàs quomodolibet libere disponere possint, plenam tenore praesentium tribuimus facultatem, neque illos pro parte dictae Sedis Apostolicae, ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum aut personarum ecclesiasticarum ad quas et quae bona praedicta olim pertinebant, ratione et occasione praemissorum desuper molestari, inquietari aut perturbari posse statuimus et decernimus.

Qui eadem praesentibus possessoribus remittit, salvis iam antea recuperatis, et ex quibus piae fundationes, etc., factae sunt.

§ 3. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon ecclesiarum, monasteriorum et locorum piorum huiusmodi fundationibus, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolicet con-

Obstantibus derogat.

cessis, confirmatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum exemplis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII[2] iulii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno V[3].

Dat. die 13 iulii 1735, pontif. anno V.

---

CLXI.

*Declaratur quod ministro generali Ordinis sancti Francisci Capuccinorum et secundariis superioribus ab eo dependentibus tamquam veris et legitimis filiis eiusdem sancti Francisci conveniat et competat in quocumque loco, civitate, provinciâ et regno, etiam ubi alii Tertiarii eiusdem Ordinis reperiuntur, erigere, instituere et fundare confraternitates.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. Apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis sapientiae atque clementiae Dei altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, committere dignata est, exigit, ut ad ea, quae pro[4] christifidelium sub religiosorum virorum in vineâ Domini strenue allaborantium directione in rebus ad pietatis et devotionis opera gratiasque spirituales pertinentibus conducibilia esse noscuntur, libenter intendamus, sicut, rerum, locorum, temporum et personarum qualitate mature perpensâ, salubriter in Domino expedire arbitramur.

Declaratio de qua in rubricâ. § 1. Supplicationibus itaque dilecti filii Bonaventurae a Ferrariâ ministri generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ut sibi et pro tempore existentibus ministro generali et secundariis superioribus ab eo dependentibus, tamquam veris et legitimis filiis eiusdem S. Francisci, conveniat et competat in quocumque loco, civitate, provinciâ et regno, etiam ubi alii Tertiarii eiusdem Ordinis iam reperiuntur, erigere, instituere et fundare praefatum Tertium Ordinem pro quibuscumque piis et devotis personis saecularibus utriusque sexus, atque huiusmodi Tertii Ordinis professoribus scapulare sive habitum cum cingulo[1] conferre, in rebus spiritualibus dirigere, in tertiâ regulâ memorati S. Francisci observandâ privatim et publice eos edocere et instruere, utque ipsi Tertiarii a Capuccinis recepti omnino gaudere atque uti[2] possint et debeant omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis et favoribus ac praerogativis per Sedem Apostolicam Ordini Tertiariorum a quocumque ministro generali dependentium sub suo capite, qui unus est idem S. Franciscus, aliàs concessis vel imposterum concedendis, tenore praesentium declaramus et statuimus.

§ 2. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas etc.[3] Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quatenus opus sit, praefatorum Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirma- Contrariorum derogatio.

1 Reliqua ut supra pag. 28 *a* (R. T.).
2 Fors. *15*, alioquin foret praemitt. praec. (R. T).
3 A creatione anno VI (R. T.).
4 Praeposit. *pro* nos addimus (R. T).

1 Ed. Main. legit *singulo* pro *cingulo* (R. T.).
2 Ed. Main. legit *ut* pro *uti* (R. T.).
1 Reliqua ut supra pag. 42 *b* (R. T.).

tis et innovatis; quibus omnibus et singulis etc.[1].

Transumptis danda fides. § 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[2]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII iulii MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 iulii 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXII.

*Ecclesia Ferrariensis, antea episcopalis, in archiepiscopalem erigitur*[3].

**Clemens episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Paterna pontificii nobis, etsi insufficientibus, ex alto commissi muneris assidue cor nostrum pulsat sollicitudo, ut, universis orbis terrarum ecclesiis, aeternâ Illius qui humanae debilitati dat vires sic disponente bonitate, praesidentes, ecclesias ipsas, praesertim cathedrales insignes, et[4] quibus vigil laudabilium suorum administratorum studium statum auxit, decorem et ornatum debitis praeeminentiarum et privilegiorum decoremus titulis, ut in eis, sic decoratis, divini cultûs, ad maiorem omnipotentis Dei gloriam augendamque fidelium erga eas devotionem, elucescat maiestas, necnon studii[5] huiusmodi monumentum perpetuo eorumdem administratorum grandescat[6] nomini, nostrorumque apostolici muneris et desideriorum, gratiâ sic benedicente Domini[1], vigeat implementum.

Ferrariensis ecclesiae status ac dignitas. § 1. Sane, cum insignis ecclesia Ferrariensis, quam venerabilis frater noster Thomas episcopus Praenestinus S. R. E. cardinalis Ruffus nuncupatus etiam unâ cum suâ ecclesiâ Praenestinâ in administrationem ad sui vitam ex concessione et dispensatione apostolicis laudabiliter ad praesens retinet, ab antiquissimo tempore erecta fundataque, divisque Georgio et Maurelio dicata, in eius aedificiis satis ampla, satisque in eorumdem aedificiorum eleganti structurâ illustris existat; et in eâ septem, archipresbyteratus videlicet post pontificalem maior, praepositura, archidiaconatus, primiceriatus, custodia, thesaurariatus et decanatus, dignitates, necnon quatuordecim canonicatus, totidemque, inter quas theologalis et poenitentiaria nuncupatae[2], praebendae, ac octo perpetua simplicia personalemque residentiam requirentia beneficia ecclesiastica, mansionariatus nuncupata, perpetuo erecta et instituta, annuisque redditibus satis congrue dotata reperiantur; eidemque Ferrariensi ecclesiae, quae caelesti quoque locupletique sacrarum reliquiarum inibi decenter asservatarum thesauro ditata sacrisque supellectilibus abunde instructa dignoscitur, nedum copiosus dignitatum et canonicorum ac beneficiatorum dignitates ac canonicatus et praebendas necnon beneficia praefata obtinentium coetus, verum etiam quinquaginta clerici seu presbyteri capellani, unâ cum beneficiatis praefatis unum corpus unumque collegium a dictis canonicis distinctum separatumque constituentes, decorum laudabilemque in divinis exhibeant famulatum; ipsaque ecclesia Ferrariensis usque ab eius felici ortu naturalem

1 Reliqua ut supra pag. 10 *b* (R. T.).
2 Reliqua ut supra pag. 58 *b* (R. T.).
3 Constitutionem hanc ad autographi, quod in archivio curiae archiepiscopalis Ferrariensis servatur, amussim redegimus, nobis benigne favente Em.^mo ac Rev.^mo D. card. ALOYSIO VANNICELLI-CASONI archiepiscopo Ferrariensi, cui nos ex animo gratos publice profitemur (R. T.).
4 Ed. Main. legit *in* pro *et* (R. T.).
5 Ed. M. l. *studiis* pro *studii* (R. T.).
6 Ed. M. l. *effulgeat* pro *grandescat* (R. T.).

1 Ed. Main. legit *Domino* pro *Domini* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *nuncupata* (R. T.).

exemptionem immediatamque suam Romano Pontifici pro tempore existenti Sedique Apostolicae sortita fuerit subiectionem; exemptioneque [1] ac immediatâ subiectione huiusmodi semper magis magisque, et postquam, omissis vetustiorum quamplurium apostolicarum constitutionum [2] id testantium documentis, felicis recordationis Innocentius Papa II, etiam praedecessor noster, per suam in Concilio Lateranensi, sub datum x kalendas maii, anno Domini MCXXXIX, pontificatus sui anno x, desuper editam et a tunc existentium [3] S. R. E. cardinalium collegio subscriptam constitutionem, quae incipit *Ad hoc*, ecclesiam Ferrariensem, cum totâ parochiâ suâ, in iure, dominio ac privilegio S. R. E. ac B. Petri, cuius est patrimonium, conservandam, et sub Romani Pontificis ditione, ordinatione atque consecratione [4] fore et esse, apostolicâ eius auctoritate statuerat [5], ac huiusmodi exemptio et immediata subiectio a recolendae memoriae Caelestino II, Lucio itidem II, et Gregorio VIII, etiam Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, praefatique Innocentii successoribus, per alias eorum respective desuper emanatas et a tunc pariter existentibus praefatae S. R. E. cardinalibus similiter respective subscriptas litteras approbatae, et in eis praefata ecclesia Ferrariensis manutenta semper extiterant, et subinde ab eiusdem recordationis Clemente III, Caelestino itidem III, Innocentio IV, a quo privilegia Innocentii, Caelestini, Lucii, Gregorii, Clementis et Innocentii [6] praedecessorum praefatorum, et praesertim

Illius exemptio, ac immediata subiectio Sedi Apostolicae.

1 Add. *exemptioneque* ex aut. Ferr. (R. T.).
2 Edit. Main. legit *concessionum* (R. T.).
3 Ed. M. addit *eiusdem* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *conservatione* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *statueret* (R. T.).
6 Videtur legend. *Caelestini*, nempe III (R. T.).

ut ecclesia Ferrariensis esset semper sub Romani Pontificis et illius successorum ordinatione atque consecratione, approbata et confirmata fuerant, ac deinde validius ab Eugenio IV per diversas eius litteras apostolicas in formâ Brevis respective desuper expeditas, quae, sicut accepimus, originaliter in archivio episcopali ecclesiae Ferrariensis asservantur, necnon a piae memoriae Nicolao V sibi concessis [1] gavisa fuerit; eisque sic gaudens, a reliquis pro tempore existentibus, et praesertim ab Alexandro VIII, Innocentio XII et Clemente XI pariter Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, in eorum respective litteris apostolicis super eiusdem ecclesiae Ferrariensis pro tempore factâ provisione expeditis et debitae executioni demandatis, Sedi praefatae immediate subiecta, prout semper extiterat, semper enunciata fuerit; et nuper, videlicet de anno [2] Domini MDCCXXV, ortâ super eiusdem ecclesiae Ferrariensis Sedi praefatae immediatâ subiectione huiusmodi quaestionis materiâ, eâque ad Concilium Romanum sub eodem [3] Benedicto praedecessore tunc habitum delatâ, ab eodem Concilio, cui et nos cardinalatûs honore fungentes interfuimus, emanaverit [4] sententia tenoris sequentis, videlicet:

« Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de iurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causâ et causis, quae primo et in primâ seu aliâ veriori coram nobis versae [5] fuerunt et vertuntur instantiâ, vigore specialis commissionis motu

Huiusmodi immediata subiectio Romanae Ecclesiae, a ceterisque ecclesiis exemptio, declarata in Concilio Romano MDCCXXV.

1 Nempe *exemptione ac immediatâ subiectione* praefatis (R. T.).
2 Ed. Main. addit *eiusdem* (R. T.).
3 Vox *eodem* praeter rem esse videtur (R. T.).
4 Edit. Main. legit *emanata fuerit* (R. T.).
5 Edit. Main. legit *versa* pro *versae* (R. T.).

proprio et non ad ullius [1] partis instantiam et de potestatis plenitudine a sanctissimo domino nostro Benedicto Papa XIII signatae ac directae sacro praesenti Concilio Romanoo cum facultate eligendi et deputandi nonnullos S. R. E. cardinales, archiepiscopos, episcopos, aliosque patres eiusdem Concilii in sacrâ theologiâ magistros et respective in decretis doctores, necnon etiam cum facultate procedendi sine strepitu et figurâ iudicii, et solâ facti veritate inspectâ, omni et quocumque recursu et appellatione remotis, inter illustrissimum et reverendissimum archiepiscopum Ravennatensem et eminentissimum et reverendissimum episcopum Ferrariensem dictamque civitatem [2] et cives super praetensâ suffraganeitate ecclesiae Ferrariensis praefato archiepiscopo Ravennatensi, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, etc., dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, ac definitive sententiamus, vigore resolutionis captae in congregatione particulari habitâ die XXI maii currentis, constare de immediatâ subiectione ecclesiae Ferrariensis sanctae Sedi Apostolicae, neque illam esse suffraganeam ulli metropolitano, proindeque nullum ius metropoliticum competiisse neque competere archiepiscopo Ravennatensi neque ulli alteri super dictâ ecclesiâ Ferrariensi; sed illam fuisse et esse liberam, exemptam et immediate subiectam sanctae Sedi Apostolicae, prout talem esse pronunciamus, declaramus et sententiamus, factâ etiam prius relatione dictae resolutionis praecedenter captae sanctissimo domino nostro et omnibus reverendissimis patribus in Concilio Romano interessentibus, qui omnes, denegando novam audientiam ab archiepiscopo Ravennatensi in publico Concilio petitam die XXII maii, resolutionem ut supra captam in dictâ sacrâ congregatione particulari, tamquam iuri consonam, in congregatione praesynodali [3] habitâ die XXV eiusdem mensis maii approbarunt [4] et publicandam atque exequendam esse censuerunt: ideoque super praetenso iure metropolitico adversus dictam ecclesiam Ferrariensem tam archiepiscopo Ravennatensi quam cuicumque alteri per hanc nostram definitivam sententiam perpetuum silentium imponendum fore et esse duximus, prout imponimus, et pro imposito haberi volumus et mandamus: et ita dicimus, pronunciamus, decernimus, declaramus, et definitive sententiamus, non solum praedicto, sed et [1] omni alio meliori modo»;

*Populi frequentia, aliaeque praeclarae dotes civitatis Ferrariensis.*

§ 3. Civitas vero nostra Ferrariensis praefata, illustri vetustate, sitûs amplitudine, valido moenium munimine, fertili soli amoenitate, copioso tum generis nobilitate pollentium, tum scientiarum armorumque virtute praeditorum civium numero, studio generali, ex quo quamplures viri litterarum scientiâ artiumque liberalium insigni experientiâ celebres prodierunt, et prodeunt in dies, nec non tribunali seu causarum audientiâ, Rotâ nuncupatâ, cui iuris utriusque doctores iustitiae et probitatis asseclae praesunt, Concilioque in eâ a praefato Eugenio IV habito, et deinde, post quindecim eiusdem Concilii sessiones inibi habitas, Florentiam translato, prout vetera referunt monumenta, centum ecclesiarum in eius circuitu existentium, annuis redditibus divinoque servitio locupletum, quamplurium virorum et sacrarum virginum monasteriorum, et in eius satis amplâ dioecesi centum millium animarum parochianorum inter centum et ultra eiusdem dioecesis parrochiales ecclesias divisarum numero referta, una ex insignioribus totius Italiae civitatibus existat, illiusque in temporalibus gubernio unus ex eiusdem S. R. E. cardinalibus cum facultate nostri et pro tempore existentis Romani Pontificis de latere legati praesideat; ac insuper praefatus Thomas cardinalis et episcopus Praenestinus, ob

1 Male ed. Main. legit *illius* pro *ullius* (R.T.).
2 Edit. Main. legit *civitates* (R. T.).
3 Edit. Main. legit. *prosynodali* (R. T.).
4 Edit. Main. legit *approbandam* (R. T.).

1 Coniunct. *et* nos addimus ex aut. Ferr. (R.T.).

eximium, quem semper, et ab eo tempore quo dictae ecclesiae Ferrariensis ex concessione et dispensatione similibus praesul extitit, erga dictam ecclesiam Ferrariensem gessit et adhuc, prout providum utilemque decet administratorem, corde gerit dilectionis affectum, eiusdem ecclesiae Ferrariensis insignitatem augere concupiscens, attento[1] quod bonae memoriae Thaddaeus Aloysius eiusdem S. R. E. dum viveret cardinalis de Verme[2] nuncupatus, dictae ecclesiae Ferrariensis etiam dum viveret ultimus ex concessione et dispensatione paribus praesul, in veteri dictae ecclesiae situ nova eiusdem ecclesiae inchoaverat aedificia, unâ ex tribus tertiis eorumdem novorum edificiorum partibus dumtaxat completâ, nova aedificia huiusmodi eleganter expleverit, quin et veteri domo episcopali a fundamentis deiectâ, novum, decorum amplumque palatium sibi suisque successoribus excitaverit, et, attento quod[3] seminarium puerorum[4] ecclesiasticum Ferrariense, opus ab oecumenicâ Tridentinâ Synodo in qualibet dioecesi apprime concupitum, in eius situ perangustum exiguumque puerorum numero reperiebatur, illud ad nobiliores amplioresque sedes[5] transtulerit, illiusque viginti ad septuaginta, et ex eis duodecim ex propriis eiusdem Thomae cardinalis et episcopi Praenestini bonis perpetuo enutriendorum puerorum numerum amplificaverit[6], aliaque aedificia ad Ferrariensis episcopi pro tempore existentis[7] colonorum commodum ruri construxerit:

1 Edit. Main. legit *attenta* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *de Verona* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *quo* pro *quod* (R. T.).
4 Vocem *puerorum* add. ex aut. Ferr. (R.T.).
5 Edit. Main. legit *aedes* pro *sedes* (R. T.).
6 Edit. Main. legit *ampliaverit* (R. T.).
7 Ed. Main. heic interserit coniunct. *et* (R.T.).



In archiepiscopatum erigitur.

§ 4. Nos igitur, ecclesiam Ferrariensem praefatam, tot tantisque pretiosis tam suorum quam praefati Thomae cardinalis et episcopi Praenestini meritorum circumamictam varietatibus, ad sublime sibi debitae archiepiscopalis dignitatis fastigium adducere, illamque unâ cum ceteris archiepiscopalibus ecclesiis supra militantis Ecclesiae montem ponere, ac gratas amoris illius, quo bonae memoriae Nerius praefatae S.R.E. dum viveret cardinalis Corsinus nuncupatus, patruus noster, dum in civitate Ferrariensi praefatâ legati de latere huiusmodi munere fungeretur, erga eamdem civitatem Ferrariensem tenebatur, quique[1] amor nostrâ quoque altâ mente manens cor nostrum semper tetigit et tangit, ad praesens vices gerere, laudabilibusque praefati Thomae cardinalis et episcopi Praenestini votis benigne annuere, ac specialem sibi gratiam facere volentes, necnon dictam Innocentii II constitutionem, aliorumque omnium Romanorum Pontificum praedecessorum praefatorum omnes et singulas respective litteras praefatas, earumque[2] singulos tenores, praesentibus pro expressis insertisque habentes, post habitam a nobis super praemissis omnibus maturam cum venerabilibus fratribus nostris praefatae S. R. E. cardinalibus deliberationem, de fratrum eorumdem consilio, motu proprio, non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque liberalitate[3] nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, sententiam a Concilio Romano ut praefatur emanatam, ac praesentibus nostris litteris insertam, apostolicâ auctoritate perpetuò approbamus et confirmamus, ei-

1 Edit. Main. legit *qui* pro *quique* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *eorumque* (R. T.).
3 Ed. M. leg. *maturaque deliberatione* (R.T.).

que apostolicae nostrae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti, si qui desuper quomodolibet intervenerint, defectus eâdem apostolicâ auctoritate supplemus, ecclesiamque et sedem episcopalem Ferrariensem in archiepiscopalem ecclesiam, necnon archiepiscopalis praesidis sedem pro uno deinceps archiepiscopo, qui pallii et crucis usum aliorum archiepiscoporum more habeat, omnibusque aliis insigniis archiepiscopalibus, necnon privilegiis, honoribus et praerogativis ceteris archiepiscopis debitis et concessis uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possit et valeat, apostolicâ auctoritate praefatâ perpetuò erigimus et instituimus, eamque nomine, titulo et honore archiepiscopali decoramus, ipsiusque ecclesiae Ferrariensis pro tempore existentem praesulem acrchiepiscopum declaramus; dictoque Thomae cardinali et episcopo Praenestino ipsiusque ecclesiae Ferrariensis administratori, illiusque pro tempore existenti praesuli, ut ipsi[1] ad nullum provinciale praeterquam Romanum Concilium evocari possit et valeat, ita quod nonnisi ad Romanum Concilium huiusmodi accedere teneatur, eâdem apostolicâ auctoritate, cum hoc tamen quod idem Thomas cardinalis et episcopus Praenestinus, absque aliâ sibi de ecclesiâ Ferrariensi praefatâ in administrationem de novo[2] faciendâ concessione, in eiusdem Ferrariensis ecclesiae administratorem praefectus esse intelligatur et existat, concedimus et indulgemus; dictoque Thomae cardinali et episcopo Praenestino, ut ipse, etiamsi dictae ecclesiae Ferrariensis administrator existat, nihilominus, ac si illi vere praeesset, pallium archiepiscopale ratione dictae ecclesiae Ferrariensis a nobis petere, illoque libere uti, crucemque deferre libere et licite valeat, licentiam desuper impartimur et facultatem.

1 Ex seqq. legendum *ipse* (R. T.).
2 Edit. Main. habet *de nova* (R. T.).

**Praesentes litterae nullo unquam notandae vitio.**

§ 5. Praesentes quoque litteras et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore, etiam ex eo quod causae, propter quas haec omnia facta fuerunt, examinatae, verificatae et approbatae, et quicumque in eis interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, sive aliàs ex quibuscumque causis legitimis et iuridicis, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in ius vel controversiam revocari, ad terminos iuris reduci, vel adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium, etiam aperitionis oris, impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos seu Romanos Pontifices successores nostros, sub quibusvis verborum expressionibus et formis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus pro tempore factis, comprehendi, sed, tamquam pro augumento divini cultus concessa, minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per dictum Thomam cardinalem et episcopum Praenestinum et pro tempore existentem ecclesiae Ferrariensis archiepiscopum quandocumque eligendâ concessa fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere, nec quemquam, quatenus opus sit, ad easdem praesentes in Camerâ nostrâ Apostolicâ, iuxta constitutionem reco-

lendae memoriae Pii Papae IV pariter praedecessoris nostri desuper editam, aut aliàs quandocumque praesentandum, insinuandum et registrandum teneri, neque illas propterea irritas, sed omnino valere et suffragari, perinde ac si praefati Pii IV praedecessoris constitutio huiusmodi [1] minime emanasset [2], sicque per quoscumque iudices ordinarios vel [3] delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis [4] aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, et si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon eiusdem recordationis Clementis PP. III, ac praefati Caelestini III, necnon Innocentii III ac Honorii quoque III, Romanorum Pontificum etiam praedecessorum nostrorum, super auctoritate et usu pallii editis, aliisque constitutionibus [5] apostolicis, eiusdemque ecclesiae Ferrariensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eidem ecclesiae Ferrariensi, illiusque praesulibus et administratoribus, necnon dilectis filiis illius capitulo aliisque personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum

1 Ed. M. addit *aliaque contraria* (R. T.).
2 Ed. M. legit *emanassent* (R. T.).
3 Ed. M. legit *et* pro *vel* (R. T.).
4 Ed. M. legit *qualenus* pro *quavis* (R. T.).
5 Ed. M. addit *et ordinationibus* (R. T.).

derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus et aliis decretis, etiam motu pari et consistorialiter, aut aliàs quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua mentio seu quaevis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresse motu simili [1] derogamus; ceterisque [2] contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 7. Volumus autem earumdem [3] praesentium transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Temeratoribus inflictae poenae.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, erectionis, institutionis, declarationis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei [4] ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit [5] incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae

1 Edit. Main. legit *pari* (R. T.).
2 Vocem *ceterisque* add. ex aut. Ferr. (R.T.).
3 Ed. M. legit *quod eorumdem* (R. T.).
4 Vox *ei* deest in edit. Main. (R. T.).
5 Male ed. M. leg. *noviter* pro *noverit* (R.T.).

MDCCXXXV, VI kalendas augusti, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 iulii 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXIII.

*Confirmatio cuiusdam paragraphi constitutionis Benedicti PP. XIII circa vacationem abbatiarum obtinendarum in Congregatione regularium S. Salvatoris Ordinis sancti Augustini.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Benedictus XIII decrevit digniores ad abbatias huius Congregationis esse assumendos, quamvis monasterii eiusdem vel provinciae non sint filii.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Albertus de Grandis abbas generalis Congregationis S. Salvatoris Ordinis S Augustini, quod per constitutionem felicis recordationis Benedicti PP. XIII praedecessoris nostri anno Incarnationis dominicae MDCCXXIX, VII kalendas aprilis, pontificatus sui anno V emanatam, quam nos per aliam nostram constitutionem ad pristinum statum ac terminum omnino reduximus et reductam esse voluimus[1], inter alia statuitur et decernitur, quod, licet dispositio, quae habetur in litteris piae memoriae Pauli Papae V praedecessoris pariter nostri, quarum initium est *Aliàs motu proprio*, etc., quibus personae diversae nationis ac patriae ad regimen praelaturarum monasteriorum dictae Congregationis S. Salvatoris assumi vetantur, et natis ubi sita sunt monasteria praelaturas easdem conferri praecipitur, retroactis temporibus utilis esse potuerit, nihilominus, cum ob defectum idoneorum interdum non idoneos promovere, aut praelaturas ipsas non sine magno regularis disciplinae et rerum monasteriorum detrimento vacuas relinquere oporteat, idem Benedictus praedecessor, huiusmodi gravi incommodo occurrere volens, ac ut deinceps personae, in abbates monasteriorum praedictae Congregationis assumendae, sacris litteris, prudentiâ et maturitate sint commendabiles, et idoneae ad feliciter in spiritualibus et temporalibus monasteria ipsa dirigenda, dispositionem litterasque praedictas eiusdem Pauli praedecessoris, necnon alias recolendae memoriae Alexandri Papae VII, itidem praedecessoris nostri, incipientes *Ad apostolicae, etc.*, quibus, inter cetera, Congregationi S. Salvatoris huiusmodi abbatiam infrascripti monasterii terrae Centi dioecesis Bononiensis presbytero professo et in dictâ terrâ orto, vel, in eius defectum, Ferrariensi, conferendi obligatio iniungitur, in hac parte tantum, in reliquis vero in suo robore permansuris, de medio sustulit et abrogavit; occurrentibus vero abbatiarum vacationibus, praecepit ut abbas generalis et quatuor visitatores dictae Congregationis digniorem personam ex provinciâ, in qua abbatia vacans sita fuerit, desumant, cum hac tamen regulâ, quod, ceteris paribus, respective praeferri debeant religiosi canonici propinquioris monasterii provinciarum eiusdem Congregationis, quique saltem in trigesimoquinto suae aetatis et duodecimo religiosae professionis anno constituti existant, et postea per novem annos cum laude et discipulorum profectu philosophiam aut theologiam praelegerint, vel tyronum regimen, seu curam animarum, in illis ecclesiis dumtaxat quibus inserviunt iidem canonici S. Salvatoris, ibique[1] viget regularis observantia, exercuerint, seu quadragesimali tempore sacras conciones in civitatibus ad populum habuerint, vel munus praesidentis actualis sustinuerint, seu per quindecim annorum spatium procurationem alicuius monasterii laudabiliter

1 Edit. Main. legit *volumus* (R. T.).

1 Potius lege *ubique* (R. T.).

gesserint, quos ad abbatias ut praefertur[1] vacantes obtinendas, quibuscumque aliis quacumque ratione ad eas aspirantibus penitus remotis et exclusis, eligere omnino debeant et teneantur, auctoritate apostolicâ perpetuo statuit et declaravit.

Procurator generalis pro huiusmodi decreti confirmatione supplicat.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Ioannes Albertus abbas generalis observantia[2] constitutionis memorati Benedicti praedecessoris in maximum ipsius provinciae, imo totius Congregationis progressum residet[3], praesertim quoad illas nationes numero carentes, dum nationales hoc pacto multum operae et laboris in studiis consument ad hoc ut idonei reddantur, iis vero minime existentibus, electio cadet in personas, quae dignitati decorem et toti Congregationi utilitatem afferant: nobis propterea dictus Ioannes Albertus abbas generalis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Benigne praestat Clemens.

§ 3. Nos igitur, eumdem Ioannem Albertum abbatem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertam particulam, ex constitutione Benedicti praedecessoris excerptam[4], ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac illam perpetuo observari mandamus.

Sicque servari praecipit in futurum.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, praedictae Congregationis, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, aut quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etc.[1]

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV iulii[2] MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 augusti 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

1 Edit. Main. legit *profertur* (R. T.).
2 Leg. *observantiam*, vel aliter corrig. (R.T.).
3 *Desideret*, vel aliter corrig. (R. T.).
4 Edit. Main. legit *exceptam* (R. T.).

1 Reliqua ut supra pag. 40 *b* (R. T.).
2 Forsan *augusti*, nam dies IV iulii pertineret ad pontif. annum V (R. T.).

CLXIV.

*Omnes regulares etiam Ordinis Cisterciensis in regno Lusitaniae tenentur observare constitutiones Gregorii XV et Clementis X circa parochialium usum et sacramentorum administrationem.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Admonet nos apostolici muneris ratio ad ea seriò intendere, per quae provide statuta a praedecessoribus nostris, praesertim ad ecclesiasticam disciplinam tuendam ac pacem et tranquillitatem inter villicos et operarios agri dominici firmandam spectantia, inviolabiliter custodiantur atque observentur.

Causae ferendae constitutionis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater patriarcha Ulyssiponensis, quod regulares regnorum Portugalliae et Algarbiorum diversis temporibus adnixi fuerint sese ab observatione constitutionis felicis recordationis Gregorii Papae XV praedecessoris nostri, quae incipit *Inscrutabili Dei providentiâ*, subducere ac eximere, freti quibusdam in simili formâ Brevis litteris recolendae memoriae Urbani PP. VIII praedecessoris etiam nostri, die III martii MDCXXV expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet:

*Dilecto filio magistro Ioanni Baptistae Pallottae in utrâque signaturâ nostrâ referendario, iurium et spoliorum Camerae nostrae apostolicae in Portugalliae et Algarbiorum regnis debitorum collectori generali, Urbanus PP. VIII. Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.* Aliàs a felicis recordationis Gregorio PP. XV praedecessore nostro emanarunt litterae tenoris subsequentis, videlicet:

Gregorius XV

*Gregorius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* Inscrutabili Dei providentiâ universalis Ecclesiae regimini meritis licet imparibus praesidentes, pastoralis nostrae sollicitudinis partes esse dignoscimus in eam curam praecipue incumbere ut a dignis et probatis tantum sacerdotibus sancte administrentur ecclesiastica sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum monasteria diligentissime custodiantur, et viri assumantur idonei ad praedicationis officium salubriter exequendum. Sane Tridentinae Synodi decretis provide cautum est, nullum presbyterum, etiam regularem, posse confessiones saecularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; necnon ut in monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum saecularium praeter eas quae sunt de illorum monasteriorum seu locorum[1] familiâ, personae tam regulares quam saeculares eiusmodi curam exercentes subsint immediate, in iis quae ad dictam curam et sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, visitationi et correctioni episcopi, in cuius dioecesi sunt sita; itemque ut episcopi universi, sub obtestatione divini iudicii et interminatione maledictionis aeternae, in omnibus monasteriis sibi subiectis ordinariâ, in aliis vero Sedis Apostolicae auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas aliasque poenas, quacumque appellatione posposità, compe-

Observanda a religiosis exemptis, in iis quae curam animarum respiciunt, declaravit secundum mentem Concilii Tridentini.

1 Forsan *domorum* (R. T.).

scentes; atque ut regulares, in ecclesiis suorum Ordinum praedicare volentes, se coram episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur; in ecclesiis vero, quae suorum Ordinum non sunt, nullo modo praedicare possint sine episcopi licentiâ; contradicente autem episcopo, nullibi etiam in suorum Ordinum ecclesiis praedicare praesumant. Verum, quia experientiâ compertum est ecclesiastici regiminis rationes postulare ut decretis eiusmodi aliquid adiungatur, maturâ deliberatione nostrâ et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuo valiturâ constitutione decernimus, statuimus et declaramus, ut deinceps tam regulares quam saeculares quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum saecularium monasteriis[1] seu domibus regularibus aut quibusvis aliis ecclesiis vel beneficiis sive regularibus sive saecularibus incumbentem exerceant, sive aliàs ecclesiastica sacramenta aut unum ex illis ministrent praeviâ episcopi licentiâ et approbatione, sive quoquo modo in dictae curae exercitio aut in eorumdem sacramentorum vel alicuius ex illis administratione de facto absque ullâ auctoritate se ingerant, in his quae eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodae iurisdictioni, visitationi et correctioni dioecesani episcopi tamquam Sedis Apostolicae delegati plene in omnibus subiiciantur. Ad haec, tam regulares quam saeculares huiusmodi, nullis privilegiis aut exemptionibus tueri se possint, quominus, si deliquerint circa personas intra septa degentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem monasteriorum monialium etiam regularibus subiectarum, ab episcopo loci similiter tamquam ad hoc Sedis Apostolicae delegato, quoties et quando opus fuerit, puniri et corrigi valeant. Confessores vero, sive regulares sive saeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessionem monialium etiam regularibus subiectarum audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant. Sed et administrantes bona ad eiusmodi monasteria sanctimonialium, ut praefertur, etiam regularibus subiectarum pertinentia, sive regulares extiterint sive saeculares quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, ad idque iuris remediis cogi et compelli queant. Liceatque episcopo ex rationabili causâ superiores regulares admonere ut eiusmodi confessores atque administratores amoveant, iisque superioribus id facere detractantibus aut negligentibus, habeat episcopus facultatem praedictos confessores et administratores amovendi quoties et quando opus esse iudicaverit. Ac similiter possit episcopus, unà cum superioribus regularibus quarumcumque abbatissarum, priorissarum, praefectarum vel praepositarum eorumdem monasteriorum, quocumque nomine appellentur, electionibus per se vel per alium interesse ac praesidere, absque ullâ tamen ipsorum monasteriorum impensâ. Ac demum habeat episcopus tamquam dictae Sedis delegatus auctoritatem coërcendi et puniendi quoscumque exemptos tam saeculares quam regulares, qui in alienis ecclesiis, aut quae suorum Ordinum non sunt, absque episcopi licentiâ, et in ecclesiis suis aut suorum Ordinum, non petitâ illius benedictione, aut ipso contradicente, praedicare prae-

1 Edit. Main. legit *monasterii* (R. T.).

sumpserint; ita ut episcopi in suprascriptis casibus in praenominatas personas, in praemissis omnibus et singulis aut circa ea quoquo modo delinquentes, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem per censuras ecclesiasticas aliasque poenas uti eiusdem Sedis delegati procedere, omnemque iurisdictionem exercere libere et licite valeant. Decernentes, sic per quoscumque iudices quavis auctoritate fungentes, etiam sacri palatii auditores, necnon S.R.E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis in favorem quarumcumque personarum atque Ordinum tam mendicantium quam non mendicantium, militiarum etiam S. Ioannis Hierosolomytani, congregationum, societatum, ac cuiusvis alterius instituti etiam necessario et in individuo exprimendi, monasteriorum, conventuum, capitulorum, ecclesiarum et aliorum quorumcumque tam saecularium quam regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis vel consuetudinibus, exemptionibus quoque, indultis et privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causâ et titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Marimagno, seu Bulleâ aureâ, aut aliàs nuncupatis, conservatorum deputationibus, eorumque atque aliis inhibitionibus, quibus episcopi deferre minime teneantur, et quibusvis aliis, sub quiscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis, etiam motu proprio et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet etiam per viam communicationis seu extensionis concessis, ac iteratis vicibus approbatis et innovatis, etiamsi pro sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ inserti forent, praesentibus pro expressis habentes; quibus, quoad ea quae eisdem praesentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum, quia difficile foret praesentes litteras ad singula quaeque loca deferri, ut eae tamen omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis et Principis Apostolorum de Urbe basilicarum, atque Cancellariae Apostolicae, et in acie Campiflorae publicari et inibi affigi, et per aliquod temporis spatium dimitti, eisque detractis, earum exempla eo in loco relinqui: ac volumus ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati seu personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, in iudicio et extra illud, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, decretorum, derogationis, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indigna-

tionem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarnationis dominicae MDCXXII, nonis februarii, pontificatus nostri anno II.

Urbanus VIII ab huiusmodi declarationis exequutione supersedendum statuit.

Cum autem, sicut accepimus, circa executionem litterarum praedictarum in Portugalliae et Algarbiorum regnis faciendam nonnulla per dilectum filium Michaëlem Suarium Pereira, negotiorum regnorum huiusmodi pro carissimo in Christo filio nostro Philippo Portugalliae et Algarbiorum rege catholico in Romanâ Curiâ agentem, eiusdem Philippi regis nomine coram dilectis filiis nostris Dominico Ss. XII Apostolorum Gymnasio, Ioanne Garcia Ss. IV Coronatorum Millino, ac Scipione S. Susannae, necnon Antonio S. Honuphrii titulorum presbyteris cardinalibus respective nuncupatis, ad id a nobis specialiter deputatis, deducta fuerint: idcirco, donec deducta, ut praefertur, et quae deducenda fuerint, per Dominicum, Ioannem Garciam, Scipionem et Antonium cardinales praedictos, seu alios a nobis super his deputandos, maturius et plenius videantur atque considerentur, motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tibi per praesentes committimus et mandamus ut in regnis Portugalliae et Algarbiorum praedictis tantum ab executione praeinsertarum litterarum huiusmodi supersederi auctoritate nostrâ cures et facias, donec aliter a nobis seu Romanis Pontificibus successoribus nostris provisum fuerit; contradictores quoslibet et rebelles, ac tibi in hoc non parentes, per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus praeinsertis litteris huiusmodi, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCXXV, pontificatus nostri anno II.

Ex huiusmodi suspensione, quamvis sublata per declarationem Clementis X, data occasio nunquam hactenus exequendi constitutionem Gregorii XV praesertim Cisterciensibus.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat,[1] suspensio dictae constitutionis Gregorii praedecessoris vigore praeinsertarum Urbani itidem praedecessoris litterarum, donec aliter ab ipso Urbano praedecessore seu Romanis Pontificibus successoribus suis provisum fuisset, sicut praemittitur, facta, iamdiu cessaverit, ac e medio sublata fuerit per posteriores ordinationes a Sede Apostolicâ identidem emanatas, potissimum vero per alteram constitutionem similis memoriae Clementis PP. X praedecessoris quoque nostri, cuius initium est *Superna magni patrisfamiliâs*, usque ab anno MDCLXX per viam legis universalis promulgatam, ad removenda scilicet dubia et contentiones, quae occasione recensitae constitutionis Gregorii praedecessoris excitata fuerant, quemadmodum novissime etiam a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, re discussâ, expensisque Urbani praedecessoris litteris praeinsertis, resolutum et declaratum fuit; nihilominus nonnulli regulares regnorum praefatorum, et praesertim Ordinis Cisterciensis, executioni eiusdem constitutionis Gregorii et alterius Clementis praedecessorum, necnon decretorum quae ad illarum tramites a dictâ Congregatione cardinalium prodierunt, adhuc obsistere ac refragari pergant, obtendentes ultra dictas litteras Urbani praedecessoris se in neutrâ ex emanatis constitutionibus comprehensos esse, eo quod in illis expresse nominati minime

1 Heic deest partic. *licet* (R. T.).

reperiantur, sicuti iuxta asserta eorum privilegia opus fuisse aiunt: nobis propterea praedictus patriarcha humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Omnes et singuli regulares declarantur obstricti observationi constitutionum Gregorii XV et Clementis X.

§ 3. Nos igitur, ipsius patriarchae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulos regulares, praefatorum regnorum Portugalliae et Algarbiorum, etiam dicti Cisterciensis et cuiuscumque alterius Ordinis, congregationis, societatis et instituti, etiam necessario, specialiter ac individuo nominandi et exprimendi, ad exactam et plenariam constitutionum memoratorum Gregorii et Clementis praedecessorum observationem, prout eos concernunt, omnino teneri et obligatos existere et fore, et ad id sub censuris ecclesiasticis et aliis in iisdem constitutionibus contentis poenis cogi et compelli posse, auctoritate apostolicâ, harum serie, statuimus et declaramus.

Sicque in futurum esse iudicandum.

§ 4. Decernentes, sic et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos dictaeque Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, praeinsertis Urbani praedecessoris litteris, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, atque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, necnon omnibus et singulis quae in eorum Gregorii et Clementis constitutionibus concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus quoque ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XI augusti MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 11 augusti 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXV.

*Pontifex privilegia concedit nonnullis suis familiaribus.*

**Clemens Papa XII,**

**Dilectis filiis Nicolao Antonelli Senogalliensi, marchioni Chiappino Vitelli Florentino, Virgilio de Cinciis Romano, cubiculariis intimis, Ioanni Bottari itidem Florentino[1] respective civitatum et dioecesum capellano secreto, ac Ioanni Baptistae Altieri cubiculi nostri auditori, familiaribus, continuis commensalibus no-**

1 Aptius lege *Florentinae*, et sic antea (R.T.).

**stris, salutem et apostolicam benedictionem.**

Exordium.

Circumspecta Romani[1] Pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos et fideles suos, illos praesertim qui grata familiaritatis obsequia iugiter ei impendunt, ac quos ad id aliàs propria virtutum merita commendant, honoris et famae amplioribus praeconiis ac praeclaris dignitatum titulis decorare et ornare, necnon specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Hosce cubicularios Sedis Apostolicae notarios creat et palatii comites, cum honoribus et praerogativis.

§ 1. Hinc est quod nos, ad grata familiaritatis obsequia, quae vos, qui etiam continui commensales nostri existitis, et quilibet vestrum nobis hactenus impendistis, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistitis, necnon ad vitae ac morum honestatem, aliaque laudibilia probitatis et virtutum merita, quibus personas vestras etiam familiari experientiâ iuvari percepimus, condignam rationem habentes, ac propterea easdem personas vestras peculiaris favore gratiae ac specialis honoris et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, vosque et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de merâ liberalitate et certâ scientiâ nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, vos et quemlibet vestrum respective in nostros et Sedis Apostolicae, notarios (sine tamen praeiudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium) apostolicâ auctoritate, tenore praesentium recipimus, ac sacri palatii et aulae Lateranensis comites, necnon auratae militiae equites, ac nobiles romanos, et Urbis Romae ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis et Beneventanae, omniumque et singularum aliarum civitatum, terrarum et locorum Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectorum cives, cum omnibus iuribus, iurisdictionibus, praerogativis et insignibus debitis et consuetis, creamus et constituimus, ac in numerum et consortium aliorum nostrorum et eiusdem Sedis notariorum, necnon palatii et aulae huiusmodi comitum, equitum et nobilium romanorum, aliorumque civium civitatum et terrarum praedictarum, referimus et conscribimus. Vobisque, etiamsi habitum et rocchettum notariorum dictae Sedis iuxta decreta Lateranensis Concilii novissime celebrati non defferatis, aut civitates huiusmodi non incolueritis, nec unquam in eisdem civitatibus domicilium habueritis, ut omnibus et quibuscumque privilegiis et facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis et indultis, quibus ceteri omnes notarii nostri, etiam de numero participantium, ac comites, equites et nobiles (citra tamen exemptiones a sacro Concilio Tridentino sublatas, itaut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subiaceatis Ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios seu tabelliones creandi, aliaque huiusmodi privilegia a notariis et comitibus praefatis praetensa, itaut illis nullibi uti valeatis, ac irritum et inane existat quidquid secus per vos aut quemlibet vestrum respective attentari contigerit), necnon cives originarii, etiam in dignitatum, beneficiorum et of-

1 Edit. Main. legit *Romanis* (R. T.).

ficiorum ecclesiasticorum et saecularium etiam ex personis romanorum civium originariorum vacantium assecutione et exercitio, tam in Urbe, quam in omnibus et singulis civitatibus praedictis, et aliàs ubique locorum et gentium, necnon sessionum et conventuum, utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed pariformiter et aeque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae et indulta huiusmodi pro vobis emanassent, uti, potiri et gaudere, ac in omnibus et singulis apostolicis, aliisque litteris, instrumentis et scripturis publicis et privatis, deinceps nomine vestro conficiendis, notarios, comites, equites et nobiles, ac de nobili genere ex utroque parente procreatos, necnon romanae et aliarum civitatum et terrarum cives, prout libuerit, vos inscribere valeatis, ac pro veris et non fictis notariis, comitibus, equitibus et nobilibus ac civibus habeamini, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur, necnon honoris causâ insignia gentis nostrae sive integre sive cum vestris respective composita gestare possitis, prout vobis placuerit, concedimus.

Eorum bona a quocumque eximit vectigali.

§ 2. Et insuper vos vestraque beneficia et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque et qualiacumque, illorum fructus, res et iura ubicumque locorum, regnorum et provinciarum, necnon in Urbe, civitatibus, terris et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiectis consistentia praedia, domos, possessiones et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia et immobilia ac semoventia, necnon actiones et iura praesentia et futura, cuiuscumque qualitatis, quantitatis et naturae, ac cuiusvis etiam annui valoris, fructus, redditus et proventus huiusmodi sint vel fuerint, ac etiam quaecumque a vobis vendenda, ac pro vestris et familiarum vestrarum usibus emenda, ab omnibus et quibuscumque decimis, quartis et dimidiis partibus, subsidiis, etiam charitativis, necnon vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, et quocumque alio nomine nuncupatis angariis, perangariis, ceterisque oneribus et contributionibus tam urbanis quam rusticis, ordinariis et extraordinariis, realibus, personalibus et mixtis, etiam ratione munitionum moenium et pontium, portarum et moliturarum, et mercium cuiuscumque generis, transitus seu passus et vecturae, etiam in aliud territorium seu provinciam, terrâ, mari et flumine, necnon equorum mortuorum, stabulationum militum, institutionis seminarii ecclesiastici, aut quacumque[1] aliâ quantumvis gravi et gravissimâ causâ (pro subventione contra infideles dumtaxat exceptâ) nunc et pro tempore impositis, ita quod vos et quilibet vestrum nihil omnino horum aut aliorum similium subire teneamini, nec per Camerae Apostolicae aut alios commissarios, seu vectigalium et tributorum huiusmodi redemptores, conductores et exactores quocumque privilegio, exemptione et facultate suffultos, aliàs quam ut praefertur valeatis coarctari, quamdiu servitiis nostris institeritis dumtaxat, eximimus et liberamus.

Dispensat a residentiâ beneficiorum etiam cum fructuum perceptione.

§ 3. Ad haec, vobiscum et cum quolibet vestrum respective, ut quaecumque duo dissimilia vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum etiam collegiatarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum

1 Edit. Main. legit *quaecumque* (R. T.).

ex illis omnibus cum curâ aut dignitas etiam maior et principalis, et canonicatus et praebenda, personatus, administratio vel officium fuerit, et ad dignitatem, personatum, administrationem vel officium huiusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam iurisdictionalis immineat animarum, et[1] alicui vestrum aliàs canonice conferantur, aut quisque vestrum eligatur, praesentetur, aut aliàs assumatur ad illa, et instituatur in eis, recipere, et, dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixeritis, retinere, necnon etiam, quamdiu nobis inservieritis tantum, in beneficiis ecclesiasticis etiam curatis (non tamen parochialibus, nec curatis curâ animarum parochianorum), per vos pro tempore respective obtentis, etiam de iure, statuto, fundatione vel privilegio, personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in cathedralibus etiam metropolitanis post pontificalem minores ac collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, personaliter residere non teneamini, nec per locorum Ordinarios aut ecclesiarum earumdem capitula seu quosvis alios ad residendum interim in illis inviti compelli possitis, omnesque et singulos nihilominus vestrorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus et proventus, durante servitio praedicto, cum eâ integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis), cum qua illos perciperetis si in eisdem ecclesiis sive locis personaliter resideretis, percipere, exigere et levare;

Facultatem dat sacros ordines suscipiendi extra tempora,

§ 4. Ac interim, vel postmodum, si volueritis, in Romanâ curiâ vel extra eam a quocumque quem malueritis catholico antistite gratiam et communionem eiusdem Sedis habente, quem duxeritis eligendum, ad omnes etiam sacros et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora a iure statuta, proprii Ordinarii aut cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisita, si aliàs ad id idonei reperti fueritis (super quo antistitis conscientiam oneramus), promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare, necnon, etiamsi presbyteri fueritis, ac dignitates et officia obtinueritis, leges et iura civilia etiam publice in scholis et universitatibus studiorum generalium, ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non excesseritis, audire, et, si habiles et sufficientes reperti fueritis, etiam ad doctoratus gradum in huiusmodi facultate vos promoveri facere, ipsaque iura etiam publice docere, atque iudicis, advocati et procuratoris officium, in causis ecclesiasticis et civilibus tantum, exercere libere et licite possitis et valeatis, auctoritate et tenore praedictis de specialis dono gratiae dispensamus.

Confessarium eligendi cum opportunis facultatibus,

§ 5. Liceat quoque vobis et cuilibet vestrum aliquem idoneum et approbatum ab Ordinario presbyterum saecularem, vel cuiusvis Ordinis regularem, in vestrum eligere confessorem, qui, vitâ cuiuslibet vestrum comite, vos et quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, et per vos incursis, et quibus vos etiam apostolicâ auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus specialiter vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum et Ecclesiae praeceptorum transgres-

1 Potius lege *si* pro *et* (R. T.).

sionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos vel alios superiores praelatos) de praeterito iniectionibus, seu consilii vel favoris ad id praestationibus, ieiuniorum omissionibus (non tamen recitationis Horarum Canonicarum, aliorumque divinorum officiorum), et deinde ab omnibus et quibuscumque aliis vestris peccatis, criminibus et excessibus ac delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam talibus propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, videlicet a contentis in litteris die Coenae Domini publicari consuetis, semel tantum in vitâ et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis aliisque casibus, semel in anno, confessionibus vestris diligenter auditis, sine tamen alicuius praeiudicio, auctoritate apostolicâ absolvere, et vobis pro commissis poenitentiam iniungere salutarem, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri et Pauli apostolorum, castitatisque et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Pensiones resignandi in summa trecentorum ducatorum,

§ 6. Vobisque ulterius, et cuicumque vestrum respective, ut quicumque loci Ordinarii vel canonici metropolitanarum seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae tam in dictâ Curiâ quam extra eam ad id per vos respective coram notario et testibus fide dignis eligendi seu eligendae, quascumque pensiones annuas vobis super mensarum abbatialium seu capitularium ac episcopalium et archiepiscopalium ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum curâ et sine cura saecularium et quorumvis Ordinum et Militiarum regularium, etiam hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quomodocumque et qualitercumque qualificatorum, fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus etiam quotidianis, seu, illarum loco, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta vobis nunc et pro tempore assignata et reservata ac reservanda, pro summâ videlicet trecentorum ducatorum auri de Camerâ quoad singulos vestrum, quandocumque alicui vestrum respective placuerit, simul vel successive, in toto vel in parte, etiam in cuiuslibet vestrum mortis articulo, cassare et extinguere, ac, postquam cassatae et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super eisdem fructibus, redditibus, proventibus, iuribus, obventionibus et distributionibus, emolumentis, seu, illarum loco, fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, distributiones et emolumenta huiusmodi, usque ad summam et quantitatem praedictam, uni vel pluribus aliis personis etiam per vos nominandis, etiam quaecumque, quotcumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus et expectantibus, clericis seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis quoad vixerint, eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo et formâ, quibus vobis assignatae et reservatae, seu assignata et concessa fuerint respective, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas vel illa aliàs cassari et reservari de novo faciendi facultatem non habueritis, ac pensiones et fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, ac distributiones et emolumenta huiusmodi etiam pluries cassata et de novo assignata fuerint, usque ad summam et quantitatem praedictam, etiam litteris apostolicis super reservationibus et assi-

gnationibus huiusmodi non confectis, ac aliàs cum omnibus et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus et cautelis, ac etiam censuris et poenis in prioribus reservationibus huiusmodi concessis et contentis, necnon cum subrogatione in quibusvis vestris iuribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eritis, integre persolvendas, servatâ tamen formâ constitutionis felicis recordationis Innocentii Papae XI praedecessoris nostri super translationibus pensionum editae, reservare, constituere et assignare valeant, auctoritate et tenore praedictis de speciali gratiâ indulgemus.

Testandi etiam de fructibus beneficiorum et pensionum.

§ 7. Necnon etiam vobis, ut de omnibus et singulis domibus, praediis, possessionibus, terris et locis, ac iurisdictionibus, ceterisque bonis mobilibus et immobilibus, quae tamen non sint altaris seu altarium ecclesiarum vobis commissarum ministerio seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui seu usui deputata, seque moventibus, cuiuscumque qualitatis, quantitatis, valoris, speciei, pretii et conditionis existentibus, ac iuribus et actionibus ad vos ratione ecclesiarum, etiam cathedralium et metropolitanarum, quibus vos forsan praeesse contigerit, necnon monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum, cum curâ et sine curâ, saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, ac aliàs quomodolibet obtinueritis, obtinetis et obtinebitis, ac fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum, loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus et proventibus vobis reservatorum et assignatarum, ac reservandorum et assignandarum, quos et quas perceperitis, percipitis et percipietis in futurum, necnon emolumentorum quorumcumque Romanae Curiae officiorum, et aliàs quomodolibet spectantibus et pertinentibus, ac etiam de dictis proventibus, fructibus, redditibus et pensionibus annuis, necnon vestrâ et cuiuslibet vestrum industriâ et labore quomodolibet, undecumque, licite tamen, acquisitis et acquirendis, ac aliàs etiam de muneribus et officiis quae exercueritis et vos exercere contigerit, et aliàs quavis occasione vel causâ seu contemplatione ad vos perventis et perventuris, etiamsi in pecuniâ numeratâ, et iocalibus, gemmis aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dictâ Curiâ quam extra eam ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates et veros etiam annuos valores, etiam si talia forent quae generali appellatione bonorum et supellectilium non venirent, sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice et singillatim exprimerentur et denominarentur, pro sufficienter expressis ac declaratis haberi volumus), usque ad summam sex millium ducatorum auri de Camerâ pro unoquoque vestrum, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus et proventibus, et pensionibus debitis et debendis (servatâ tamen formâ constitutionum apostolicarum iam editarum, et si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis), etiam cumulative, cum quibusvis aliis similibus vel dissimilibus facultatibus habitis et habendis, tam pro decentibus et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum qui vobis viventibus servierint, etiam ultra servitii meritum, et in vestrorum consangui-

neorum et affinium ac quorumcumque locorum piorum favorem et usum, ac aliàs pro arbitrio et voluntate vestris et cuiuslibet vestrum absolutis testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos quam causâ mortis, et aliis quibuscumque modis et titulis, scripturâ, etiam minus solemni, coram duobus vel tribus, aut etiam cedulâ solâ manu vestrâ scriptâ vel subscriptâ, et aliàs in omnibus et per omnia prout et quomodolibet vobis videbitur, etiam in ipsâ Curiâ, et in mortis articulo, etiam nullâ factâ mentione praesentis vel aliarum vobis pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari seu disponere velitis et intendatis, semel atque iterum aut pluries disponere, statuere et ordinare, itaut quicquid testatum, gestum, aut ordinatum, seu aliàs dispositum a vobis fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac aliàs omni alio meliori modo valeat, et servari debeat, ipsaque testamenta, codicillos, et dispositiones, ordinationes, legata et statuta pluries, ac toties quoties vobis videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo condere libere et licite valeatis, auctoritate apostolicâ earumdem tenore praesentium plenam et liberam concedimus facultatem.

Spolio Camerae non sunt subiecti. Morientium ab intestato bona ad consanguineos pertinent.

§ 8. Et insuper statuimus et ordinamus, vobisque indulgemus, quod si vos ab intestato, et sine ullâ vel cum minus validâ bonorum et rerum ac fructuum, redditaum et proventuum praedictorum dispositione, in dictâ Curiâ vel extra eam, tam continuâ quam interpolatâ inibi cuiuslibet vestrum respective mansione, ac etiam extra beneficia vestra vel alia loca debitae a vobis residentiae personalis, etiam nullâ subsistente causâ, ab humanis decedatis, omnia et singula bona, res et iura, etiam ut praefertur qualificata, necnon spolia cuiuscumque quantitatis et valoris existentia, etiam ex praedictis et aliàs undecumque provenientia, ad Cameram Apostolicam seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes vestri sanguinis integre deveniant, et, illis deficientibus, inter familiares vestros, arbitrio personae seu personarum quas ad id scripto nominaveritis, distribuantur, nisi de aliâ dispositione vel intentione vestrâ scripturâ etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae vel alii iudices seu executores omnino exequi et adimplere, illique se conformare in omnibus et per omnia debeant; et nihilominus quaecumque huiusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, et alia forsan a vobis, etiam nullâ vel minus sufficienti facultate suffultis, de huiusmodi bonis, iuribus, actionibus, fructibus, pecuniis, iocalibus aliisque rebus supradictis, etiam in favorem consanguineorum et affinium praedictorum et aliàs quomodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea quae per vos in futurum fient, ex nunc prout ex tunc et e contra, pro dictâ summâ sex millium ducatorum approbamus et confirmamus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum omissarum et omittendarum necnon substantiales aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint aut intervenerunt in eisdem, etiamsi tales sint vel fuerint quod specialis specifica et expressa de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Horum privilegiorum firmitas et perpetua observantia.

§ 9. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis, aut aliis ecclesiarum praelatis, necnon Camerae praedictae praesidentibus clericis, ac eorum, necnon fabricae basilicae Prin-

cipis Apostolorum de Urbe ac Cruciatae sanctae et aliis collectoribus et subcollectoribus, ceterisque cuiuscumque dignitatis, status, gradus et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate et potestate fungentibus, sub excommunicationis maioris aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, ne universitates, collegia ac loca et legatarios, haeredes et personas, necnon testamentorum, voluntatum et ordinationum huiusmodi executores praedictos, directe vel indirecte, quovis quaesito colore vel ingenio molestare audeant quoquo modo vel perturbare.

Clausulae irritantes.

§ 10. Ac decernentes praedicta omnia et singula, praesentesque litteras, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommissa, legata ordinationes, derogationes, dispositiones et alia quaecumque, necnon quae in praemissis facta sunt aut fieri contigerit tam vigore praesentis quam etiam aliarum concessionum vobis factarum et deinceps in genere et in specie faciendarum, cum inde secutis et secuturis, etiamsi vos intra Curiam, aut in quacumque aliâ mundi parte extra ecclesias et beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per vos nunc et pro tempore obtenta, etiam pro vestrâ solâ voluntate et nullâ subsistente causâ non residendi, ab humanis decedere contigerit, sub litteris recolendae memoriae Pii Papae IV praedecessoris pariter nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos et alios praelatos, necnon parochialium ecclesiarum rectores, ceterosque residentiae personali praedictae adstrictos extra illam quomodocumque decedentes VII kalendas decembris pontificatus sui anno V, aut alio veriori tempore, emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus decretis, declarationibus apostolicis, Cancellariae Apostolicae regulis, ex quibuscumque causis quantumcumque maximis, urgentibus et inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei et divini cultus augumentum, ac consistorialiter etiam a nobis et Sede praedictâ hactenus vel nunc et pro tempore factis et editis, minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et, quoties emanata fuerint, toties in pristinum et validissimum statum, etiam sub posteriori datâ etiam cum derogationibus et clausulis etiam derogatoriis irritantibusque et aliis decretis per vos eligendâ apponendis et latissime specificandis, reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo concessa, validaque et efficacia fore, necnon perpetuâ firmitate subsistere, suosque plenarios et omnes effectus, quos de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodocumque sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, iurati, stipulati, validi et efficacis contractus inter vos ex unâ ac nos et Cameram praedictam ex alterâ partibus habere, nec etiam per promotionem ad[1] ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam status et personae vestrae mutationem cessare, nec per similes vel dissimiles gratias vobis concessas et concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus et per omnia uti, et, si quid in unâ ex facultatibus huiusmodi defecerit, per aliam suppleri deberi, nec haeredes, legatarios ac loca, ad quos, seu quae, bona, iura et actiones huiusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores praedictos, ad tertiam seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc vobis, ac locis, haeredibus, legatariis, ac donatariis praedictis liberaliter concedimus et donamus, Camerae vel fabricae aut

1 Male ed. Main. legit *aut* pro *ab* (R. T.).

beneficiis praedictis etiam pro expeditione contra infideles et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus, solvendum, ac cum iis desuper componendum, vel vos ad aliam particularem licentiam, sive indultum, aut confirmationem praesentium a nobis vel successoribus nostris Romanis Pontificibus petendum aut impetrandum, vel etiam in aliâ simili gratiâ seu confirmatione illius, vobis quomodocumque concedendâ, de praesenti mentionem aliquam faciendam ullatenus teneri, nec ad id ullâ unquam necessitate cogi posse; et sic in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et eiusdem S.R.E. cardinales, necnon pro tempore existentes dictae Camerae camerarium, praesidentes, et clericos, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Committitur praesentium executio.

§ 11. Quocirca venerabilibus fratribus nostris Ostiensi et Portuensi cardinalibus episcopis et dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quoties pro parte vestrâ desuper fuerint requisiti, solemniter publicantes, vobisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate nostrâ easdem praesentes litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observari, ac vos illis omnibus pacifice frui et gaudere; non permittentes vos per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari vel perturbari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super his habentes servatis processibus, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Obstantibus derogat.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii Papae VIII praedecessoris etiam nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in iudicium non trahatur, nec non Lateranensis Concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc aliàs derogare non intendimus, ac de consensu praestando in pensionibus, et quibusvis aliis etiam per nos et Sedem praedictam editis et in posterum edendis Cancellariae Apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recolendae memoriae Alexandri PP. VI pariter praedecessoris nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum Camerae praedictae deberi inter alia disponente, nec non eiusdem Bonifacii PP. VIII, per quam concessiones fructus in absentiâ percipiendi sine praefinitione temporis fieri prohibentur, ac Pii PP. IV praedecessoris etiam nostri de gratiis qualecumque interesse Camerae Apostolicae concernentibus in dictâ Camerâ intra certum tunc expressum tempus praesentandis et registrandis, ita quod praesentes in eâdem Camerâ nullo unquam tempore registrari facere teneamini, ac similis recordationis Urbani Papae VIII pariter praedecessoris nostri de pensio-

nibus aliàs translatis iterum transferendis, ac quorumvis aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon legibus etiam imperialibus et municipalibus, tam Urbis quam aliarum civitatum et locorum in quibus cives originarii creati existitis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, Ordinum et hospitalis praedictorum, necnon quorumvis collegiorum et officiorum dictae Curiae, et regnorum, provinciarum et Urbis ac aliarum civitatum et locorum ac Camerae praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, etiamsi de illis servandis et non impetrandis litteris apostolicis contra ea, nec etiam ab alio vel ab aliis impetratis aut aliàs quomodolibet concessis utendo, vos per vos vel procuratores vestros praestiteritis forsan hactenus vel vos in posterum praestare contigerit iuramentum, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, dictis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et hospitalibus, illorumque praesulibus, seu administratoribus et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus, etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus et locis, aliisque praedictis, ac illorum communitatibus et universitatibus, aliisque personis, etiam particularibus, necnon archiepiscopis, episcopis et aliis Ordinariis, etiam eisdem cardinalibus, ac dictae Curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum et onerum exactoribus et appaltatoribus et aliorum onerum redemptoribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores nostros, ac etiam nos et Sedem praedictam, etiam concistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti et constitutionis perpetuorum, ac motu et scientiâ similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione, in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis ac statutis et stabilimentis praedictis caveatur expresse vel tacite, quod Urbis nisi originariis civibus romanis ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres vel nobiles, ac etiam originarios cives, aut aliàs certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, et nulli in cives Urbis ac civitatum, oppidorum, terrarum et locorum huiusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint, quodque praeceptoriae et alia beneficia quaecumque dicti hospitalis tam ex eius institutione quam ex stabilimentorum praedictorum dispositione pensionibus clericis saecularibus et aliis personis etiam apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis et privilegiis praedictis, etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque litteras apostolicas et quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores et

insolitas clausulas, derogari non possit, nec derogatum censeatur nisi derogatio huiusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tum demum magistri et conventus praedictorum ad id accedat assensus, sintque litterae derogationis huiusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae, ac illi et praefato conventui per diversas in formâ Brevis aut alias litteras diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non aliàs nec alio modo, et semper in omnibus quae sic fient etiam de simili consilio derogationibus sit apposita clausula quod illarum effectum sortiantur de consensu magistri et conventus praedictorum, et non aliàs nec alio modo, quodque ipsi exactores et appaltatores decimas, pedagia et onera huiusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem seu contributionem cogere et compellere possint seu debeant; quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si[1] de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, in genere et in specie, ad effectum praesentium sufficienter et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus, quodque vos primam non feceritis in ecclesiis huiusmodi personalem residentiam consuetam; ceterisque contrariis quibuscumque.

Professio fidei ab eis emittenda.

§ 13. Volumus autem, quod, antequam gratiâ creationis in nostros et Sedis Apostolicae notarios vobis ut supra factâ perfrui valeatis, in manibus alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae professionem fidei iuxta articulos pridem a Sede praedictâ propositos expresse emittere et solitum fidelitatis iuramentum praestare omnino teneamini;

1 Particulam *si* nos addimus (R. T.).

Transumptis harum litterarum danda fides.

§ 14. Quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in iudicio et extra, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Exceptio.

§ 15. Ceterum volumus pariter atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis ac pensiones transferendi facultates a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quorum respective etiam familiares continui commensales erant, concessae fuerunt, praesentes litterae quoad facultates testandi de bonis et transferendi pensiones huiusmodi minime suffragentur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI augusti MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 augusti 1735, pontif. anno. VI.

---

## CLXVI.

*Revocatio et annullatio duarum epistolarum pastoralium bonae memoriae Francisci episcopi Pekinensis datarum die* VI *iulii et* XXIII *decembris* MDCCXXXIII *circa Ritus Sinenses editarum, reservatâ insuper S. S. et Sedi Apostolicae facultate aperiendi fidelibus illarum partium mentem suam super rebus huiusmodi materiam respicientibus.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Apostolicae sollicitudinis nobis divinitus commissae ratio nos admonet, ut ea, quae christianae religionis catholicaeque fidei propagationi ac incrementis quacumque ratione obsistere posse dignoscuntur, quantum nobis ex alto con-

ceditur, recidere ac e medio tollere studeamus.

Ex publicatione praedictarum pastoralium discordiae inter missionarios exortae sunt.

§ 1. Cum itaque, sicut ad apostolatus nostri notitiam pervenit, occasione binarum epistolarum, quas pastorales vocant, bonae memoriae Francisci, dum viveret, episcopi Pekinensis nuper defuncti, die VI iulii et XXIII decembris anni MDCCXXXIII circa ritus Sinenses editarum, graves in imperio Sinarum inter apostolicos illarum partium missionarios exortae fuerint dissensiones, quae uberes fructus, quos sancta mater Ecclesia ex assiduo operariorum in illam agri dominici partem missorum labore praestolatur, impedire aut morari possent:

Eas revocat Clemens.

§ 2. Nos, ut pristina inter eosdem missionarios pax et animorum concordia, sublatis quibusvis dissidiis, restituatur, de opportuno in praemissis remedio providere volentes, ac epistolarum praedictarum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et exacte specificatis habentes, de nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, qui iussu nostro epistolas ipsas sedulo ac diligenter examinarunt, consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, binas memorati Francisci episcopi Pekinensis epistolas pastorales praefatas, ac poenas et alia quaecumque in eis contenta, cum omnibus et singulis inde secutis et forsan quandocumque secuturis, penitus et omnino nulla, invalida et irrita, nulliusque prorsus roboris et momenti esse et perpetuo fore, tenore praesentium declaramus; et nihilominus ad maiorem cautelam, et quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus harum serie itidem perpetuo revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuas [1], ac pro revocatis, cassis, irritis, nullis, invalidis et abolitis, viribusque et effectu penitus et omnino vacuis semper haberi volumus: nobis insuper et Apostolicae Sedi reservantes facultatem christifidelibus in eodem regno degentibus aperiendi nostram et dictae Sedis mentem post maturam itidem habitam deliberationem super rebus quae huiusmodi materiam respiciunt.

Invalidationis firmitas.

§ 3. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos quomodolibet spectat et pro tempore quandocumque spectabit, praesertim vero archiepiscopis, episcopis, vicariis, provincialibus et missionariis apostolicis tam saecularibus, quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, Instituti et Societatis etiam Iesu regularibus in supradicto Sinarum regno nunc et pro tempore existentibus inviolabiliter et inconcusse observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praefatae nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscumque.

1 Aptius lege *vacuamus* (R. T.).

Huius declarationis transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI septembris MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 septembris 1735, pontif. anno VI.

---

## CLXVII.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo statuitur, presbyteros Congregationis S. Hippolyti in partibus Indiarum non posse habere in religione aliquam praelaturam.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Ex praescripto regulae unus tantum sacerdos esse debet.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum fratrum definitorii generalis Congregationis Charitatis sub titulo S. Hippolyti martyris in civitate Mexicanâ aliisque partibus Indiarum Occidentalium a felicis recordationis Innocentio Papa XII praedecessore nostro in religionem erectae, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum exposito, quod, cum per constitutiones dictae Congregationis fratrum auctoritate apostolicâ confirmatas caveretur illius fratres esse debere laicos, utpote deputatos assistentiae aegrotorum in hospitalibus degentium, et in unâquaque domo unum tantum ad presbyteratum promoveri posse, sed deinde compertum fuisset unum dumtaxat presbyterum spiritualibus necessitatibus hospitalium et aegrotorum huiusmodi non sufficere, die XXX septembris MDCCXXIX praefata Congregatio cardinalium, referente dilecto filio nostro Ludovico eiusdem S.R.E. cardinali Belluga et Moncada nuncupato, indulserat ut duo in singulis hospitalibus praedictis esse possent presbyteri, et in domibus matricibus tres, sub diversis tamen conditionibus: nimirum quod nullus promoveretur ad sacros ordines nisi saltem sex annos professionis in religione iuxta dictas constitutiones habuisset, et, ad effectum se promovendi ad presbyteratum, directe vel indirecte uti valeret intercessione seu mediatione alterius personae pro licentiâ a superiore vel definitorio generali dictae Congregationis obtinendâ, sed proponendus esset eidem superiori generali a superiore et capitulo conventualibus domus, cui de presbytero providendum veniret; ipsique superior et capitulum conventuales superiori et definitorio generali indicare deberent personas, quas huiusmodi gradum promereri crederent, et, si quispiam aliter ad presbyteratum promotus fuisset, suspensionem a divinis ipso facto incurreret, a qua nonnisi per Summum Pontificem pro tempore existentem absolvi posset; quodque in singulis conventibus nequirent esse plures quam duo presbyteri, exceptis domibus matricibus, ut praefertur, in quibus tres permittebantur, ita ut, si quis ultra hunc numerum ad presbyteratum promoveretur, si id eveniret ex propriâ culpâ, tamdiu suspensus remaneret, donec aliquis locus per obitum presbyteri vacaret; superiores vero, qui hoc permisissent, post expletum officium voce activâ et passivâ privati essent, presbyteri autem sacrosanctum missae sacrificium iuxta

intentionem prioris localis et obligationes communitatis illius domus celebrare et applicare, quatenus pro celebratione eiusmodi aliquam eleemosynam recepissent, illam tradere tenerentur ipsi priori locali, ubi missae celebrarentur, vel cui subesset ille qui extra conventum celebrasset, sub poenis adversus proprietarios inflictis; sicque promoti in omnibus observare deberent vitam regularem, et deferre coronam ad instar sacerdotum Ordinis sancti Ioannis Dei, nec valerent vel ad breve tempus aliquam praelaturam obtinere in religione, nisi ex dispensatione apostolicâ, sed tantum esse possent discreti conventuum, magistri novitiorum et assistentes provinciae; ac demum quod, si aliquis presbyter aegrotus in aliquo hospitali praedictae Congregationis fratrum ante obitum peteret admitti ad illius habitum regularem, posset dictus superior generalis cum suo definitorio dare licentiam alicui ex prioribus localibus eum admittendi, accedente consensu communitatis, quamvis in eâ domo iam duo, vel in matrici tres presbyteri extarent: cumque postmodum supradictae Congregationi cardinalium renunciatum fuisset in religione praefatâ non adesse provinciae assistentes, ipsa Congregatio cardinalium die XV martii MDCCXXXI, ad relationem memorati Ludovici cardinalis, rescripserat promotos ad sacros ordines non posse habere aliquam praelaturam in dictâ religione nisi ex apostolicâ dispensatione, sed tantum esse posse discretos conventuum et magistros novitiorum, non vero provinciae assistentes:

Statutum tamen ut huiusmodi presbyteri nonnisi conventuum discreti esse possint et magistri novitiorum.

Sed contra repositum.

Et in eâdem expositione subiuncto, quod nec praefatum officium discretorum conventuum in praedictâ Congregatione fratrum reperiretur, ut constat ex praedictis constitutionibus num. XIII, ubi, enumeratis officiis minoribus quarumlibet domorum, nihil de hisce discretis habetur propterea[1], quod presbyteri esse valeant magistri novitiorum, contrarium videretur constitutionibus praefatis, utpote in quibus sub numero XII referuntur omnia officia eiusdem religionis conferenda in capitulo generali, inter quae quidem recensetur illud magistri novitiorum, sed cap. IV dictarum constitutionum declaratur presbyteros in eodem capitulo generali solum frui posse voce activâ, quatenus ob antianitatem eis competat, minime vero voce passivâ, ac propterea promoveri nequeunt ad officia ipsius religionis, et, postquam aliqua officia ibidem enumerata sunt, nempe fratris maioris, consiliarii, procuratoris generalis et fratris localis, subditur quod neque promoveri possint ad officia maiora religionis praefatae, quod de dicto officio magistri novitiorum, utpote inter officia eiusdem religionis supra recensito, utique verificari debet; accedente insuper, quod praedicto cap. IV praescribatur ut presbyteri administrent sacramenta aegrotantibus, et ex causâ huius spiritualis assistentiae infirmis exhibendae perspectum fuerit eos eximendos esse ab aliis officiis, ne illa exercentes a praecipuo eorum circa aegrotos munere deficiant; officium autem magistri novitiorum eos[2] assidue occupatos[3] detineret in rectâ eorumdem novitiorum institutione, unde propemodum impossibile esset, ut, curam gerens dictorum novitiorum, debitam aegrotis assistentiam praebere posset; sicque a spiritu dictarum constitutionum alienum dignoscatur ut presbyteris praefatis officium magistri novitiorum exercere liceat:

Petitio.

Ac proinde praedictae Congregationi cardinalium, nomine fratrum definito-

1 Legerem *praeterea* (R. T.).
2 Potius lege *eum* (R. T.).
3 Cohaerenter lege *occupatum* (R. T.).

rii generalis huiusmodi, supplicato ut decernere vellet quod presbyteri religionis praedictae nequeant esse neque discreti conventuum, neque magistri novitiorum, sed quoad ipsos, circa facultatem obtinendi gradus, servetur id quod in supradictis constitutionibus a Sede Apostolicâ approbatis praescribitur:

Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis episcoporum et regularium hac super re.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, referente eminentissimo domino cardinali Belluga ponente, re mature perpensâ, praevio recessu a decisis sub die XV martii MDCCXXXI, iterum decrevit quod promoti ad sacros ordines nequeant habere in religione, neque ad breve tempus, aliquam praelaturam, nisi cum apostolicâ dispensatione, nec esse possint assistentes provinciae nec magistri novitiorum, sed dicti sacerdotes primi advocentur pro consilio in omnibus congregationibus et coadunationibus faciendis in singulis conventibus. Romae XXIII iulii MDCCXXXV. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS. — C. archiepiscopus Calcedonensis, secretarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatur.

§ 2. Cum autem, sicut supradicti fratres definitorii generalis nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et exactius servetur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorumdem exponentium nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inconcusse observari, eisque respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis fratrum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 7 octobris 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS. - P. L. JACQUET.

# CLXVIII.

*Confirmatio decreti particularis Congregationis cardinalium, quo resolvuntur nonnulla dubia super reformatione constitutionum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, necnon super quibusdam aliis exortis quaestionibus occasione earumdem constitutionum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

A Congregatione nonnullorum cardinalium emanatum decretum, § 1. Nuper a particulari Congregatione nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus emanavit, super reformatione constitutionum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo, necnon super quibusdam aliis exortis quaestionibus occasione earumdem constitutionum, a nobis deputatâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Quo statutum, In Congregatione a sanctissimo domino nostro deputatâ eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Petra, Gotti, Guadagni, Spinelli et Del Giudice pro reformatione constitutionum Ordinis S. Mariae de Monte Carmelo, necnon super quibusdam aliis exortis quaestionibus occasione earumdem constitutionum, habitâ die XXIV aprilis MDCCXXXV, in qua interfuerunt iidem eminentissimi et reverendissimi domini, propositum fuit:

I. An prior provincialis provinciae romanae possit exercere iurisdictionem in conventibus S. Martini ad Montes, S. Mariae in Transpontinâ, et S. Antonii civitatis Praeneste;

Priorem provincialem provinciae Romanae non habere iurisdictionem super conventibus hic expressis. Et resolutum fuit, supradictos conventus esse quidem in provinciâ romanâ, non tamen de provinciâ, ac proinde nullam in iisdem conventibus posse provincialem exercere iurisdictionem: hocque esse inserendum in novâ compilatione constitutionum.

II. An et qui magistri existentes in dictis conventibus, licet sint alterius provinciae, possint gaudere iure suffragii in capitulis provincialibus eiusdem romanae provinciae;

In capitulis provincialibus provinciae Romanae ius suffragii qui habeant. Et resolutum fuit, firmâ remanente dispositione constitutionum quoad magistros exteros aliosque qui in provinciis a romanâ distinctis degentes iure suffragii gaudent in huiusmodi capitulis provincialibus, esse tamen easdem constitutiones reformandas quoad provinciam romanam; scilicet quod in eius capitulis provincialibus iure suffragii frui possint dumtaxat prior generalis, unâ cum eius secretario sive socio ab eo nominando, et procurator generalis, magistri provinciae romanae quamvis in supradictis tribus conventibus commorentur, necnon priores eorumdem conventuum et lector Sapientiae, ac regens Transpontinae, ita tamen ut hi quinque postremi vocales teneantur solvere taxam consuetam pro capitulo provinciali; votum autem in definitorio provinciali non habent nisi solum pater generalis cum socio et procurator generalis.

III. An sociis generalibus competit ius suffragii in capitulo generali tantum, seu potius etiam in definitorio generali;

Sociis generalibus ius suffragii competere in capitulo et definitorio generali. Et resolutum fuit competere tam in capitulo quam in definitorio generali.

IV. An iisdem sociis generalibus competat etiam praeeminentia in religione;

Iisdem sociis quando competat praeeminentia. Et resolutum fuit non competere, nisi quando sunt in actuali exercitio muneris, sive scilicet in actu visitationis, sive in capitulo et definitorio generali, sive in quibuscumque aliis peragendis occasione muneris ipsis demandati in Brevi felicis recordationis Benedicti PP. XIII; extra tamen hos casus praeeminentiam in religione ipsis competere iuxta antianitatem professionis et gradus; atque ita et non aliter statui debere in novâ compilatione constitutionum: modernis autem sociis, attentâ possessione, esse ex gratiâ concedendam praeeminentiam in religione usque ad exitum officii. Pro quorum omnium confirmatione esse supplicandum Sanctissimo.

Et factâ per eminentissimum et reverendissimum dominum cardinalem Spinelli de praedictis relatione Sanctissimo in audientiâ habitâ die XXV aprilis MDCCXXXV, Sanctissimus omnia benigne approbavit, nec[1] iuxta eorum tenorem novas consti-

[1] Videtur legendum *necnon* (R. T.).

tutiones reformari mandavit; addito[1] etiam quod ex-socii generales, licet Romae degant et sint conventuales vel in conventu S. Martini vel S. Mariae in Transpontinâ, adhuc tamen iure suffragii non gaudeant in electione vicarii generalis, mortuo, amoto vel promoto patre generali. — V. card. PETRA, F. V. L. card. GOTTI Ordinis Praedicatorum, F. I. A. card. GUADAGNI, I. card. SPINELLUS, N. card. IUDICE.

Ita reperitur in regestro autographo decretorum sacrae Congregationis episcoporum et regularium quod asservatur in Secretariâ eiusdem. In fidem, etc., hac die II iunii MDCCXXXV. — IOSEPH MARIA archiep. Damascenus, pro-secretarius.

Petita horum decretorum apostolica confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis eiusdem Ordinis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret:

Conceditur.

§ 3. Nos, specialem ipsi procuratori generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, et omnia et singula in eo contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Eorumdem firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubicumque locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX decembris MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 decembris 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERUS.

1 Male ed. M. legit *audito* pro *addito* (R. T.).

## CLXIX.

*Extensio indulti circa subsidia dotalia puellis conservatorii* delle Zoccollette *nuncupatis distribui solitis.*

**Clemens Papa XII,
ad perpetuam rei memoriam.**

Septem dotalia his puellis dantur quotannis.

§ 1. Cum, sicut accepimus, iam inde a tempore pontificatus felicis recordationis Clementis PP. XI praedecessoris nostri, puellis conservatorii Ss. Clementis et Crescentini vulgariter *delle Zoccollette* in regione Regulae nuncupatis de Urbe annua septem subsidia dotalia unâ cum vestibus dari solitis assignata fuerint, quatuor scilicet ex *carcarasiis* etiam nuncupatis per capitulum et canonicos basilicae S. Petri, et reliqua tria ex aliis subsidiis dotalibus per archiconfraternitatem Annunciationis Beatae Mariae Virginis in ecclesiâ eiusdem S. Mariae super Minervam de Urbe praefatâ erectam quotannis distribui solitis; dictaeque puellae, ad subsidia huiusmodi a nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis elemosynario secreto, qui eiusdem conservatorii superior seu praelatus existit, itidem pro tempore unâ cum deputatis nominatae, processionibus aliisve publicis functionibus occasione distributionis eiusmodi subsidiorum fieri consuetis, non sine earum incommodo antehac interesse debuerint; septem vero dumtaxat subsidia praefata haud satis esse dignoscantur prae ingenti numero puellarum pro tempore pariter degentium in dicto conservatorio, quod, cum institutum fuerit pro puellis periclitantibus, quarum pudicitiae nemo esset qui curam haberet, ac perpaucae admodum nubant, aditus seu ingressus in idem conservatorium aliis puellis similiter periclitantibus praecludatur:

Modus illorum distribuendorum.

§ 2. Nos, pium institutum huiusmodi, quantum cum Domino possumus, adiuvare, puellasque praefatas, quo facilius statui suo consulere valeant, specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, ac illarum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, necnon quarumdam recolendae memoriae Innocentii PP. XII praedecessoris quoque nostri favore puellarum alterius conservatorii sub titulo Divinae Providentiae de eâdem Urbe in simili formâ Brevis die VI martii MDCXCIV expeditarum litterarum, ac testamentorum et aliarum dispositionum quorumcumque testatorum et piorum largitorum tenores, et alia quaecumque etiam specificam et individuam mentionem et expressionem requirentia, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus: quod deinceps perpetuis futuris temporibus, in destinatione et assignatione septem subsidiorum dotalium puellis supradicti conservatorii Ss. Clementis et Crescentini pro tempore faciendâ, modus et forma, in dictis litteris Innocentii praedecessoris pro distributione eiusmodi subsidiorum puellis memorati conservatorii sub titulo Divinae Providentiae praescripti, in omnibus et per omnia serventur, itaut puellae primodicti conservatorii, ad aliquod ex eisdem septem subsidiis dotalibus per dictum elemosynarium secretum et deputatos pro tempore nominatae, nullatenus a praefatis capitulo et canonicis dictaeque archiconfraternitatis officialibus et

ministris de cetero visitentur, nec processionibus aliisque publicis functionibus praefatis interesse teneantur, sed, intra ipsum conservatorium, sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumere, aliaque pia opera, sive a dictorum capituli et archiconfraternitatis statutis, sive a quorumvis testatorum et piorum largitorum, qui eadem subsidia praestari mandarunt, dispositionibus iniuncta, adimplere possint et debeant; puellaeque sic nominatae ex iustâ et rationabili causâ per eumdem elemosynarium secretum mutari seu variari valeant; ac subsidia illa, quae ob mutationem seu variationem eiusmodi, vel puellarum quibus destinata fuerant obitum ante matrimonium vel monachatum secutum, sive ob cessionem seu renunciationem ab eis factam, eo quod e praedicto conservatorio discedere noluerint, aut aliàs, effectum suum sortita non fuerint, aliis puellis eiusdem conservatorii per ipsos elemosynarium secretum et deputatos pariformiter nominandis assignentur; nec ista in eorum numero, quae eisdem puellis quotannis assignari debent, ut praefertur, computari, sed alia subsidia novaeque cedulae eorum promissoriae a supradictis capitulo et canonicis dictaeque archiconfraternitatis officialibus et ministris, ad favorem aliarum puellarum eiusdem conservatorii per eosdem elemosynarium secretum et deputatos sicut praemittitur subrogandarum seu nominandarum[1], ipsique elemosynario, modo et formâ praedictis, consignari debeant.

Idem modus in aliis quoque dotalibus subsidiis servandus.

§ 3. Porro praemissa omnia et singula locum quoque habere, ac observari volumus et mandamus, quoad quaecumque alia subsidia dotalia quae puellae primodicti conservatorii a capitulo et canonicis ac archiconfraternitate praefatis, ultra praefixum numerum septenarium huiusmodi, vel a quibusvis aliis archiconfraternitatibus, confraternitatibus, societatibus, communitatibus, ecclesiis, collegiis, oratoriis, hospitalibus, capitulis, locis piis, ac etiam privatis personis quomodolibet iam obtinuerunt, seu quandocumque obtinuerint. Praeterea puellis eiusdem conservatorii Ss. Clementis et Crescentini, utpote in regione Regulae ut praefertur positi, quod ad subsidia dotalia puellis dictae regionis a testatoribus piisque largitoribus destinata seu relicta, ab iis ad quos eorum distributio pertinet, unâ cum aliis puellis eiusdem regionis admitti et imbussulari debeant, illaque consequi et obtinere libere et licite possint et valeant, perinde ac si in dictâ regione natae, ceterisque qualitatibus ad illa consequenda requisitis, quas sola permanentia in dicto conservatorio supplere itidem statuimus, praeditae forent, auctoritate et tenore praefatis concedimus et indulgemus.

Praesentis statuti firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac puellis dicti conservatorii Ss. Clementis et Crescentini in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus quorumcumque testatorum ac piorum largitorum praefatorum etiam ultimis voluntatibus et

1 Videtur deesse *assignari et expediri* (R.T.).

dispositionibus, quas propter praemissa sufficienter et expresse commutamus, ac quibusdam eiusdem Clementis praedecessoris in pari formâ Brevis litteris facultatem eligendi ac visitandi puellas praefatas ratione quatuor subsidiorum *carcarasiorum* nuncupatorum ipsis capitulo et canonicis attribuentibus, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, et manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Exceptio.

§ 7. Ceterum non intendimus per easdem praesentes litteras supradictum conservatorium in aliquo approbare.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCCXXXV, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 20 decembris 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXX.

*Dismembratio officii criminalis ab officiis civilibus notariorum tribunalis eminentissimi almae Urbis vicarii, et eiusdem respective nova erectio, nec non confirmatio facultatum dicti eminentissimi vicarii procedendi tam in Urbe quam in suburbiis et districtu in causis omnibus civilibus et criminalibus et mixtis, mere laicalibus et profanis, et inter mere laicos, ad instar aliorum Romanae Curiae iudicum ordinariorum.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Romanus Pontifex, providus iustitiae vindex, ex debito apostolicae sibi ex alto commissae sollicitudinis munere libenter intendit ad ea, per quae iustitia ipsa ubique locorum, praesertim in almâ Urbe nostrâ, ab expertis probisque administrata viris, debitum sibi exigat cultum, illumque sic exigens, morum consulat probitati, ac criminum obsit pravitati; et, ut pravitas ipsa attentius detegatur, detectaque sibi debitas experiatur poenas, vetera separat et nova erigit actorum criminum aequâ lance existimandorum loca, aliaque desuper opportuna decernit, prout ad eliminandam pravitatem huiusmodi conspicit in Domino salubriter expedire.

Benedictus XIII statuit quolibet decennio deputandum esse aliquem cardinalem ad visitanda Urbis tribunalia.

§ 1. Exposuit siquidem nobis nuper dilectus filius noster Ioannes Antonius tituli Ss. Silvestri et Martini in Montibus nuncupati de Urbe S. R. E. presbyter cardinalis Guadagni nuncupatus, noster secundum carnem ex sorore germanâ nepos, nosterque in Urbe praefatâ eiusque districtu vicarius in spiritualibus generalis, quod aliàs felicis recordationis Benedictus Papa XIII, praedecessor noster, ad promovendum Romanae Cu-

riae tribunalium bonum, per suam constitutionem quae incipit *Summi apostolatus officium*, statuit et decrevit, quod, ad litigantium indemnitati et solatio consulendum, singulis decenniis per successores suos Romanos Pontifices pro tempore existentes unus ex eiusdem S. R. E. cardinalibus deligeretur, qui iudiciarias Romanas Curias (sub certis modo et formâ, ac cum plenâ et liberâ facultate faciendi, gerendi, corrigendi, exequendi et exequi faciendi omnia et singula quae ad earumdem curiarum, aut alicuius earum, illarumque officiorum notariatuum, notariorum, cursorum et mandatariorum correctionem, si qua opus esset, et pauperum litigantium iuvamen nec non decretorum et sanctionum super dictarum Curiarum regimine editarum implementum pertinentia[1]) apostolicâ auctoritate visitaret; et ut visitatio huiusmodi omniaque in eâ gerenda celeriorem et propitiorem[2] sortirentur executionem, eidem cardinali visitatori, sic ut praefertur electo, ut ipse quaecumque mandata et vivae vocis oracula accepta debitae executioni demandari, eisque firmiter et plene obtemperari facere, aliosque convisitatores, iurisperitos, praelatos aut forenses et curiales viros, qui votum consultivum in casibus et rebus ex praefati cardinalis visitatoris arbitrio pendentibus haberent, sibi eligi libere et licite valeret, licentiam eâdem apostolicâ auctoritate concessit et indulsit; et aliàs, prout in praefatâ constitutione, sub datum pridie nonas februarii eiusdem Benedicti praedecessoris pontificatus anno II expeditis[3], plenius continetur.

1 Videretur potius legendum *pertinerent* vel *pertinentia iudicaret* (R. T.).

2 Forsan *promptiorem* (R. T.).

3 Potius lege *expeditâ* (R. T.).

Vicarius Urbis hanc sibi visitationem demandari petit respectu sui tribunalis.

§ 2. Propterceaque dictus Ioannes Antonius cardinalis et vicarius noster, in sui vicariatus exordio, prout circumspectum decet praesidem, suum vicariatus tribunal curiamque, ad incorruptae iustitiae normam sancte custodiendam, et ad evellenda, si qua reperirentur in iis, absurdorum zizania, visitare cupiens, iustitiamque sitiens, et proxime futuri decennii moras pati nesciens, apud nos humiliter enixeque institit, quatenus sibi, ut ipse per dilectum filium magistrum Ferdinandum Mariam de Rubeis in utrâque signaturâ nostrâ referendarium, virum doctrinâ rerumque experientiâ satis praeditum satisque commendabilem, dictique Ioannis Antonii cardinalis locumtenentem, universam sui vicariatus curiam, cum omnibus et singulis praefatis aliisque ad id necessariis et opportunis facultatibus, visitare facere libere et licite valeret, concedere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Data facultate visitavit.

§ 3. Nos igitur, expositis praefatis hilari paternoque a nobis acceptis exauditu eisque laudatis in Domino benigne inclinati, petitam licentiam cum omnibus et singulis tam in Benedicti praedecessoris constitutione praefatâ (quam hîc pro expressâ ac de verbo ad verbum nihil penitus omisso haberi volumus pro insertâ) cardinali visitatori generali eligendo praefato quomodolibet concessis, quas ad eumdem Ioannem Antonium cardinalem vicarium extendimus, quam aliis quibuscumque facultatibus ad id necessariis et opportunis, apostolicâ auctoritate praefatâ impartiti fuimus.

Notarius vicarii Urbis lites tum civiles tum criminales amplectabatur.

§ 4. Et licet ex visitatione a praefato magistro Ferdinando Maria laudabiliter attenteque peractâ quamplura ad debitum iustitiae in vicariatus tribunali decorem evenerint bona a nobis

excepta laudataque, nihilominus, pro eo quod quatuor dicti vicariatus Curiae notariatuum officiis, ab Eugenio IV, Alexandro VI et Sixto V Romanis Pontificibus eorum apostolicâ auctoritate erectis, quae vacabilia existunt, in eorumdem officiorum respective erectione tam civilium quam criminalium causarum cognitio concessa fuit, ex permixtâ causarum huiusmodi cognitione assignatâ criminales causae sic civilibus permixtae vigilem illam, quae eas decet et quam ad procurandum publicum iustitiae morumque probitatis bonum exigunt, indaginem difficilius obtinent.

Satius ducitur materias huiusmodi secernere, et unum notariatum pro causis criminalibus tantum erigere.

§ 5. Et attendentes quod, si criminalium causarum cognitio a causarum civilium cognitione, ut infra, a nobis (et prout, sicut etiam accepimus, in providis praefati Benedicti praedecessoris, dilecto etiam filio nostro Vincentio tituli S. Honuphrii eiusdem S.R.E. presbytero cardinali Petra nuncupato tunc visitatore generali existente id sibi consulente, fuit votis) ab eisdem quatuor officiis praefatis perpetuo, ut infra, dismembraretur [1], eâque sic dismembratâ, unum novum notariatus officium criminale nuncupandum pro causis criminalibus eiusdem vicariatus tribunalis inibi describendis et agendis, ut infra, erigeremus et institueremus, ex dismembratione, erectione et institutione a nobis ut infra faciendis huiusmodi causae criminales inibi debito promoverentur studio, et morum pravitas debitas sibi lueret poenas, et tueretur honestas:

Quatuor notariis vicarii prohibetur in causis criminalibus se ingerere.

§ 6. Nos igitur, ex providâ nostri pastoralis officii curâ laudabilibus dicti Ioannis Antonii cardinalis vicarii erga bonum causarum criminalium in eius tribunali promovendum votis benigne annuere volentes, motu proprio et ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, a quatuor notariatuum praedictorum officiis, et eorum quolibet, omnem et quamcumque facultatem quomodolibet scribendi et agendi in quibuscumque causis criminalibus ad dictum vicariatus tribunal quomodolibet spectantibus, eis et eorum cuilibet ab Eugenio, Alexandro et Sixto praedecessoribus praefatis respective in eorum respective erectione quomodolibet concessam, perinde ac si eis et eorum cuilibet nunquam concessa fuisset, sine tamen reliquarum aliarum quarumcumque facultatum ac quorumcumque privilegiorum ac indultorum scribendi et agendi in causis aliisque actis civilibus eis et eorum cuilibet a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris per eorum respective litteras apostolicas seu in formâ Brevis (quarum quidem litterarum respective tenores eisdem praesentibus similiter pro expressis haberi volumus) apostolicâ auctoritate quomodolibet concessarum (quibus nunc fruuntur et gaudent, et quodlibet eorum fruitur et gaudet, ac quas et quae omnia eis et eorum cuilibet per easdem praesentes eâdem apostolicâ auctoritate approbamus, confirmamus et innovamus, ac, quatenus opus sit, de novo concedimus) praeiudicio (attento etiam quod quatuor officiorum praefatorum, quae, ut praefertur, vacabilia existunt, vacabilitate in huiusmodi modicâ eorum detrimenti parte peropportune consultum existit), apostolicâ auctoritate perpetuo dismembramus, auferimus, delemus, penitusque abolemus.

Novum notariatum pro causis criminalibus instituit.

§ 7. Eâque a nobis per praesentes sic dismembratâ, ablatâ, penitusque abolitâ, unum novum notariatus dictae

1 Male ut puto edit. Main legit *dismembraremus* (R. T.).

vicariatus Curiae officium criminale nuncupandum, ad instar aliorum notariatuum criminalium officiorum Romanae Curiae, quod non vacabile existat, cum omnibus et singulis facultatibus, licentiis ac privilegiis quibus cetera Romanae Curiae notariatuum officia gaudent, ac cuius dispositio ad Ioannem Antonium nostrum et ad pro tempore existentis Romani Pontificis cardinalem vicarium spectet et pertineat, pro uno notario a nostro nunc et pro tempore existentis Romani Pontificis cardinali vicario deputando, qui, privative quoad reliquos alios vicariatus Curiae praefatae notarios, quoscumque processus super causis criminalibus ad vicarii Curiae huiusmodi tribunal spectantibus formare et instruere sciat et valeat ac debeat et teneatur (cum hoc tamen quod nullo modo nulloque praetextu aut quaesito colore in quavis causâ civili ad quemlibet notariorum civilium vicariatus Curiae praefatae[1] se ingerere praesumat, et, si se ingerere praesumpserit, sui notariatus officio privatus existat eo ipso, omnesque et singuli actus, ab eo in causâ civili per eum quomodolibet gesti, in iudicio et extra illud, existant nulli et invalidi, nulliusque roboris et momenti, prout ex nunc per easdem praesentes semper fore et esse decernimus et declaramus), apostolicâ auctoritate perpetuo erigimus et instituimus.

Novum officium liberae dispositioni vicarii Urbis reservatur.

§ 8. Illudque, sic erectum et institutum, omnimodae liberaeque dispositioni, auctoritati et iurisdictioni nostri et Romani Pontificis pro tempore existentis vicarii (ita quod sibi illud locare, dislocare, arrendare, in administrationem concedere, omniaque et singula emolumenta ex eo quomodolibet provenientia in ipsius notariatus officii criminalis nuncupati, a nobis per praesentes erecti, ministrorumque et inservientium manutentionem, et, si quae, detractis manutentione huiusmodi aliisque expensis, superfuerint, in dicti notariatus officii a nobis per praesentes erecti huiusmodi aliosque pios usus pro eius libero providoque arbitrio convertere, nostrâ vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ, liceat[1]) eâdem apostolicâ auctoritate perpetuo subiicimus et subiectum esse volumus.

Praesenti vicario confirmantur facultates aliàs ei concessae a Pontificibus, ac praesertim a Benedicto XIII.

§ 9. Ac insuper cupientes quod praefatus Ioannes Antonius cardinalis vicarius omnimodam liberamque sui vicariatus tam in Urbe praefatâ quam in eius districtu in civiles et criminales causas ad eum quomodolibet spectantes cumulativam cum omnibus aliis iudicibus ordinariis Urbis iurisdictionem pacifice exercere valeat, sibi[2] omnes et singulas facultates cardinali Romani Pontificis vicario pro tempore existenti concessas a pluribus Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, praesertim a Clemente X, Innocentio XIII, et a praefato Benedicto per suum motum proprium desuper editum tenoris sequentis, videlicet:

Benedicti XIII Breve.

« *Benedictus episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.* In supremo apostolatus solio[3], meritis licet imparibus, divinâ dispositione constituti, ex incumbenti nobis pastoralis officii debito ad ea libenter intendimus, per quae almae Urbis nostrae prospero statui et felici directioni opportune consulitur; et propterea, ea quae desuper a praedecessoribus nostris Romànis Pontificibus provide facta fuisse comperimus, partim approbamus et confirmamus,

2 Videtur deesse *pertinente* (R. T.).

1 Verbum *liceat* nos addimus (R. T.).

2 Ex continuatione syntaxis post sequentem Benedicti XII constitutionem, pronomen *sibi* redundare dignoscitur (R. T.).

3 Confer tom. XXII, pag. 81 (R. T.).

partim vero, aliis iustis causis ita suadentibus, alteramus et immutamus, ac facultates et iurisdictiones etiam de novo concedimus et indulgemus, aliasque eiusdem officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout, rerum, temporum et personarum, illarum praesertim quas in partem apostolicae sollicitudinis evocavit Altissimus, qualitate pensatâ, conspicimus in Domino salubriter expedire. Sane, cum, sicut accepimus, aliàs felicis recordationis Innocentius Papa XIII praedecessor noster officium vicariatus almae Urbis nostrae, tunc suae, et illius suburbiorum et districtus (quod etiam aliàs piae memoriae Paulus Papa IV etiam praedecessor noster pro uno ex S. R. E. cardinalibus, qui illud per pro tempore existentem Romanum Pontificem sibi concessum[1] absque dispensatione apostolicâ ad eius vitam obtineret, et per se ipsum, seu ab eo deputatos vicesgerentem et suffraganeum, ac in civilibus et criminalibus locumtenentes, exerceret, de fratrum suorum consilio et communi consensu erexit et instituit, prout in erectione et institutione huiusmodi, et seu forsan desuper confectis litteris plenius continetur, quodque aliàs bonae memoriae Ioannes Dominicus tituli S. Anastasii eiusdem S. R. E. presbyter cardinalis Parracianus nuncupapatus, etiam dum viveret, obtinebat), per obitum dicti Ioannis Dominici cardinalis, qui apud Sedem Apostolicam debitum naturae persolverat, vacans, ad prosperum et felicem statum dictae Urbis in spiritualibus dirigendum sollicitis studiis intendens, ad venerabilem fratrem nostrum, tunc suum, Fabritium eiusdem S.R.E. cardinalem Paulutium nuncupatum tunc episcopum Albanensem, ob eximiae circumspectionis industriam, cognitam bonitatem, singularem integritatem, atque prudentiam, fidei ac iustitiae zelum, et in magnis et arduis praefatae S. R. E., cuius honorabile membrum existit, negotiis experientiam comprobatam, necnon alia multiplicium virtutum bona, quibus eius personam illarum largitor Altissimus insignivit, direxerit[1] oculos suae mentis, certam in Domino spem habens quod idem Fabritius cardinalis, gratiâ ei assistente divinâ, officium ipsum summâ cum prudentiâ, fidelitate et diligentiâ exercuisset, motu suo proprio, non ad eiusdem Fabritii cardinalis vel alterius pro eo eidem Innocentio praedecessori super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione suis, deque apostolicae potestatis plenitudine, officium praefatum, sic vacans, eidem Fabritio cardinali per eum, quoad viveret, aut vicesgerentem et suffraganeum, necnon locumtenentem seu locumtenentes suum vel suos exercendum, cum omnibus et singulis privilegiis, facultatibus, praerogativis, praeeminentiis, immunitatibus, exemptionibus et iurisdictionibus, necnon honoribus et oneribus, iuribus[2] et emolumentis solitis et consuetis, quibus alii, qui[3] in dictâ Urbe, suburbiis et districtu praedictis vicarii in spiritualibus Romanorum Pontificum praedecessorum pro tempore fuerant, uti, potiri, frui et gaudere potuerunt, seu etiam debuerunt, auctoritate apostolicâ concesserit et assignaverit; et aliàs, prout in dicti Innocentii praedecessoris in formâ Brevis sub annulo Piscatoris desuper expeditis litteris etiam plenius continetur: et subinde, singularum dictarum litterarum aliorumque praemissorum tenores etiam veriores ac datas, necnon a-

1 Edit. Main. legit *concessam* (R. T.).

1 Ex syntaxis ratione leg. *dirigens* (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *iudicibus* pro *iuribus* (R. T.).

3 Vocem *qui* nos addimus (R. T.).

lias dicti officii vicariatus facultates, si quae essent, pro expressis habens, antedictas officii vicariatus huiusmodi concessionem et assignationem motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus confirmaverit et approbaverit, ipsumque Fabritium cardinalem in suum et Urbis ac suburbiorum et districtus praefatorum vicarium, necnon Romanae Curiae iudicem ordinarium denuo assumpserit, constituerit et deputaverit, curam, regimen et administrationem, liberumque exercitium officii huiusmodi ei[1] plenarie committendo cum potestate omnia et singula faciendi, gerendi, disponendi, ordinandi, mandandi et exequendi, quae ad huiusmodi vicariatus officium de iure, stylo, consuetudine, aut aliàs quomodolibet pertinere dignoscebantur, et quae omnes alii vicarii Urbis, eiusque suburbiorum et districtus, de iure, stylo et consuetudine, vel alio quocumque modo et titulo dicere, facere, ordinare, mandare et exequi potuerant et debebant, ac etiam vigore omnium et quorumcumque indultorum, facultatum et privilegiorum per felicis recordationis Paulum II, Clementem VII, Paulum III, Iulium item III, Pium IV, Pium V, Clementem VIII, aliosque Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, concessorum ante litteras piae memoriae Pauli Papae V etiam praedecessoris nostri, tunc sui, sub datum kalendas martii anno Incarnationis dominicae MDCXI super reformatione tribunalium Urbis editas, cum declarationibus tamen et reformationibus contentis in litteris praedicti Pauli Papae V (iuxta quas, et respective ad eum statum in quo erant ante easdem litteras praefati Pauli V, etiam felicis recordationis Innocentius Papa XII, similiter praedecessor noster, tunc dicti Innocentii XIII, in suis litteris super suppressione, abolitione et abrogatione tribunalium et iudicum Urbis ex privilegiis constitutorum editis et expeditis XV kalendas octobris anno eiusdem Incarnationis dominicae MDCXCII, facultates, privilegia et indulta, vicario pro tempore existenti dictae Urbis eiusque districtus per praefatos et alios etiam posteriores Romanos Pontifices concessa, in iudicialibus dumtaxat reduxit seu reformavit), quas quidem constitutiones praedecessorum huiusmodi, omniaque et singula indulta, facultates et privilegia ut praefertur officio vicariatus huiusmodi et vicariis praefatis in iudicialibus concessa, et ad statum praefatum redacta, quarum et quorum[1] tenores idem Innocentius XIII praedecessor pro plene et sufficienter expressis et insertis habens, salvas et salva esse, ac in suo firmitatis robore permanere declaravit, voluit et mandavit; necnon illas[2] et illa, pro potiori cautelâ, apostolicâ auctoritate approbaverit, confirmaverit et innovaverit, eisdemque modis et formis, quibus ab ipsis praedecessoribus suis emanarunt, similibus auctoritate et tenore de novo perpetuo concesserit et indulserit, firmis quoque et illaesis remanentibus aliis indultis, privilegiis et facultatibus iudicialia non respicientibus eidem pro tempore existenti vicario et vicariatus officio quandocumque etiam post dictam reformationem praefati Pauli V praedecessoris concessis et reformatis et quomodolibet competentibus; ipsumque Fabritium cardinalem in praefatâ Urbe eiusque suburbiis et districtu vicarium in praemissis et circa praemissa, seu quodlibet[3] ipsorum, competentem iudicem

1 Edit. Main. legit *vel* pro *ei* (R. T.).

1 Legerem *earum et eorum* (R. T.).

2 Male in loc. parall. tom. XXII, pag. 83 *b* legimus ex Main. *alias* pro *illas* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *quolibet* (R. T.).

et executorem motu, scientiâ et auctoritate paribus declaraverit et constituerit et deputaverit; et, ut officium praefatum idem Fabritius cardinalis melius et liberius prosequi valeret, motu pari deque scientiâ et potestatis plenitudine similibus, mandaverit omnibus et singulis, ad quos spectat, cuiuscumque status, dignitatis, ordinis, gradus vel conditionis existerent, quatenus in exequendis iis, quae ad officium eius praefatum et iurisdictionem pertinere noscebantur, omnibus possibilibus auxiliis, consiliis et favoribus opportunis[1] assisterent, eique pariter obedirent prout ipsi Innocentio XIII praedecessori; dictoque Fabritio cardinali litteras praefatas in omnibus et per omnia suffragari debere, illasque et in eis contenta quaecumque sub quibusvis similium vel dissimilium facultatum et gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus nullatenus comprehendi, nec per eas immutari, suspendi, limitari, moderari, aut ad terminos iuris reduci posse, sed perpetuo validas et efficaces fore et esse, et, quidquid illarum vigore a dicto Fabritio cardinali gestum, statutum, factum, mandatum, indultum et executum foret, perpetuam iuris et roboris firmitatem obtineret, et nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis dicti Innocentii XIII praedecessoris vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel ad terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari[2], ac omnes et singulos processus, sententias, quos et quas per quoscumque iudices et officiales in praeiudicium attributae et concessae sibi iurisdictionis praefatae haberi et promulgari contigisset, nullas nulliusque roboris vel momenti fore et esse, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet qualibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit[1] attentari, irritum et inane, dictâ auctoritate voluerit, decreverit et statuerit; ac aliàs, prout in memorati Innocentii XIII praedecessoris sub datum videlicet XIII kalendas octobris pontificatus sui anno II expeditis litteris plenius continetur: cumque, sicut etiam accepimus, etiam aliàs felicis pariter recordationis Clemens Papa X, etiam praedecessor noster, bonae memoriae Gasparem dum viveret eiusdem S. R. E. presbyterum cardinalem de Carpineo nuncupatum in suum et dictae Urbis, suburbiorum ac districtus praefatorum vicarium, necnon Romanae Curiae iudicem ordinarium ad universitatem omnium et quarumcumque causarum cuiusvis qualitatis et speciei, etiamsi essent mere laicales et profanae, et inter mere laicos, ad instar aliorum Romanae Curiae iudicum ordinariorum, ita ut inter eum et illos nulla considerari posset differentia, etiamsi ageretur in gradu recursus a sententiis tantum iudicum Urbis et districtus et inter quascumque personas exemptas et speciali notâ dignas et quae specialem mentionem requirerent, assumpserit, constituerit et deputaverit; ac aliàs, prout in aliis eiusdem Clementis X praedecessoris sub datum Romae apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCLXVI, pridie idus augusti, pontificatus sui anno II expeditis litteris etiam plenius conti-

1 Deest pronomen *ei* (R. T.).
2 Deest *posse* (R. T.).

1 Aptius lege *contigisset* (R. T.).

netur: nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, ad rerum omnium statum salubriter dirigendum nostrae considerationis intuitum libenter extendimus, et in iis, quae ad illarum regimen et gubernium profutura cognovimus, opem et operas nostras impendimus efficaces, eumdem Fabritium cardinalem, modernum episcopum Portuensem et S. Ruffinae, dictae almae Urbis nostrae eiusque districtus et suburbiorum vicarium in spiritualibus generalem, amplioribus favoribus et gratiis prosequi, ac dicti vicariatus officii indemnitati ac feliciori regimini providere volentes, eumdem Fabritium cardinalem et vicarium, aliosque pro tempore dicto vicariatus officio potituros et gavisuros, in iurisdictione[1] vicariatus dictae Urbis illiusque suburbiorum et districtus, iuxta praefatas litteras apostolicas per dictum Clementem X praedecessorem favore memorati Gasparis cardinalis de Carpineo nuncupati dictae Urbis ac suburbiorum et districtus vicarii in spiritualibus generalis emanatas in eâ tantum parte in qua idem Clemens X praedecessor disposuit cardinalem vicarium Urbis ac districtus et suburbiorum praefatorum habere iurisdictionem cumulativam cum omnibus aliis iudicibus ordinariis Urbis praefatae in causis civilibus et criminalibus, etiam mixtis, inter personas mere laicas, et in causis omnibus mere laicalibus et profanis, motu pari, non ad eiusdem Fabritii cardinalis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex scientiâ et potestatis plenitudine similibus, tenore praesentium reintegramus et plenarie restituimus, ac iurisdictionem huiusmodi ei et eis de novo concedimus et indulgemus, itaut dictus Fabritius cardinalis et ceteri Urbis praefatae ac districtus et suburbiorum huiusmodi vicarii, qui pro tempore erunt, eorumque vicesgerentes et suffraganei ac locumtenentes, aliique iudices ab eis deputati ac pro tempore deputandi, iurisdictione cumulativâ cum omnibus aliis iudicibus ordinariis Urbis praefatae, ut supra, libere et licite uti possint et valeant, absque eo quod a quoquam, quavis auctoritate, praetextu aut causâ, impediri quoquo modo possint. Et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. C. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, Sedisque Apostolicae nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate, in quavis causâ et instantiâ iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus dictâ constitutione praefati Innocentii XII praedecessoris nostri, cui, quatenus opus sit, in hac tantum parte[1], aliisque reformationibus et decretis a quibusvis iudicibus quavis auctoritate fungentibus ac etiam vivae vocis oraculo emanatis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in conciliis generalibus editis, stylo palatii, regulis Cancellariae Apostolicae prohibentibus mandata executiva aliàs quam sub plumbo expeditis[2], ac facultatibus et iurisdictionibus praefatae almae Urbis gubernatori, senatori et populo romano, et causarum curiae Camerae Apostolicae generali auditori, praesidi et magistris viarum, ac praefatae S. R. E. cardinalibus, ac aliis quibusvis iudicibus et officialibus, etiam

1 Aptius lege *iurisdictionem* (R. T.).

1 Videtur deesse *derogamus* (R. T.).
2 Potius lege *expediri* (R. T.).

laicalibus, quacumque auctoritate fungentibus, et quibuscumque aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, necnon irritantibus et fortioribus decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam concistorialiter, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices praedecessores nostros in contrarium forsan quomodolibet concessis, confirmatis et approbatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, etiamsi cautum sit in eis expresse quod illis nullatenus, vel nonnisi sub certis inibi expressis et nominatis modis et formis derogari seu contra illa quidquam concedi possit; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorum[1] totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso inserti[2] et forma in illis tradita observata forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis[3] habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, motu et scientiâ similibus, specialiter et expresse derogamus, et derogatum esse, nec illa eisdem praesentibus adversari vel obstare, volumus; ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus etiam quod earumdem praesentium transumptis semper et quandocumque stetur et plenaria fides adhibeatur tam in iudicio quam extra illud, ac si eaedem praesentes exhibitae vel ostensae forent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reintegrationis, restitutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis[1] Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXIV, XVI kalendas septembris, pontificatus nostri anno I ».

Suprapositum Breve innovatur pro eminentissimo cardinali Guadagni.

Eidem Ioanni[2] Antonio cardinali vicario nostro, motu et auctoritate nostris similibus, approbamus, confirmamus, innovamus, eique de novo concedimus, ac illas semper adversus quodcumque iuris impedimentum sibi suffragari debere, et, quidquid secus adversus eas contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Eique concedit ea statuere, quae pauperum indemnitati consulere possunt.

§ 10. Ac demum eidem Ioanni Antonio cardinali, de cuius praecipuo erga felicem tribunalis sibi commissi huiusmodi successum studio plurimum in Domino confidimus, ut ipse, tamquam noster et Sedis Apostolicae delegatus, omnia et singula, quae in sui vicariatus Curiâ, ad rectius dirigendos iustitiae tramites, et ad pauperum litigantium magis consulendum indemnitati, rerum necessitas et temporum sibi suaserit opportunitas, facere, innovare, decernere et statuere libere et licite possit et valeat, plenam licentiam, plenamque facultatem, earumdem pariter tenore praesentium, concedimus et impartimur.

Praesens constitutio nullo notari vitio potest.

§ 11. Nec non praesentes, omniaque et singula in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod notarii praefati aliique interesse habentes ad hoc vocati

1 Potius lege *eorumque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *insertis* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *inserti* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *omnipotenti* (R. T.).
2 Resumitur et continuat syntaxis § 9 incepta ante bullam insertam Benedicti XIII (R. T.).

et auditi non fuerint, vel ex eo quod illa de facto processisse dici possent, sive etiam processerint, aut ex aliâ quavis iuridicâ et legitimâ etiam necessario exprimendâ causâ, vel quocumque praetextu, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, retractari et ad terminos iuris reduci, aut in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa quodcumque iuris, facti vel gratiae aut aperitionis oris remedium impetrari, aut etiam motu et potestatis plenitudine similibus concedi, vel sub quibusvis constitutionibus apostolicis, vel Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ac litteris apostolicis in contrarium etiam motu pari et concistorialiter emanatis, aut quibusvis[1] aliis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehendi nullo unquam tempore posse, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo ante praemissa erant validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ per praefatum Ioannem Antonium cardinalem nostrum et pro tempore existentem Romani Pontificis cardinalem vicarium quandocumque eligendâ concessa, validaque et efficacia fore et esse, sicque et non aliàs per quoscumque iudices, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et definiendi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, irritumque pariter et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decernimus.

[1] Edit. Main. legit *quibus* pro *quibusvis* (R.T.).

§ 12. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae praedictae regulâ de iure quaesito non tollendo, necnon apostolicis, etiam in provincialibus, synodalibus et universalibus conciliis editis et edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quatuor dicti vicariatus Curiae huiusmodi primodictorum notariatuum officiorum respective erectione, dictique tribunalis vicariatus, aliorumque tribunalium, necnon Urbis praefatae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis cuique ex tribunalibus praefatis, etiam super iure similes causas etiam privative quoad alios cognoscendi et terminandi, et aliis quibusvis, etiam motu simili et concistorialiter, aut aliàs, in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, eisdem praesentibus etiam pro plene et sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, motu pari, harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque. Obstantium derogatio.

§ 13. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, concessionis, dismembrationis, ablationis, delationis, Clausulae poenales contra temeratores huius decreti.

abolitionis, decreti, declarationis, erectionis, iurisdictionis, subiectionis, licentiae, impartitionis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXV, IX kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 24 decembris 1735, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXI.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo prohibetur in futurum capitulo generali Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae et Indiarum, quominus concedat provincialatus honorarios.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Abusus in provinciam Hispaniae et Indiarum invectus provincialis honorarii titulos gradusque concedendi.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Alphonsi a Magdalena, fratris expresse professi ac vicarii generalis Congregationis Hispaniae et Indiarum Ordinis Eremitarum S. Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod pluribus ab hinc annis in eâdem Congregatione abusus conferendi nonnullis religiosis Congregationis praefatae, qui munus ministri provincialis minime exercuerant, gradus, honores, vocem, privilegia et exemptiones, quibus gaudere solebant illi qui provincialatus huiusmodi munere functi fuerunt, cum nomine provincialium honorariorum, irrepserat, totumque id in detrimentum regularis observantiae redundabat, ambitionis causam praebebat, et in religionis ruinam tendebat, inter religiosos invidiam concitabat, necnon in multis dissidia fovebat, videns[1] non esse necessarios labores in religione pro acquirendis illis honoribus et exemptionibus qui de iure solum illis impertiebantur, idque aliarum dissensionum causa fuerat:

Procurator generalis id interdici supplicat.

§ 2. Et in eâdem expositione subiuncto quod capitulum generale dictae Congregationis die XX maii proxime venturi celebrandum erat, et[2] ipse Alphonsus praevidebat quod, iuxta abusum praedictum in antecedentibus capitulis introductum, forsan aliqui non deficiant, qui similes gradus, honores et exemptiones ministrorum provincialium, absque eo quod ministri provinciales fuerint, postularent; ideoque pro parte eiusdem Alphonsi praefatae Congregationi cardinalium supplicato, ut, ad praecludendam ianuam ad tam perniciosas postulationes et ad providendum tot abusibus, tam vicario generali, ac cuicumque alii pro tempore existenti superiori, quam definitoribus ac capitulis provincialibus et generalibus similes gradus et exemptiones conferendi facultatem interdici plurimum cupiebat, et casu, quo illi deinceps contra prohibitionem praefatam eiusmodi gradus conferre auderent, nulli et irriti haberentur: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis episcoporum et regularium super hoc.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, attentâ relatione pro-

1 Forsan *videntes* aut *videntibus* (R. T.).

2 Particulam *et* nos addimus (R. T.).

curatoris generalis super expositis, censuit rescribendum, prout praesentis decreti vigore benigne rescribit, pro prohibitione in futurum capitulo generali concedendi gradus honorarios. Romae, die XVI decembris MDCCXXXV. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS. C. archiepiscopus Chalcedonensis, secret.

*Loco † sigilli.*

Confirmatio huiusmodi decreti.

§ 3. Cum autem, sicut dictus Alphonsus nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, specialem ipsi Alphonso gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praesentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Eiusdem confirmationis firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et Congregationis praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX ianuarii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 9 ianuarii 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXII.

*Confirmatio aliquot novarum constitutionum et ordinationum in capitulo generali Ordinis fratrum Bethlehemitarum in Indiis Occidentalibus anno* MDCCXXX *in civitate Mexicanâ celebrato pro felici regimine eiusdem Ordinis editarum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Crediti nobis caelitus sacrosancti apostolatus officii ratio exigit, ut illis, quae pro felici religiosorum Ordinum ad[1] exercenda christianae pietatis atque charitatis praesertim erga aegrotos et convalescentes opera, pie sancteque in Ecclesiâ Dei institutorum regimine et progressu provide constituta atque ordinata esse noscuntur, quo firma semper ac illibata persistant, apostolici muniminis,

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

cum a nobis petitur, adiungamus firmitatem.

Fratres Bethlehemitani nonnullas constitutiones efformant.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii praefectus ac definitores generales et fratres Ordinis Bethlehemitarum nuncupati in regnis Mexicano ac Peruano reliquisque Indiis Occidentalibus dudum a Sede Apostolicâ instituti, quod ipsi in novissimo eorum capitulo generali anno MDCCXXX in civitate Mexicanâ celebrato nonnullas novas constitutiones et ordinationes pro salubri ac prosperâ Ordinis ac fratrum praefatorum directione regularisque ibidem disciplinae observantiâ, praefati eiusdem Ordinis, qui, ut accepimus, maiora in dies, benedicente Domino, in iis partibus suscipit incrementa, statui convenientes et accomodatas, ac propterea ab ipsius Ordinis constitutionibus aliâs auctoritate apostolicâ confirmatis aliquâ ex parte discrepantes, vel etiam forsan illis adversantes, reservato desuper nostro et dictae Sedis beneplacito, ediderunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

De incorrigibilium expulsione.

I. Imposterum expulsiones fratrum incorrigibilium, quotiescumque casus contigerit, fiant reservatis exacte dispositionibus decretorum felicis recordationis Clementis VIII, Urbani VIII et Innocentii XII summorum Pontificum Sanctitatis Vestrae praedecessorum; ipsique pro tempore expulsi certiorari et admoneri debeant, ipsos obstrictos nihilominus remanere votis solemnibus in vim suae regularis professionis emissis, quoad ea tamen quae cum eorum statu compatibilia erunt.

De vice-generalis facultate procedendi contra eosdem.

II. Cum maxima, ut notum est, inter utriusque regni conventus distantia, et rara admodum atque difficillima ab uno ad alterum sit transfretatio: vicegeneralis pro tempore illius regni, in quo praefectus generalis non residet, contra incorrigibiles aliosque delinquentes super quibuscumque excessibus procedere, eosque carcerare, processus compilare, et, ita exigentibus eorum criminibus, ex capite incorrigibilitatis eiicere possit et valeat, cum eisdem facultatibus quas habet ipsemet praefectus generalis totius Ordinis, servatis tamen decretis et constitutionibus apostolicis supra enunciatis, nec eius assensum et facultatem expectare teneatur, ne inquisiti nimis diuturno carceri subiiciantur. Utque in re tanti momenti rite recteque procedatur iuxta praefata apostolica decreta in singulis capitulis generalibus duodecim ex gravioribus religiosis eligi omnino debeant, sex videlicet pro regno Novae Hispaniae, totidemque pro Peruano, de quorum consilio et assensu, tam a praefato generali in regno in quo resederit, quam in altero a vicepraefecto generali, ad incorrigibilium expulsionem deveniatur. Quoties vero tempore intermedio inter unum et alterum capitulum generale aliquem sive aliquos ex memoratis duodecim religiosis ab hac vitâ migrare, vel ultra tres dietas absentes vel legitime impeditos reperiri contingat, tunc praefectus generalis in regno in quo residet, et in altero vicegeneralis, alium vel alios in deficientium locum, unusquisque cum voto propriorum respective assistentium, ad eumdem effectum assumere et subrogare possit et debeat.

De vocalibus capituli generalis.

III. In celebratione capitulorum generalium pro electione praefecti generalis concurrere debeant personaliter vel per procuratorem omnes illi vocales qui in constitutionibus Ordinis, cap. IX, § 5, sunt designati, eo modo et formâ quibus in dictis constitutionibus et litteris apostolicis desuper emanatis praescribitur, dummodo praefecti et antiquiores discreti conventuum nunc existentium et imposterum aedificandorum sint illarum domorum sive conventuum, qui prius a praefecto generali cum suo definitorio declarati fuerint conventus formales; nec tales declarari possint, nisi in eis continuo manuteneantur saltem octo religiosi professi, computatis etiam tertiariis professis, vulgo *donatis*. Praefati omnes vocem habeant activam et passivam, discreti vero et novitiorum magistri, qui sacerdotes fuerint, activam tantum.

Incompatibi-

IV. Nedum assistentium generalium mu-

litas officiorum.

nus, verum etiam assistentium cuiuslibet provinciae semper et quandocumque sit incompatibile tam cum officio secretarii generalis quam cum officio praefecti cuiuscumque conventus, et e converso ista cum illis; et, si aliquando evenerit, religiosum, aliquo ex praedictis officiis iam fruentem, ad alterum promoveri, tunc officium sive munus, quod prius obtinebat, vacet eo ipso, illudque sic vacans, alteri religioso professo, qui ad id sufficienter idoneus repertus fuerit, conferatur. Quod si religiosus ad secundum munus promotus, illud acceptare noluerit, praefectus generalis cum suo definitorio generali causas recusationis diligenter scrutetur, compertisque nullius aut levis momenti, ad munus subeundum eumdem religiosum compellat: si vero iustae et legitimae reperiantur, tunc in officio quod administrabat, quatenus id utile religioni fuerit, usque ad tempus praefinitum perseveret. Denique, quia iuxta disposita in constitutione cap. IX, § 9, assistentes provinciae illius regni, in quo praefectus generalis residet, proprium munus exercere nequeunt; idcirco tunc temporis possint eligi in superiores locales hospitalium, et in illis etiam exercere alia officia conventualia durante ipsius praefecti generalis residentiâ. Istâ vero cessante, eoque ab uno ad alterum regnum se transferente, uni aut alteri officio renunciare teneantur, nec utraque simul retinere praesumant.

De renunciatione officiorum et subrogatione ad illa.

V. Quotiescumque unus aut plures ex assistentibus generalibus suo officio iustis ac legitimis de causis per generalem eiusque definitorium, ut supra, recognoscendis et approbandis, renunciaverit, aut ab humanis discesserit, tunc idem generalis unâ quoque cum ipsius definitorio eligat aut substituat alium aut alios religiosos in illius seu illorum officiis, quemadmodum Ordinis constitutio praescribit. Si vero, qui dicta officia renunciavit, sit ex assistentibus provinciae illius regni, in quo generalis non residet, tunc poterunt vicegeneralis et eiusdem provinciae assistentes, perpensis prius ac rite examinatis ut supra causis renunciationis, illam reiicere vel admittere, prout iustitia postulabit. Sic pariter, si aliquis aut aliqui decesserint, ne religio ullum patiatur detrimentum, alterum religiosum sive alios pro interim deputare seu subrogare, ita tamen ut eodem tempore de dictâ renunciatione et causis, nec non de respectivâ alterius religiosi deputatione sive renunciantis confirmatione ab eis provisionaliter factâ, certiorem reddere teneantur praefectum generalem, ad quem unâ cum suis assistentibus generalibus spectet tam praefatae renunciationis, quam provincialis subrogationis sive confirmationis in officio approbatio et confirmatio; atque ideo si compererint causas huiusmodi renunciationis nullatenus verificari neque subsistere, tunc, etiamsi a vicegenerali cum eiusdem provinciae assistentibus dicta renunciatio approbata fuisset, illam reiicere et ad officii exercitium etiam reluctantem adigere, ac similiter deputationem et subrogationem provisionaliter factam in casu mortis, quoties iustum id esse cognoverint, reprobare possint ac valeant.

Ac in assistentem qui eligi non possint.

VI. Nullus in assistentem generalem eligatur, nisi prius vel assistentis provinciae vel secretarii generalis munus per triennium exercuerit, vel per consimile tempus magister novitiorum vel praefectus aut vicepraefectus, sive praesidens cuiusvis conventus, domus vel hospitii fuerit, sacerdotibus tamen semper exclusis.

Dotes eligendi in generalem.

VII. Quamvis in constitutionibus Ordinis cap. IX, § 8, expresse disponatur quod eligendus in generalem inter cetera requisita illud etiam habere debeat, quod ad minus bis aliquod ex religionis hospitalibus gubernaverit; nihilominus, ut omnis dubietas de medio tollatur, quae magis idonei electionem aut retardet aut impediat, huiusmodi requisito pollere censeantur omnes et singuli religiosi qui duabus saltem vicibus exercuerint officium praefecti, aut unâ praefecti, alterâ praesidentis, sive unâ praefecti vel praesidentis, alterâ vero secretarii generalis, vel assistentis provinciae (sacerdotibus semper exclusis), dummodo in unoquoque ex praefatis officiis triennium expleverint.

De magistris

VIII. Cum, experientiâ teste, aliquando

novitiorum eligendis.

haud facile sit religiosos invenire qui officium praefecti exercuerint et ceteroquin aliis omnibus requisitis ac qualitatibus praediti sint, ut in novitiorum magistros, quemadmodum constitutio praecipit, eligi possint: hinc, ne huiusmodi difficultas huic electioni officiat, a qua cetera pendere dici potest, praefectus generalis unâ cum suo definitorio plenam habeat imposterum facultatem eligendi ac nominandi in novitiorum magistrum quemcumque dicti Ordinis religiosum qui morum probitate ac gravitate commendetur et ad huiusmodi officium aptum esse atque idoneum in Domino comperiatur, quamvis memorato requisito praefecti careat; isque nihilominus, cum huiusmodi munus magistri novitiorum per triennium exercuerit, in capitulis generalibus vocem habeat tam activam quam passivam; si vero sacerdos, activam tantum.

In omnibus electionibus requiritur maior votorum pars.

IX. In omnibus electionibus, is, in quem concurrat maior pars votorum ultra medietatem eligentium, censeatur canonice electus, et electio legitima pronunciabitur; quod si electus inter vocales connumeretur, eius votum sive schedula a scrutatoribus omnino recognosci debeat; compertoque sibimet suffragium dedisse, cum huiusmodi electio sit ipso iure nulla, ad novam deveniatur electionem, quamvis omnia vota in eum convenissent, ac ipse pro illâ vice ineligibilis prorsus evadat.

Nemo gaudet voce activâ et passivâ nisi post triennium ab emissâ professione.

X. Nullus sive novitiorum sive ex religiosis professis voce activâ aut passivâ pro quocumque officio gaudere possit, nisi post elapsum triennium a solemnis professionis emissione; neque praefectus generalis nec definitorium generale ullo modo in hoc dispensare valeant vel praesumant.

De intimationibus pro capitulis generalibus.

XI. Intimatio personalis convocatoria ad effectum accedendi et respective suffragandi in futuris capitulis generalibus, transmitti debeat per annum saltem ante illorum celebrationem unicuique ex praefectis localibus, primis discretis et novitiorum magistris utriusque regni, qui in suis respective conventibus propria officia actu exercebunt. Quod si ad eosdem, et praecipue ad ultramarinos, quibus facilius id accidere poterit, vel nullatenus, vel tamdiu ante intimatio non pervenerit, se se pro intimatis et convocatis haberi debent. Illi autem pro veris vocalibus habeantur et sint, qui de tempore convocatoriae praefata munera exerceant, licet ipsis fuissent iam deputati successores, vel isti, de tempore quo capitulum celebrabitur, suorum munerum iam fuerint possessionem adepti, atque ideo ab officio cessaverint, vel propter triennii lapsum sive aliâ de causâ, non tamen privationis vel depositionis; in hoc quippe casu ad capitulum generale dicti successores accedent; similiter religiosi qui sub nomine et titulo praesidentis a vice-praefecto generali illius regni in quo generalis unâ residet cum suis assistentibus fuissent provisionaliter destinati, et de tempore intimationis reperirentur in actuali regimine conventuum, eorum scilicet qui formales nuncupantur, ipsi ius habeant accedendi ad capitulum tamquam veri vocales vice et loco praefectorum, dummodo tamen isti tunc temporis ad suos conventus non accesserint, neque realem et actualem proprii officii possessionem apprehenderint.

Capitula generalia celebranda in civitate Guatmalâ.

XII. Cum conventus civitatis Guatemalae proximior ceteris et pro accessu et recessu vocalibus utriusque regni commodior sit atque prima domus et matrix totius Bethlehemiticae religionis, in eo perpetuis futuris temporibus capitula generalia celebrentur, et in hisce maior infirmarius eiusdem conventus sive hospitalarius pro tempore suffragium habeat; et firma ceteroquin ac in suo robore subsistant contenta in constitutionibus Ordinis cap. IX, § 14 super alternativâ eligendi primos et secundos assistentes generales utriusque regni, ut apud praefectum generalem religiosi continuo et ubique adstent qui de statu, usibus et moribus eorumdem regnorum sint sufficienter instructi.

Quid praestandum quando absens in generalem eligitur.

XIII. Quotiescumque canonice in praefectum generalem eligatur absens, tunc, ne ob magnam locorum distantiam religio in suo regimine aliquod patiatur dispendium aut detrimentum, praedecessor praefectus generalis, sive vicarius generalis, qui, iuxta

litteras apostolicas in formâ Brevis sanctae memoriae Benedicti XIII sub datum IX aprilis MDCCXXVIII, capitulo praefuit, in religionis regimine, nedum tanquam vicarius, sicuti in constitutione cap. IX, § 5 disponitur, continuet unâ cum assistentibus generalibus in eodem capitulo generali electis, sed et ab ipso capitulo, antequam dissolvetur, tres alii religiosi per secreta suffragia eligantur, qui in eodem conventu de Guatemala commorentur, donec acceptationis electi nuncius pervenerit. Si autem electioni de se factae iste expresse renunciaret, vel interim decederet, ad novam praefecti generalis electionem deveniatur cum solis votis ipsius vicarii, quatuor assistentium generalium, secretarii generalis eiusdem capituli, et dictorum trium religiosorum. Quod si tunc unus vel plures ex praefatis electoribus ultra tres dietas abessent, vel se huiusmodi munere abdicassent, aut abiissent, in deficientium locum subrogati censeantur religiosi antiquiores iuxta antianitatem professionis qui tunc in dicto conventu aderunt, sive conventuales fuerint, sive interpolatim residentes, dummodo nullum patiantur canonicum impedimentum. Ita pariter si obitus praedicti vicarii vel secretarii generalis acciderit, memorati vocales, assumptis eodem modo ac formâ vocalibus deficientibus e domo praedictâ, novum vicarium novumque secretarium generalem eligant, ut nunquam desint vocales pro novo praefecto generali eligendo. Postremo, eveniente obitu aut renunciatione vel depositione praefecti generalis perdurante novennio sui regiminis, diligenter et exacte serventur disposita per antedictas litteras apostolicas sanctae memoriae Benedicti XIII.

*Pro uno regno generalis praefectus, pro alio vicegeneralis eligendus.*

XIV. Praefecto generali in regno Peruano commorante, vice-praefectus generalis ab ipso unâ cum suo definitorio ex religiosis regni Novae Hispaniae, et viceversâ in regno Novae Hispaniae residente, vice-praefectus generalis ex religiosis regni Peruani, qui tamen non sint praefecti, per secreta suffragia eligantur, quibus suas ipse vices committere debeat, prout in constitutionis cap. IX, § 9 statuitur, atque in dictâ iurisdictione non amplius duret quam per quadriennium cum dimidiâ anni parte tantum a die captae ab eo possessionis computandum, nec in eodem officio pro quadriennio immediate sequenti confirmari quoquo modo possit; quadriennio autem ut supra cum dimidio anni integre expleto, si contigerit alium in regno, ubi generalis non residet, vice-praefectum generalem, qui eius vices substineat, non fuisse destinatum, sive propter novae electionis dilationem, sive ob electi decessum, illuc debito tempore non pervenisse, tunc pro interim assumat, dictique generalis, durante necessitate, vices exerceat praefectus pro tempore conventus S. Francisci Xaverii civitatis Mexicanae et respective B. Mariae Virginis de Monte Carmelo civitatis Limae; et, si praefectus ut supra subrogatus interim quoque periret, tunc in officio vice-generalis definitorium provinciae suffectum esse censeatur.

*Quis provinciam regere debeat vicegenerali et generali absentibus.*

XV. Vice-generales, qui huiusmodi officio eo tempore quo capitulum generale celebrabitur exercent, vel intra quadriennium sui officii aliquandiu exercuerunt, in eodem suffragium habeant, quamvis alteruter vel uterque, ob annalem, vel biennalem, aut aliam maiorem residentiam et moram generalis in alterutro respective regno, ab illius exercitio, quemadmodum Ordinis constitutio cap. IX § 9 disponit, destiterit. Quoties autem vice-generalis unius vel alterius regni ubi generalis non residet ob legitimam causam abesse contingat, ne religio, durante huiusmodi absentiâ, careat superiore, deputetur per generalem eiusque definitorium loco dicti vice-generalis alius religiosus qui pro interim gubernio ac regimini incumbat. Et si litterae patentes congruo tempore ante illius discessum non pervenissent, gubernium sit penes eiusdem regni seu provinciae definitorium.

*Ad quem spectet fratrum admissio et translatio.*

XVI. Imposterum ad generalem in regno ubi residet, in altero vero ad vice-generalem privative spectet religiosorum numerum augere vel imminuere, eos mutare ac transferre de uno ad alterum hospitale, iuxta opportunitatem seu necessitatem conventuum atque locorum: ad ipsos etiam per-

tineat tempore visitationis computare, cognoscere, rationem exigere, omniaque et singula praecipere et providere, durante dictâ visitatione, quae tam pro bono regimine hospitalium, quam pro spirituali ac temporali consolatione infirmorum et religiosorum, qui illorum curam gerunt, necessaria esse, sive iuxta proprias conscientias in Domino expedire censuerint.

De transitu tertiariorum vel donatorum ad professionem.

XVII. Qui ad habitum religiosum cucullatum ob aliquod impedimentum seu legitimam causam admitti non possunt, vel tantum recipiuntur uti[1] simplices tertiarii, vulgo *donati*, si deinde ipsorum aliqui perpetuo in religione vivere optarent et solemnem professionem emittere, postquam per biennium saltem tamquam donati inservierint, possint per praefectos conventuum unâ cum discretis seu gravibus ac prudentibus religiosis proponi praefecto generali eiusque assistentibus, quibus plena et sincera insimul transmittatur informatio super eorum vitâ et moribus; obtentâque licentiâ in scriptis ab eodem praefecto generali eiusque definitorio, ac praemisso anno novitiatus cum clausurâ, servatisque omnibus aliis requisitis, quae cuilibet novitio facienda, gerenda et servanda sunt, admittantur ad professionem sub qualitate et nomine tertiariorum sive donatorum: cucullam nunquam deferant, voce activâ et passivâ perpetuo careant, et solummodo addicti sint illis exercitiis et officiis, quae ipsorum statui conveniunt, sacristiae videlicet, eleemosynarum perquisitioni, horti, coquinae, refectorii, aliisque huiusmodi quae unicuique prudenter et opportune distribuentur; de hisce autem ante et tempore novitiatus ac immediate ante professionem certiorari debeant ac plene edoceri, ut probe sciant omnia et singula, ad quae obligantur et servare tenentur, neve ullo unquam tempore quidquam pro nullitate professionis allegare audeant vel praesumant.

Capitula generalia quolibet cogenda novennio, datâ generali facultate proximum differendi ad alium annum.

XVIII. Capitulum generale de novennio in novennium, iuxta antedictas litteras apostolicas sanctae memoriae Benedicti XIII die IV maii MDCCXXV signatas, celebretur. Quia tamen evenire posset, praesentes declarationes, ordinationes et statuta, ob longum nimis ab Urbe ad praefata regna iter, opportuno tempore ante proximi futuri capituli celebrationem non pervenire, neque (ob perdifficilem transfretationem atque raro admodum contingentem ab uno ad alterum regnum, ut dictum est, transfretationis occasionem) ad omnium vocalium notitiam deduci posse: hinc, ad evitandas perturbationes et controversias quae oriri inde possent, praefectus generalis illud ad annum tantum prorogare valeat, si ita pro bono religionis necessarium fore aut expedire cognoscat, dummodo, ex novem, octo saltem suffragia, ab eodem praefecto generali, assistentibus generalibus, aliisque qui in litteris apostolicis diei XXVII maii MDCCXXXII pro electionibus praefectorum designantur, secreto praestanda, concurrant: iidem autem vocales ad capitulum ita prorogatum accedant, qui nullâ factâ prorogatione accessissent; et, si eorum aliqui tunc temporis legitimo detineantur impedimento, subrogentur alii, ut supra num. III et XI statutum est. Cumque non tam facile a praefatis regnis ad Apostolicam Sedem recursus haberi queat, ubi iusta ac urgens causa intercedat, imposterum etiam capitula generalia, eodem tamen prorsus modo concurrentibus octo ex novem praedictis suffragiis, nec unquam ultra annum, prorogari possint.

Resolutio dubiorum in regula ad quem pertineat.

XIX. Ad evitandas quascumque lites, cognitio dubiorum quorumcumque, tam circa praemissa quam reliquas Ordinis constitutiones, quae forsan imposterum oriri vel excitari poterunt, eorumque interpretatio, resolutio et respective declaratio (dummodo ipsis constitutionibus, Bullis apostolicis, sacris canonibus et decretis sacri Concilii Tridentini non adversentur), ac plenaria executio, ad praefectum generalem eiusque definitorium pro tempore privative pertineant.

Petita huiusmodi constitutionum confirmatio.

§ 2. Quare ipsi exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus in praemissis opportune providere et ut in-

1 Edit. Main. legit *viri* pro *uti* (R. T.).

fra indulgere de benignitete apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attentâ relatione venerabilis fratris nostri Ludovici episcopi Albanensis S. R. E. cardinalis Pici nuncupati, supradicti Ordinis apud nos et Sedem praedictam protectoris, qui iussu nostro constitutiones et ordinationes huiusmodi mature diligenterque examinavit, nobis super praemissis factâ, constitutiones et ordinationes praeinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviobilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, praetendi ac censeri possent, supplemus et sanamus, ipsarumque constitutionum et ordinationum exactam ac inviolabilem observantiam omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, auctoritate et tenore praefatis praecipimus et demandamus.

Einsdem perpetua validitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac iis, quos concernunt, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus praemissis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, illiusque hospitalium, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesentium litterarum transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII februarii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 februarii 1736, pontif. anno VI.

---

## CLXXIII.

*Confirmatio concordiae inter archiepiscopum et archimandritam Messanae initae super diversis punctis iurisdictionalibus.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Procemium. In apostolicae dignitatis solio, divinâ disponente clementiâ, meritis licet imparibus, constituti, et per immaculata vestigia Eius, qui supra petram aedificavit Ecclesiam, incedere satagentes, pacemque inter christifideles quoslibet inducere inductamque confovere vigilanti sollicitudine meditantes, ad ea libenter intendimus, per quae litibus et controversiis inter eosdem christifideles praesertim pontificali dignitate praeditos occurritur, necnon ea, quae communi concordiâ terminata sunt, ne in recidivae contentionis scopulum relabantur, approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur addiicimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Causae litium vertentium inter partes. § 1. Sane pro parte venerabilium fratrum nostrorum Thomae de Vidal et de Nin, moderni archiepiscopi Messanensis, et Silvii Valentini Gonzaga, moderni archiepiscopi Nicaeni ac nostri et Sedis Apostolicae nuncii Bruxellis commorantis modernique commendatarii archimandritae nuncupati monasterii archimandriatus nuncupati S. Salvatoris de Linguâ Phari nuncupati Messanensis, Ordinis S. Basilii, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod aliàs vertentibus variis litibus et controversiis, tam forsan in partibus, quam in Romanâ Curiâ, coram certis partium illarum et Curiae huiusmodi iudicibus competentibus, inter bonae memoriae Iosephum Migliaccio, dum viveret, archiepiscopum Messanensem, ex unâ, et dictum Silvium archiepiscopum et commendatarium, qui ratione dicti monasterii particulare et separatum territorium habere ac iurisdictionem quasi episcopalem in sibi subiectis locis exercere ac synodum convocare et in eâ examinatores deputare praetendebat, ex alterâ partibus, super exercitio iurisdictionis quasi episcopalis praefatae per pro tempore existentem dicti monasterii commendatarium exercendae (eodem Silvio archiepiscopo et commendatario, quod ipse tamquam vere Ordinarius, cum suâ propriâ dioecesi distinctâ et separatâ ac independente, cum iurisdictione spirituali et temporali, ut quilibet Ordinarius in suâ propriâ dioecesi habet, et vere esse nullius, a praefato Iosepho archiepiscopo recognosci, quodque census, in fundatione dicti monasterii favore pro tempore existentium archiepiscoporum Messanensium constitutus, pro omni iure episcopi pro tempore existentibus archiepiscopis Messanensibus, iuxta quamdam concordiam inter bonae memoriae Ugonem dum etiam viveret archiepiscopum Messanensem et tunc existentem Siciliae regem initam, solvi respective debeat, quodque confugientes ad ecclesias praefato monasterio subiectas propriâ auctoritate extrahere, et in carceribus ad nomen ecclesiae detineri facere, necnon litteras dimissoriales suis subditis concedere, et concursus ad beneficia curata tenere et instituere respective valeat, quodque dispensationes et litterae apostolicae ei dirigi possint; Iosepho archiepiscopo verò praefato, e contra, quod praefatus Silvius archiepiscopus et commendatarius minime sit Ordinarius cum separatâ dioecesi et distincto territorio et vere nullius, quodque census praefatus vigore fundationis praefati monasterii et regiorum diplomatum a praefato Silvio archiepiscopo et commendatario debeatur, ac recognitio immunitatis ecclesiasticae illiusque declaratio pro confugientibus ad ecclesias eidem monasterio ut praefertur subiectas, eorumque extractio, ad pro tempore existentem dicti monasterii com-

mendatarium spectare non possit, sed hoc privative ad pro tempore existentem archiepiscopum Messanensem tamquam delegatum apostolicum spectet et pertineat, quodque idem Silvius archiepiscopus et commendatarius litteras dimissoriales suis subditis concedere atque concursus ad beneficia curata absque expressâ Sedis Apostolicae concessione tenere et instituere respective non valeat, necnon dispensationes et litterae apostolicae eidem Iosepho et pro tempore existenti archiepiscopo Messanensi tantum privative quoad omnes dirigi debeant, respective praetendentibus), rebusque aliis in actis causarum et controversiarum huiusmodi latius deductis, et earum occasione in primâ seu secundâ aut aliâ veriori instantiâ pendentibus indecisis:

Concordiam inire parant.

§ 2. Iosephus archiepiscopus et Silvius pariter archiepiscopus et commendatarius praefati, seriò inter se meditantes quam sit absonum ab ecclesiasticâ disciplinâ et praelatorum dignitate lites fovere, eas praecipue quae simplicem iurisdictionem respiciunt, a quibus innumera detrimenta et scandala, quae praelatorum charitati et subditarum animarum regimini sunt quammaxime infensa, prodire solent: ad dirimendas lites et controversias huiusmodi, earumque dubios eventus evitandum, innumerisque sumptibus parcendum, pacemque et benevolentiam inter se conciliandam, de communi iurisperitorum consilio, et, quoad Iosephum archiepiscopum praefatum, de tunc existentium capituli et canonicorum ecclesiae Messanensis consensu, ad infrascriptam sub nostro et Sedis Apostolicae beneplacito devenerunt inter se bonae fidei concordiam seu transactionem, videlicet:

Concordata.

I. Quod dictus Iosephus archiepiscopus eiusque successores recognoscere debeant, dictum Silvium archiepiscopum et commendatarium eiusque in dicto monasterio successores habere omnimodam iurisdictionem civilem et contentiosam atque criminalem in omnibus ei ratione dicti monasterii subiectis locis, necnon etiam in civitate Messanensi super eius subditos, iuxta tenorem Bullarum apostolicarum ac sententiarum desuper emanatarum, ad quas sententias, pro eo quod respicit hunc tantummodo articulum ordinarietatis dicti Silvii archiepiscopi et commendatarii, nullâ habitâ consideratione reliquorum articulorum in praefatis sententiis contentorum, quibus per praesentem concordiam seu transactionem in nullo praeiudicatum esse censeatur, relatio et respectus habeatur.

II. Quod praefatus Silvius archiepiscopus commendatarius, eiusque in dicto monasterio successores praefati, dicto Iosepho archiepiscopo eiusque successoribus sexdecim uncias et carolenos octo monetae currentis regni Siciliae iure census debiti iuxta tenorem fundationis dicti monasterii regiorumque diplomatum annuatim persolvere obligatus existat.

III. Quod idem Silvius archiepiscopus et commendatarius, eiusque in dicto monasterio successores praefati, litteras dimissoriales ad ordines suscipiendos suis subditis concedere possint, ita tamen ut toties, quoties illos dimittere habeant, teneantur ex pacto vigore praesentis concordiae seu transactionis dimittere, dimissorialesque huiusmodi litteras pro tempore existenti archiepiscopo Messanensi privative dirigere, in casu vero impedimenti eiusdem archiepiscopi vel vacationis sedis archiepiscopalis Messanensis, vel ordinandorum longae[1] absentiae, pro qua longâ absentiâ intelligi debeat si ordinandi degant extra dioecesim Messanensem, litterae dimissoriales huiusmodi dirigi valeant ad quemcumque episcopum archiepiscopo Silvio et pro tempore existenti dicti monasterii commendatario benevisum, ita tamen quod huiusmodi litterae praesentari debeant in curiâ archiepiscopali Messanensi, et ab ipsius cancellario subscribi et apponi: *ita*

1 Edit. Main. legit *longe* (R. T.).

*est, sic ex pacto, et accedente Sanctae Sedis consensu*, et quod idem servandum sit in omnibus praedictis casibus et de apostolicis Brevibus super dispensatione aetatis vel temporum interstitiis.

IV. Quod archiepiscopus et commendatarius eiusque successores praefati quoscumque concursus ad parochiales ecclesias ceteraque beneficia curata indicere et instituere possint et valeant, quibus concursibus et institutionibus Iosephus archiepiscopus eiusque successores praefati se opponere minime valeant.

V. Quod si litterae apostolicae et dispensationes matrimoniales pro subditis archiepiscopi et commendatarii eidem archiepiscopo et pro tempore existenti dicti monasterii commendatario directae fuerint, tunc ab eo exequi debeant, et nullum a Iosepho archiepiscopo eiusque successoribus praefatis impedimentum vel obstaculum fieri possit; et e contra, si ex aliquâ speciali causâ pro tempore existenti archiepiscopo Messanensi ab eâdem Sede directae fuerint, tunc ab eodem archiepiscopo Messanensi etiam exequi debeant, et nulla per pro tempore existentem monasterii praefati commendatarium fieri possit oppositio.

VI. Quoad recognitionem et declarationem immunitatis pro confugientibus ad ecclesias eidem monasterio subiectas, quod Iosephus et pro tempore existentes archiepiscopi Messanenses iudicare debeant an confugiati in ecclesiis huiusmodi immunitate huiusmodi gaudeant vel non, et sint extrahendi vel restituendi ecclesiis dicto monasterio ut praefertur subiectis; Silvius archiepiscopus vero et pro tempore existentes dicti monasterii commendatarii confugiatos huiusmodi a propriis ecclesiis extrahere, et in suis carceribus ad dispositionem pro tempore existentis archiepiscopi Messanensis custodire, eumque mediante epistolâ certiorem facere, infra terminum quatuor dierum, de extractione et detentione confugiati huiusmodi.

VII. Quod praeservata intelligantur hinc inde omnia iura respectu ceterarum rerum in praesenti concordiâ seu transactione non comprehensarum.

VIII. Et demum ut pro, maiori praemissorum validitate et firmitate, liti huiusmodi omnibusque et quibuscumque supplicationibus, aliisque actis usque modo hinc inde gestis, et unicuique causae et litis pendentiae, super suprascriptis articulis tantum et dumtaxat, respective cedere et renunciare, seque praesenti concordiae seu transactioni non contradicere, nec adversus eam quidquam opponere, sed ei stare et acquiescere, et ab eâ nunquam reclamare velle, promittere respective debeant et teneantur: et aliàs, prout in instrumento publico seu scripturis publicis desuper confecto seu confectis tenoris sequentis, videlicet:

Instrumentum super hoc confectum.

« *Iesus, Maria, Ioseph.* Die XXIII augusti, VII indictionis, MDCCXXIX, praesens coram nobis, etc., Magnificus Placidus Arnò, procurator fiscalis magnae curiae, archiepiscopali sede vacante huius nobilis, fidelissimae et exemplaris urbis Messanae M. N. C., etc., dicto nomine tam pro suâ indemnitate, quam aliorum, quorum interest, sponte, etc., vigore praesentis exhibuit ac nobis praesentavit, prout exhibet et praesentat, infrascriptum originale alberanum scriptum manu alienâ et subscriptum manibus propriis quondam illustrissimi et reverendissimi D. Ioseph Migliaccio archiepiscopi olim huius urbis, et illustrissimi et reverendissimi D. Silvii Valenti Gonzaga, archimandritae huius praedictae urbis, necnon reverendorum abbatis D. Bartholomaei Dominici Voci et D. Ioseph Coeli testium praesentium, in quo adest inserta infrascripta minuta scripta manu alienâ et firmata in margine calcis manu propriâ illustrissimi et reverendissimi fratris Ioseph Maria Perimezzi episcopi Oppidensis, in qua adsunt nonnulla verba, nempe unum lineatum et superadditum, et alia acconciata, quorum tenor est, ut infra sequitur, videlicet: *Iesus, Maria, Ioseph.* Cum, pro expellendis differentiis emersis inter illustrissimum et reverendissimum dominum D. Ioseph Migliaccio archiepiscopum Messanensem ac illustrissimum et reverendissimum dominum D. Silvium Valenti Gonzaga archimandritam pariter Messanensem circa quosdam articulos infra

expressandos, fuerit ab eisdem illustrissimis ac reverendissimis dominis archiepiscopo et archimandrita Messanensibus, pro pace mutuâque benevolentiâ inter eos in perpetuo conservandâ, omnibusque scandalis compescendis, remissa forma concordiae admodum reverendo abbati utriusque iuris doctoris D. Ioseph Buglio ex parte dicti illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Messanensis, et ex parte illustrissimi et reverendissimi domini archimandritae, itidem Messanensis, utriusque iuris doctori D. Andreae Mondiola, et pro utrâque parte utriusque iuris doctori D. Francisco Campagna, et ultimo tandem illustrissimo et reverendissimo domino fratri Ioseph Maria Perimezzi episcopo Oppidensi in utrâque censurâ praeclarissimo consulto hic Messanae quaedam eius opera typis excudendi causâ degenti; et ab eo, auditis pluries iuribus utriusque partis, ac seriò eis perpensis, visisque videndis, consideratis considerandis, concordiae, transactionis et compositionis ac conventionis exemplum expressum fuerit, eoque bene et attente ac mature perlecto et considerato a memoratis illustrissimis et reverendissimis dominis archiepiscopo et archimandrita Messanensibus fuerit deventum ad huiusmodi concordiae, transactionis et conventionis conficiendum instrumentum, adhibito ad hoc pro parte dicti illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Messanensis, consensu admodum reverendissimorum dominorum dignitatum ac canonicorum huius sanctae proto-metropolitanae Messanensis ecclesiae maiorem partem et totum corpus reverendissimi capituli eiusdem proto-metropolitanae Messanensis ecclesiae rappresentantium; cuius quidem instrumentum forma, absque publicâ et solemni stipulatione, nisi obtento prius beneplacito apostolico a Sanctâ Sede et a sacrâ Congregatione eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium ad quam spectat, sub sequenti tenore ac pleniori serie perlegitur, videlicet: *Iesus*, etc. Cunctis pateat ubique, et evidenter sit notum, quod in nostrâ notarii testiumque infrascriptorum praesentiâ personaliter constitutis illustrissimo et reverendissimo domino D. Ioseph Migliaccio, Dei et sanctae Sedis Apostolicae gratiâ episcopo Messanensi, comite Regalbruti, domino Alcariae barone Boli, regioque consiliario, etc. (cum consensu tamen infrascriptorum admodum reverendorum dignitatum et canonicorum huius sanctae proto-metropolitanae Messanensis ecclesiae, scilicet utriusque iuris doctoris D. Caietani Buglio decani et canonici utriusque iuris doctoris, D. Bartholomaei Castello cantoris et canonici, utriusque iuris et sacrae theologiae doctoris, D. Gregorii Milia archidiaconi et canonici, utriusque iuris doctoris, D. Antonini Galletti utriusque iuris doctoris, D. Didaci Migliorino, D. Ioannis Antonii Muno, D. Vincentii Fori, D. Dominici Rizzo, D. Antonini Granata, D. Antonini Colita, D. Caesaris Castelli, D. Francisci Brancato, D. Ioannis Marino, D. Gasparis Calcagni, D. Ignatii Caëta et D. Friderici Moncada, maiorem partem et totum corpus reverendissimi capituli eiusdem proto-metropolitanae Messanensis ecclesiae rappresentantium), necnon illustrissimo et reverendissimo domino D. Silvio Valenti Gonzaga archimandrita Messanensi, et ad haec omnia infrascripta agentibus et devenientibus, nempe dicto illustrissimo et reverendissimo domino de Migliaccio uti archiepiscopo Messanensi, cum consensu, ut supra, dicti reverendissimi capituli, et pro se ac nomine et pro parte illustrissimorum et reverendissimorum archiepiscoporum Messanensium pro tempore et in perpetuum existentium, parte ex unâ, dictoque illustrissimo et reverendissimo domino de Valenti Gonzaga uti archimandrita Messanensi, ac pro se et nomine, proque [1] parte illustrissimorum et reverendissimorum futurorum archimandritarum Messanensium, parte ex alterâ, mihi notario plene cognitis, fuit pro deveniendo ad infrascriptam conventionem, compositionem, transactionem et concordiam expositum coram nobis, quod infra perlegitur, videlicet: Anno Incarnationis dominicae MXCVI Rogerius rex magnae celsitudinis et recolendae memoriae in provinciâ et dioecesi Messanensi monasterium

1 Ed. Main. legit *pro qua* vice *proque* (R. T.).

SS. Salvatoris sub regulari observantiâ Ordinis sancti Basilii erexit tamquam caput omnium monasteriorum graecorum, ac eidem monasterio archimandritam uti pastorem et praelatum elegit, cui superioritatem et iurisdictionem tribuit in omnes abbates, abbadias et monachos sibi subiectos, ita ut ipse archimandrita uti princeps Graecis, quemadmodum ipsum nomen archimandritae graeco idiomate sonat, in omnibus dictis monasteriis et granciis, et abbatibus, monachis, clericis et laicis eorum subiectis, tam in spiritualibus quam in temporalibus, auctoritatem haberet inquirendi, secundum divinos et sacros canones, criminales vel quascumque pecuniarias quaestiones omnium monachorum et praelatorum, qui in ipsis monasteriis et abbatiis sunt, et nulli alii personae responsum facere nisi ipsi regi, cum praestatione tamen census favore archiepiscopi Messanensis in fundatione constituti ab ipsomet rege, quemadmodum ex eisdem verbis fundationis dignoscitur. Et quamvis, ad preces Willielmi regis, felicis recordationis Alexander III anno MCLXXV fundationem ipsam approbaverit et collaudaverit, dictoque archimandritae[1] in memoratis omnibus monasteriis et obedientiis examinare et iudicare abbates et monachos et laicos, tam in spiritualibus quam in temporalibus, eorumque causas iuste et legitime definire indulserit, et Innocentius III aliique Romani Pontifices monasterium praefatum, obedientias ceteraque monasteria suffraganea ab omni potestate liberaverint, eo modo ut nulli dioecesano archiepiscopo vel episcopo, nisi praefato archimandritae, respondere tenerentur, et Honorius III et Paulus II e converso mandaverint, confirmationem electionis monachorum de archimandrita, munus benedictionis, et annuam visitationem, correctionemque ipsius archimandritae ad archiepiscopum Messanensem spectare, pertinere; nihilominus Sixtus IV felicis recordationis, his non obstantibus, monasterium ipsum, cum omnibus et singulis iuribus et pertinentiis, suis membris et abbatiis, ac archimandritam, monachos et conventum eiusdem monasterii ab omni iurisdictione, superioritate, subiectione et potestate archiepiscopi et capituli Messanensis ecclesiae et quorumcumque Ordinariorum praesentium et futurorum exemit et liberavit, adeout archiepiscopus et Ordinarii et alii supradicti, etiam ratione delicti seu contractus, aut rei de qua agatur, ubicumque committatur delictum, contractus ineatur, vel res ipsa consistat, nullus possit in archimandritam, monachos et conventum, ministros, personas, monasterium, membra, loca, bona, utpote prorsus et omnino exempta, et Sedi Apostolicae immediate subiecta, seu iurisdictionem, potestatem aut aliquod dominium exercere, et ab eis ratione collectarum vel subsidiorum quidquam petere, nisi tantum censum dicto archiepiscopo Messanensi debitum vi superioris enunciatae fundationis archimandritatus, et prout ex tenore Bullarum apostolicarum memoratorum Pontificum clare liquet, quibus omnibus plena habeatur relatio. Quae quidem archimandritalis abbatia anno MCDXXI in commendam versa fuit, et primus archimandrita commendatarius a rege Alphonso praesentatus Lucas de Bufalis, et a Martino V pontifice maximo institutus. Sic igitur existente fundato archimandrita plurimorum annorum serie ac saeculorum semper inter archiepiscopum Messanensem et archimandritam pro tempore existentes exortae sunt quamplures discrepationes et dissensiones circa potestatem, quam archimandrita ipse praetendit habere, et archiepiscopus omnino negat; unde diversis temporibus in Curiâ Romanâ introductae sunt variae petitiones, tam ex parte archiepiscopi Messanensis, quam ex parte dicti archimandritae. Qui modo praetendit, ut infra: primo, recognosci ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Messanensi tamquam vere Ordinarium, cum suâ propriâ dioecesi distinctâ et separatâ ac independenti, cum iurisdictione spirituali ac temporali, ut quilibet praelatus in suâ propriâ dioecesi habet, et vere esse nullius; secundo, censum constitutum in fundatione archimandritatus, modo ad uncias sexdecim et carolenos octo

[1] Edit. Main. legit *archimandrita* (R. T.).

redactum, non iure recognitionis solvendum esse, sed pro omni iure episcopali deberi archiepiscopo Messanensi et successoribus suis, secundum quamdam concordiam Ugonis archiepiscopi Messanensis cum rege; successive posthac praetendit propriâ auctoritate confugientes ad ecclesias archimandritales extrahere, et in carceribus detineri ad nomen ecclesiae, etiam de mandato eiusdem; necnon posse litteras dimissoriales suis subditis concedere, item concursus ad beneficia curata posse instituere; demum directiones dispensationum et litterarum apostolicarum ei posse competere. Adversus quas quidem praetensiones supradictus illustrissimus et reverendissimus dominus de Migliaccio archiepiscopus Messanensis dicebat: primo, minime archimandritam esse Ordinarium cum separatâ dioecesi ac distincto territorio et vere nullius; secundo, censum deberi a dicto illustrissimo archimandritâ vigore fundationis praedicti archimandritatus ac diplomatum regiorum; tertio, recognitionem et declarationem immunitatis ecclesiasticae pro confugientibus ad ecclesias archimandritales, eorumque extractionem, non posse spectare dicto illustrissimo archimandritae, sed privative hoc pertinere ad dictum illustrissimum archiepiscopum Messanensem tamquam delegatum apostolicum; quarto, litteras dimissoriales nec pariter dictum archimandritam suis subditis posse concedere respondebatur; quinto, instituere concursus ad beneficia curata non posse praetendere absque expressâ Sedis Apostolicae concessione; sexto, quoad directionem dispensationum apostolicarum et litterarum Curiae Romanae, respondebatur ad se spectare tam privative quoad omnes. Pro quibus fulciendis responsionibus ex parte dicti illustrissimi et reverendissimi archiepiscopi Messanensis nonnulla documenta, decreta sacrae Congregationis, canones, scripturae et alia favorabilia allegabantur et plenissime adducebantur. At tam dictus illustrissimus et reverendissimus dominus D. Ioseph Migliaccio archiepiscopus Messanensis, quam dictus illustrissimus ac reverendissimus dominus D. Silvius Valenti Gonzaga archimandrita itidem Messanensis, serio inter se meditantes quam absonum sit ab ecclesiasticâ disciplinâ et praelatorum dignitate lites fovere, eas praecipue quae simplicem iurisdictionem respiciunt, a quibus innumera detrimenta et scandala, ut compertum est, prodire solent, quae praelatorum charitati et subditarum animarum regimini sunt quammaxime infensa, sedulo eorum animum applicuerunt ad dirimendas lites, et ad pacem benevolentiamque conciliandam, accedentibus quoque ad hoc pro fulciendâ ex utrâque parte lite innumeris sumptibus et dubio litis eventu, de promptiori animo deliberaverunt, remoto omni strepitu et figurâ iudiciali, differentias iam dictas componere, et rationes, iura et documenta utriusque partis visioni, revisioni et considerationi sapientium et prudentium virorum in utrâque iuris censurâ consultorum committere et commendare. Eapropter, confidentes de integritate, zelo, prudentiâ doctrinâ, probitate, aliarumque virtutum meritis admodum reverendi abbatis, sacrae theologiae et iuris utriusque doctoris D. Ioseph Bugliotti, assessoris ordinarii magnae curiae archiepiscopalis, necnon utriusque iuris doctoris D. Andreae Mendolia fisci patroni magnae curiae archimandritalis, necnon iuris utriusque doctoris D. Francisci Campagna utriusque curiae ordinarii assessoris, eisdem commiserunt ut simul concordes quidquid benevisum et ipsismet magis proficuum pro conservandâ in perpetuum pace et mutuâ benevolentiâ videretur super praemissis componere et statuere, et quod resolutum, concordatum et compositum fuerit, ab eisdem illustrissimis et reverendissimis dominis archiepiscopo et archimandrita observari et adimpleri, ac perpetuum silentium in huiusmodi quaestionibus interponi. Sed adveniente nuper Messanae, studiorum suorum lucubrationes typis tradendi causâ, illustrissimo et reverendissimo domino Iosepho Maria Perimezzi Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paula, sanctissimi domini nostri Benedicti XIII praelato domestico ac pontificio solio episcopo assistente, sanctae Oppidensis eccle-

siae episcopo, zelo, prudentiâ, doctrinâ, probitate et aliarum virtutum meritis praedito, ac in sacrâ theologiâ et in utroque iure praeclarissimo consulto, congruum, sic eis fortunâ aspirante, existimaverunt committere et commendare eidem visionem, revisionem et considerationem dictarum differentiarum, cum iuribus, rationibus et monumentis utriusque partis, prout hilari animo commiserunt et commendaverunt, atque compositionem, transactionem, concordiamque ab eodem quoque exposcere et expectare. Praefatus igitur illustrissimus et reverendissimus dominus frater Ioseph Maria Perimezzi episcopus Oppidensis, amicitiae officiis utrinque accomodatis, reque bene discussâ et deliberatâ, controversias componere, et in hanc conciliationem dissidentes animos inducere sategit. Proinde visis videndis, consideratis considerandis, ac mature attenteque perpensis per dictum dominum episcopum Oppidensem tam in iure quam in facto rationibus, iuribus, capitibus et causis ambarum partium adductis, dictis, et pluries coram eodem discussis, nempe pro parte supradicti illustrissimi ac reverendissimi domini archiepiscopi Messanensis ab eodem reverendo utriusque iuris doctore abbate D. Ioseph Buglio, et pro parte dicti illustrissimi et reverendissimi domini archimandritae ab iuris utriusque doctore D. Andrea Mendolia, necnon pro utrâque parte ab utriusque iuris doctore D. Francisco Campagna, sic ut infra compositionis, conventionis, transactionis et concordiae super enunciatis praetentionibus exemplum expressit, ad quod tam dictus illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Messanensis, quam dictus illustrissimus et reverendissimus dominus archimandrita itidem et pariter Messanensis respicientes, illudque complectentes, decreverunt inter se convenire, et proinde ad faciliorem firmioremque amicitiae nexum, et ut firma in perpetuum inter eorum successores etiam remaneat praesens concordia, et ad hoc praesens documentum, reservato semper sanctae Sedis Apostolicae assensu, devenire statuerunt, prout deveniunt modo et formâ quibus infra. Hinc est quod hodie praesenti praeteritâ die illustrissimus et reverendissimus dominus D. Ioseph Migliaccio archiepiscopus Messanensis, et admodum reverendi dignitates et canonici dictae sanctae protometropolitanae Messanensis ecclesiae, videlicet, utriusque iuris doctor D. Caietanus Buglio decanus et canonicus, utriusque iuris doctor D. Bartholomaeus Castello cantor et canonicus, utriusque iuris doctor D. Antonius Galletti, utriusque iuris doctor D. Didacus Migliorino, D. Ioannes Antonius Muni, D. Vincentius Foti, D. Dominicus Rizzo, D. Antonius Granata, D. Antonius Colita, D. Caesar Castelli, D. Francicuss Brancata, D. Ioannes Marino, D. Gaspar Calcagni, D. Ignatius Gaëta, D. Fridericus Moncada repraesentantes reverendissimum capitulum, parte ex unâ, et illustrissimus et reverendissimus dominus D. Silvius Valenti Gonzaga archimandrita Messanensis, ex aliâ parte, per se et successores suos in archiepiscopatum et archimandritatum praedictos, implorato prius assensu sanctae Sedis Apostolicae, vigore praesentis documenti perpetuo valituri, mutuâ stipulatione hinc inde interveniente, ad dirimendas omnes controversias et contentiones super infrascriptis articulis inter se convenerunt et conveniunt, nempe: Primo, quod praedictus illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus per se et successores suos recognoscit illustrissimum et reverendissimum dominum archimandritam et successores suos habere omnimodam iurisdictionem ordinariam, civilem, contentiosam et criminalem in omnibus locis suae dioecesis, necnon in urbe Messanae, super suos subditos, iuxta tenorem Bullarum apostolicarum ac sententiarum pronunciatarum, ad quas sententias habeatur respectus et relatio pro eo quod respicit et pertinet ad hunc tantummodo articulum ordinarietatis illustrissimi domini archimandritae, nulla habitâ consideratione articulorum reliquorum in sententiis contentorum, qui declarantur remanere in eodem statu in quo ad praesens sunt, et vigore praesentium articulorum in hac transactione et concordiâ contentorum

remanent. Secundo, illustrissimus et reverendissimus dominus archimandrita, ut supra, per se et successores suos obligatus sit, prout vigore praesentis se obligavit et obligat, solvere annuatim illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo Messanensi uncias sexdecim et carolenos octo pecuniae currentis huius regni iure census debite iuxta tenorem fundationis regiorumque diplomatum. Tertio, convenerunt et conveniunt quod illustrissimus archimandrita et successores sui in archimandritatu possit concedere dimissoriales litteras suis subditis ad ordines suscipiendos, ita tamen ut, toties quoties illos dimittere habeat, teneatur ex pacto vigore praesentis conventionis dimittere, dimissorialesque litteras dirigere privative illustrissimo archiepiscopo Messanensi; advenientibus autem contingentibus casibus vel impedimentis domini archiepiscopi, vel longe absentiae ordinandorum, sic peculiariter conveniunt: illustrissimus archiepiscopus assentit, quoties Sancta Sedes annuat, quantum in se est, posse dominum archimandritam litteras dimissoriales dirigere ad praedictum archiepiscopum Messanensem, et eo impedito, ad quemcumque episcopum, iuxta stylum et formam consuetam; quod pariter intelligendum est de apostolicis Brevibus super dispensatione aetatis vel temporum interstitiis; et ad omnem aequivocationem tollendam, statuunt modo pro longâ absentiâ ordinandorum intelligatur quotiescumque reperiantur et sint extra dioecesim domini archiepiscopi Messanensis, ita quod huiusmodi litterae dimissoriales praesentari debeant in magnâ curiâ archiepiscopali Messanensi, et a cancellario ipsius apponi et subscribi debeat, *Ita est, sic ex pacto, et accedente Sanctae Sedis consensu;* item conveniunt posse dominum archimandritam dimissoriales litteras concedere ad quemcumque directas in vacatione ecclesiae Messanensis, adiectâ particulâ, scilicet *Sede vacante,* hoc tamen expresse declarato quod eiusmodi litterae dimissoriales etiam praesentari debeant in magnâ curiâ archiepiscopali Messanensi, et a cancellario apponi et subscribi debeant, *Ita est, sic ex pacto, et accedente Sanctae Sedis consensu.* Quarto, in vim praesentis concordiae convenerunt et conveniunt, quod illustrissimus et reverendissimus dominus archimandrita et successores sui possint libereque valeant concursus quoscumque ad beneficia curata in suâ archimandritali dioecesi vacantia indicere et instituere, quibus concursibus et institutionibus illustrissimus et reverendissimus dominus archiepiscopus Messanensis per se et successores suos in vim praesentis concordiae promisit et promittit, ex nunc pro tunc et e converso, non se opponere, quoties pariter Sancta Sedes indulgeat. Quinto pariter convenerunt et conveniunt quod litterae apostolicae et dispensationes matrimoniales pro subditis dioecesis archimandritalis si fuerint a Sede Apostolicâ directae illustrissimo et reverendissimo domino archimandritae, tunc exequi debeant ab ipso archimandrita, et nullum ab illustrissimo et reverendissimo archiepiscopo Messanae praesente, et qui pro tempore fuerit, possit fieri impedimentum vel obstaculum; et e contra, si fuerint ex aliquâ speciali causâ directae illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Messanensi, tunc ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo exequi debeant, et nulla possit per illustrissimum et reverendissimum archimandritam fieri oppositio. Sic ex pacto inter eos et non aliter, etc. Sexto, quoad recognitionem et declarationem immunitatis confugientium ad ecclesias archimandritalis dioecesis, inter se convenerunt et conveniunt, quod, ubi videndum est utrum confugientes gaudeant vel non gaudeant, si sint restituendi vel non sint restituendi ecclesiae, tunc dominus archimandrita eiusque successores debeant illos extrahere ex propriis ecclesiis, et in suis carceribus custodire, cum declaratione eos detinendi ad dispositionem domini archiepiscopi, ad quem privative spectat tale ius decisionis, teneaturque dominus archimandrita, mediante epistolâ ex officio, certiorem reddere dominum archiepiscopum de extractione et detentione rei extracti intra terminum dierum quatuor. Septimo, pro ma-

iori validitate et firmitate ad invicem liti cesserunt et liti cedunt, omnibus et quibuscumque supplicationibus, aliisque actis usque modo hinc inde gestis, et unicuique causae et pendentiae super supradictis articulis ut supra transactis tantum et dumtaxat, promittentes ad invicem unus alteri, et e converso, praesenti transactioni non contradicere, nec adversus ea aliquid opponere, sed eis stare et acquiescere, et ab eâ nunquam reclamare, renunciantes ad invicem quibuscumque iuribus et legum dispositionibus ac quibuscumque beneficiis tam de iure canonico quam civili, vel ex quacumque peculiari lege, aliisque forte in contrarium dictantibus, quibus non uti promittunt ex pacto, etc. Pro reliquis vero altercationibus, quaestionibus, aliisque ad invicem praetensis tam decisis quam pendentibus, et tam in iudicio deductis quam non deductis, unusquisque ex eis remaneat in eius primaevis iuribus in quibus erat et est ante praesentem concordiam, et neutri ex eis per praesens instrumentum concordiae et transactionis intelligatur inductum et illatum aliquod praeiudicium, sed omnia et singula intransacta et in praesenti non expressa remaneant in eo statu quo sunt, et quilibet ex eis si voluerit liberas edes habeat iura sua experiendi, prout ante praesentem experiri poterat, firmâ tamen et ratâ manente hac praesenti concordiâ super articulis praedictis ut supra transactis, et non aliter, etc. Et ad hoc ut praesens concordia et transactio firma in perpetuum sit, ad invicem sibi ipsis promiserunt et promittunt implorare et obtinere confirmationem a sanctâ Sede Apostolicâ, et quilibet ex eis teneatur facere partes suas, et adhibere omnem diligentiam, constituentes ad invicem se ipsos procuratores ad hanc specialem causam implorandi et obtinendi praedictam confirmationem a sanctâ Sede Apostolicâ, cum omni amplo et speciali mandato, et quilibet ex eis per se et successores suos respective teneatur, prout se obligavit et obligat, praesentem transactionem in omnibus et per omnia observare et adimplere iuxta tenorem et formam, ac sub illis legibus quibus fuerit per sanctam Sedem Apostolicam praescriptum, et non aliàs, etc. Et casu quo non fuerit praesens concordia confirmata a sanctâ Sede Apostolicâ, tunc et eo casu nullam habeat vim neque efficaciam, et neuter ex eis teneatur ad illius observantiam, sed unusquisque ex eis remaneat in eius primaevis iuribus et actionibus, prout ante praesentem erat, et nullum per praesentem intelligatur acquisitum ius, nec illatum praeiudicium, et non aliter, etc., ex pacto, etc. Ita est: frater Ioseph Maria episcopus Oppidensis. Et volentes partes ipsae ut de praeinserto instrumento concordiae, transactionis et conventionis plene constet, et toties a sanctâ Sede Apostolicâ beneplacitum super praemissis in transactione praedictâ obtentum fuerit, prout ad invicem obtinere et implorare promittunt, illud observari debeat, deliberaverunt etiam ad praesentem alberani formam devenire, prout deveniunt, vi cuius teneantur, quemadmodum se obligarunt et obligant, obtento beneplacito praedicto, et adhibitâ exinde publicâ et solemni stipulatione, concordiam praedictam in omnibus et per omnia observare et adimplere, iuxta tenorem et formam, ac sub illis legibus quibus fuerit per sanctam Sedem ipsam Apostolicam praescriptum, et non aliter, etc.; et non obtento beneplacito apostolico, uterque remaneat in iure suo, et praesens alberani forma nullam vim et robur habeat, dum ad hoc devenitur solummodo, ut in obtinendo beneplacito apostolico dignoscatur a Sanctâ Sede utrumque consensum adesse circa transactionem praedictam ipsorum praedictorum illustrissimorum et reverendissimorum archiepiscopi et archimandritae, qui se in praesenti subscripserunt, unde, etc. Messanae, die xxx augusti mdccxxviii. — Ioseph archiepiscopus Messanensis. — Silvius archimandrita Messanensis. — Abbas Bartholomaeus Dominicus Voci adfui testis, et doctor Ioseph Celi adfui testis, etc. Ex actis quondam notarii Ignatii Saraci Messanensis extracta est praesens copia per me notarium Ioseph Chiatto, etc. »:

Plenius et fusius continetur.

*Utraque pars praeinsertam concordiam petit confirmari.*

§ 3. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Ioseph archiepiscopus, antequam beneplacitum huiusmodi a nobis impetraretur, debitum naturae persolverit, concordia seu transactio vero huiusmodi pro diu optato bono pacis inita sit, et ex illâ non modicum divini cultus et spiritualium animarum dicto monasterio subiectarum huiusmodi consolationum oriturum sit incrementum; ideoque Thomas archiepiscopus et Silvius archiepiscopus et commendatarius praefati plurimum cupiant illam per nos et Sedem Apostolicam ut infra approbari et confirmari, illamque apostolicae firmitatis munimine roborari: quare pro parte Thomae archiepiscopi et Silvii archiepiscopi et commendatarii praedictorum nobis fuit humiliter supplicatum quatenus eis in praemissis opportune providere de benignitate apostolicâ dignaremur:

*Quod conceditur a Pontifice.*

§ 4. Nos igitur, qui dissidentium animos in concordiae unitate conciliare et confirmare sinceris exoptamus affectibus, Thomae archiepiscopo et Silvio archiepiscopo et commendatario praedictis specialem gratiam facere volentes, ac Thomam archiepiscopum et Silvium archiepiscopum et commendatarium praefatos a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, ac instrumenti praedicti seu scripturarum praedictarum tenores etiam veriores ac datam praesentibus pro expressis habentes, necnon causas et controversias huiusmodi ad nos avocantes, litesque praedictas, quoad Thomam archiepiscopum et Silvium archiepiscopum et commendatarium praefatos tantum, penitus et omnino extinguentes, ex voto Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium decretorum Concilii Tridentini interpretum, huiusmodi supplicationibus inclinati, concordiam seu transactionem huiusmodi, et, prout eam concernit seu concernunt, desuper confectum instrumentum seu desuper confectas scripturas huiusmodi, et in eo seu eis contenta quaecumque, licita tamen et honesta, cum omnibus et singulis inde legitime sequutis et sequendis quibuscumque, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque perpetuae inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti, et solemnitatum, aliosque quantumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus.

*Concordiam eiusque confirmationem nullo unquam notari posse vitio statuitur.*

§ 5. Necnon concordiam seu transactionem praedictam, necnon instrumentum seu scripturas huiusmodi validum et efficax, seu validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et tam a Thoma et Silvio archiepiscopis et commendatario praefatis, quam a quibusvis aliis, ad quos nunc quomodolibet spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum, firmiter et inviolabiliter observari, et adimpleri debere, et ab illis resiliri aut recedi nullo unquam tempore posse, ac Thomam et Silvium archiepiscopum et commendatarium praefatos, eorumque in archiepiscopatu Messanensi et monasterio praedictis respective successores pro tempore existentes, desuper a quoque, quavis auctoritate, et quovis praetextu, colore vel ingenio, directe vel indirecte molestari, inquietari vel perturbari nullatenus unquam posse neque debere, necnon easdem

praesentes de subreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari vel perturbari, aut aliter quomodolibet infringi vel retractari, seu ad viam et terminos iuris reduci, aut in controversiam revocari, aut adversus eas quodcumque iuris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari vel concedi nunquam posse, easque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sub quibusvis verborum expressionibus et formis, et cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ, deque apostolicae potestatis plenitudine, pro tempore quomodolibet factis et faciendis, ac concessis et concedendis, minime comprehendi vel confundi, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori datâ per Thomam et Silvium archiepiscopos et commendatarium praefatos quandocumque eligendâ, concessas esse et fore, ac semper et perpetuo validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat et spectare poterit quomodolibet in futurum, perpetuo, firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, iudicari et definiri debere, et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

*Derogatio contrariorum.*

§ 6. Non obstantibus quibuscumque etiam in provincialibus et universalibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac ecclesiae Messanensis et monasterii necnon Ordinis praedictorum, et iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, illis illiusque capitulo et canonicis et conventui eiusdem monasterii quomodolibet forsan concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus et formis specialis et specifica, individua, ac de verbo ad verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, expressi et inserti forent, iisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac specialiter et expresse harum quoque serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

*Poenae infractoribus intentatae.*

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, avocationis, extinctionis, approbationis, confirmationis, roboris adiectionis, defectuum suppletionis, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnaiionis dominicae

MDCCXXXV, VIII idus martii, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 8 martii 1736, pontif. anno VI.

---

## CLXXIV.

*Tertiariis Ordinis S. Francisci, iurisdictioni pro tempore existentis ministri generalis Ordinis fratrum Capuccinorum subiectis, indulgentiae confratribus et consororibus B. Mariae de Monte Carmelo concessa communicantur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Sollicitudo pastoralis officii, quo Ecclesiae catholicae regimini divinâ dispositione praesidemus, nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum sub suavi arctioris regulae iugo mancipatorum curam gerentes, pia illorum studia gratiis et favoribus foveamus atque incitemus opportunis.

Ministri generalis Ordinis Capuccinorum preces. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Bonaventura a Ferraria minister generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecit, ipse omnibus utriusque sexus piis personis ubicumque existentibus, tam intra quam extra claustra degentibus, etiam coniugatis, quae sub regulâ tertii Ordinis eiusdem sancti Francisci militant, et quae sub iurisdictione pro tempore existentis ministri generalis dicti Ordinis reperiuntur, omnes et quascumque indulgentias ab hac Sanctâ Sede Apostolicâ tam concessas quam imposterum concedendas, quibus confratres ac consorores confraternitatis B. Mariae de Monte Carmelo gaudent (tendentibus etiam in id precibus dilecti pariter filii Ludovici Benzoni prioris generalis secundodicti Ordinis) per nos communicari summopere desideret:

Communicatio de quâ in rubrica. § 2. Nos igitur, quo praedictus Tertius Ordo sancti Francisci ad maiorem Dei gloriam, religionis incrementum et animarum salutem magis magisque de die in diem augeatur, eiusdem Bonaventurae ministri generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, enarratam communicationem indulgentiarum praedicto Tertio Ordini sancti Francisci, qui militat sub regulâ S. Francisci et sub iurisdictione pro tempore existentis ministri generalis eorumdem fratrum Capuccinorum reperitur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus.

Praesentium litterarum firmitas. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 4. Non obstantibus nostrâ et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione aposto-

licâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII martii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 13 martii 1736, pontif. anno VI.

F. card. BARBERINUS.

---

## CLXXV.

*Confirmatio regularum et constitutionum Congregationis seu Collegii sub titulo* Familiae Iesu Christi *pro educatione alumnorum Sinensium et Indorum erecti extra muros civitatis Neapolitanae.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Iniuncti nobis caelitus pastoralis officii ratio postulat, ut illis quae pro felici congregationum presbyterorum seu collegiorum, in quibus iuvenes ad christianam fidem catholicamque religionem in remotissimis etiam partibus praedicandam et propagandam atque ad ecclesiastica munia opportune instituantur, directione ac progressu prudenter constituta esse noscuntur, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolici muniminis nostri praesidium libenter adiungamus.

Aliàs institutum huiusmodi a Pontifice approbatum. § 1. Aliàs siquidem per quasdam nostras in simili formâ Brevis litteras sub certis modo et formâ tunc expressis approbavimus et confirmavimus fundationem cuiusdam piae Congregationis presbyterorum saecularium, seu collegii sub titulo *Sacrae Familiae Iesu Christi* extra muros civitatis Neapolitanae positi, cuius praecipuum institutum est educare alumnos Sinenses et Indos, qui ex iis regionibus advenerint pro addiscendis catholicae fidei praeceptis, amplectendo statu sacerdotali, ac se se parandis ad annunciandum in eorum patriâ Christi Evangelium, ita tamen quod in idem collegium admitti quoque possent alii ex quacumque Europae parte existentes, qui inibi propriis sumptibus ali et sustentari vellent, ad hoc ut ad sacerdotium eiusmodi suscipiendum, sacrasque missiones obeundas rite instruerentur, ac habiles et idonei redderentur; et aliàs, prout in praedictis litteris nostris die VII aprilis MDCCXXXII desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

A fundatore conditae regulae. § 2. Et, sicut accepimus, antequam litterae nostrae praefatae emanarent, dilectus filius Matthaeus Ripa, ipsius Congregationis seu collegii fundator, regulas et constitutiones pro salubri prosperoque eiusdem Congregationis seu collegii personarumque ibidem pro tempore degentium regimine et gubernio iam compilaverat, atque exhiberi curaverat Congregationi particulari nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus Propagandae Fidei huiusmodi negotiis praepositorum super rebus Sinarum a nobis deputatorum, ut illarum approbationem obtineret.

Eaedem a Congregatione de Propagandâ Fide approbatae. § 3. Quae cum die V aprilis MDCCXXXI dictarum regularum et constitutionum inspectionem et examen commisisset ve-

Sequuntur praedictae regulae. nerabili fratri Ludovico Albanensi Pico ac dilecto filio nostris Vincentio eiusdem S. R. E. cardinalibus Petra respective nuncupatis Congregationis dictorum cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum praefecto, ipsi Ludovicus episcopus ac Vincentius cardinalis, visis per eos et mature perpensis regulis ac constitutionibus praefatis, censuerunt nihil obstare quin praedicta Congregatio particularis cardinalium nobis pro earum approbatione consulere posset.

§ 4. Quarum quidem regularum ac constitutionum tenor est qui sequitur, videlicet:

## REGOLE E COSTITUZIONI

### Della Congregazione e Collegio della Sagra Famiglia di Gesù Cristo.

#### PRELUDIO.

i. Il superiore sarà il capo della Congregazione e del Collegio. Egli dovrà convocare le congregazioni da farsi, e specialmente quelle nelle quali dovranno farsi i nuovi uffiziali, che onninamente dovrà convocarle ogni tre anni, e proponendo in esse gli affari da trattarsi, avendo egli la cura di far adempire quanto in esse sarà per stabilirsi, ed in fine avrà nelle sue mani tutto il governo. Dovrà però avere i suoi consultori, coll'obbligo di congregarli ogni quindici giorni, ed altre volte a suo arbitrio, occorrendo il bisogno, quantunque egli non avesse che consultare, dovendo sentire quello che occorresse ad essi, e senza la maggior parte dei voti di detta consulta non potrà far cosa alcuna che spetti al governo universale della congregazione o del collegio, nè potrà eleggere e rimovere gli uffiziali, nè punire li consultori, nè far altro che in varî luoghi di queste regole e costituzioni si è espresso esser necessaria la maggior parte dei voti della consulta. E benchè sia egli il capo di tutto il corpo, dovrà con tutto il corpo essere soggetto ed ubbidiente alli Ordinarî dei luoghi.

ii. Dopo l'anno 1750, nessuno si elegga per superiore, che non abbia vissuto dieci anni in congregazione dopo l'anno del noviziato, ed esercitato l'uffizio di consultore, e che non abbia finito i quarant'anni d'età.

iii. Gli elettori del superiore presentemente saranno tutti i sacerdoti congregati, che hanno finito l'anno di noviziato, e dopo l'anno 1750 saranno solo quelli sacerdoti che dopo l'anno del noviziato avranno vissuto almen dieci anni in congregazione, e saranno presenti e radunati nelle congregazioni, non potendo gli assenti dare il voto.

iv. Il superiore e tutti gli altri uffiziali dureranno tre anni nell'uffizio, e per essere confirmati vi bisogneranno due terzi dei voti.

v. Tutti della Congregazione e del collegio dovranno ubbidire al superiore nel modo che diffusamente s'è detto nel capo vii ed viii della parte i, e terminato l'uffizio, resterà senza alcuna essenzione, e ritornerà al suo luogo secondo l'anzianità.

vi. Dovrà il superiore usar quella cura in governare che si conviene ad un diligente padre di famiglia, e tratterà tutti con paterna carità e da veri fratelli, servando al possibile egualità, schivando di mostrarsi in qualche modo parziale, procedendo però con discrezione e prudenza, secondo li bisogni di ciascheduno.

vii. Mai farà cosa nuova ed inusitata senza l'assenso dei consultori.

viii. Abbia ogni cura a far osservare *ad unguem* le regole e costituzioni, avendo special riguardo alle cose essenziali, e sia egli il primo ad osservarle, perchè agli altri sia di stimolo e di esempio.

ix. Usi ogni vigilanza a vedere come li novizî e li collegiali fanno frutto, e cerchi che a ciò vi si attenda con ogni diligenza, essendo negozio che tanto importa.

x. Sia affabile ed amorevole con tutti, usando parti dolci e piacevoli, guardandosi da ogni sorta di ingiurie; e ritrovando errori, li corregga con parole gravi, dando poi le penitenze secondo le regole prescrivono; userà però prudenza, giacchè non tutti bisogna correggere nello stesso modo, poichè ad altri meglio giovano le lusinghe, altri

hanno bisogno di minaccie, e molti anche di riprensione e castighi, e però userà diligenza di conoscere, e poi accomodarsi alle inclinazioni d'ognuno.

xi. Si sforzi essere sempre presente ed il primo alle orazioni, alle conferenze, ed agli altri esercizî di comunità, dovendo operare come un accorto capitano, che volendo efficacemente animare i suoi soldati alla battaglia, si mette lui il primo nel fatto d'armi.

xii. Abbia cura che delle cose necessarie alla casa ne stia sempre provista, facendo comprare quel che fa di bisogno a tempo debito, perchè poi non sia costretta comprarle più caro e di condizione inferiore.

xiii. La facoltà di fare i contratti ed istrumenti risiede nel superiore; però nei casi di molto rilievo deve sentire il parere de' suoi consultori, e resistendo la maggior parte, non deve oprare. Per far però affitti di stabili, e vendite dei loro frutti, o altri consimili istrumenti di cose di poco rilievo, e che non passano la somma di scudi trenta, il superiore puol farli indipendente dalla sua consulta, bastando il parere del solo procuratore.

xiv. Si proibisce al superiore di spendere di propria autorità più di cinque scudi al mese sopra le spese ordinarie per il mantenimento della casa; onde, se gli occorresse di dover fare spese di maggior somma sino a venti scudi il mese, dovrà proporlo a' suoi consultori; e per somma maggiore, dovrà proporlo nella congregazione di tutti i sacerdoti votanti della casa, e risolvere colla maggior parte de' voti.

xv. Il nuovo superiore, coll'assistenza del vice-superiore, riceva la consegna dal superiore passato, osservando attentamente se esistono tutte le supellettili, ed ogni altro mobile notato nell'inventario del giorno che prese il possesso e gli fu fatta la consegna dal precedente superiore, fino al giorno presente; ed esamini la causa per la quale si trovassero mancanti; ed è tenuto farne in iscritto la ricevuta nel detto libro d'inventario, che dovrà consegnarsi nell'archivio.

xvi. Il tempo dell'elezione sarà la terza domenica dopo Pasqua di Risurrezione, quando ogni tre anni si celebrerà la congregazione da intimarsi dal superiore, e nel caso di sua morte dovrà intimarsi dal vice-superiore.

xvii. Nell'elezione del nuovo superiore presiederà l'antico, e nel caso di sua morte presiederà il vice-superiore, e chi presiederà dovrà decidere, nel caso di parità di voti, col secondo voto che a questo effetto gli si concede.

xviii. La prima cosa che dovrà farsi sarà di dire il *Veni, creator Spiritus, etc.*, colla solita orazione *ante congregationem*, il che s'osserverà in ogni altra congregazione che dovrà farsi; di poi si leggerà tutto questo capo, attendendo ognuno a quanto vi si prescrive; di poi quello che presiede farà una diligente esortazione che nell' elezione del superiore e degli altri uffiziali si proceda con vero zelo di Dio e della Congregazione.

xix. Nell'elezione del superiore, ogni votante porrà il suo voto in scritto nella bussola, che sarà portata in giro da due sacerdoti a questo effetto eletti dalli consultori; ed a vista dei medemi due sacerdoti, il segretario l'estraerà dalla bussola, e li leggerà ad alta voce, notando il numero di essi; e quello resterà eletto superiore, il quale n'avrà più della metà; e nel caso di parità di voti, deciderà il vice-superiore col secondo voto che a questo effetto se gli concede; coll'avvertenza che non sarà lecito ad alcuno dar la voce per la sua persona; e lo stesso s' intenda proibito in tutte le elezioni degli altri uffiziali; e perciò se la suddetta parità di voti cadesse sopra la persona del vice-superiore e sopra altra persona, deciderà il secondo consultore; e se quest' altra persona fosse il secondo consultore, deciderà il terzo consultore; e potendosi dare il caso che nel primo scrutinio il superiore non restasse eletto, si potrà ripetere sino alla decima volta; e se nè pure restasse eletto, si dovrà votare sopra le due sole persone, che negli antecedenti scrutinî avranno avuto maggior

numero di voti; e se nè pure succedesse l'elezione, si ripeterà due altre volte lo scrutinio sopra le istesse due persone, e potendosi dare il caso, che nè pure restasse eletto, allora si dovrà fare il compromesso, eleggendosi cinque de' votanti, acciò questi cinque colli loro voti, uno almeno più della metà, eleggano per superiore uno dei suddetti due. Acciò l'elezione dei mentovati cinque elettori resti fatta subito, ogni votante darà il suo voto ad uno de' votanti presenti: quelli resteranno eletti che avranno maggior numero di voti. Sia per esempio: due avranno avuto sette voti, due altri sei, uno quattro, altri, chi tre, chi due, e chi uno; or li due primi che hanno avuto sei, e l'altro che ne ha avuti quattro, saranno li cinque elettori; e gli altri, che ne hanno avuti tre, due ed uno, resteranno esclusi.

xx. Nell'eleggere il superiore ed ogni altro uffiziale, dovranno li votanti considerare assai bene, che, oltre il comando di questa regola, lo stesso debito naturale della giustizia esige che si dia il voto a quella persona che in coscienza ed avanti Dio stimano essere più degna e più abile al buon governo; ed il superiore, dopo di essere stato eletto, dovrà colla sua vita ed operare dimostrarsi tale, e sopra tutto dovrà aver sempre avanti gli occhi il detto di S. Paolo: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum*[1]; sia divoto verso Dio e zelante del culto divino, sia assiduo nell'orazione, grave nella vita, esemplare nelli costumi, sollecito nell'operare, paziente nelle cose avverse, umile nelle prospere, severo nel riprendere, diligente nel castigare, specialmente li difetti gravi, cercando di rimediare nel principio: in somma sia tale quale conviene ad un padre di tanti e tali figli.

xxi. Terminata l'elezione, subito il superiore eletto, senza replica, dovrà andare al suo luogo, ed intonare il *Te Deum*, e risponderanno gli altri; e rispondendo gli altri s'incamineranno verso la chiesa, ove, finito che sarà il *Te Deum*, il superiore si sederà, e tutti in ginocchioni un dopo l'altro gli bacieranno la mano in segno d'ubbidienza, dopo del che si procederà all'elezione degli altri uffiziali, leggendosi sempre i capi spettanti al loro uffizio.

1 *Ad Tit.* II, 7.

### CAPO NONO.

*Dell'elezione, uffizio ed autorità del vice-superiore, consultori e segretario.*

I. Quattro consultori dovrà avere il superiore; ma quando i sacerdoti della casa fossero men di dieci, basteranno due: il primo di questi sarà sempre vice-superiore; e l'ultimo segretario. Il vice-superiore ed il secondo consultore dopo tre anni termineranno il loro uffizio, e per la conferma vi bisognano due terzi dei voti della congregazione. Non essendo confirmati, si eleggeranno dalla congregazione due nuovi consultori, ed allora il segretario passerà all'uffizio di vice-superiore, il terzo consultore all'uffizio di secondo consultore, ed uno dei due nuovi consultori si eleggerà per segretario; ed in tutte le suddette elezioni si praticherà il metodo descritto nell'elezione del superiore.

II. L'uffizio del vice-superiore sarà di sedere nel luogo del superiore, e fare tutto quello, che puol fare il superiore, avendo l'istessa autorità nel caso che il superiore morisse, rinunciasse o venisse deposto a causa di qualche infermità abituale che lo rendesse affatto inabile al governo, o commettesse alcun difetto (il che *absit*) degno di privazione, in qual caso però vi bisognano due terzi de' voti de' sacerdoti votanti, e la congregazione dovrebbe intimarsi dalla consulta. Vivendo però il superiore, l'uffizio del vice-superiore sarà d'aiutare il superiore in tutte le cose che gli commetterà con somma ubbidienza ed esattezza, e di porre mente a tutte le cose di casa, si perchè, dovendo essere come un occhio del superiore, possa avvisarlo di quanto egli non avvertisse, e si anche acciò in assenza sua possa, sapendo le cose, provvedere al bisogno; e terrà in assenza del superiore il suo luogo, però senza poter risolvere cosa

alcuna di qualche importanza senza il parere de' consultori.

III. Avrà buona corrispondenza col superiore, e non farà mai, nè in sua presenza, nè in sua assenza, cosa contraria alli suoi ordini, nè nuova o inusitata.

IV. Dopo il superiore, egli sederà in primo luogo, e dopo d'esso sederanno gli altri consultori secondo l'ordine. Dopo di essere stato proposto l'affare dal superiore o dal segretario, il primo a parlare e proferire il voto sarà il primo consultore, cioè il vicesuperiore, dipoi il secondo, dopo di questo il terzo, e poi il quarto, cioè il segretario, e per ultimo il superiore.

V. Dovranno li consultori esser persone di maturo giudizio e di gran pratica nelle cose difficili e dubbiose, ed il segretario dovrà di più avere un carattere intelligibile, saper mettere in carta, e formare gli atti necessarî.

CAPO DECIMO.

*Dell'obbligo ed uffizio del segretario.*

I. L'uffizio del segretario sarà: I. Di proporre nella congregazione e nelle consulte le cose che si hanno da trattare, quando ciò non voglia fare il superiore; II. Di scrivere e leggere quanto farà bisogno nelle congregazioni e consulte; III. Scrivere le lettere, che per conto della Congregazione e del Collegio saranno scritte, conforme all'ordine che dal superiore e consultori sarà dato; IV. Fare le patenti secondo il bisogno; V. E custodire diligentemente una delle due chiavi dell'archivio.

II. Avrà un libro, dove scriverà tutti i congregati e collegiali che hanno fatto i voti, con i loro nomi e cognomi e patria, quando saranno ricevuti, quando avranno presi gli ordini sacri e celebrata la prima messa, notando di tutto il giorno, mese ed anno; e quando alcuno passerà all'altra vita, se ne andasse o ne fosse mandato, ne farà nota in margine; ed il duplicato si conserverà nell'archivio.

III. In un altro libro noterà tutti i beni stabili, censi, livelli, frutti, emolumenti, ragioni, azioni, concessioni, alienazioni ed obblighi, così spirituali come temporali, aggiungendo alla giornata quel che di nuovo accadrà intorno alle cose suddette, e chiamando di tutto ciò gli atti pubblici ed autentici, per conservarli.

IV. Abbia un altro libro, nel quale andrà scrivendo li decreti ed atti che si faranno nelle congregazioni, notandosi di esse il giorno, il mese ed anno, il luogo e le persone che v'intervengono, ed il duplicato dovrà conservarsi nell'archivio.

V. Terrà un altro libro, nel quale scriverà brevemente i ricordi delle cose che si devano proporre in consulta, e dell'altre che sono state risolute in consulta, ad effetto di doverle poi notare alla distesa, e delle altre cose appartenenti al suo uffizio; e quando quelle note avranno avuto l'effetto, vi farà un segno.

VI. E finalmente avrà in un altro libro un esatto inventario di tutti i libri e scritture che si conservano nell'archivio, col quale inventario, nel lasciar dell'uffizio, in presenza dei consultori dovrà consegnare ogni cosa al successore.

CAPO UNDECIMO.

*Dell'elezione ed uffizio dell'ammonitore.*

Terminata che sarà l'elezione dei mentovati uffiziali, si dovrà eleggere l'ammonitore, la di cui cura sarà di riferire fedelmente al superiore tutti i disordini, tanto spirituali quanto temporali, che occorreranno nella Congregazione e nel Collegio, che verranno in sua notizia, e con gran rispetto, umiltà e carità lo dovrà parimente ammonire, dove sarà notato di difetto.

CAPO DUODECIMO.

*Dell'elezione ed uffizio del maestro de' novizî e suoi compagni.*

I. Essendo istituito il noviziato per buttare nell'animo dei novizî un sodo fondamento alla vita religiosa, acciò si faccia con tutta la perfezione che si desidera, fa di bisogno usare tutte le diligenze in scegliere uno che abbia tutte le doti che si richiedono a questo impiego. Deve egli esser parimente eletto dalla congregazione colla mag-

gior parte dei voti, e dal numero di quelli sacerdoti, che, dopo finito il noviziato, hanno dieci anni di comunità. Deve egli esser un uomo fedele, ed assai esercitato nelle cose dello spirito, e dee essere tutto amabilità e carità, acciò, conciliatisi gli animi dei novizî, possa colla sua guida condurli alla perfezione. Intenda pertanto il maestro de' novizî di essergli stata commessa una cura, dalla quale dipende in buona parte la perfezione de' suoi allievi, e la speranza di tutta la Congregazione; si sforzi pertanto collo studio della propria perfezione rendersi sempre più istromento abile a questo importantissimo impiego. Quando i novizî fossero molti, dovrà la medema Congregazione eleggere un sacerdote ed un fratello laico per compagni del maestro, e questi con i novizî lo dovranno ubbidire, perchè la cura di tutta la casa, benchè sia del superiore, tuttavia quella che si restringe dentro le mura del noviziato sarà eseguita dal maestro dei novizî.

II. Il maestro per ben regolare i suoi novizî fa bisogno di conoscere tutto il loro interno ed esterno, e per conseguire ciò, oltre il conto della coscienza, giovando molto il discorrere frequentemente con essi da solo a solo, e quest'istesso esercizio apportando alli novizî gran giovamento, perciò dovrà il maestro servirsi spesso di questo avviso.

## CAPO DECIMOTERZO.

### *Dell'elezione ed uffizio del rettore.*

Dalla medema congregazione generale, e colla pluralità dei voti, dovrà eleggersi il rettore del collegio, che parimente dovrà essere sacerdote votante, e quando così stimasse bene la Congregazione, potrà anche eleggersi dal numero dei collegiali, purchè dopo dei voti abbia vissuto dieci anni in comunità.

II. Al rettore dovranno ubbidire tutti i collegiali praticando verso lui quanto si è detto nel capo VII ed VIII della prima parte, ed il rettore e tutti gli altri del collegio dovranno ubbidire al superiore.

III. Dovrà il rettore sforzarsi di praticare verso dei collegiali, quanto il superiore è tenuto praticare verso degli altri, e specialmente quanto si è prescritto nel n. 4, 6, 7 ed 8 del cap. XIII di questa terza parte, e mai dovrà far cosa nuova ed inusitata senza l'approvazione della consulta.

## CAPO DECIMOQUARTO.

### *Dell'elezione ed uffizio del direttore di spirito e degli altri uffiziali.*

I. Il direttore di spirito dovrà essere confessore, benchè non si ricerca che abbia vissuto dieci anni in comunità, bastando che sia uomo di spirito, di prudenza e dottrina. Resterà nel suo impiego, finchè non si stimasse di eleggere un altro dalle due parti dei votanti di quella casa.

II. Il suo uffizio sarà di diriggere nello spirito tutta la comunità, eccettuatine i novizî e gli studenti, dovendo essere questi diretti dai loro maestri; e dovrà aver un occhio speciale sopra dei fratelli laici, procurando che vivano in pace, in umiltà e contenti di fare l'uffizio di Marta.

III. Dovrà avere una perfetta cognizione di tutte le nostre regole e costituzioni, e perciò se gli dovrà comunicare questa terza parte, per insistere all'osservanza di esse colle parole o coll'esempio. Egli dovrà mostrarsi amabile con tutti, acciò tutti possano ricorrere a lui con confidenza e svelargli tutto il loro interno, per ricevere i suoi buoni consigli ed essere consolati.

IV. Nel conto di coscienza, che da tutti i nostri, eccetto i novizî e studenti, dovrà prendere ogni mese, sia diligente di dimandare ad ognuno: I. Se viva contento della sua vocazione; II. Come si porta nell'esercizio della virtù, e quale di esse in speciale[1] con maggior ardore desidera, cosa fa per conseguirla; III. Se ha alcuna perturbazione d'animo o alcuna tentazione, se trova facilità o difficoltà nel resistere, quali atti fa per resistere, da qual passione è più predominato, ed a qual difetto è più proclive; IV. Se ha formato alcun sinistro giudizio contro qualche punto di regola, e contro qualche comando dei superiori; V. Se gli pare d'aver molto o poco zelo per la salute delle

1 Nempe *in particolare* (R. T.).

anime, e specialmente per quelle degl'infedeli; vi. Se ha amore verso le cose spirituali, quanto tempo consuma nell'orazione, quale è il modo di procedere in essa, nell'esame di coscienza, e nell'esame particolare contro qualche difetto, e se consuma più tempo nell'orazione vocale che nella mentale, e quale ne sia la causa; vii. Se trova consolazione nelle cose spirituali, ovvero desolazione, aridità e vagazione di mente, e come in esse si porta; viii. Qual frutto ricava dai sacramenti che riceve, e dall'orazione ed esami che fa, e specialmente dall'esame particolare; ix. Se dall'ultimo conto di coscienza si trova alquanto migliorato; x. Come è osservante delle regole; xi. Come s'approfitta della conversazione dei compagni, se ha qualche amicizia o affetto speciale verso qualcheduno di essi, o contro alcuno di essi avversione, e specialmente contro del superiore; xii. Quante e quali mortificazioni fa per domare le passioni sregolate, come sopporta le ingiurie, come si preparerà a sopportarle, e se nudrisce desiderio di riceverne molte per l'amor di Gesù Cristo; xiii. E finalmente, fuora del sigillo sacramentale, dovrà esaminare diligentemente se le penitenze e gli altri esercizi di pietà, che tanto da esso quanto dagli altri si esercitano, offendano la loro testa, la salute, se perturbano gli esercizî di comunità, e se impediscono gli studî e gli esercizî del loro impiego, per moderarli secondo le regole della prudenza; e trovando alcuno che non volesse sottomettersi alla sua discreta moderazione e consigli, ne dia parte al superiore, acciò colla sua autorità vi dia rimedio; e qui s'avverte che, benchè si lasci in libertà dei nostri il dare conto di coscienza al superiore o al direttore di spirito, non per questo restano disobbligati di darlo al superiore, ogni qualunque volta, col previo parere della sua consulta, egli stimasse bene avanti Dio di prenderlo, come deve fare in somiglianti casi.

v. Dopo essere stato eletto il direttore di spirito, eleggeranno il sagrestano, l'infermiero, il procuratore ed il depositario: e terminata che sarà la suddetta congregazione, dovrà il superiore col parere dei suoi consultori eleggere il ministro, il compratore, il dispensiero, il refettoriero, il cuoco, il portinaro, lo svegliatore ed il bibliotecario.

### CAPO DECIMOQUINTO.

*Come si ha da provvedere quando mancasse alcuno degli uffiziali.*

i. Quando per morte mancherà il superiore, a lui succederà il vice-superiore, il quale persevererà nell'uffizio sino alla prima congregazione generale da farsi nel tempo solito, tre anni dopo dell'ultima; e quando venisse deposto per qualche infermità abituata, che lo rendesse inabile al governo, o per aver commesso *(quod absit)* alcun difetto degno di privazione, perchè la facoltà di deporre e licenziare il superiore risiede nella congregazione generale, e si richiedono due terzi de' voti, perciò la medema congregazione deve eleggere il nuovo.

ii. Quando per morte o per altro accidente mancherà qualche uffiziale eletto dalla congregazione generale, il superiore o consultori proveggano l'altro; e quando sarà di quelli che sono stati eletti dalla congregazione dei sacerdoti votanti delle case, o dal superiore col parere della consulta, il superiore col parere della consulta eleggerà un altro; e tutti dureranno sino al tempo della nuova elezione degli uffiziali, se pure non verranno confermati; e si eccettua solo il direttore di spirito, perchè questo dovendo essere sempre di comune soddisfazione, sempre dovrà eleggersi dalla pluralità dei voti de' sacerdoti votanti della casa.

### CAPO DECIMOSESTO.

*Dell'amministrazione e conservazione dei beni temporali.*

i. Perchè i collegiali devono attendere al solo studio dell'orazione e delle scienze spettanti allo stato ecclesiastico, per poi impiegarsi alla coltura della vigna del Signo, acciò la cura dell'amministrazione del temporale non sia loro d'impedimento, perciò sarà tutta nella congregazione. Il preposito dunque, che è il capo d'essa, avrà colla sua consulta il governo di tutto il tem-

porale; e perchè da sè solo non potrebbe governar tutto, delegherà la facoltà al superiore e consulta d'ogni luogo, eccetto i casi, ne' quali vi bisogna l'assenso apostolico; allora il preposito non potrà delegare, ma colla sua consulta dovrà esaminare le cause; e trovandole giuste, darà in iscritto la licenza, acciò s'ottenga l'assenso dal sommo Romano Pontefice; e nel mentre s'incarica al preposito, ed a tutti quelli che avranno l'amministrazione dei nostri beni a voler esser tutti vigilanza in conservarli, e sempre più aumentarli, dovendoli riguardare come beni di nostro signore Gesù Cristo e patrimonio dei poveri, e dai quali dipende l'utile e conservazione della fondazione; nello stesso tempo rigorosamente si proibisce a tutti, e sotto pena di essere licenziati dalla Congregazione e dal Collegio, il negoziare, o che si faccia da per se stessi, o per mezzo d'altri, anche sotto pretesto e fine d'impiegare il guadagno in servizio delle nostre case, chiese o altre opere pie.

CAPO DECIMOSETTIMO.

*Dell' archivio.*

I. Ogni cosa [1] dovrà avere l'archivio, che dovrà essere serrato con due chiavi; una si custodirà dal segretario, e l'altra dal procuratore: ed in esso si custodiranno le scritture necessarie e i libri seguenti: I. Un libro nel quale s'inseriranno tutti gl'istromenti e scritture necessarie; e le copie dei contratti di maggior rilievo si conserveranno nell'archivio del preposito, al quale si dovranno mandare con opportuna occasione; II. Il libro nel quale si notano i titoli di tutte le scritture e libri, che vi si conservano e vi si anderanno conservando, ed una copia d'esso si conserverà dal procuratore; III. Il libro nel quale si notano le scritture che dall'archivio si estraggono, colle ricevute di quelli a'quali saranno consegnate; IV. La platea, la di cui copia si conserverà dal procuratore; V. Il libro delle elemosine che si ricevono ogni mese; VI. Il libro del denaro che s'introita ogni mese, ed il duplicato lo conserverà il depositario; VII. Il libro delle spese che si fanno ogni mese, di cui il duplicato si conserverà dal procuratore; VIII. Il libro de'nomi e cognomi dei debitori e creditori, e del quanto e quando si deve pagare e riscuotere, ed il duplicato si conserverà dal procuratore; IX. Il libro nel quale si noterà tutto quello si spenderà per le liti; X. E finalmente il libro de'nomi de'benefattori, col notamento in ristretto de' beneficî ricevuti, e servirà per mostrarci sempre grati verso di essi.

*Finis.*

LAUS DEO.

(1).

§ 5. Hinc est quod nos, perenni praemissorum utpote ad animarum salutem fideique catholicae propagationem promovendam laudabiliter tendentium robori et efficaciae, quantum cum Domino possumus, prospicere cupientes, de memoratae Congregationis particularis cardinalium super rebus Sinarum ut praefertur deputatorum consilio, regulas et constitutiones praeinsertas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate supradictae Congregationis particularis cardinalium. — *Regulae praedictae confirmantur a Pontifice.*

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras ac regulas et constitutiones huiusmodi perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et — *Qui hasce litteras perpetuo valituras esse decernit.*

1 Ita habet edit. Main., ni aliter legend (R.T.).

(1) Heic in edit. Main. sequitur index omnium capitulorum regularum praeinsertarum, quem omittimus tamquam inutilem titulorum iam supra suis locis positorum repetitionem (R. T.).

ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, ipsius Congregationis presbyterorum saecularium, seu collegii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 22 martii 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

## CLXXVI.

*Confirmato decreto Innocentii XI, quo Graecis cuiuscumque conditionis prohibentur quaestuationes, singulis cardinalibus legatis et nunciis apostolicis, ceterisque ecclesiarum praelatis committitur, eis non tantum litteras quaestuationis, sed quaesitas quoque pecunias adimere.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Decretum Innocentii XI quo Graecis interdicitur eleemosynas quaestuare.

§ 1. Dudum emanavit a felicis recordationis Innocentio Papa XI praedecessore nostro in Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum coram ipso Innocentio praedecessore habitâ decretum typis subinde impressum ac evulgatum tenoris qui sequitur, videlicet:

Die XXIX ianuarii MDCLXXVII, in congregatione generali de Propaganda Fide habitâ in palatio apostolico coram reverendissimo domino nostro Innocentio Papa XI ac eminentissimis et reverendissimis cardinalibus eiusdem sacrae Congregationis decretum, ne permittatur Graecis cuiuscumque status et conditionis, etc., pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas petere. Cum sancta loca Hierosolymitana, in quibus Verbum caro factum est, et nostrae reparationis mysteria, Deo miserante, completa sunt, hactenus administrationi et custodiae sancti Francisci de Observantiâ a sanctâ Sede Apostolicâ commissa, nuperrimis hisce diebus a Graecis schismaticis, subornatis aulae Turcicae ministris, de manu dictorum fratrum sancti Francisci summo latinorum dedecore usurpata sint, iis praecipue subsidiis quae ex fidelium christianorum eleemosynis iidem Graeci perceperunt; ut huic sceleri modus imponatur, neve ex fidelium pietate schismaticis et perpetuis Ecclesiae Romanae hostibus aditus ad novas cumulandas iniurias aperiatur, sanctissimus dominus noster Innocentius PP. XI, suorum praedecessorum Summorum Pontificum vestigiis inhaerendo,

etiam de consilio et voto eminentissimorum et reverendissimorum dominorum S. R. E. cardinalium Congregationi de Fide Propagandâ praepositorum, omnibus et quibuscumque S. R. E. cardinalibus a latere legatis, nuntiis apostolicis, patriarchis, archiepiscopis, metropolitanis, episcopis, abbatibus, ceterisque omnibus Ordinariis de utroque clero saeculari et regulari, ecclesiasticam iurisdictionem tam ordinariam quam delegatam in iurisdictionibus sive suis dioecesibus respective exercentibus, in virtute sanctae obedientiae iniungit atque inhibet, ne de ceterum quibsuscumque Graecis tam saecularibus quam ecclesiasticis, etiam regularibus, quacumque dignitate, quamvis abbatiali seu archimandritiali, episcopali, metropoliticâ, archiepiscopali sive patriarchali fulgentibus, tacite vel expresse sub quocunque praetextu permittant pecunias quaestuare, vel quovis alio modo eleemosynas a fidelibus petere, etiamsi de eorum unione cum Ecclesiâ Latinâ per abiurationem schismatis et fidei catholicae professionem in manibus episcoporum vel inquisitorum contra haereticam pravitatem litteris testimonialibus docuerint, vel per alios episcopos et locorum Ordinarios similis quaestuationis facultates in scriptis acceperint, vel ad fidem de novo conversi [1] aliorum schismaticorum iram et insidias effugere conati sint, vel ad effectum reparandi ecclesias ab infidelibus dirutas; et non obstantibus aliis quibuscumque praetextibus et causis: immo potius omnes et singulas litteras patentales a quocumque praesule, etiam speciali notâ digno, et a tribunalibus Curiae Romanae et eiusdem sacrae Congregationis de Fide Propaganda (dummodo contentis in praesenti decreto specialiter et expresse non fuerit derogatum cum posteriori datâ), statim ac in eorum Ordinariorum manus pervenerint, ad sacram de Fide Propagandâ Congregationem transmittant. Et ne contra praemissorum omnium observantiam allegari possit futuris temporibus ignorantia, eadem Sanctitas Sua de consilio eorumdem S. R. E. cardinalium voluit, ut huic decreto, aut etiam litteris ad eius formam expeditis seu expediendis, sive scriptis sive impressis, ab eiusdem tamen sacrae Congregationis praefecto signatis, sigilloque solito munitis, fides eadem adhibeatur, quae ipsis originalibus praestaretur: non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, die IV februarii MDCLXXVII. — P. card. DE ALTERIIS, praefectus. *Loco † sigilli.* — V. CERRUS, secretarius.

[1] Male edit. Main. legit *converti* pro *conversi* (R. T.).

Decretum hoc confirmavit Alexander VIII.

§ 2. Ac postmodum recolendae memoriae Alexander Papa VIII praedecessor etiam noster, supplicationibus pro parte tunc pariter existentis Bernardi Iosephi a Iesu Maria, fratris expresse professi Ordinis Minorum S. Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, ac commissarii et procuratoris generalis in Romanâ Curiâ Terraesanctae, sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, per suas in simili formâ Brevis die XXI octobris MDCXC expeditas litteras idem decretum toto illius tenore inserto approbavit et confirmavit; ac aliàs, prout in Alexandri praedecessoris litteris praefatis uberius continetur.

Iterum confirmat Clemens XII.

§ 3. Cum autem ad apostolatus nostri notitiam pervenerit, non deesse hisce etiam temporibus Graecos schismaticos, qui, subdolis artibus ac ementitis praetextibus christifidelium pietatem circumvenientes, in diversis catholicis regionibus pecunias quaestuare seu eleemosynas colligere praesumunt, iisque ad eorum schisma confovendum, erroresque pertinacius retinendos, necnon ad ipsius verae fidei et catholicorum perniciem contra eorumdem fidelium mentem ac intentionem nequiter abutuntur: hinc est quod nos, firmiori decreti et litterarum praefatarum executioni et observationi, quantum cum Domino possumus, prospicere, simulque damnatas quaestuationes seu eleemosynarum collectas huiusmodi impedire ac proscribere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ

deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praeinsertum decretum ab Innocentio emanatum, praefatasque litteras super eiusdem decreti approbatione et confirmatione ab Alexandro praedecessoribus editas, sicut praemittitur, cum omnibus et singulis in eis respective contentis, harum serie approbamus quoque et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur, vim et efficaciam adiungimus.

Quibuscumque legatis et nunciis apostolicis ac ecclesiarum praelatis committitur, Graecis non solum litteras ad quaestuationem spectantes, sed etiam pecunias quaesitas adimere.

§ 4. Praeterea eisdem S. R. E. cardinalibus, etiam de latere legatis, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, dictaeque Sedis nunciis, abbatibus, ac locorum Ordinariis quibuscumque, in virtute sanctae obedientiae, ac sub poenis nostro ac Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrio reservatis, motu, scientiâ ac potestatis plenitudine paribus, tenore praesentium, praecipimus et mandamus, ut non solum omnes et singulas litteras patentes, facultates, licentias, scripturas et documenta, quaestuationem seu collectam eleemosynarum huiusmodi quoquomodo concernentia, quae Graecos praefatos habere ac circumferre compererint, sibi tradi ac consignari faciant, et ad memoratam Congregationem cardinalium negociis[1] Propagandae Fidei praepositorum transmittant, ut praefertur; verum omnem quoque pecuniam seu eleemosynas, quas eosdem Graecos ex enarratâ quaestuatione sive collectâ eleemosynarum accepisse deprehenderint, sive penes ipsos Graecos, sive penes alias cuiuscumque gradus, status et conditionis personas, etiam in formâ depositi, extiterint, statim sequestro supponant, ac, quanto citius fieri poterit, mitti pariter curent ad supradictam Congregationem cardinalium, a qua postmodum pecunia seu eleemosyna praefatae in commodum et utilitatem Propagationis eiusdem Fidei, iuxta ipsius Congregationis morem et institutum, et non in alios usus, integre convertantur et erogentur.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos, dictaeque Sedis nuntios, aliosque quoslibet quacumque dignitate et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, usibus, stylis et consuetudinibus, privilegiis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis[1] etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, aut aliàs in contrarium praemissorum quomodolibet concessis; confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, spe-

1 Edit. Main. legit *negocii* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quibus* (R. T.).

cifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum dumtaxat, specialiter et expresse ac plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum. § 7. Volumus autem ut ipsorum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 26 martii 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXVII.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur licere fratribus Ordinis Minimorum sancti Francisci de Paulâ Congregationis Hispanicae promoveri ad lauream doctoralem et magisterium in publicis universitatibus, in eum finem dumtaxat ut cathedras obtinere et exercere valeant, ita tamen ut huiusmodi assumptio seu promotio nullum penitus gradum neque titulum seu praerogativam in Ordine praedicto inducat, sed circa huiusmodi graduum exclusionem exacte servent quae per constitutiones ipsius Ordinis praescribuntur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Provinciae Hispanae petitio. § 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum fratrum Ordinis sancti Francisci de Paulâ Minimorum nuncupatorum provinciarum Hispaniae nobis exposito, quod, ad hoc ut quis ad publicas cathedras universitatum studiorum generalium in eâdem Hispaniâ existentium concurrere valeat, oportet eum[1] prius magisterii gradum in aliquâ ex dictis universitatibus suscepisse; fratres vero praedicti gradûs magisterii huiusmodi incapaces eâtenus reputati fuerant ex verbis regulae ipsius S. Francisci, ibi: *Ubique tamen observetur quod nullus ad magisterii seu alium gradum assumatur;* indeque factum erat ut nulli ex fratribus praedictis patuerat aditus concurrendi ad praedictas cathedras, in grave detrimentum tum studiorum litterarum, tum plurimorum religiosorum habilium ad istiusmodi cathedras obtinendas, quae non modicum decus et utilitatem supradictis provinciis allaturae forent: et in eâdem expositione subiuncto, quod, diligentius perpensis enarratis verbis regulae, luculenter appareret, mentem eiusdem sancti Francisci fuisse, ad retinendam in dicto Ordine humilitatem, prohibere dumtaxat suis alumnis promoveri ad magisterium ac potiri intra dictum Ordinem iis praerogativis quibus magistri aliorum Ordinum regularium fruebantur, cum verisimile non esset religiosis suis vetare voluisse progressum in litterarum studiis ac concursum ad publicas cathedras huiusmodi ut alios docerent et instruerent; unde, si verus sensus praedictae regulae retineretur

1 Male ed. Main. legit *cum* pro *eum* (R. T.).

seu explicaretur, permitti posse videretur fratribus dictarum provinciarum Hispaniae suscipere magisterium praedictum in eum solum finem concurrendi ad easdem publicas cathedrae, qui tamen in ipso Ordine titulo et[1] praerogativis magisterii[2] gauderent, quando quidem menti eiusdem regulae non repugnabat quod fratres praedicti Ordinis publice docerent, uti servatur in Italiâ et apud alias nationes, ubi sine titulo et praerogativis magisterii plures ex eis in publicis cathedris docent; solaque difficultas erat pro natione Hispaniae, eo quod magisterium ad concursum praedictum ibidem requirebatur: ac proinde nobis supradictorum exponentium nomine humiliter supplicato, quatenus sibi et pro tempore existentibus fratribus dictarum provinciarum Hispaniae permitteremus, ut extra Ordinem huiusmodi titulum magisterii, ad praecisum effectum concurrendi ad publicas cathedras, assumere possent:

Concessio de qua in rubricâ.

§ 2. Nos supplicem libellum, nobis pro parte eorumdem exponentium desuper porrectum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae remisimus, a qua post maturam rei discussionem emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, audito procuratore generali, ac attentâ relatione eminentissimi domini cardinalis S. Clementis praefati Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, re mature perpensâ, decrevit ac declaravit licere religiosis Minimis sancti Francisci de Paulâ assumi ac promoveri ad lauream doctoralem et magisterium in publicis universitatibus in eum finem dumtaxat ut cathedras obtinere et exercere possint et valeant; ita tamen ut huiusmodi assumptio seu promotio nullum penitus gradum neque titulum seu praerogativam in religione inducat, sed, circa huiusmodi graduum exclusionem, ea quae per Ordinis constitutiones praescripta adamussim serventur. Romae XVI martii MDCCXXXVI. — Cardinalis FRANCISCUS BARBERINUS. — C... Chalcedonensis, secretarius. *Loco † s'g'lli.*

Confirmatur.

§ 3. Cum autem, sicut iidem fratres provinciarum Hispaniae nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati[1] existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[2] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab

1 Male edit. Main. legit *ex* pro *et* (R. T.).
2 Videtur deesse *non* (R. T.).

1 Aptius lege *innodatae* (R. T.).
2 Cohaerenter lege *absolutas* (R. T.).

eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 aprilis 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXVIII.

*Confirmatio constitutionum seu regularum collegii seu Seminarii* Corsini *nuncupati Italo-Graecorum Albanensium in oppido S. Benedicti de Ullano Bisinianensis dioecesis erecti.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Ex iniuncto nobis divinitus pastoralis sollicitudinis munere, ea quae pro felici collegiorum seu seminariorum quorumcumque ad rectam iuvenum educationem ac institutionem recenter erectorum regimine provide statuta atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper ac inviolabilia persistant, apostolici muniminis nostri praesidio libenter constabilimus.

Pro collegio Italo-Grecorum efformatae regulae.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, pro salubri collegii seu seminarii Italo-Graecorum Albanensium, quod nuper in oppido S. Benedicti de Ullano Bisinianensis dioecesis instituimus, a gentis nostrae nomine *Corsini* nuncupati, gubernio, prosperâque illius alumnorum nunc et pro tempore existentium in viâ mandatorum Domini directione, diversae constitutiones seu regulae conditae ac praescriptae fuerint, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor regularum.

### COSTITUZIONI O REGOLE

da osservarsi dagli alunni del collegio pontificio Corsini di S. Benedetto da Ullano.

#### CAPO PRIMO.

*Fine dell'istituto, e quali condizioni debbano avere gli alunni da riceversi in collegio.*

Perchè la pia intenzione ed il fine avuto nell'erezione di questo collegio dalla santa mente del fondatore Clemente XII è stata di provvedere ai bisogni spirituali degli Albanesi commoranti nel regno di Napoli, viventi nel rito greco, e di avere ecclesiastici idonei per la cura di quelle anime, e di tale perfezione che con la vita e loro buoni costumi non solo procurino di assicurare la propria eterna salute, ma come lucerne poste sopra candelieri servano di guida ai popoli, ai peccatori, e massimamente alli scismatici, affinchè ritornino nella via della verità e della giustizia;

A tale effetto pertanto s' incarica a monsignor presidente *pro tempore* di detto collegio, di non ammettere ne' luoghi di alunni se non quei che non hanno nè più di sedici nè meno di dodici anni d'età, l'indole de'quali sembri più degli altri disposta alla

pietà ed alle lettere, e che diano tale aspettazione di sè, sicchè siano per utilmente servire alla Chiesa ed essere di giovamento alle anime de' loro prossimi. Perciò non si potranno nè si dovranno ammettere senza l'attestato degli Ordinarî, il quale ancora porti che[1] siano introdotti nella grammatica latina e che sappiano competentemente leggere in greco; nè si ricevano senza la fede del battesimo, d'essere nati di legittimo matrimonio, di padre e madre di rito greco, e battezzati secondo detto rito, con la fede ancora del patrimonio, e di non essere inquisiti, nè di avere contratto verun impedimento canonico; e di questi attestati dovrà tenerne cura chi stimerà monsignor presidente, affinchè il soggetto proposto sia ammesso o rigettato.

Essendo che da tale scelta dipende tutto il bene del collegio, perciò strettamente s'incarica alla coscienza degli Ordinarî, che in occasione della santa visita s'informino dell'ingegno, indole e costume de' giovani, per darne notizia a monsignor presidente del collegio o al rettore, da' quali dovrà tenersi il concorso e farsi l'elezione per voti secreti; secondo poi la maggioranza de' voti, monsignore sceglierà e nominerà l'alunno. Si avverte però bene di non ammettere alcuno al detto concorso, se non avrà li sopra accennati attestati e requisiti. Circa poi l'ammissione degli alunni di nomina, si osservi il consueto a tenore delle convenzioni fatte cogli eminentissimi abati.

Esaminati e prescelti che saranno, prima dell'ingresso al collegio, il rettore faccia far l'obbligo per mano di notaro pubblico dal genitore o altro parente più stretto di essi, secondo la forma prescritta nell'istruzione data per monsignor presidente *pro tempore*.

Entrati che saranno in collegio, si tengano per dieci giorni in luogo separato dagli altri, e quivi abbiano chi li istruisca in tutto quello che appartiene alla pietà, assegnandosegli per direttore un alunno dei più maturi ed esemplari per l'osservanza della disciplina domestica e per l'edificazione del buon costume, con darsegli in detto tempo dal confessore, o altro che stimerà il rettore, gli esercizî spirituali, ammaestrandoli circa il modo di vivere del collegio e circa l'osservanza della disciplina domestica, ed intanto non trattino con altri, nè altri con loro, eccetto quelli che saranno deputati dai superiori.

Nel medesimo tempo faranno la confessione generale di tutta la vita, o col confessore del collegio o con altro che assegnerà il rettore; e se alcuno per la poca età non fosse giudicato abile al ritiro, nè sufficiente al frutto della confessione generale, differirà l'uno e l'altra, e si ritirerà poi almeno per dieci giorni innanzi di fare il giuramento, ed allora farà la detta confessione, e con meditazioni e con esercizî spirituali ordinerà la vita secondo la sua vocazione; tutti però incominciino da principio ad imparare la dottrina cristiana e li primi ammaestramenti della pietà.

Gli alunni dovranno continuare in tutta la vita nel rito greco, e se alcuno ardisse fingersi d'esso rito, e non lo fosse, ed entrasse in detto collegio con dare il giuramento, verificata tale falsità, sia astretto pagare gli alimenti, e resti nel rito latino, castigato con le pene di falsità e spergiuro.

CAPO SECONDO.

*Degli esercizi di pietà.*

Perchè il fondamento dello spirituale edificio è la pietà, questa si attenda ad imprimere negli animi degli alunni. Però procurino, mediante la frequenza de' sacramenti, dell'orazione, della lezione de' libri spirituali, e delle esortazioni, d'infervorarsi a conseguire ciò che è proprio di questa vocazione ed istituto; e per ottenere con maggior sicurezza questo fine, dovranno fare, almeno una volta l'anno, gli esercizi spirituali di S. Ignazio per lo spazio di otto giorni, considerando in detto tempo specialmente gli obblighi e doveri dello stato ecclesiastico; facendo nello stesso tempo, secondo il consiglio del direttore spirituale, la confessione generale della vita passata, e misurando le loro forze se possano adempire gli obblighi

1 Pessime edit. Main. legit *dal quale posti, che* pro *il quale porti che* (R. T.).

dello stato sacerdotale, al quale col tempo dovranno esser assunti.

Si confesseranno ogni otto giorni, e si comunicheranno ogni quindici quelli che sono in età, e di più si comunicheranno nelle feste solenni ed in tutte le domeniche dell'Avvento e della Quaresima. Però imparino gli alunni dal confessore o da altro prefetto delle cose spirituali come possono frequentare con frutto li detti sacramenti.

Udiranno ogni giorno la messa, e la mattina prima di mettersi a studiare faranno mezz'ora di orazione, quale sarà parte vocale, parte mentale per tutti, si grandi che piccoli, da darsi però dalla viva voce di uno de'ministri o dai più introdotti e capaci del numero degli alunni, secondo la primaria introduzione, tanto per la mattina quanto per la sera; e chi per obbligo dovesse dire l'uffizio divino, lo dica in altro tempo.

Siano obbligati di officiare la chiesa ad ogni ordine del rettore, ed in tutte le domeniche e feste di precetto assistano alla messa cantata, e cantino li vesperi in greco, affinchè imparino il rito e le ceremonie ecclesiastiche che dovranno altrove esercitare, ed ogni giorno sentano la messa greca bassa, con recitare in fine le litanie in greco. Abbiano a bene d'esser corretti da quelli che hanno la cura di presedere al coro, e s'ingegnino d'emendare ogni errore; nè mai lasciino gli uffici divini sotto pretesto degli offici ovvero esercizi letterarî o per altra cagione, ai quali assistano con tutta la modestia, e chi in ciò mancasse sia severamente punito.

Gli alunni, quantunque di buon ingegno e studiosi, se riuscissero poco devoti, e con gli esempî e coi consigli ritirassero gli altri dalla pietà, dall'ubbidienza e dall'osservanza de'buoni ordini del collegio, siano ammoniti; e non volendosi correggere, siano licenziati, acciocchè da essi non vengano infettati i buoni.

Ne'giorni di festa non escano di casa se non dopo pranzo finiti i vesperi.

In tutto il corso dell'anno, particolarmente quando non si legge nelle scuole, il dopo pranzo e nelle vacanze dell'autunno, si esercitino gli alunni in cantare gli uffizî divini, e nelle ceremonie ecclesiastiche conforme il rito della Chiesa orientale, acciò le sappiano fare con decoro ed edificazione, e ciò s'incarica alla coscienza del rettore e di monsignor presidente.

E perchè nella chiesa del collegio si dicono da' sacerdoti cittadini molte messe, lecito non sia neppure al rettore di mandare gli alunni a servirle, se non in quel tempo ch'essi stanno ad ascoltarla, affinchè dopo non restino soli in chiesa, nè si disturbi l'ordine della disciplina domestica.

E ad oggetto che sin dal collegio stesso incominciino a rendersi utili operarî al loro prossimo, dovranno le domeniche nel dopo pranzo due degli alunni più capaci, per via di dialogo, nella detta chiesa recitare la dottrina cristiana, acciò nell'atto stesso essi ed il prossimo restino istruiti; quale esercizio si dovrà fare con tutta la modestia ed esemplarità, e con l'intervento o del rettore o d'altra persona grave da lui deputata, in modo che gli alunni non si mescolino con persone fuori del collegio.

Di tutti i benefattori del collegio, e soprattutto del fondatore, si abbia memoria ogni giorno nell'orazione; ma del fondatore e di qualche altro benefattore insigne si faccia l'anniversario ogni anno con una messa cantata, e per gli altri benefattori li sacerdoti del collegio diranno l'uffizio e la messa nel giorno della loro morte, nel qual giorno gli alunni canteranno l'uffizio, e questo ancora dovrà farsi ogni volta che morirà il protettore del collegio.

La protezione di detto collegio appresso la Santa Sede sia perpetuamente in un cardinale di S. R. C., da deputarsi dal sommo Pontefice; quale protettore non abbia facoltà di dispensare da queste regole, nè dare alcuna facoltà per l'alienazione o permutazione de' beni del collegio, imposizioni di servitù, ecc., senza espressa facoltà di Sua Beatitudine.

### CAPO TERZO.

*Degli obblighi e disciplina degli alunni.*

Niuno si ritenga in collegio che non dia

speranza e veri segni di pietà cristiana, acciocchè la mala riuscita di un solo non distrugga quanto dalla divozione avrà edificato il profitto di molti; però s'avverta bene che persone di questa sorte (o si conoscano avanti del giuramento o dopo) non si lasciino fermare in collegio, come nemmeno dovranno ritenersi quelli che dimostrano d'avere a fare poco profitto nelle lettere, quando sia conosciuta abbastanza l'indole e l'incapacità loro.

Quelli che avranno finiti quattordici anni di loro età e sei mesi di dimora dall'ingresso in collegio, facciano il solito giuramento secondo le formole prescritte, ed avvertano, e particolarmente si ricordino della promessa che in esso fanno, d'osservare, per quel tempo che quivi staranno, l'istituto e le costituzioni del collegio, conforme all'interpretazione de' superiori, e di vivere al modo comune di tutti gli alunni, specialmente in quello che tocca al vitto, all'abitazione e vestito, e di non macchinare cosa alcuna contro li superiori o istituto del collegio medesimo.

Chi poi ricusasse di prestare tal giuramento, sia licenziato dal collegio, e sia tenuto a pagare gli alimenti somministratigli per tutto quel tempo che in esso avrà dimorato.

Si ordina agli alunni che tanto in sedendo in iscuola o altrove, quando camminando, e nel trattamento sì dentro come fuori del collegio, debba ciascuno eccitare ad edificazione e modestia il compagno, con iscambievolmente prevenirsi secondo le regole della modestia e carità cristiana.

E poichè dai collegiali non solo la pietà e buone lettere, ma la civile conversazione ancora in collegio apprender si dee, perciò niuno ardirà nemmeno per burla toccar il compagno con mani, e chi a quest'ordine controvenisse sia severamente castigato; quando poi a giudizio di monsignor presidente qualcheduno avrà gravemente ingiuriato, percosso o ferito il compagno, sia discacciato dal collegio.

Non pernottino fuori del collegio se non in caso d'infermità, e ciò s'intende de'soli cittadini d'Ullano nelle case proprie, o di quei de' paesi più vicini, colla permissione però sempre del rettore. Nel tempo che staranno fuori per causa d'infermità o altra egualmente grave, si contengano con la dovuta modestia ed esemplarità, che risplenda nel di loro costume ed operazioni, affinchè si possa da tutti, e specialmente da' genitori e congiunti, lodare Iddio e benedire il fondatore del collegio per la loro buona educazione; e se alcuno in detto tempo commettesse qualche mancanza, sia nel ritorno severamente castigato.

Siccome non potranno gli alunni mai uscire avanti giorno, così dovranno essere all'avemaria in casa, nella quale s'abbia particolare cura di tenere custodite le fenestre, affinchè quei del collegio non possano affacciarsi se non da quelle che stimerà la prudenza del superiore.

Nessuno degli alunni, di qualunque ordine, grado o condizione si sia, esca di casa senza quel compagno che gli sarà assegnato dal superiore, e non sia il compagno del numero degli alunni, ma altro maturo e fedele, e se alcuno uscisse dal collegio o senza licenza o senza quel compagno che gli sarà stato assegnato, o se lasciasse il compagno per la strada o nella porta per trattare occultamente, sia con severità per altrui esempio punito.

Nessuno tenga denari, ma si depositino in mano del rettore, e li spendano con saputa ed approvazione di esso.

Si osservi con molta diligenza la distinzione delle camerate, perchè importa molto al buon governo del collegio ed all'ammaestramento della gioventù; perocchè nè in casa nè fuori quelli di una camerata parlino nè trattino in modo alcuno con quelli dell'altra, senza espressa licenza da domandarsi volta per volta al rettore, nè si conceda facilmente agli alunni di parlare con altri che con i fratelli o parenti più stretti, e, bisognando, in presenza di chi deputerà il rettore.

E perchè in collegio non vi è se non un solo atrio ossia cortile, perciò in quello non vi discendano se non alternativamente una camerata per volta, affine di divertirsi con le

boccie; nell'orto però conceduto dalla Santità del fondatore non si mandino li collegiali per divertirsi fintanto che non sia murato.

Nessuno degli alunni esca dalla sua camera senza la previa licenza del prefetto, dicendogli dove ed a che effetto voglia andare; nè se gli permetta l'uscire di camera per ricreazione, ma solamente per necessità; e nessuno entri nelle officine, nè meno nelle stanze degli altri, nè in quelle destinate agli offizì de' servitori, o in altro luogo recondito e fuori di vista.

Non si permetta a' forastieri o cittadini di qualunque grado o condizione di entrare nelle camere degli alunni, e molto meno di quivi parlargli senza l'assistenza del superiore o di chi egli deputerà, e tale licenza non si conceda se non di rado e con molta considerazione.

Trattino con tutta la riverenza col rettore e con gli offiziali che tengono cura di loro, e facciano prontamente e con umiltà le penitenze che loro saranno date; e se alcuno ricusasse di farle, e con irriverenza si portasse co' superiori, ovvero istigasse altri a disubbidire agli ordini loro, sia mandato via del collegio.

Si ritrovino tutti pronti ed uniti, e con debita ordinanza procurino trovarsi alle funzioni della comunità, tanto di chiesa come di casa e delle scuole, ne'quali luoghi si osservi il silenzio; ed in dette scuole gli alunni, secondo l'oracolo della viva voce del fondatore, stiano in luogo separato dagli altri cittadini che in quelle saranno ammessi, se monsignor presidente *pro tempore* vorrà ammetterli.

Niuno ardisca di rimandare in cucina, o di rigettare dispettosamente, o di querelarsi in pubblico della qualità e quantità delle vivande; ma succedendo qualche errore o mancanza, ne facciano consapevole con tutta modestia per mezzo dell'ebdomadario il rettore, da cui poi si prenderà il debito provvedimento.

In nessun tempo gli alunni potranno separarsi nè sottrarsi dagli occhi del prefetto per alcuna causa, nè far circoli particolari di due o tre con discorsi segreti.

Stia ognuno in letto con la camicia, nè mai sia lecito l'estate o l'inverno per qualsivoglia cagione levarsela, eccetto quando dovranno mutarsi, il che faranno con ogni modestia ed avvertendo di non esser visti.

Stiano sempre con tutta la decenza vestiti nelle camerate loro, e vadano tutti uniformemente tosati.

Subito levati la mattina e vestiti, alzino i loro letti, quali staranno così alzati, ben conci e puliti, fintanto che la sera si vada a dormire; nell'estate sia lecito lo stenderli nel tempo del riposo della mezz'ora, quale incomincierà dalla festa della B. Vergine del Buon Consiglio, che si celebra la domenica *immediate* seguente dopo la festa di S. Marco, e durerà sino alli 7 *esclusive* di settembre, giorno in cui fin dal 1731 fu stabilita la fondazione di questo collegio; onde per l'anniversaria memoria si celebri ogni anno il dì seguente una messa cantata in ringraziamento all'Altissimo ed alla B. V., e da tutti li collegianti si applichi la comunione per il fondatore.

Niuno tocchi le cose dell'altro, nè contro voglia del compagno vada al di lui luogo, e molto meno s'appoggi alla di lui scansia o letto.

S'astengano da qualunque contesa, dalle parole ingiuriose ed offensive ancorchè dette per ischerzo, ma piuttosto senza affettazione scambievolmente con civiltà cristiana e proprietà onorandosi l'un l'altro.

Siccome delle robe del collegio si concede loro il solo uso e non dominio, perciò non potranno disporre di cosa veruna ad esso appartenente; così ancora si guarderanno dal prendere o mangiare cosa alcuna fuori del collegio, senza licenza espressa o del prefetto o del lettore.

Nei mesi di estate potranno tre volte la settimana, e più ancora secondo parerà al superiore, uscire dopo finita la scuola del dopo pranzo a prendere aria.

Per togliere a tutti ogni occasione di parzialità o di mormorazione, si proibisce l'uso dei doni si tra gli alunni, come ancora tra li medesimi e li ministri.

Niuno potrà pretendere altro luogo nella

camera, nel refettorio, nelle scuole ed in chiesa, se non quello gli sarà assegnato dal rettore.

Si proibisce a chicchessia degli alunni di scrivere o ricevere lettere senza il permesso del rettore, a cui dovranno portarle aperte, e dal medesimo procurarsene il recapito. Senza la licenza del medesimo non potranno andare a pranzo fuori del collegio, quale licenza non se gli darà se non con genitori, fratelli e zii, e ciò una o due volte al più l'anno; e in tal caso non se gli dia compagno del numero degli alunni, e dandosegli, sia ad elezione del superiore; nè per quel giorno sia lecito ad essi d'andare a spasso con i proprî fratelli o zii, ma tornino a dirittura in collegio: non meno questa licenza che ogni altra, e tutto ciò che concerne il buon governo, la pietà ed interessi del collegio, dovrà il rettore regolare secondo l'arbitrio e prudenza di monsignor presidente.

Si concede agli alunni la vacanza una volta la settimana, purchè in questa non s'incontri altra festa; tuttavolta però non tralascieranno gli esercizî della pietà e dello studio privato, avvertendo che tutti li discorsi e divertimenti debbano esser convenienti a persone ecclesiastiche, nè fuori di casa sia loro mai lecito qualunque sorta di giuoco; anzi quando vedranno approssimarsi gente e passare avanti di loro, avvertano di ragionare con voce bassa, e di sfuggire i luoghi frequentati, ritirandosi in parti solitarie.

### CAPO QUARTO.

*Circa lo studio delle lettere e delle scienze.*

Si ricordino gli alunni che a spese della santa Sede Apostolica sono alimentati per attendere agli studî; che però dovranno contentarsi di quella moderazione che parerà al superiore, considerata la qualità dei paesi e le angustie nelle quali si trovasse il collegio. Attendano pertanto con diligenza agli studî per riuscire utili operarî di santa Chiesa, riflettendo all'altissimo fine al quale sono stati dal fondatore destinati, e perciò s'incarica al rettore che procuri con ogni sforzo di togliere dal collegio tutto quello che può impedire il profitto degli studî, affinchè per l'inavvertenza non si perda tanta fatica e spesa che si fa in allevare ed ammaestrare gli alunni.

In quei giorni che non vi saranno lezioni; non si tralasci di studiare privatamente; e toltone il giorno di vacanza tra la settimana, per ordinario se ne restino in casa, sebbene si potrà loro concedere qualche ora di tempo di ricreazione straordinaria.

Quelli che studiano filosofia, teologia morale o scolastica, si ritrovino presenti a tutte le lezioni che si faranno nella scuola assegnatagli, nè dispensi con alcuno il rettore se non in caso di molta considerazione, conferitolo prima con monsignor presidente.

Le controversie di nostra santa fede, che sono con li scismatici ed eretici de' nostri tempi, procurerà il rettore che si spieghino accuratamente con tutte le altre facoltà agli alunni da soggetti de' più capaci e dotti che di tali materie potranno aversi. E qualora nè il rettore nè monsignore trovassero per tale effetto soggetto idoneo, ne scrivano al signor cardinale protettore.

Niuno di qualunque classe o facoltà manchi all'esercizio delle repetizioni o d'altri atti che si faranno da' lettori e maestri.

Ognuno si applicherà a quello studio, che dal rettore, col parere de' lettori e maestri, gli sarà ordinato; ed acciocchè questo si faccia meglio e con maggior considerazione, quelli che attendono alle facoltà superiori, una volta l'anno in presenza di monsignor presidente siano esaminati, e chi sarà trovato far poco profitto o per difetto d'ingegno o d'applicazione, avuto riguardo al maggior servizio di Dio, si faccia attendere allo studio d'altra facoltà ove possa riuscire.

Non prima siano introdotti allo studio di filosofia che sappiano parlare speditamente in latino, e parlare e comporre elegantemente in greco.

Pertanto, dopo che avranno imparato abbastanza l'una e l'altra lingua, studieranno rettorica innanzi d'incominciare la filosofia, e ancora la lingua greca per impararla per-

fettamente; e quando attenderanno alle scienze superiori, si esercitino a mantenere la medesima lingua, e soprattutto in fare de' ragionamenti, panegirici e catechismi in chiesa ed in refettorio, almeno tre o quattro volte l'anno per ciascheduno, alla riserva del catechismo, quale da più introdotti [1] si farà in tutte le domeniche dell'anno, siccome l'esercizio dell'oratorio, che dovrà farsi nella loro chiesa per tre sere la settimana, coll' intervento di due o di più della stessa classe, secondo parerà al rettore.

Non si conceda ad alcuno di fare gli atti pubblici di filosofia, o di teologia scolastica o morale, se nel preaccennato esame che si farà, in presenza di monsignore, dal rettore, lettori ed altro che stimasse detto monsignore, non sarà giudicato abile a farli con dignità; nè si ammettano a tale onore se non quelli che siano stimati degni per merito d'osservanza, di buoni costumi e di segnalata dottrina.

S'abbia molto riguardo a far buona scelta di libri che si avranno da leggere nella scuola o privatamente.

Terminati che avranno li studî, non si trattengano in collegio più di quindici giorni, nel qual tempo e sempre siano obbligati come gli altri alunni d'osservare tutte le regole; sia però in arbitrio di monsignore di trattenere alcuni di più segnalata virtù e di buona indole, che servano nel collegio per lettori o in altro grado.

CAPO QUINTO.

*Del rettore ed altri ministri, e loro obblighi.*

Il rettore del collegio sia di rito greco e nazione Albanese, o che sia stato alunno nel collegio di S. Atanasio di Roma, o in questo stesso collegio, e così anche il maestro di lingua greca, del rito e del canto, siano sempre preferiti gli alunni di questo collegio.

Affinchè niuno possa allegare ignoranza o scusa circa l'osservanza di queste regole, sia obbligo del rettore di farle leggere almeno una volta il mese, tanto nella prima quanto nella seconda mensa, invece della solita lezione del refettorio, fintanto che intieramente se ne compisca la loro lettura.

Inoltre s'incarica non solo la coscienza di detto rettore, ma ancora del padre spirituale e degli altri lettori, d' invigilare alla esatta e puntuale osservanza delle medesime regole; e qualora, fatte le solite caritative monizioni, non si vedesse speranza d'emendazione e profitto in qualche alunno, avuto riguardo al maggior servizio di Dio e al buon governo del collegio, speditamente, con la previa partecipazione di monsignor presidente, sia espulso come discolo ed incorreggibile, e sia tenuto di restituire al collegio gli alimenti percetti.

Sia cura del rettore di andar di concerto col padre spirituale nel disporre i giovani a fare il giuramento secondo le forme prescritte, facendoli preparare con quattro giorni d'esercizî spirituali, ne'quali si farà loro considerare la natura e peso del giuramento, e gli obblighi dello stato ecclesiastico, come altresì quelli che da essi esige il collegio.

Invigilino, soprattutto il rettore e gli altri ministri, al buon costume de'giovani, eccitandoli sempre al santo timore del Signore con li buoni esempî nei discorsi famiiliari; perciò s'avverta bene con essoloro di non discorrere se non di cose spirituali, letterarie, o al più di materie appartenenti al collegio.

Deve inoltre il rettore badare che gli alunni non perdano tempo, e che mai si tralasciino per qualunque motivo le solite lezioni nelle scuole, ovvero le pie e lodevoli costumanze introdotte fin dal principio dell'erezione del collegio.

L'amministrazione del medesimo collegio sia presso l'economo ovvero ministro che deputerà monsignor presidente, colla di cui totale dependenza dovrà fare quelle spese che occorreranno per servizio del collegio, ed in mano d'esso monsignore dovrà render conto di tutto l'introito ed esito, non solo delle entrate del collegio, ma ancora della chiesa; e sia in arbitrio di detto monsignore far rivedere detti conti o da due ministri del collegio o da chi meglio lui stimerà.

Il rettore dee trattare con li ministri,

1 An recta lectio, iudicet quisque scius (R.T.).

cioè protettore, padre spirituale e lettori, con carità e proprietà civile, giacchè dalla di loro armonia e prudenza dipende tutto il buon regolamento del collegio.

Per quanto sarà possibile, si schivi la parzialità del trattamento nel mangiare, ed essendo solito il rettore con gli altri ministri pranzare nella seconda tavola, occorrendo che si porti loro qualche cosa di più che non si è data alla comunità, ne facciano partecipi gli alunni che nello stesso tempo pranzano nella seconda tavola, per così togliersi l'occasione di mormorare e di star malcontenti li giovani.

Il rettore e gli altri ministri, per dare buon esempio agli alunni, osservino per quanto sia possibile ancor essi il silenzio ne' soliti tempi, intervenendo alle orazioni ed altri atti di religione della comunità.

Ricordi il rettore a monsignor presidente di registrare nella platea del collegio tutte le scritture concernenti gl'interessi di quello, facendole legalizzare da pubblico notaro, come ancora dovrà detto rettore tener notati in libro separato, secondo il metodo di già principiato, i nomi, cognomi, patria, genitori, portamenti, età, costumi, abilità, giorno ed anno dell'ingresso e partenza dal collegio degli alunni, e sopra tutto s'incarica di formare in luogo separato l'archivio del collegio per tenere e conservare tutte le scritture suddette, ed altre ad esso attinenti, secondo che s'ordina nell'istruzione appartenente a detto rettore.

Faccia osservare il rito greco nel collegio, non solo in quanto ai digiuni, ma ancora in ogni altra cosa.

*Eaedem approbatae a Congregazione de Propaganda Fide, approbantur a Pontifice.*

§ 3. Hinc est quod nos, inviolabili constitutionum seu regularum huiusmodi robori et efficaciae providere volentes, de nonnullorum ex venerabilibus fratribus nostris S.R.E. cardinalibus Congregationis rebus Propagandae Fidei praepositae, qui iussu nostro ipsas constitutiones seu regulas accurate viderunt et perpenderunt, consilio, easdem praeinsertas constitutiones seu regulas, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque irrefragabilis apostolicae firmitatis vim et robur adiicimus, ac quoscumque iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

*Praesentis constitutionis firmitas.*

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras ac constitutiones seu regulas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradicti collegii seu seminarii, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

*Exemplis danda fides.*

§ 6. Volumus autem ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impres-

sis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI aprilis MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 16 aprilis 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXIX.

*Religiosi Congregationis monachorum Silvestrinorum Ordinis sancti Benedicti non possunt recurrere ad tribunalia nisi praeviâ appellatione ab abbate monasterii ad abbatem generalem.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Procurator generalis Ordinis supplicat decerni gradus appellationum.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Benedictus Biancini procurator generalis Congregationis monachorum Silvestrinorum nuncupatorum Ordinis sancti Benedicti, quod (cum, ad conservandam regularis disciplinae integritatem debitamque religiosorum erga suos superiores obedientiam et subiectionem, per plures nostras in simili formâ Brevis litteras in diversis Ordinibus regularibus modum imposuerimus appellationibus ac recursibus subditorum adversus gravamina quae sibi a suis praelatis illata esse identidem contendebant) dictus Benedictus procurator generalis id ipsum quoque in praefatâ Congregatione monachorum statui ac exacte imposterum servari plurimum desideret.

Pontifex statuit a gravamine abbatum recurrendum ad abbatem generalem.

§ 2. Nos, eiusdem Benedicti procuratoris generalis desiderio hac in re, quantum cum Domino possumus, obsecundare volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, quod nullus dictae Congregationis monachus, aliave persona, cuiusvis gradus, dignitatis et conditionis existat, in casibus, in quibus de iure vel iuxta constitutiones praefatae Congregationis appellare aut recurrere liceat, id aliter deinceps facere valeat, quam gradatim, ab immediato nimirum suo superiore ad abbatem generalem praefatae Congregationis, itaut causae appellationis vel recursus huiusmodi, antequam ab eodem abbate generali cognitae et definitae fuerint, extra dictam Congregationem deferri et agitari nequeant.

Iudicibus causas cognoscendi facultatem adimit, nisi prius eis constiterit, recursum habitum fuisse ad eumdem abbatem.

§ 3. Ac propterea omnibus et singulis Romanae Curiae tribunalibus ac iudicibus, et quibusvis etiam S. R. E. cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicae nunciis nunc et pro tempore existentibus, ne monachorum ac personarum dictae Congregationis appellationes aut recursus admittant, causasque praedictas cognoscant, nisi prius sibi legitime constiterit illas per dictum abbatem generalem prius cognitas et definitas fuisse, sub poenâ nullitatis actorum ac inde secutorum, et, quoad religiosos appellantes vel recurrentes qui praemissis contravenerint, sub gravibus nostro et Romani Pontifi-

cis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis, eâdem auctoritate, tenore praesentium, prohibemus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 2. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Congregationis monachorum praefatorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV maii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 4 maii 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXX.

*Indulgentiae, aliàs docentibus et adultis discentibus doctrinam cristianam in Urbe, Italiâ, insulisque adiacentibus concessae, ad universos christifideles ubicumque locorum existentes extenduntur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidemus, debitum exigit, ut ad ea potissimum curam et sollicitudinem nostram intendamus, quae ad augendam fidelium religionem et animarum salutem in primis conducere in Domino conspicimus.

Hic Pontifex indulgentias doctrinam christianam edocentibus et addiscentibus in Urbe concessas, ad Italiam, insulasque adiacentes extendit.

§ 1. Aliàs siquidem ad[1] uberes fructus ac spiritualium[2] christifidelium aedificationem, quae ex assiduo usu et explicatione catechismi sive doctrinae christianae provenire noscebantur, paternae dirigentes considerationis nostrae intuitum, diversas ordinationes, a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad promovendum hoc pium fidelique populo adeo necessarium opus, quo ille fidei catholicae rudimentis ac mysteriis christianisque virtutibus instruitur, salubriter editas, per edictum die XV novembris MDCCXXX iussu nostro promulgatum confirmavimus, ac etiam ampliavimus: et subinde christifideles tam almae Urbis nostrae, quam universae Italiae, ac insularum adiacentium pro tempore existentes, ut operae hu-

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).
2 Aptius lege *spiritualem* (R. T.).

iusmodi ferventius incumberent, excitare volentes, omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, quae a quibusvis Romanis Pontificibus praedecessoribus quoque nostris praefatum catechismum seu doctrinam christianam iuxta decreta Concilii Tridentini in ecclesiis et oratoriis pueros docentibus, aut eidem, dum traditur, interessentibus, eâtenus concessa reperiebantur, ad adultos Urbis, Italiae et insularum praedictarum ipsi catechismo seu doctrinae christianae interessentes extendimus:

Alias superaddidit indulgentias.

§ 2. Praeterea eisdem adultis, qui vere poenitentes et confessi, ac sacrâ communione refecti, eiusmodi pio exercitio devote intervenirent, qua vice id agerent, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxavimus; qui vero illud assidue frequentarent, eumdem catechismum doctrinamve christianam docentes vel addiscentes, ac vere similiter poenitentes et confessi, sacrâque communione refecti, pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effunderent, in Nativitatis domini nostri Iesu Christi, Paschatis Resurrectionis dominicae, necnon Ss. Petri et Pauli apostolorum festis diebus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concessimus: et aliàs, prout in nostris in pari formâ Brevis die XXVII iunii MDCCXXXV desuper expeditis litteris, quas perpetuis futuris temporibus valere statuimus, quarumque tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Huiusmodi concessiones extra Italiam extendit.

§ 3. Nunc autem nos, memorati catechismi doctrinae christianae usum et frequentiam tantopere commendabilem ac salutarem ne fideles circumferantur tamquam parvuli fluctuantes omni vento doctrinae, sed firmo fidei fundamento adhaerentes coaedificentur in habitaculum Dei in Spiritu Sancto, ubique locorum ac gentium propagari, magisque in dies augeri enixe cupientes, supplicationibus etiam plurimorum ex venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis extra Italiam huiusmodi existentibus, necnon dilectorum filiorum officialium et confratrum archiconfraternitatis Doctrinae Christianae in Urbe praefatâ dudum auctoritate apostolicâ erectae nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem indulgentiarum, et peccatorum remissionem, poenitentiarumque relaxationem docentibus et adultis addiscentibus catechismum seu doctrinam christianam in Urbe, Italiâ, ac insulis adiacentibus a nobis factam, sicut praemittitur, expeditasque desuper litteras nostras praedictas, ad universos christifideles ubicumque locorum nunc et pro tempore existentes, eumdem catechismum doctrinamve christianam similiter docentes, et adultos addiscentes, servatâ earumdem litterarum nostrarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in perpetuum extendimus similiter et ampliamus.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus nostrâ de non concedendis indulgentiis adinstar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptisque credi iubet.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ con-

stitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII maii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 17 maii 1736, pontif. anno VI.

---

## CLXXXI.

*Ne de cetero fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccini in provinciis Italiae deputari valeant in confessarios ordinarios monialium ab episcopis seu locorum Ordinariis cavet.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis munere, in eam curam sollicitis studiis intendimus, ut christifideles Altissimi obsequiis sub arctioris vitae instituto famulantes, sublatis quibusvis impedimentis, in quietis et pacis amoenitate vota sua Domino reddant, feliciribusque in dies proficiant incrementis.

Directio monialium spiritui regulae Capuccinorum contraria. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Bonaventura a Ferraria minister, ac definitores generales fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, quod, cum aliàs vigore cuiusdam rescripti felicis recordationis Benedicti Papae XIII praedecessoris nostri concessum fuerit venerabili fratri archiepiscopo Rossanensi, ut fratres dicti Ordinis in confessarios ordinarios monialium monasterii S. Clarae civitatis Rossanensis deputare posset: ipsi exponentes, vel[1] menti ac spiritui regulae eiusdem sancti Francisci, quam fratres praefati profitentur, adversari considerantes, aliisque rationalibus ex causis in eorum definitorio generali perpensis, opportune in praemissis a nobis provideri summopere desiderant.

Concessiones secus factas irritat Clemens. § 2. Nos, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem supradicto archiepiscopo Rossanensi per memoratum Benedictum praedecessorem, sicut praemittitur, factam, etiamsi postmodum per Sedem Apostolicam confirmata reperiatur, auctoritate apostolicà, harum serie, revocamus et abrogamus.

Ac deinceps fratres huius Ordinis in earum confessores eligi vetat in Italia. § 3. Praeterea, ne fratres praefati Ordinis in provinciis Italiae nunc et pro tempore existentes a venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, seu dilectis filiis locorum Ordinariis in confessarios ordinarios monialium quovis sub praetextu, praeterquam ubi per litteras apostolicas confessarii ordinarii alicuius monasterii monialium Capuccinarum nuncupatarum destinati forent, deinceps ullatenus constitui seu deputari valeant, dictâ auctoritate, tenore praesentium, statuimus et prohibemus.

Secus iudicari quoquam prohibet. § 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii

1 Potius lege *id* pro *vel* (R. T.).

apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et provinciarum huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII maii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 23 maii 1736, pontif. anno VI.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXXII.

*Erectio confraternitatis sub denominatione sanctae Catharinae nationis Senensium in Urbe commorantium in archiconfraternitatem, cum facultate aggregandi, etc.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Petitio super hoc Papae facta.

§ 3. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales et confratres confraternitatis christifidelium nationis Senensium in almâ Urbe nostrâ commorantium sub denominatione S. Catharinae Senensis canonice erectae, quod ipsa confraternitas, quae, ut asseritur, olim instituta, ac etiam ante initium XVI saeculi diversis identidem gratiis et privilegiis decorata fuit, atque, iuxta antiqua ipsius statuta a Sede Apostolicâ confirmata, auctoritate unius ex S. R. E. cardinalibus uti illius protectoris regitur, a felicis recordationis Paulo V et Alexandro VII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris singulis annis die festo eiusdem S. Catharinae unum reum ex causâ capitali damnatum liberandi facultatem obtinuit, postquam iam a recolendae memoriae Paulo Papa V praedecessore pariter nostro, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XVIII iulii MDCXI expeditas litteras, omnes confraternitates in statu Senensi dumtaxat canonice erectas ac erigendas, servatâ constitutionis piae memoriae Clementis Papae VIII praedecessoris itidem nostri desuper editae formâ et dispositione, aggregandi, illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes a Sede praedictâ sibi concessas, et aliàs communicabiles, communicandi licentia perpetuo ei attributa fuerat; recurrentibus vero annis iubilaei hospitalitatem, quam archiconfraternitates dictae Urbis pie exercere solent, hospitio excipiendo omnes confraternitates praefatas ad eamdem Urbem pro lucrando iubilaeo huiusmodi accedentes, assidue quoque exercet.

Concessio de qua in rubricâ.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipsi exponentes, confraternitatem praefatam archiconfraternitatis titulo insigniri, plurimum desiderent: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsos exponentes specialibus favo-

ribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, confraternitatem praedictam in archiconfraternitatem, cum omnibus et singulis praerogativis, iuribus, honoribus et praeeminentiis solitis et consuetis, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, sine cuiusquam praeiudicio, perpetuo erigimus et instituimus. Ac archiconfraternitatis sic erectae officialibus et confratribus praesentibus et futuris, ut ipsi alias quascumque confraternitates eiusdem instituti, extra Urbem praedictam ubicumque locorum existentes, eidem archiconfraternitati, servatâ tamen formâ supradictae constitutionis Clementis praedecessoris, aggregare, illisque omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes, ipsi confraternitati sic in archiconfraternitatem a nobis erectae a Sede Apostolicâ concessas ac communicabiles, ut praefertur, similiter communicare libere et licite possint et valeant, auctoritate et tenore praefatis, itidem perpetuo concedimus et indulgemus.

*Praesentis constitutionis firmitas.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, supradictae confraternitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iunii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 1 iunii 1736, pontif. anno VI.

---

## CLXXXIII.

*Approbatio et ratificatio sententiae commissariorum apostolicorum et regis christianissimi die XXIX maii proximi preteriti latae super quibusdam controversiis civitati Cavallicensi pro parte nonnullorum subditorum eiusdem regis motis circa derivationem aquarum e flumine Druentiae.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

*Controversia, de qua in rubrica.*

§ 1. Cum, sicut nobis innotuit, controversiae, quae pro parte nonnullorum subditorum carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi dilectis filiis communitati et ho-

minibus civitatis Cavallicensis in comitatu nostro Venaissino super derivatione aquarum fluminis Druentiae, seu aliàs, motae fuerant ac vertebant, a nostris et Sedis Apostolicae ipsiusque Ludovici regis commissariis ad id specialiter respective deputatis decisae ac definitae fuerint per sententiam eorumdem commissariorum die XXIX mensis maii proxime praeteriti latam, cuius, de gallico in italicum idioma versae, tenor est qui sequitur, videlicet:

Sententia commissariorum.

Noi commissarî, dopo aver esaminato le istanze e le giustificazioni rispettivamente rimesse dalle parti, ed unitamente al processo la concessione accordata al vescovo di Cavaglione da Raimondo V, conte di Tolosa, marchese di Provenza, nel 1171, per la derivazione delle acque del fiume Durenza, li titoli ed atti possessorî prodotti dalla comunità di Cavaglione essendo delle ragioni o diritti del vescovo, dichiarando la detta concessione del 1771 a noi esibita buona e valevole, ed emanata dalli predecessori di sua maestà cristianissima nel detto contado di Provenza, senza attendere l'ordine del tribunale del dominio delli 7 gennaro 1735, quale, attesa la detta esibizione, resterà come seguito non fosse, abbiamo mantenuto e manteniamo la detta comunità di Cavaglione nel possesso e godimento del diritto di derivare le suddette acque dal fiume Durenza per l'uso del molino di S. Giuliano ed altri, e per li adaequamenti, dopo il fine del territorio del castello della Rocca dalla parte di Provenza spettante alla detta comunità fino al territorio di Coumont, in conformità della detta concessione. Noi ordiniamo inoltre che il giudizio arbitrale delli 2 giugno 1733 sarà eseguito in tutti li suoi capi secondo la sua forma e tenore, e ciò mediante concedendo alla detta comunità atto di desistenza o recesso dalla deliberazione delli 8 dicembre 1733 colla quale era deliberato il formare opposizione alla derivazione riservata al signor marchese d'Oppede dal giudicato arbitrale, inibiamo e proibiamo tanto alla detta comunità, quanto al detto signor marchese d'Oppede, e ad ogni altro a chi apparterrà, di turbarsi respettivamente e darsi impedimento nelle derivazioni delle quali si tratta: circa li altri diritti che sono stati loro riservati dal detto giudicato arbitrale, e sopra tutti li altri fini e conclusioni delle parti, le abbiamo rispettivamente poste fuori d'istanza e di lite: ordiniamo, che la detta concessione del conte Raimondo del mese di maggio 1171, e le concessioni fatte dalli vescovi di Cavaglione nel 1235, 1327, 1352 e 1547 saranno registrate nel processo, e che il nostro presente giudicato sarà riferito al nostro Santo Padre il Papa, ed a sua maestà cristianissima, per essere confermato.

A Cavaglione, li 29 maggio 1736.

*Sottoscritti*: De Luzi, commissario. — D. Arbaud Jonques, commissario. — P. Scutellari, commissario. — Ripert, commissario. — Pintat, segretario di stato ed archivista. — Regibaud, notaro.

Confirmatur a Pontifice.

§ 2. Quare nos, praemissa subsistere exacteque observari cupientes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, sententiam praeinsertam, cum omnibus et singulis in eâ decretis ac contentis, harum serie approbamus, ac ratam et gratam habemus, illique apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus.

Qui sic in perpetuum iudicari iubet.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatque contrariis quibuscumque.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit,

quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliàs roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII iunii MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27 iunii 1736, pontif. anno VI.

---

## CLXXXIV.

*Indulgentiae pro recitantibus sub horam noctis ad pulsum campanae psalmum* De profundis, *vel semel orationem dominicam et salutionem angelicam cum versiculo* Requiem aeternam, etc.

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Caelestes Ecclesiae thesauros, quorum dispensationem nobis commisit Deus, ad christifidelium pietatem fovendam, augendam, et animarum salutem promovendam libenter erogamus.

Indulgentiae de quibus in rubrica. § 1. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui sub horam noctis ad pulsum campanae psalmum *De profundis* vel semel orationem dominicam et salutationem angelicam cum versiculo *Requiem aeternam, etc.*, in suffragium animarum christifidelium defunctorum flexis genibus devote recitaverint, quo die egerint, centum dies de iniunctis eis seu aliàs quomodolibet debitis poenitentiis in formâ Ecclesiae consuetâ relaxamus.

Indulgentiae pleniores. § 2. Insuper eisdem christifidelibus vere poenitentibus et concessis et sacrâ communione refectis, qui per annum praemissa peregerint, ac pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam in uno die cuiuslibet anni dumtaxat per unumquemque christifidelem ad sui libitum eligendo lucrifaciendam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptis adhibenda fides. § 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV augusti MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 augusti 1736, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXXV.

*Confirmatio Brevis Benedicti XIII super declaratione quod institutum Congregationis Portugalliae monachorum Ordinis S. Hieronymi sit monachale.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Congregationem hanc Benedictus XIII ad Ordinem monachalem spectare declaravit. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Hyacinthus a S. Michaële, abbas generalis Congregationis Portugalliae monachorum Ordinis S. Hieronymi, quod, cum status seu institutum monasticum dictae Congregationis a nonnullis in

dubium revocaretur, felicis recordationis Benedictus Papa XIII praedecessor noster, per quasdam suas in simili formâ Brevis die XXVIII iunii MDCCXXV expeditas litteras, auctoritate apostolicâ edixit ac declaravit praefatam Congregationem Portugalliae ad monasticum Ordinem seu institutum pertinere, illiusque religiosos inter monachos vere et proprie recensendos esse, volens proinde ac mandans, ut, qui Ordini praefato nomen dedissent, illumque expresse professi fuissent, pro veris monachis haberentur, cunctasque de monachali eiusdem Congregationis Portugalliae illiusque alumnorum appellatione ac instituto controversias, si quae excitatae essent, amputavit et removit, districte praecipiens ne quis inposterum super hac re illis negotium facesseret aut litem intenderet[1], ac aliàs, prout in supradictis Benedicti praedecessoris litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

Huiusmodi declaratio confirmatur a Clemente.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Hyacinthus abbas generalis praemissa, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae praesidio communiri summopere desideret: nos, specialem eidem Hyacintho abbati generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praefatas Benedicti praedecessoris litteras cum[1] omnibus et singulis in eis contentis dictâ auctoritate, harum serie confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Potius forsan *intentaret* (R. T.).

Clausulae.

§ 3. Decernentes, easdem Benedicti praedecessoris ac praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, Sedisque Apostolicae nuntios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die X novembris MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 10 decembris 1736, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CLXXXVI.

*Statutum circa appellationes et recursus religiosorum Congregationis clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Praepositi generalis supplicatio.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Ioannes Felix a Praesentatione, praepositus generalis Congregationis clericorum regularium Pauperum Matris Dei Scholarum

1 Praeposit. *cum* nos addimus (R. T.).

Piarum nuncupatorum, nobis nuper exponi fecit, per plures nostras in simili formâ Brevis litteras, ad sartam tectam tuendam regularis observantiae disciplinam debitamque subditorum erga suos superiores obedientiam et subiectionem, in diversis Ordinibus ac Congregationibus regularibus modum imposuerimus appellationibus et recursibus religiosorum adversus gravamina quae sibi a suis praelatis illata esse passim asserebant: ipse Ioannes Felix praepositus generalis idipsum quoque in praedictâ Congregatione clericorum regularium, ad tollendum abusum frequentium appellationum et recursuum extra eamdem Congregationem qui in eam sensim invehitur, et longius, nisi mature[1] occurratur, progredi posset, praescribi atque exacte custodiri summopere desideret[2]:

Modos recursuum declaratur.

§ 2. Nos, praedicti Ioannis Felicis praepositi generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus illius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, auctoritate apostolicâ, harum serie, statuimus et ordinamus quod nullus dictae Congregationis clericus regularis, aliave persona cuiusvis gradus, dignitatis et conditionis existat, in casibus in quibus de iure vel iuxta Congregationis praefatae constitutiones a Sede Apostolicâ confirmatas appellare aut recurrere licet, id aliter facere valeat, quam gradatim, nempe a rectore collegii seu domus, utpote immediato superiore, ad praepositum provincialem, et deinde ad ipsum praepositum generalem eiusdem Congregationis, itaut causae appellationis seu recursus huiusmodi, antequam a dicto praeposito generali cognitae et definitae fuerint, extra eamdem Congregationem deferri et agitari nequeant.

Secus agi vetatur.

§ 3. Ac propterea omnibus et singulis Romanae Curiae tribunalibus ac iudicibus, et quibusvis etiam S. R. E. cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apostolicae nunciis nunc et pro tempore existentibus, ne clericorum regularium ac personarum Congregationis praefatae appellationes aut recursus admittant, causasque praefatas agnoscant, nisi prius legitime sibi constiterit illas per eumdem praepositum generalem prius cognitas et definitas fuisse, sub poenâ nullitatis actorum ac inde secutorum, et, quoad religiosos appellantes vel recurrentes qui praemissis contravenerint, sub gravibus nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis, dictâ auctoritate, tenore praesentium, prohibemus.

Praesenti constitutioni perpetua firmitas adiicitur.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Edit. Main. legit *maturae* (R. T.).
2 Aptius lege *desiderat* (R. T.).

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Congregationis huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptorum fides.

§ 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV novembris MDCCXXXVI, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 14 novembris 1736, pontif. anno VII.

---

## CLXXXVII.

*Confirmatio edicti publicati ab eminentissimo domino cardinali Corsino, signaturae iustitiae praefecto, in confirmationem privativae iurisdictionis Rotae Maceratensis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Eminentissimus Corsinus ad tollendas appellationes in praeiudicium Rotae

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus civitatis nostrae Maceratensis, quod dilectus filius noster Nerius S. R. E. cardinalis Corsinus nuncupatus, noster secundum carnem ex fratre germano nepos, et signaturae nostrae iustitiae praefectus, exorto in provinciâ nostrâ Marchiae abusui appellandi in praeiudicium iurisdictionis tribunalis Rotae nuncupati eiusdem civitatis, contra motumproprium felicis recordationis Sixti V et quasdam litteras Innocentii X Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum in formâ Brevis expeditas, opportunum remedium adhibere cupiens, edictum hac in re edidit tenoris qui sequitur, videlicet:

Maceratensis edictum publicat.

Edicti tenor.

*Nerio di S. Adriano diacono cardinale Corsini, prefetto della Segnatura di giustizia.* — Accadendo ben spesso, che nelle cause tanto appellabili che ricorribili della provincia della Marca in pregiudizio della giurisdizione privativa del tribunale della Rota di Macerata, e contro la forma ed il tenore del *Motu proprio* di Sisto V emanato sopra l'erezione della medesima Rota, impresso nel Bollario nuovo in ordine const. XCV, tom. II[1], ed anche, rispetto alle cause ricorribili, d'un Breve speciale dalla santa memoria d'Innocenzo X spedito in data delli 5 marzo 1646, i rei soccombenti avanti i giudici locali si fanno lecito ricorrere al nostro monsignore auditore ad effetto d'ottenerne particolarmente nelle cause ricorribili la subdelegazione di un altro giudice nel medesimo luogo, e gli stessi curiali *de partibus* talvolta accordano o fanno accordare da curiali di Roma la deputazione d'un altro giudice locale, inscio anche alle volte lo stesso nostro monsignor uditore, con fare il decreto d'accordo, senza neppur far leggere la citazione, con gravissimo pregiudizio anche del pubblico di detta città, che con titolo oneroso ottenne la detta erezione di tribunale, e con continuo gravissimo dispendio soccombe all'annuo peso di supplire del proprio al mantenimento di cinque uditori della detta Rota, oltre la congrua abitazione che le somministra: desiderando noi pertanto dar l'opportuno rimedio ad un tal abuso, coll'oracolo di nostro Si-

1 In h. ed. tom. IX pag. 81, const. CXLV (R.T.).

gnore, e per debito del nostro officio espressamente ordiniamo, che in avvenire non sia lecito ad alcuno de' litiganti della detta provincia della Marca, e molto meno a' curiali sì *de partibus* che di Roma, accordare le deputazioni di altro giudice locale, e far il decreto di accordo, senza far leggere la citazione, dichiarando noi irrite, nulle ed attentale tutte le deputazioni che si faranno in avvenire contro la forma di detto *Motu proprio*, e del detto Breve pontificio, e del presente editto; incaricando a monsignor nostro uditore di rigettare tutti li ricorsi che si faranno avanti di lui, quali giudicherà essere contro la forma e tenore della detta costituzione Sistina e di detto Breve Innocenziano. Quale editto per la di lui piena osservanza ordiniamo che venga affisso e pubblicato ne' soliti luoghi di Roma, ed in tutte le città e luoghi di detta provincia, con doversene ritenere una copia affissa in qualsivoglia cancelleria delle città e luoghi di detta provincia, acciò da niuno possa allegarsene l'ignoranza. Dato in Roma questo dì 13 dicembre 1736. — N. card. CORSINI. — G. CABALLINI, uditore.

Magistratus Maceratensis confirmari petiit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes, edictum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desiderent:

Quod praestat Clemens.

§ 3. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, edictum praeinsertum a memorato Nerio cardinali et signaturae nostrae iustitiae praefecto editum, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Sicque servari praecipit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae civitatis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate, roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII ianuarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 13 ianuarii 1737, pontif. anno VII.

F. cardinalis OLIVERIUS.

CLXXXVIII.

*Unio provinciae Lombardiae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum cum custodiâ Mantuanâ, et dismembratio conventus Castellionis Stiverorum a provinciâ Brixiae, eidem provinciae Lombardiae incorporati cum aliis quinque conventibus Mantuae, terrae Hostiliae, Goiti, Aquaenigrae et Sermini vici.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. Sacrosancti apostolatus officium, humilitati nostrae per abundantiam divinae bonitatis nullo licet meritorum nostrorum suffragio creditum, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, ad ea, per quae felici prosperoque christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimini consulitur, libenter intendimus, munerisque nostri pastoralis partes propensâ desuper parte[1] interponimus, sicut nos, locorum, personarum, rerum et temporum qualitatibus mature pensatis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis incrementum expedire in Domino arbitramur.

Causae faciendae unionis et respective separationis. § 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores et religiosi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum provinciae Lombardiae et custodiae Mantuanae, quod, cum, de consensu etiam ac approbatione carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum catholici necnon Romanorum regis in imperatorem electi, inter se convenerint ut in unam eamdemque provinciam Lombardiae uniantur, atque secundodicti superiores et religiosi custodiae Mantuanae declaraverint dilectis pariter filiis ministro generali et definitoribus generalibus praefati Ordinis tum memoratam custodiam Mantuanam, propter penuriam et defectum praesertim sacrificii[1] unde religiosis commodum vestium provenit, aliter non posse subsistere, tum maxime regularem observantiam in suis respective conventibus per eam contiguae provinciae unionem magis[2] magisque adiuvante Deo firmatum iri: quam quidem unionem cum accessione conventus Castellionis Stiverorum, a provinciâ Brixiae, quemadmodum ipse Carolus rex in imperatorem electus exoptat, separandi et dismembrandi, et aliorum quinque conventuum, videlicet Mantuae, terrae Hostiliae, Goiti, Aquaenigrae et Sermini vici, iidem minister generalis et generales definitores, utpote laudabilem et regulari observantiae in primis conducibilem, necessariam[3] approbarunt.

Approbatur a Pontifice. § 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, unionem huiusmodi per nos stabiliri, sibique propterea in praemissis opportune provideri et ut infra indulgeri, plurimum desiderent: nos igitur, piis utrorumque superiorum ac religiosorum votis ad religionis incrementum et felicem progressum tendentibus, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eosque et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, supradictam provinciam

1 Forsan *voluntate* (R. T.).

1 Forsan *lanificii* (R. T.).
2 Vocem *magis* nos addimus (R. T.).
3 Edit. Main. legit *necessarium* (R. T.).

Lombardiae cum custodiâ Mantuanâ perpetuo unimus, coniungimus, adnectimus et incorporamus, necnon conventum Castellionis Stiverorum, quem a provinciâ Brixiae separamus et dismembramus, cum quinque aliis memoratis conventibus, scilicet Mantuae, terrae Hostiliae, Goiti, Aquaenigrae et Sermini vici, eidem provinciae Lombardiae perpetuo etiam unimus, coniungimus, annectimus et incorporamus.

Sicque in perpetuum praecipit observari. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, et illis respective in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis, provinciarum ac conventuum praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI ianuarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat die 21 ianuarii 1737, pontif. anno VII.

---

## CLXXXIX.

*Indulgentia plenaria a SS. D. N. Clemente PP. XII benigne concessa missionariis Capuccinis Gallis in partibus infidelium existentibus, tum die quo ad ipsa loca missionum pervenerint, tum in articulo mortis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. Caelestium munerum thesauros libenter impertimur iis, quos salutem animarum et gentilium conversionem procurare intelligimus.

Procuratoris preces. § 1. Cum itaque, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, frater expresse professus Ordinis Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum in Romanâ Curiâ missionum orientalium et occidentalium ac missionariorum Gallorum eiusdem Ordinis procurator, nobis nuper exponi fecit, et diversis regni Galliae provinciis Ordinis huiusmodi plures religiosi viri in gentium conversione maxime laborent, et Sancti Spiritus gratiâ multum proficiant:

Indulgentiae, de quibus in rubricâ. § 2. Nos, eiusmodi pia studia intimo cordis affectu plurimum complectentes, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, universis dicti Ordinis religiosis earumdem provinciarum Galliae, qui pro Christi amore et obedientiae merito conversioni gentilium in praefatis orientalium et occidentalium partibus procurandae se accinxerint, die quo ad ipsa loca missionum pervenerint, si confessione praeviâ sacram communionem sumpserint, necnon in mortis articulo, si contriti ac confessi, ac[1] cum

1 Videtur legendum *aut* pro *ac* (R. T.).

proposito confitendi, in itinere seu in ipsâ conversione decesserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus et elargimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII ianuarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 ianuarii 1737, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CXC.

*Declaratio, quod Ordinariis locorum in Indiis non liceat visitare confraternitates erectas et erigendas in ecclesiis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, nec eorumdem oratoria ruralia.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Privilegium Ordinis Carmelitarum Excalceatorum erigendi extra Urbem confraternitates.

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quod ipsi, in vim privilegiorum eis a felicis recordationis Clemente Papa XI praedecessore nostro die XXIV novembris MDCCIII concessorum et novissime a nobis die XXVII iunii MDCCXXXV respective confirmatorum, ubique terrarum extra hanc almam Urbem nostram privative confraternitates virorum et mulierum sub titulo eiusdem B. Mariae de Monte Carmelo erigere et fundare possunt.

Cuiusmodi sint dictae confraternitates.

§ 2. Quae quidem confraternitates nec usum saccorum, neque proprium oratorium sive intra sive extra claustra, neque redditus, et consuetudinem aut onus recitandi divinum officium aliasque preces habent, ullasque functiones ecclesiasticas peragunt, sed tantummodo processionibus, quae ab iisdem exponentibus in quolibet mense fieri solent ad effectum lucrandi indulgentias eisdem confraternitatibus a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessas[1], intersunt.

Episcopus Mechoacanus eas visitare tentat.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, venerabilis frater modernus episcopus Mechoacanus in Indiis non solum supradictas confraternitates in eorumdem exponentium ecclesiis erectas, necnon etiam quoddam oratorium rurale cuiusdam praedii per dictos exponentes possessi, in quo religiosi memoratae Congregationis missam pro spirituali colonorum ibidem commorantium consolatione celebrare consueverunt, visitare tentaverit; nobis propterea iidem exponentes, ne quid simile in posterum per alios locorum Ordinarios attentari contingat, opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri summopere desiderent:

Declarat Pontifex huiusmodi confraternitatum et oratoriorum ruralium dicti Ordinis visitationem ad Ordinarios non spectare.

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus inclinati, audito super praemissis venerabili fratre nostro Francisco S. R. E. cardinali Barberino nuncupato, sacri cardinalium collegii decano, episcopo Ostiensi et Veliternensi, ac Congregationis eiusdem S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposito-

1 Edit. Main. legit *concessis* (R. T.).

rum praefecto, si preces veritati nitantur, supradictas confraternitates tam in ecclesiis eorumdem exponentium erectas et erigendas, quam illorum oratoria ruralia ab Ordinariis locorum non esse visitanda, sed a superioribus praedictae Congregationis Hispaniae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, declaramus ac decernimus.

Sicque ubilibet servari praecipit et iudicari.

§ 5. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXXI ianuarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 31 ianuarii 1737, pontif. anno VII.

---

## CXCI.

*Alternativis factis pro nationibus, quibus conflatur provincia Germanica Ordinis Servorum B. M. V., iam approbatis a vicario generali Ordinis eiusdem, robur confirmationis apostolicae adiicitur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Pastoralis officii nostri divinitus commissi sollicitudo nos admonet, ut, paternam religiosorum virorum, qui se se sub suavi arctioris vitae iugo devoverunt, curam gerentes, ea, quae tollendis animorum dissidiis stabiliendâque inter eos fraternâ concordiâ provide constituta esse noscuntur, quo firma semper atque inviolata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio roboremus.

Provincia Germanica huiusce Ordinis diversis constans nationibus nonnullas pro unione conservanda sancit alternativas, a vicario generali totius Ordinis postmodum confirmatas.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Symphorianus Maria Holzer, frater expresse professus Ordinis Servorum B. M. V. per Germaniam vicarius generalis, ceterique religiosi nationis Austriacae, quod, cum eorum provincia ex duabus praecipue nationibus, Tyrolensi videlicet cum proxime adiacentibus, ex unâ, Austriacâ vero et Hungaricâ, ex alterâ parte, compacta reperiatur; verum, propter varium nationum ingenium, ingentem conventuum ad invicem distantiam, aliasque plurimas causas, tam spiritualis quam temporalis oeconomia, necnon fraterna charitas et disciplina regularis, ac iustitia denique distributiva sancte servari vix possit, nisi cum praedictis nationibus aequalitas in omnibus et iusta alternativa firmiter stabiliatur: consentientientibus eiusdem provinciae religiosis, quaedam huiusmodi alternativae capitula hinc inde subscripta fuerunt, quae deinde cum approbatione imperialis decreti munita, et a dilecto filio Iosepho Maria de Inghiramis Curti Viglevanensis, in sacrâ theologiâ magistro ac dicti Ordinis Servorum B. M. V. vicario generali apostolico, approbata, et, quatenus opus est, confirmata fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Tenor concordiae.

*Frater Ioseph Maria de Inghiramis Curti Viglevanensis sacrae theologiae humilis professor, ac totius Ordinis Servorum B. M. V. vicarius generalis apostolicus. Dilectis vobis in Christo admodum reverendo patri vicario generali nostro, provinciali socio, definitoribus, prioribus, ceterisque patribus ac fratribus pro-*

*vinciae nostrae Germaniae, salutem in Domino sempiternam.* — Cum diu optatum sit a vobis, ut in nostrâ provinciâ Germaniae, tam in conventibus distinguendis, iisdemque bene regendis, quam in superioribus iuxta iustitiam distributivam eligendis, ac plerisque aliis, tenor aequitatis observetur; ad hunc autem finem consequendum ratio alternationis optimum medium esse videatur; cumque in variis congressibus, non semel communicatis inter vos consiliis, tandem ad eamdem alternationem, habito etiam beneplacito sacrae caesareae regiaeque catholicae maiestatis, pervenire efficaciter cupiatur, mature praeterea dictis consiliis examinatis, communicatâ insuper nobis subscriptione a partibus respective factâ, aliisque visis documentis, necnon praecipue capitulis seu conventionibus alternationis quae sequuntur:

Alternativa provincialis, eiusque socii.

I. Quolibet triennio, quo celebrandum erit capitulum provinciale, provincialis et socius assumantur alternative, itaut, dum provincialis est Austriacus, socius sit ex Tyrolensibus, et vicissim; idemque circa provincialem ex Austriacis eligendum observandum erit in primo capitulo provinciali; id ipsum pariter fiet in casu obitus provincialis, vel socii, ita quod provinciali succedat in officio primus definitor eiusdem nationis, et socio secundus definitor eiusdem pariter nationis, cuius fuerit ille qui obierit:

De definitorio.

II. In quolibet definitorio sint aequales patres vocales Tyrolenses ex unâ parte, et patres Austriaci ex aliâ. Negocia autem, quae ibi pertractabuntur, concludantur et definiantur per pluralitatem suffragiorum. Quod si contingat vota tam favorabilia quam contraria esse, iterum et tertio res proponantur; et, si denuo suffragia secreta adhuc aequalia erunt, decisio sit penes praesidem definitorii seu capituli, iuxta constitutiones Ordinis:

Superioribus localibus conventuum.

III. Cum conventus constituentes unam alternationis partem, quae Austriaca vocanda erit, sint illi qui in Austriâ et Hungariâ reperiuntur; in superiores locales horum conventuum assumantur Austriaci, vel etiam eidem parti incorporati, quae tamen incorporatio extraneorum patrum pro Austriae et Hungariae conventibus ad superiores maiores nationis Austriacae spectet. Quod idem omnino vicissim servandum erit ex parte Tyrolensium:

Novitiatibus.

IV. In posterum sit novitiatus unus in Austriâ pro candidatis Austriacis et Hungaris, et alter in Tyrolo pro Tyrolensibus et eorumdem incorporatis:

De recipiendis in unâquaque provinciâ ad professionem.

V. Huiusmodi candidati suscipiantur in definitorio a superioribus propriae nationis respective in aequali vocalium numero, ut supra dictum est, sicut cuique parti in Domino necessarium esse et expedire videbuntur. In praedicto autem definitorio patres utriusque nationis decernant, ne aliqua natio religiosis inutilibus alterius nationis plus iusto gravetur:

Ærario, legatis et procuratore nationis.

VI. Ærarium publicum provinciae dividatur, et haereditates ac legata Austriacorum aut Hungarorum spectent pariter ad aerarium dumtaxat partis Austriacae, sicut vicissim spectantia ad Tyrolenses, ad aerarium Tyrolensium devolvantur. Administratio autem aerarii Austriaci ad patres definitorii Austriacos, et aerarii Tyrolensis ad patres definitorii Tyrolenses tantum pertineat. Porro capitalia tam certa quam dubia ad iustitiae et aequitatis regulam aequâ lance dividantur. Si autem quaedam ex his capitalibus, facto unius vel alterius nationis, male fuissent elocata vel distracta, ita quod res certa, incerta et dubia redderetur, parti nocenti attribuatur. In procuratorem autem provinciae assumatur persona idonea non habitâ ratione nationis, quae exacte se conformet constitutionibus Ordinis:

De non transferendis religiosis ab una ad aliam provinciam, nisi necessitate cogente.

VII. Nullus deinceps religiosus unius nationis ad conventum alterius nationis, sine publicâ et gravi necessitate, per patres provincialem et socium approbandâ, mittatur, et si fieri contingat, expensa solvantur ab aerario illius nationis, in cuius commodum similes mutationes fient:

Initio alternativae.

VIII. Huiusmodi alternationis initium detur in futurâ diaetâ provinciae, quae, attentis circumstantiis et necessitatibus praesentibus, fiat statuto tempore Viennae Austriae, atque in illâ res disponantur circa superiores eligendos pro conventibus Austriae et

Hungariae conformiter ad numerum tertium horum articulorum. Nihil tamen innovetur circa definitorium, quod idem omnino perseverabit usque ad capitulum provinciale:

Approbatio vicarii generalis Ordinis.

Hinc, cum et nos maiorem Dei gloriam, Ordinis nostri incrementum, regularis disciplinae observantiam, sanctae iustitiae administrationem, atque firmiorem animorum concordiam ex hac alternatione futuram esse in Domino confidamus: auctoritate officii nostri, et quantum in nobis est, vobiscum convenientes, hanc alternationem executioni demandandam ratam habemus, approbamus, et, quatenus opus est, confirmamus. *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.* In quorum fidem praesentes has nostras manu propriâ subscriptas ac officii nostri sigillo munitas dedimus. Romae, in conventu nostro S. Marcelli, die XXIII ianuarii MDCCXXXVI. Ioseph Maria vicarius generalis apostolicus Servorum B. M. V. *Loco † sigilli.* Frater Paulus Maria Cardi, secretarius Ordinis.

Confirmatio Pontificia.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati Symphorianus Maria per Germaniam vicarius generalis, ceterique religiosi nationis Austriacae, praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, alternativam de consensu partium factam, et a memorato Iosepho vicario generali approbatam et confirmatam, ut praefertur, confectamque desuper scripturam praeinsertam, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictorum Ordinis et provinciae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 7 februarii 1737, pontif. anno VII.

## CXCII.

*Prorogatio indulgentiarum a Romanis Pontificibus concessarum sacramentum Eucharistiae sumentibus in ecclesiis, ubi a patribus Societatis Iesu agitur communio generalis.*

**Clemens Papa XII,**
**universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

Indulgentiae ab Innocentio X concessae Eucharistiam sumentibus in ecclesiis in quibus a patribus Societatis Iesu communio generalis agitur.

§ 1. Cum felicis recordationis Innocentius PP. X praedecessor noster, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intentus, omnibus utriusque sexus christifidelibus poenitentibus et confessis, qui aliquam Societatis Iesu vel quamcumque aliam saecularem ecclesiam ubicumque existentem, unâ ex dominicis cuiuslibet mensis, qua communio generalis sollicitudine dilectorum filiorum clericorum regularium dictae Societatis, et, quoad ecclesias saeculares, de licentiâ Ordinariorum locorum illarumque rectorum consensu ibidem ageretur, devote visitassent, et iisdem dominicis in aliquâ ex praedictis ecclesiis sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpsissent, ibique pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migravissent, per modum suffragii applicare possent, misericorditer in Domino ad quindecim annos tunc proximos tantum concesserit;

A successoribus prorogatae.

§ 2. Et subinde concessionem huiusmodi recolendae memoriae Alexander VII etiam ad quindecim annos, ac Innocentius XI pariter ad quindecim annos, et Innocentius XII itidem ad totidem annos, et Clemens XI quoque ad alios quindecim annos, necnon Innocentius XIII, Romani Pontifices praedecessores etiam nostri, ad simile temporis spatium prorogaverint; et aliàs, prout in ipsorum Innocentii X, Alexandri VII, Innocentii XI, Innocentii XII, Clementis XI et Innocentii XIII praedecessorum litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur;

Ad alios quindecim annos extenduntur.

§ 3. Sicut autem pro parte dilecti filii procuratoris generalis dictae Societatis nobis nuper expositum fuit, quindecim annorum, a memorato Innocentio XIII praedecessore, ut praefertur, prorogatorum, finis instet, cupiatque propterea idem procurator generalis opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri: nos, christifidelium pietatem caelestium munerum dispositioni nostrae a Domino creditorum elargitione pariter fovere atque incitare dictique procuratoris generalis votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, concessionem plenariae indulgentiae et peccatorum remissionis, a memorato Innocentio X praedecessore ad quindecim annos, et a praedictis Alexandro VII, Innocentio XI, Innocentio XII, Clemente XI et Innocentio XIII praedecessoribus ad alios quindecim annos prorogatam ut praefertur, ad quin-

decim alios annos a fine novissimae prorogationis huiusmodi numerandos, servatâ tamen praedictarum litterarum firmâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, prorogamus pariter et extendimus, ac denuo concedimus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Contrariorum derogatio.

Dandaque transumptis fides

§ 4. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesens nullae sint; utque ipsarum litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel secretarii dictae Societatis subscriptis, et sigillo praepositi generalis dictae Societatis vel alterius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII februarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 februarii 1737, pontif. anno VII.

F. card. Oliverius.

---

## CXCIII.

*Confirmatio deliberationum circa smutitionem commendarum hospitalis S. Ioannis Ierosolymitani aliàs iam approbatarum a magno magistro Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Militantis Ecclesiae regimini divinâ dispositione praesidentes, illa, quae pro felici celerique et proficuâ dignitatum et munerum ecclesiasticorum quorumcumque, et praesertim Ordinum militarium egregiam reipublicae christianae operam navantium provisione, ac praecavendis litibus et controversiis quae suboriri possent, provide prudenterque deliberata ac ordinata et decreta fuisse noscantur, ut firma atque illibata permaneant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

A consilio huius Ordinis data norma smutitionum commendarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii magnus magister et consilium hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, quod, pro bono ordine et provisione circa smutitionem praeceptoriarum seu commendarum eiusdem hospitalis, praeviâ quatuor commissariorum a dicto consilio specialiter deputatorum relatione, deliberationes in eodem hospitali servandae in omnibus casibus smutitionum huiusmodi factae fuerunt tenoris sequentis, videlicet:

Decretum laudati consilii quatuor commissariorum.

*Frater dominus Raymundus Despuig, Dei gratiâ sacrae domus hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani et militantis Ordinis S. Sepulchri dominici magister humilis, pauperumque Iesu Christi custos, universis et singulis praesentes, nostras litteras visuris, lecturis et auditu is, salutem.* — Notum facimus, et in verbo veritatis attestamur, qualiter infrascriptum decretum extractum fuit ex libro conciliorum in cancellariâ nostrâ conservato, in quo similia notari et registrari solent, quod quidem in hanc publicam formam extrahi et redigi iussimus, ut ubique tam in iudicio quam extra eidem plena et indubitata fides adhibeatur, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

Die X mensis ianuarii MDCCXXXVI ab Incarnatione, perlectâ relatione venerandorum commissariorum die XXX augusti proxime praeteriti deputatorum, cuius tenor est qui sequitur, videlicet:

*Eminentissimo signore, e sacro Consiglio.*

In adempimento della commissione incaricataci dall'E. V. e da questo suo sacro Consiglio per decreto dei 30 agosto scorso, ed ampliata poi sotto li 11 novembre se-

guente, abbiamo esaminato colla dovuta attenzione così quello viene rappresentato nel memoriale dei procuratori della veneranda lingua d'Italia, come anche altri inconvenienti che ponno occorrere in materia di smutizioni, tanto delle commende che si troveranno in rendita, quanto di quelle che si smutiranno in tempo del mortorio e vacante, e per darvi un opportuno provedimento, siamo convenuti nel parere che V. E. e questo suo sacro Consiglio debbano stabilire ed ordinare l'osservanza di quanto siegue, cioè:

Che venendo alcuna commenda dimandata da più concorrenti, dovranno questi, alla riserva dell'anziano, comparire senz'altra formalità di citazione, e produrre in cancellaria, fra il termine di otto giorni utili *a die smutitionis*, le eccezioni che intendono allegare contro l'anziano o anziani dimandanti, per trattarsi nel primo venturo consiglio da destinarsi da V. E.; e non comparendo alcuno, s'intenderà acquistata al più anziano di detti concorrenti, in tutto e per tutto, come se non vi fosse concorso alcun altro a dimandarla, senza pregiudizio però del comun tesoro, talchè il più anziano suddetto, col solo estratto della veneranda lingua o priorato, senza l'obbligo di ricorrere al venturo consiglio per l'aggiudicazione, potrà e dovrà a suo tempo cavare le Bolle, e per sua morte, rinuncia o privazione vi dovrà essere nuova smutizione. Per la comparsa in cancellaria d'alcuno di quelli che dimanderanno la commenda nel tempo della smutizione, s'intenderanno comparsi pure in cancellaria i di lui anziani che la dimanderanno, di maniera che questi potranno comparire nel primo venturo consiglio da destinarsi da V. E. come se fossero realmente comparsi in cancellaria nel corso del termine prescritto.

Il termine degli otto giorni utili non potrà nè dovrà esser interrotto che dalle ferie statutarie *in honorem Dei*, non ostante che corrano le ferie canicolari. E dal giorno poi in cui sarà reso e pubblicato il decreto che farà V. E. ed il venerando consiglio, dovrà per le smutizioni passate, le quali per le dimande de'concorrenti restano tuttavia sospese, osservarsi lo stesso che si stabilisce per li casi avvenire.

Se, passato il mortorio e vacante di una commenda dimandata da più fratelli, si smutirà una o più commende, sarà lecito a quelli che dimanderanno la prima, dimandare le seconde, fino a tanto che seguirà la dichiarazione del venturo consiglio sulla loro capacità o incapacità rispetto alla detta prima commenda, e quello, che sarà dichiarato l'anziano capace di quelli che dimanderanno la prima commenda, non acquisterà alcun *ius* sopra la seconda, ed in caso di morte, dimissione, cessione, rinuncia o privazione di detto fratello durante il termine degli otto giorni o pendente lite, si dovrà fare la suddetta dichiarazione, sentiti il venerando comun tesoro, la veneranda lingua o priorato, ed altri interessati, per ragione del loro rispettivo interesse, dimodochè, dichiarandosi capace, succederà nuova vacanza e nuova smutizione.

Se l'anziano dei concorrenti muore, cede, si dismette, o rinuncia, per passare ad altra commenda, prima che dal sacro Consiglio sarà stato dichiarato l'anziano capace, si dovrà esaminare e provare innanzi il sacro Consiglio da destinarsi da Sua Eminenza la capacità del più anziano che morì, si dismise, cedette o rinunciò, e, trovatolo capace, procedere a nuova smutizione, perchè il vero gius si acquista unicamente dall'anziano capace de'concorrenti.

Sebbene l'ordinazione ottava della cancellaria per l'estrazione delle Bolle delle dignità e commende provvedute prefigga il termine d'un mese dopo la smutizione o provista, nullasiadimeno, per motivo che fino all'entrare in rendita hanno campo li commendatori di cambiare più volte, pare che sia convenevole, che il detto termine di un mese debba correre subito dopo entrati in rendita, sotto la pena prescritta dall'ordinazione suddetta da osservarsi inviolabilmente.

E quando l'E. V. e il suo sacro Consiglio giudicheranno approvare questa nostra relazione, crediamo che si debba fare ricorso

a Sua Santità per la confermazione del decreto che sarà reso sulla medesima, colla derogazione di tutto ciò che potrebbe fare in contrario al presente regolamento. Questo è il nostro sentimento, quale sottoponiamo al più maturo discernimento di V. E. Umilissimi ed obbligatissimi servitori e religiosi ubbidientissimi: il priore di Messina fra ANNIBALE VIMERCATI, il gran priore di Alemagna FILIPPO GUILIELMO conte de Nesselrode, il bali frà EMMANUELE PINTO, *le baili* DE LAVAL MONTMORENCY.

Approbatio facta per magnum magistrum.

Eminentissimus et reverendissimus dominus magnus magister et venerabile Consilium, cum suffragiorum scrutinio, nemine discrepante, praeinsertam venerandorum commissariorum relationem confirmaverunt et approbaverunt, illamque executioni demandari decreverunt.

Et quia ita se habet veritas, ideo in huius rei testimonium bulla nostra magistralis in cerâ nigrâ praesentibus est impressa. Datum Melitae in conventu nostro, die x mensis ianuarii MDCCXXXVI ab Incarnatione iuxta stilum nostrae cancellariae, secundum vero cursum ordinarium MDCCXXXVII. — F. ROCCHUS DE TAVORA vice-cancellarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatur a Pontifice.

§ 2. Quare, magni magistri et consilii praedictorum nominibus, nobis fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, magnum magistrum et consilium praefatos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, deliberationes per decretum magni magistri et consilii praefatorum factas, ut praefertur, cum omnibus et singulis denominationibus, declarationibus, et aliis in eis contentis et expressis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Sicque servari praecipit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac magnum magistrum et consilium, aliaque tribunalia quaecumque hospitalis praefati, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI februarii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 februarii 1737, pontif. anno VII.

---

## CXCIV.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo indulsit quatenus vicarii generales Congregationis Hispaniae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, pro tempore quo extra capitulum ad dictum munus in vim statutorum Ordinis et Congregationis huiusmodi subintraverint, eisdem privilegiis et exemptionibus, quibus electi in capitulo fruuntur, in posterum fruantur et gaudeant.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Declaratio, de qua in rubrica, aliàs emanavit a Clemente XI pro prioribus provincialibus.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum vicarii et definitorii generalium Congregationis Hispaniae Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Discalceatorum nuncupatorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito[1], quod aliàs felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster per quasdam suas desuper in simili formâ Brevis die XIII februarii MDCCIV expeditas litteras, quarum initium est *Nuper pro parte, etc.*, omnibus prioribus provincialibus eorumdem Ordinis et Congregationis, qui in eodem officio extra capitulum, et in defectum priorum provincialium in capitulo electorum subintrabant, iuxta praescriptum statutorum dictorum Ordinis et Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatorum, omnia et singula privilegia et exemptiones, quibus priores provinciales in capitulo electi frui solent, concesserat; et in eâdem expositione subiuncto quod eadem erat ratio respective quoad vicarios generales eorumdem Ordinis et Congregationis qui in vim statutorum praedictorum pariter in officio vicariis generalibus extra capitulum in defectum vicariorum generalium in capitulo electorum succedebant; cupiebantque propterea dicti exponentes ut eadem Congregatio cardinalium idipsum pro vicariis generalibus extra capitulum declararet: emanavit a praedictâ Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Petitur confirmari pro vicariis generalibus.

Sacrae Congregationis decretum.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam illustrissimus dominus noster supplicem libellum remisit, audito patre procuratore generali Ordinis, ac attentâ relatione eminentissimi domini cardinalis Firrao praefati Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, oratorum precibus benigne indulsit, quatenus vicarii generales pro tempore, qui extra capitulum ad dictum munus in vim statutorum Congregationis subintraverint, eisdem privilegiis et exemptionibus, quibus electi in capitulo fruuntur, in posterum fruantur et gaudeant. Romae XXII februarii MDCCXXXVII. — FRANCISCUS cardinalis BARBERINUS — L. archiepiscopus..., secretarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatur a Pontifice.

§ 2. Cum autem, sicut dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a

1 Edit. Main. legit *expositio* (R. T.).

iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Sicque servandum statuitur.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationis huiusmodi, et[1] iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III martii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 3 martii 1737, pontif. anno VII.

1 Forsan deest *aliis quibusvis, etiam* (R. T.).

---

## CXCV.

*Confirmantur duo decreta edita in conventu generali Congregationis Missionis ad tollenda dubia quae suboriri possent super intelligentiâ constitutionum eiusdem Congregationis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae pro felici directione et tranquillitate congregationum virorum ecclesiasticorum in Ecclesiâ Dei pie sancteque institutarum ac uberes bonorum operum fructus studiosâ charitate iugiter proferentium prudenter provideque constituta et ordinata esse noscuntur, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis patrocinio libenter roboramus.

In conventu Parisiensi duo edita decreta.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Conty[1], superior generalis Congregationis Missionis, quod in novissimo conventu generali ipsius, anno proxime praeterito in civitate Parisiensi habito, bina decreta pro dirimendis tollendisque aliquot dubiis, quae super intelligentiâ seu interpretatione nonnullorum articulorum constitutionum eiusdem Congregationis auctoritate apostolicâ confirmatarum progressu temporis facile suboriri potuissent, edita fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Quomodo intelligenda sit maior pars suf-

I. In conventu generali Congregationis Missionis, qui mense martio anni MDCCXXVI[2]

1 Edit. Main. legit *Coutii* (R. T.).
2 Aut potius *1736* (R. T.).

fragiorum super medietatem.

Parisiis celebratus est, mota est, de numero suffragiorum necessario ut mediam partem excederent, controversia. Cum enim electores essent numero impares, dubitabatur, utrum maior pars censenda esset mediâ parte superior. Re itaque mature expensâ, auditisque singulorum sententiis, definivit conventus, ex triginta quinque electorum, quibus constabat, suffragiis, novemdecim requiri ut assistentium et admonitoris valeret praesens electio, eo scilicet nixus fundamento, quod talis sit numeri imparis ratio, ut in duas partes inaequales divisi maior pars non superet medietatem, sed sit tantum maior medietas; si vero per compromissarios res dirimenda foret, eorum maior pars sufficeret ad electionis vim et firmitatem. Cumque eadem difficultas in posterum occurrere possit, quoties scilicet numerus suffragantium est impar, et plura medietate requiruntur suffragia: statutum est praesens decretum Sanctae Sedi Apostolicae esse exhibendum, ut eius auctoritate confirmetur, idemque in posterum, servatâ numeri proportione, fiat quod nunc actum est.

Mortuo superiore generali, vicario autem generali legitime impedito, cuius sit Congregationem regere.

II. Quoniam constitutionibus a Summo Pontifice confirmatis sancitum est, defuncto superiore generali, eius esse, quem ipse in vicarium generalem nominaverit, vel primi assistentis, si vicarius nominatus non fuerit aut officio suo fungi non possit, Congregationem regere usque ad electionem superioris generalis, nullusque assignatur modus iudicandi de qualitate et diuturnitate impedimenti, quo vicarius generalis detinetur: censuit conventus solvendam difficultatem ut sequitur, quod: si contigeret illum, qui in schedâ manu propriâ defuncti superioris scriptâ nominatus est vicarius generalis, e vitâ decessisse, aut gravi morbo detineri, aliove modo impediri, quominus intra unam aut alteram hebdomadam suo officio, ut par est, vacare possit (de quo morbo aut impedimento assistentes cum sacerdotibus eius domus, ubi sunt arcu'ae, modo in Congregatione post emissa vota sexennium exegerint, ad plura suffragia eodem obitus die, et quamprimum fieri poterit, iudicabunt, ita tamen ut in eâ deliberatione primus assistens non sit praesens), tunc primum assistentem superioris generalis admittere tamquam vicarium generalem tenebuntur, ita ut vicarius generalis nominatus, sed impeditus, etiamsi postea convalescat, aut ab absentiae, alteriusve generis impedimento liber fiat, nullum amplius ius habeat ad regendam Congregationem. Cumque praesens decretum maximi sit momenti ad tuendam domesticam tranquillitatem, et ad longe removenda quaelibet dissidia, ad Sanctam Sedem Apostolicam deferetur, ut illi vis ac firmitas inconcussa addatur.

Petita super his apostolica confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Ioannes superior generalis, decreta huiusmodi, quo firmius subsistant ac serventur exactius, apostolicae confirmitationis nostrae praesidio communiri et aliàs opportune in praemissis a nobis provideri summopere desideret:

Concedit Clemens.

§ 3. Nos, praedictum Ioannem superiorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decreta praeinserta, cum in eis contentis, auctoritate praefatâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint[1], seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent, supplemus et sanamus.

Assistenti etiam generali, admisso tamquam vi-

§ 4. Praeterea, quod praefatus assistens, pro tempore, admissus tamquam

1 Male edit. Main. legit *interveniri* (R. T.).

cario generali, omnes elargitur facultates, quae vicario generali competunt.

vicarius generalis dictae Congregationis modo superius enunciato, gaudeat ac potiatur eisdem facultatibus, quas felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, per suas in simili formâ Brevis die IX septembris MDCCIV expeditas litteras, pro tempore itidem existenti vicario generali, sive nominato a superiore generali, sive electo in conventu generali Congregationis praedictae, tribuit, auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus.

Sicque ubique servari, ac definiri praecipit.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab iis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari, illisque respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Tollit contraria.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dictae Congregationis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI martii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 26 martii 1737, pontif. anno VII.

---

## CXCVI.

*Indulgentia plenaria iis qui aliquam ex ecclesiis clericorum regularium Barnabitarum visitaverint die festo S. Francisci Salesii.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Indulgentiam de qua in rubrica concessit Benedictus XIII solis clericis regularibus Barnabitis.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Benedictus PP. XIII, praedecessor noster, omnibus et singulis clericis regularibus Congregationis sancti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis dictae Congregationis ubicumque existentibus die festo S. Francisci Salesii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuò concessit, prout in litteris in simili formâ Brevis die VII aprilis MDCCXXVIII pontificatus sui anno IV desuper expeditis plenius continetur.

Eamdem extendit Clemens ad omnes christifideles.

§ 2. Nunc autem nos, ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris piâ charitate intenti, ac de omnipotentis Dei misericordiâ et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, necnon supplicationibus dilecti filii Ioannis Baptistae Gropallo procuratoris generalis eiusdem Congregationis no-

mine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, plenariam omnium peccatorum indulgentiam et remissionem a memorato Benedicto praedecessore concessam, ut petitur, ad omnes utriusque sexus christifideles, qui vere similiter poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti aliquam ex ecclesiis Congregationis huiusmodi die festo S. Francisci Salesii a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique[1], ut petitur, oraverint, eamdem plenariam indulgentiam et remissionem consequantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo extendimus et ampliamus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 3. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae seu procuratoris generalis dictae Congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII martii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 28 martii 1737, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CXCVII.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo monasterium S. Mariae Sagittarii Ordinis Cisterciensis unitum declaratur provinciae Thusciae eiusdem Ordinis.*

1 Male edit. Main. legit *ubique* (R. T.).

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decretum Congregationis, de quo in rubricâ.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, in causâ dismembrationis monasterii S. Mariae Sagittarii nuncupati provinciae Thusciae Anglonensis dioecesis Ordinis Cisterciensis sancti Bernardi et reunionis provinciae Calabriae eiusdem Ordinis inter dilectos filios superiores utriusque provinciae super infrascriptis dubiis vertente, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

*Anglonensis seu Ordinis Cisterciensis.* Antiquissimum et insigne monasterium S. Mariae Sagittarii Ordinis Cisterciensis situm in provinciâ Basilicatae seu Lucaniae dioecesis Anglonensis in regno Neapolis, quod ante annum MDCXXXIII a suo superiore regulari de per se regebatur, fuit ad preces superiorum Calabriae a sanctae memoriae Urbano VIII, qui omnia monasteria Cisterciensium erexerat in provincias, de dicto anno MDCXXXIII unitum provinciae Calabriae et Lucaniae. Sed quia modico annorum intervallo sub regimine Calabriae in disciplinâ regulari et substantiis notabiliter decreverat, provide sanctae memoriae Alexander VII ad obviandum tot malis (audito voto clarae memoriae cardinalis Franciotti, tunc eiusdem Ordinis protectoris, bonae memoriae reverendi patris domini Fagnani, et de Alteriis, huius sacrae Congregationis tunc secretarii[1], postea sanctae memoriae Clementis X), motu proprio et maturâ deliberatione segregavit a provinciâ Calabriae, et sub die I octobris MDCLXIV univit et aggregavit regimini Cisterciensium provinciae Thusciae, sub quo gubernio pacifice et cum incremento spirituali et temporali patres vixerunt, regnantibus sanctae memoriae Alexandro VII et Clemente IX, et solummodo ad sanctam memoriam Clementis X reclamantibus patribus regiminis Calabriae, fuerunt eorum

1 Male edit. Main. legit *secretariis* (R.T.).

preces a Sanctissimo remissae huic sacrae Congregationi: quae, auditis prius relationibus trium archiepiscoporum viciniorum regni, scilicet Matheranensis, S. Severinae, et Rossanensis, causâ mature discussâ, referentibus clarae memoriae cardinalibus Imperiali et Cybo, post plures propositiones sub die XV martii MDCLXXIV prodiit resolutio: *Observandum esse Breve sanctae memoriae Alexandri VII super unione monasterii S. Mariae Sagittarii factâ Congregationi S. Bernardi eiusdem Ordinis provinciae Thusciae*. A qua resolutione non reclamarunt patres regiminis Calabriae nisi de anno MDCXCIX, quo tempore, remissis eorum precibus a sanctae memoriae Innocentio XII ad sacram Congregationem super statu regularium, eadem sub die XIII ianuarii MDCXCIX rescripsit: *Servandam esse resolutionem anni* MDCLIV. Postmodum patres regiminis Calabriae anno MDCCXXVI, inauditis patribus regiminis Thusciae, extorserunt a sanctae memoriae Benedicto XIII Breve subreptitium et obreptitium reunionis eiusdem monasterii prafatae eorum provinciae Calabriae. Sed recurrentibus postea patribus superioribus regiminis Thusciae et monasterii S. Mariae Sagittarii ad SS. D. N. Clementem PP. XII feliciter regnantem pro aperitione oris adversus dictum Breve, ac remissis eorum precibus ad hanc sacram Congregationem, referente prius clarae memoriae cardinali Nicolao Spinula, et postmodum eminentissimo et reverendissimo domino cardinali Porzia, disputata fuerunt infrascripta dubia: I. An intret arbitrium pro aperitione oris adversus Breve sanctae memoriae Benedicti XIII in casu: et, quatenus affirmative: II. An sit standum praedicto Brevi, seu potius alteri sanctae memoriae Alexandri VII in casu, etc. Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum èt regularium praeposita, referente eminentissimo domino cardinali de Porzia ponente, partibus auditis, ac re mature perpensâ, ad suprascripta dubia sequentem in modum respondendum censuit, prout respondit, videlicet: ad primum, affirmative; ad secundum, servandum esse decretum Alexandrinum. Romae XVII septembris MDCCXXXVI. Repropositâ vero causâ sub infrascriptâ die, ponente eodem eminentissimo de Porzia, ipsamet sacra Congregatio rescripsit pro executione decreti emanati sub die XVII septembris MDCCXXXVI. Romae XV februarii MDCCXXXVII. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS — C. arch. Chalcedonensis, secret. *Loco † sigilli.*

*Petita apostolica confirmatio, quae conceditur.*

§ 2. Cum autem, sicut dilecti filii monachi primodicti monasterii nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutas[1] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

*Sic ubique iudicandum.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere,

1 Edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciarum et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I aprilis MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 1 aprilis 1737, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

## CXCVIII.

*Indulgentias, aliàs concessas pro visitantibus ecclesias seu oratoria missionariorum Capuccinorum Gallorum in partibus infidelium existentium, etiam pro animabus christifidelium per modum suffragii applicari posse benigne indulget.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Indulgentias aliàs concessas.

§ 1. Cum, sicut dilectus filius Cherubinus de Noves, Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum professor, dilectorum filiorum missionariorum Gallorum et Hybernorum eiusdem Ordinis in partibus haereticorum et infidelium existentium in Romanâ Curiâ procurator, nobis nuper exponi fecit, aliàs nos omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis seu oratoriis dictorum fratrum missionariorum, mulieribus vero, quibus ad illas seu illa liber non pateret accessus seu ingressus, quae aliam ecclesiam seu oratorium catholicorum earumdem partium a custode vel praefecto missionum huiusmodi designandum, in festis diebus, sub certis modo et formâ tunc expressis, visitassent, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effudissent, quo die ex praedictis id egissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuò concessimus, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XX maii MDCCXXXV pontificatus nostri anno V expeditis litteris plenius continetur.

Pro animabus defunctorum applicari concedit.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, christifideles illas indulgentias christifidelium defunctorum animabus per modum suffragii applicari posse plurimum desiderent: nos, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis christifidelibus praedictis, ut indulgentias plenarias iisdem diebus, quas de cetero consecuti fuerint, christifidelium defunctorum animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, itidem[1] perpetuo concedimus et indulgemus, in contrarium facientes non obstantibus quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 3. Volumus autem quod earumdem praesentium litterarum transumptis, seu

1 Male ed. Main. legit *ibidem* pro *itidem* (R.T.).

exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 9 aprilis 1737, pontif. anno VII.

---

## CXCIX.

*Confirmatio decreti Congregationis Rituum super approbatione sententiae episcopi Pisaurensis de casu excepto a decretis Urbani VIII sive de cultu immemorabili praestito B. Michelinae viduae, Pisaurensi, Tertii Ordinis sancti Francisci.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Mulieres fortes, quae praesertim opibus saeculi, potentiâ propinquorum, nobilitate originis, et inventute ac pulchritudine decoratae, amissis maritis et filiis, et cunctis despectis, per gratiam Spiritus Sancti, accinctae robore, in spiritu ambulantes, ad pedes advolutae Christi, quasi ipsum tenentes, elegerunt abiectas esse in domo Dei, et per arduas christianae perfectionis semitas in odorem unguentorum caelestis Sponsi alacres cucurrerunt, eo maioribus in catholicâ Ecclesiâ praeconiis sunt condignae, quo fortius sexûs infirmitatem transgredientes, luculentioribus praeluxerunt exemplis, ut ceterae mulieres, earumdem vestigia sectantes, immarcescibilem gloriae coronam in caelis cum ipsis accipere mererentur. Quamobrem apostolicae servitutis officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati tenuitatique nostrae credere dignata est, ad spiritualem fidelium aedificationem salubriter exequi, adspirante superni favoris auxilio, iugiter satagentes, mulierum huiusmodi, quas non solum eximiarum christianae pietatis virtutum praesidio, sed etiam signorum splendore insignes, aeternae felicitatis participes fecit misericordiarum Pater, cultum et venerationem in terris libenter promovemus, cum, maxime accedentibus virorum et regiâ maiestate et ecclesiasticâ dignitate et religionis virtute fulgentium votis, ad divini honoris decus et militantis Ecclesiae incrementum maximopere conducere conspicimus.

Introductio causae canonizationis B. Michelinae in Congregatione Rituum.

§ 1. Cum itaque aliâs, ad relationem dilecti filii nostri Vincentii Lodovici S. R. E. presbyteri cardinalis Gotti nuncupati, commissio introductionis causae canonizationis B. Michelinae viduae e nobili Metellorum gente civitatis nostrae Pisaurensis, Tertii Ordinis sancti Francisci, in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum habitâ die XI augusti anni MDCCXXXVI proxime elapsi admissa et a nobis postmodum signata fuisset;

Processus institutus in curia Pisaurensi, et latum decretum super cultu immemorabili.

§ 2. Subinde vero, instantibus dilecto filio nostro Fabio eiusdem S. R. E. diacono cardinali de Abbatibus Oliverio nuncupato secretario Brevium nostrorum secretorum et dilecto filio Vincentio de Comitibus, Ordinis Minorum sancti Francisci Conventualium etiam nuncupatorum ministro generali, huiusmodi causae postulatoribus, processus in curiâ episcopali Pisaurensi super cultu ab immemorabili tempore ipsi Beatae praestito, sive super casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani Papae VIII praedecessoris nostri auctoritate ordinariâ formatus, in quo venerabilis frater

Philippus episcopus Pisaurensis sententiam super praedicto cultu protulerat, in eâdem Congregatione cardinalium examinatus, simulque a dicto Vincentio Ludovico cardinali propositum fuisset dubium, an sententia praedicti Philippi episcopi lata super casu excepto a decretis ipsius Urbani praedecessoris, sive super cultu publico ab immemorabili tempore dictae Beatae praestito, esset confirmanda in casu et ad effectum de quo agebatur; et eadem cardinalium Congregatio resolutionem distulisset, atque interea mandasset fieri diligentias in civitate praedictâ Pisaurensi pro perquisitione ac transmissione cuiusdam modi vivendi, regulae et capitulorum dictae Beatae adscriptorum; atque hisce diligentiis expletis, novissime delatus fuisset ad hanc almam Urbem nostram parvus processus a praefato episcopo Pisaurensi confectus; et idem Vincentius Ludovicus cardinalis Gotti, ponens, die VI currentis aprilis relationem fecisset omnium contentorum in dicto parvo processu, unde constitit, nihil[1] fuisse repertum, et eadem Congregatio cardinalium censuisset posse procedi ad ulteriora; subindeque, reproposito praefato dubio super confirmatione sententiae, matureque discusso processu informativo hac de re constructo, et tam in voce quam in scriptis dilecto filio magistro Ludovico de Valentibus in utrâque signaturâ nostrâ referendario, nostro et Apostolicae Sedis notario protonotario nuncupato supra numerum participantium, ac fidei promotore, desuper audito, memorata Congregatio cardinalium responsum edidit: *Affirmative:*

Confirmatur a Pontifice.

§ 3. Hinc est quod nos, piis carissimi in Christo filii nostri Iacobi Magnae Brittanniae regis illustris votis et enixis demissisque tam praedicti Fabii quam aliorum etiam ipsius S. R. E. cardinalium et venerabilium fratrum archiepiscopi et episcoporum Status nostri Urbinatensis necnon praefati Vincentii ministri generalis precibus hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus eorumdem nominibus nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum a memoratâ cardinalium Congregatione editum, ut prafertur, quod scilicet de casu excepto a decretis praedicti Urbani praedecessoris, sive de cultu publico ab immemorabili tempore dictae B. Michelinae praestito constet, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

1 Forsan deest aliquid, ex g. *contrarii* (R.T.).

Clausulae confirmatoriae.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptis danda.

§ 5. Volumus autem ut ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae

haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV aprilis MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 24 aprilis 1737, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

CC.

*Indulgentia plenaria omnibus christifidelibus, qui orationi Quadraginta Horarum in ecclesiis patrum Capuccinorum interfuerint.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium. Ad ea, per quae christifidelium salus procuratur animarum, libenter intendimus, eaque[1] favore prosequimur opportuno.

Indulgentia de qua in rubricâ. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, dilecti filii fratres Ordinis Minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum orationem[2] Quadraginta Horarum ad animarum salutem augendam, in ultramontanis partibus, in ecclesiis civitatum et locorum ubi ipsi conventus habent, instituere soleant: nos, pium et sanctum, necnon Deo acceptabile opus huiusmodi promovere cupientes, omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac sacrâ communione refectis, qui orationi Quadraginta Horarum huiusmodi continuatarum (non autem nisi noctis tempore interpolatarum) de licentiâ Ordinariorum locorum in quibuslibet ecclesiis dictorum locorum semel in anno instituendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum, extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Facultates ad concessae confessariis Capuccinis. § 2. Omnibus vero et singulis confessariis, ab Ordinariis locorum respective approbatis, qui in ecclesiis praedictis occasione dictae orationis ad audiendas confessiones deputati fuerint, omnes et quoscumque utriusque sexus christifideles poenitentes ab omnibus quibuscumque in praeteritum usque ad diem datae praesentium commissis criminibus et excessibus, etiam nobis et Apostolicae Sedi reservatis (haeresis, simoniae ac duelli, et violationis clausurae monasteriorum monialium, et recursus ad iudices laicos contra formam sacrorum canonum, exceptis) necnon excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et poenis, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, in praeteritum similiter usque ad diem datae praesentium incursis, impositâ cuilibet arbitrio suo poenitentiâ salutari, in foro conscientiae tantum absolvendi facultatem, et auctoritatem, pro primâ vice tantum, tenore praesentium, concedimus et impertimur.

Obstantium derogatio. § 3. Non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et generalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus[1] quoad indulgentiae huiusmodi concessionem ad septennium proximum tantum valituris.

Fides transumptorum. § 4. Volumus autem ut praesentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae seu procuratoris generalis dicti Ordinis munitis,

1 Edit. Main. legit *eoque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *oratione* (R. T.).

1 Vocem *Praesentibus* nos addimus (R. T.).

eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 maii 1737, pontif. anno VII.

F. card. OLIVERIUS.

---

## CCI.

*Confirmantur capitulationes a parochis almae Urbis factae, et decretum super iisdem a cardinali vicario editum, pro bonâ directione collegii dictorum parochorum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Statuta nonnulla a parochis Urbis edita

§ 1. Nuper pro parte collegii dilectorum filiorum parochorum huius almae Urbis nostrae expositum nobis fuit, quod, cum ipsi parochi, ut assiduis praeiudiciis contra iura parochialia et decreta statuti Cleri Romani quotidie occurrentibus provideretur, statuerint in singulos annos conferre unum quinarium, vulgo grossum, monetae pro quolibet centenario numero animarum solvendum in die octavâ Ascensionis domini nostri Iesu Christi ex maioribus adventitiis pecuniis vulgo *incerti* nuncupatis quae ex funeribus percipiuntur, ut ex eâ assignatione et procuratori stipendium detur et impensae ad praefatam causam necessariae fiant, ac proinde ad bene dirigendas lites, et examinandum quae ex iisdem litibus intentanda et defendenda sit, constituerint secretam congregationem constantem ex camerario cleri et decem parochis, sex videlicet saecularibus et quatuor regularibus, quotannis pro eorumdem medietate mutandis, ut quinque illorum conscii rerum praeteritarum remaneant, cum facultatibus eidem congregationi eligendi et mutandi ministros stipendiarios, nominandi parochos pro eàdem congregationes deputatos, assignandi ipsis munera, de collatitiâ pecuniâ disponendi, et interpretandi in dubiis omnes capitulationes ab ipsismet factas, quae quidem omnes et singulae a dilecto filio nostro Ioanne Antonio S. R. E. presbytero cardinali Guadagni nuncupato, in Urbe praefatâ vicario in spiritualibus generali, decreto interposito approbatae sunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Eminentissimo vicario porrecta pro obtinendâ confirmatione.

*Eminentissimo e reverendissimo Signore.* — Il Collegio de' parochi di Roma, umilissimi oratori dell'E. V., con tutto l'ossequio le rappresentano, come nella Congregazione adunata li 22 febbraio scorso dal camerlengo del clero, con la benigna permissione dell'E. V., tra le altre cose che ivi fu discorso, si trattò delli molti pregiudizi che alla giornata accadono contro il *ius* parrocchiale, e che a questi non si dà alcun riparo, perchè trattandosi di liti dispendiose, ogni paroco sfugge di farle, per utilizzare più al proprio interesse, che a quello comune dei parochi: onde per provvedere a sì continui disordini e pregiudizi, come ancora per mantenere sempre *in viridi* osservanza lo statuto del clero, fu colla maggior parte dei voti creduto espediente di annualmente farsi la contribuzione di un grosso per ogni centinaro d'anime, e da pagarsi da chi gode gl'incerti maggiori ne' funerali, per poter con quest'assegnamento tenere un procuratore per la difesa del detto *ius* parochiale e delle disposizioni statutarie del clero, per pagare le spese di copie di scritture, stampe, avvocato, ed altre cose necessarie.

Fu anche deputata una Congregazione particolare composta del camerlengo del clero con diciasette parochi, nove secolari e otto regolari, quali furono:

*Secolari:* S. Pietro in Vaticano; S. Maria in Trastevere; S. Lorenzo in Damaso; Ss. Celso e Giuliano; S. Maria in Grotta Pinta; S. Lorenzo a' Monti; S. Benedetto in Piscivola

*stati già camerlenghi del clero;* S. Biagio della Pagnota; S. Tomaso a Cenci;

*Regolari:* S. Lorenzo in Lucina; S. Nicolò a Cesarini; Ss. Apostoli; S. Agostino; S. Maria sopra Minerva; S. Maria del Popolo; S. Maria in Monterone; S. Maria della pace:

Qual Congregazione dovesse stabilire, quando si dovesse fare il pagamento della suddetta contribuzione, da chi esigersi, e tutt'altro per poter ben regolare la difesa delle liti, e del modo e forma da tenersi nell'adunare per l'avvenire una congregazione segreta. Al tenore dunque di tale deputazione fu adunata la suddetta congregazione particolare li 13 marzo scaduto, e in essa fu determinato:

Tenor statutorum.

I. Che li diciasette di sopra nominati deputati della congregazione generale, tenuta li 22 febbraio, dovranno restare sino alla congregazione generale da tenersi dopo la Pentecoste dell'anno MDCCXXXVIII per bene incamminare le liti ed ogni altra cosa; e nella congregazione che da loro preventivamente si terrà, correranno la bussola per tutti loro, e quelli tre de' parochi secolari, e li due de' regolari, che averanno maggior numero de' voti favorevoli, resteranno deputati della congregazione segreta per il futuro anno.

II. In avvenire poi la congregazione segreta consterà di soli dieci parochi con il camerlengo, cioè sei secolari e quattro regolari.

III. Di questi dieci parochi uno sarà camerlengo, due sindaci, un secretario, un archivista, e gli altri deputati alle liti.

IV. Per gli altri cinque deputati da eleggersi di nuovo, due de' parochi si nomineranno dal carmerlengo del clero, cioè un secolare ed un regolare, ed uno per ciascheduno dalli deputati della congregazione segreta; quali nominati si ballotteranno poi nella congregazione generale, restando eletti quelli cinque che averanno maggior numero de' voti favorevoli, cioè tre de' parochi secolari e due de' regolari; e quando mai per qualsivoglia contingenza, a riserva però del caso d'uguaglianza de' voti, come si spiegherà in appresso, non seguisse l'elezione, o nascesse qualche dubbio circa la di lei validità, s'intenda devoluto il *ius eligendi* delli cinque nuovi deputati, da sciegliersi dalli detti dodici già proposti, alla congregazione segreta.

V. La distribuzione degli accennati uffici si farà dalla congregazione segreta.

VI. In caso di morte di qualcheduno della medesima congregazione segreta, questa eleggerà in luogo del defunto uno dei deputati dell'anno antecedente, che non furono confermati, quale supplirà per il restante dell'anno.

VII. Se fosse uguaglianza de' voti nella conferma de' deputati, o nell'elezione delli nuovi, i nomi di quelli si metteranno nella bussola, ed il primo che sarà estratto resterà confermato ed eletto.

VIII. Questo sistema tanto nella conferma delli deputati, che nella nomina de' nuovi, e nella elezione di questi, si praticherà ogni anno, affinchè nella congregazione segreta sia sempre la metà dei deputati già informati.

IX. La contribuzione d'un grosso per ogni centinaro d'anime, stabilita nella suddetta congregazione generale, si farà a proporzione del numero delle anime che si dà annualmente nella segretaria del signor cardinal vicario.

X. Qual contribuzione ragguagliatamente un anno per l'altro ascenderà a scudi settantacinque, de'quali si potrà pagare scudi trentasei al procuratore, scudi tre al mandataro per tutte le citazioni, e li scudi trentasei che restano, serviranno per far scrivere l'avvocato, per copie di scritture, per stampe ed altro che possa occorrere.

XI. Tal pagamento si dovrà esigere ogni anno dentro l'ottava dell'Ascensione del Signore dalli quattordici parochi prefetti, respettivamente dalle chiese loro suballerne.

XII. Il paroco camerlengo esigerà poi il detto denaro dai suddetti prefetti, e lo depositerà nel sacro Monte della pietà a credito del collegio de' reverendi parochi di Roma.

XIII. I pagamenti sempre si faranno con ordine fatto dal segretario della congregazione segreta, sottoscritto dal camerlengo

del clero, e da due parochi *antiquiori* che si troveranno nella congregazione segreta, e dall'istesso segretario.

xiv. Ogni anno fra l'ottava dell'Ascensione il camerlengo del clero convocherà la congregazione segreta, nella quale si confermeranno cinque della medema, e si nomineranno gli altri da eleggersi nella congregazione generale da farsi ogni anno dopo la domenica dello Spirito Santo, nel modo e forma che si è detto di sopra.

xv. La congregazione segreta avrà ampia facoltà di rimovere il procuratore ed altri stipendiati, quando sieno morosi e negligenti nel loro uffizio, e potrà eleggere il nuovo senza che sopra di ciò abbia veruna ingerenza la congregazione generale.

xvi. La predetta congregazione si adunerà almeno una volta il mese, e vi dovrà intervenire anche il procuratore.

xvii. Sarà obbligato il procuratore a difendere tutte quelle cause che riguardano al *ius* parocchiale, e tutte quelle delle mercedi de' funerali di ciascuna chiesa parrocchiale, ad ogni richiesta del paroco instante.

xviii. Per quello poi che riguarda all' *ius* parocchiale, spetterà alla medema congregazione segreta l'esaminare maturamente, prima d'assumere qualunque lite, se la di lei decisione possa formare favorevole stato al ceto parocchiale.

xix. E anche determinerà se si debbano difendere dal procuratore quelle liti che occorreranno al camerlengo del clero per mantenere il *ius* e decoro del camerlengato, o quando vi sia dissensione, si deve sentire il parere dell'eminentissimo signor cardinale vicario.

xx. La suddetta congregazione segreta abbia la piena facoltà d'interpretare e spiegare tutte e ciascheduna delle suddette disposizioni, in caso che nasca qualche dubbio sopra la loro intelligenza.

xxi. Quanto si è di sopra riverentemente esposto all'E. V. fu letto in congregazione generale, tenuta li 6 del corrente mese di maggio, e dalla medema si è approvato il tutto, dando anche ampia facoltà alla predetta congregazione particolare di eleggere il procuratore, e destinare gli altri che occorreranno par il buon regolamento, ed ancora di sottoscrivere a nome di tutti la presente supplica. Gli oratori pertanto umilmente supplicano l'E. V. a volersi degnare di approvare con suo special decreto tutte le suddette determinazioni, affinchè sempre abbiano il loro vigore, e restino obbligate tutte le chiese parocchiali per l'accennata contribuzione. Che della grazia, ecc.

Giuseppe canonico Lancisi, camerlengo del clero; Antonio Ricci, curato di S. Pietro in Vaticano; Francesco Antonio Spadea, paroco di S. Maria in Trastevere; Girolamo Vaselli, curato di S. Lorenzo in Damaso; Antonio Piervenanzi, paroco di S. Benedetto in Piscinola; Adeodato Barcali, paroco di S. Biagio in strada Giulia; Giuseppe Cianti, paroco di S. Lorenzo a Monti; Giovanni Battista Valeriani, arciprete de'Ss. Celso e Giuliano; Gasparo Ori, rettore di S. Tommaso a Cenci; Giovanni Domenico Farsetti, abate e rettore di Grotta Pinta, segretario.

*Regolari*. Antonio Datodi, curato di S. Lorenzo in Lucina; F. Tommaso Maria Marini, curato di S. Maria del Popolo; F. Bonaventura Ferreri, curato de'Ss. XII Apostoli; D. Giovanni Battista Oddi, paroco a Cesarini; F. Tommaso di S. Carlo, paroco di S. Maria in Monterone; D. Camillo Tacchetti, curato della Pace; F. Giovanni Primieri, curato della Minerva; F. Giovanni Domenico Guazzeroni, paroco di S. Agostino.

Approbata a cardinali vicario.

Cum ad tuenda iuria parochialia et dispositionem statuti cleri romani congregatio parochialis reverendorum parochorum Urbis per nos ad hunc effectum specialiter deputata, maturo desuper habito consilio, ad superius transcriptas provisiones communi concordiae voto devenerit, ut scilicet unusquisque parochus certam annuam taxam proportionabiliter contribuat, ad rationem videlicet obolorum quinque pro singulis centenis animarum in suâ respective parochiâ degentium, ut ita, accedente hoc annuo proventu, deveniri possit ad electionem diligentis probatique patroni causarum, qui iura universi casus[1] parochorum sarta tecta-

1 Videtur legendum *coetus* pro *casus* (R. T.).

que servet, atque; ex[1] superextantibus pecuniis, iudicialibus quoque et extraiudicialibus sumptibus succurratur, ne in posterum, prout dudum fortasse non raro evenit, parochi huius almae Urbis, gravi litium impendio perterriti, irreparabile sibi et successoribus inferant praeiudicium; proinde, auctoritate qua in hac parte fungimur, et ex debito quod ratione muneris vicariatus Urbis nobis incumbit, ne iura ecclesiarum parochialium et sanctiones eiusdem statuti cleri romani indefensa remaneant, resolutiones et provisiones praefatas, modo et formâ in supplici libello expressis, approbamus et confirmamus, easque in posterum ab omnibus parochis huius almae Urbis inviolabiliter servari volumus et mandamus. In quorum, etc. Datum ex aedibus nostris postridie nonas maii MDCCXXXVII.

F. I. A. cardinalis vicarius. *Loco † sigilli.*
Visa: Stephanus Palliani auditor.

Confirmatione apostolicâ roboratur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati parochi capitulationes et decretum huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et aliàs opportune in praemissis a nobis provideri summopere desiderent: nos, ipsos parochos specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas capitulationes et decretum, cum omnibus et singulis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).

Sicque ubique servandum praecipitur.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogatur.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, dicti collegii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII maii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 27 maii 1737, pontif. anno VII.

---

## CCII.

*Confirmatio litterarum procuratoris generalis Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum, quibus declarat novum conventum et ecclesiam Ss. XL Martyrum de Urbe ad fratres Discal-*

*ceatos nationis Hispaniae et Indiarum tantum pertinere.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Procurator generalis Ordinis ad tollenda dissidia praecavet ne in conventu XL Martyrum fratres admittantur aliarum nationum praeter Hispaniceam.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Ioannetius de Molina, frater expresse professus Ordinis Minorum S. Francisci Discalceatorum nuncupatorum, secretarius generalis Curiae tam dictorum Discalceaterum quam Recollectorum, quod, iussu nostro, captâ pacificâ possessione ecclesiae et loci Ss. XL Martyrum almae Urbis nostrae pro erigendo conventu Reformationis S. Petri de Alcantara et residentiâ procuratoris generalis pro tempore existentis eiusdem Reformationis et retinendâ[1] familiâ competenti ad servitium chori atque ecclesiae et observantiam disciplinae regularis, dilectus filius Gildardus Duflos, modernus procurator generalis praefati Ordinis, cupiens praecavere plurima inconvenientia, quae decursu temporis oriri possent si familia praefati novi conventus foret promiscua diversarum nationum quae pendent a generali eiusdem procuratione, pro suo iustitiae, boni communis et disciplinae regularis zelo, communicatis etiam consiliis cum ipso Petro Ioannetio, et approbantibus provinciis interesse habentibus, convenit et declaravit, quod novus conventus Ss. XL Martyrum, ut praefertur, tantum esse fratrum Discalceatorum nationis Hispaniae, et quod solummodo iidem Discalceati Hispani deberent et possent componere communitatem seu familiam praefati conventus, reservato tamen procuratori generali pro tempore existenti, cuiuscumque fuerit nationis, iure in eodem conventu cum suis necessariis ministris, quos hactenus haberi consuevit, residendi, ut latius continetur in litteris a praefato Gildardo priore generali subscriptis, quae sunt tenoris sequentis, videlicet:

Litterae hac super re datae.

Ego infrascriptus frater Gildardus Duflos, procurator generalis fratrum Minorum Discalceatorum et Recollectorum in Romanâ Curiâ, mature perpendens quod provincia Discalceatorum Hispaniae ex communibus eleemosynis, vel etiam ex emendicatis et procuratis ad hunc finem, administraverunt summam scutorum duo millium trigintaduorum monetae romanae, cum qua effectuata est emptio loci Ss. XL Martyrum pro fundatione novi conventus in Urbe, et insuper administraverunt aliam summam scutorum mille sexcentum quatuordecim pro emptione alterius domus domini abbatis Iosephi de Herrera Hispani, quae est contigua dicto loco fundationis, et alias pecuniarum summas mittere disponunt ad effectum reducendi ad formam regularem eamdem novam fundationem; et praeterea plura mobilia miserunt, signanter pro ecclesiâ et sacristiâ:

Considerans ulterius quod provinciae Portugalliae nihil prorsus miserunt, neque mittere disponunt ad hunc finem; provinciae autem Recollectorum Galliae, licet ante inceptam fundationem sese exhibuissent ad contribuendum effectuationi eiusdem cum competenti summâ pecuniarum, modo tamen se excusant aliquae adducendo deficientiam eleemosynarum, et aliae protestantes se nolle concurrere, nisi omnes aliae eiusdem nationis effective concurrant; unde fit quod nulla sit spes quod dictae fundationi contribuant:

Et ego solus pro meo posse contribui applicando, uti effective applicavi, usque modo summam scutorum tercentum viginti monetae romanae ad me missam[1], pro meâ et sociorum meorum manutentione, principaliter a meâ provinciâ S. Andreae in Belgio: quae quidem summa partim inservivit pro aliquibus mobilibus comparandi[2], et residuum pro communibus expensis pro victu; et insuper paratus sum ad contri-

1 Edit. Main. legit *retinendi* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *missa* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *comparandi* (R. T.).

buendum eodem modo in posterum cum eleemosynis quae ad me mittentur, ut omnia exactius constabunt ex regestro huius novae fundationis:

His omnibus attentis, quae uti vera sunt coram Deo, ea pro iustitiâ cuique debita volui explicata, et quod provinciae Recollectorum mihi replicatis litteris significaverunt se non curare de hac eâdem fundatione: propterea, ne eadem praepediatur, et opus, cum consensu communi provinciarum inceptum ad maiorem Dei gloriam, cum eiusdem detrimento et etiam boni communis nostrae reformationis evanescat, declaro et gratum habeo, id exigente iustitiâ, hanc novam fundationem iam inceptam in loco Ss. XL Martyrum Urbis pertinere ad provincias Discalceatorum Hispaniae, neque aliae nationes poterunt praetendere ius mittendi fratres de familiâ ad hunc novum conventum, sed tantummodo dictae provinciae Discalceatorum Hispaniae, comprehensis provinciis Indiarum catholico regi subiectarum; salvo tamen remanente iure procuratoris generalis, cuiuscumque sit nationis, residendi in dicto conventu cum suis necessariis ministris, et recipiendi advenas et forenses Discalceatos et Recollectos, ad Urbem quoquomodo accedentes, ad tenorem decreti sacrae Congregationis episcoporum et regularium emanati sub die XVI decembris anni Domini MDCCXXXV pro peragendâ hac novâ fundatione. Et ita declaro omni meliori modo, etc. In hoc nostro conventu S. Paschalis Baylon et Ss. XL Martyrum Urbis hac die XII iulii anni Domini MDCCXXXVI.

Et ego infrascriptus secretarius generalis Curiae ex parte provinciarum Discalceatorum Hispaniae et Indiarum acceptavi dictam declarationem et respective praeservationem. Et insuper promitto, quod ubi haec nova fundatio erit in statu manutenendi competentem familiam, et fabrica conventus existet convenienter disposita, ministrabit victum et vestitum procuratori generali pro tempore, et ipsius necessariis ministris, quando sufficient ad omnia eiusdem conventus eleemosynae. In quorum fidem has praesentes litteras dictus admodum reverendus pater commissarius iussit maiori [1] sigillo sui officii et utriusque subscriptione in dictis conventu, die, mense et anno quibus supra. — F. GILDARDUS DUFLOS qui supra. — Fr. PETRUS IOANNETIUS et MOLINA secretarius generalis Curiae. *Loco † sigilli.*

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, supradictus Petrus Ioannetius, eodem Gildardo procuratore generali approbante, praemissa, quo firmius subsistant, ac serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum desideret: Huiusmodi declarationem confirmari petiit a Pontifice.

§ 3. Nos, eiusdem Petri Ioannetii votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus ipsius Petri Ioannetii nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas litteras et in eis disposita et contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Benigne concedit Clemens.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, etc. [2] Hanc constitutionem perpetuò servari mandat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, Ordinis praefati, etc. [3] Contraria tollit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I septembris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 1 septembris 1737, pontif. anno VIII.

1 Videtur legend. *muniri* pro *maiori* (R. T.).
2 Ut supra pag. 229 *b* (R. T.).
3 Ut supra pag. 229 *b* (R. T.).

CCIII.

*Canonizatio B. Vincentii a Paulo fundatoris presbyterorum saecularium Congregationis Missionis et Societatis Puellarum quae* Charitatis *nuncupantur.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

§ 1. Superna Hierusalem et beata Dei viventis civitas, in qua a caelesti patrefamiliâs unus aeternae vitae denarius aequaliter omnibus, qui in vineâ suâ operati sunt, distribuitur, habet diversa loca et mansiones, quas quisque pro suo accepturus est merito. Itaque anxios apostolos de morte Christi, et de suâ infirmitate trepidos, et de futuro praemio sollicitos, cum audivissent Petrum promptiorem animo ac fidentiorem, et qui ceterorum capût et princeps constitutus fuerat, ter Dominum ad galli cantum negaturum, solatus est Christus dominus, dicens: *In domo Patris mei mansiones multae sunt*, significans his verbis, quod nemo eorum, licet alius alio fortior, alius alio infirmior, alius alio iustior, ab illâ felici domo excluderetur, in qua multae essent mansiones, nempe diversae meritorum in unâ vitâ aeternâ dignitates. Siquidem: *alia est claritas solis, alia claritas lunae, alia claritas stellarum; stella enim a stellâ differt a claritate.* Et non una expressa est in Evangelio fecunditas: nam *facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud vero trigesimum:* ubi centenus fructus martyribus, sexagenarius virginibus, alius aliis assignatur. Multae igitur in domo Dei mansiones, non una stellarum claritas, non idem, sed multiplex est fructus. Ita etiam non una est corona quae tempore persecutionis accipitur; habet et pax coronas suas, quibus de variâ et multiplici congressione victores, prostrato et subacto adversario, coronantur: libidinem subegisse, continentiae palma est; contra iram, contra iniuriam repugnasse, corona patientiae est; de avaritiâ triumphus est pecuniam spernere; laus est fidei fiducia futurorum, mundi adversa tolerare; et qui superbus in prosperis non est, gloriam de humilitate consequitur; et qui ad pauperum fovendorum misericordiam pronus est, retributionem thesauri caelestis adipiscitur; et qui invidere non novit, quique unanimis et mitis fratres suos diligit, dilectionis et pacis praemio honoratur. In hoc virtutum stadio, ad has iustitiae palmas et coronas accipiendas beatus Dei servus Vincentius a Paulo non solum ipse pervenit, sed alios etiam plurimos operâ et exemplo suo perduxit. Nam, tamquam strenuus Dei miles, deponens omne pondus et circumstans peccatum, propositum sibi certamen, aliis virtute praecurrens, inivit, et ad longaevam usque senectutem adversus principes et potestates et rectores mundi tenebrarum harum fortiter ac legitime certavit[1], et de manu Domini in terrâ illâ beatitudine meruit coronari. Quem autem Deus, qui facit mirabilia magna solus, aeternae felicitatis praemio donaverat in caelis, in terris quoque signis ac prodigiis illustrem reddere voluit, eo potissimum tempore, quo in Galliis novatores falsis fictisque miraculis suos diffundere errores, pacem Catholicae Ecclesiae turbare, simplices ab unitate Romanae Sedis abducere conabantur.

Eius canonizationem ad confundendos perversorum errores decernit Summus Pontifex.

§ 2. Itaque, divinae obsequentes voluntati, ut ad currendam viam salutis excitentur fideles, ut perversorum coërceatur pravitas, et haereticorum confundatur improbitas, servum Dei Vincentium

1 Edit. Main. legit *certaverit* (R. T.).

ab universo fideli populo, cuius regimini supernâ dignatione immerentes praesidemus, Sanctorum cultu et honoribus colendum ac venerandum, hodiernâ die, apostolicâ auctoritate decrevimus. Exultet igitur et gaudeat Ecclesia, novum a Deo patronum sibi oblatum esse qui pro peccatis populi apud Dominum preces adhibeat. Laudent eum universi fideles, et eo cultu atque iis honoribus prosequantur, quibus Deus in Sanctis suis honoratur. In psalmis igitur, in hymnis et canticis spiritualibus, in compunctione cordis et egenorum miseratione, praeclaram de mundo ac diabolo relatam victoriam et spiritualem servi Dei triumphum celebremus. Templa quidem in eius honorem immortali Deo aedificentur; sed nos, qui templum Dei sumus, humanae pravitatis labe polluere ac violare timeamus, demusque operam ne quid immundum aut profanum templo Dei, hoc est animae nostrae, inferatur, ne offensus sedem, quam inhabitat, derelinquat. Eius memoriae et altaribus dona et munera offerantur; sed exhibeamus quoque corpora nostra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem: rationabile obsequium nostrum. Eius denique religiosa simulacra, sacraeque imagines in veneratione et cultu habeantur; sed eius virtutum egregiam formam sanctaeque conversationis imaginem, divinâ opitulante gratiâ, in nobis ipsis exprimere ac repraesentare, quoad cuiusque nostrûm imbecillitas patitur, sollicite studeamus.

*Vincentii ortus et prima sanctitatis initia.*

§ 3. In humili pago, quem Ranquines dicunt, Aquensis dioecesis, ex pauperrimis sed piis parentibus natus est Vincentius a Paulo, qui a pueritiâ tamquam innocens Abel pastor ovium fuit, et ad eum et ad munera eius respexit Dominus. Nam in innocentiâ vivens, de suâ parsimoniâ et abstinentiâ gratum Deo offerebat sacrificium pietatis: siquidem farinam, dum a molâ rediret, et panem sibi in tenuem victum a parentibus traditum, pauperibus distribuebat, impendens virtuti quod propriae subtrahebat sustentationi, ut fieret refectio pauperum abstinentia ieiunantis. Ardentem enim pii adolescentuli charitatem paupertas non retardabat: licet parvum esset quod posset de suâ facultate decerpere; tamen animi magnitudine censûs angustiam superabat. Itaque dimidium scutum, quod quotidianâ parsimoniâ et industri[1] frugalitate e suis laboribus minutatim collegerat, occurrenti misero totum elargitus est, ad exemplum illius pauperculae viduae, quae a Domino meruit laudari, quia non ex eo quod abundabat illi, sed de penuriâ suâ, omnia quae habuit misit, totum victum suum.

*Studiis additur; et sacerdos iounctus.*

§ 4. Ab agresti et pastoritiâ vitâ avocatus a patre Aquas missus est, ut in convictu[2] fratrum Ordinis sancti Francisci litteris operam daret. Id autem sedulò ac diligenter executus est, eâ morum integritate et erga Deum pietate se gerens, ut aequalibus exemplo, maioribus admirationi fuerit. Hinc Tolosae, deinde Caesaraugustae in theologiae studiis operâ diligenter positâ, castus, humilis et modestus, et quales in sortem Domini vocatos esse decet, per omnes ecclesiasticos ordines ad sacerdotii sublimem dignitatem ascendit.

*Ad praebendam nominatur quam recusat ob competitorem litem.*

§ 5. Vix autem fuerat sacerdotali honore insignitus, inscius et absens, cum fama eius probitatis et doctrinae increbuisset, ad pinguem beneficii praebendam nominatus est; quam ut rescivit sine iudiciali controversiâ se adipisci non posse, sponte ac libenter dimisit; nam, amans potius iniuriam accipere et fraudem pati, quam iudicio cum fratre

1 Edit. Main. legit. *industria* (R. T).
2 Edit. Main. *convicto* (R. T.).

contendere, uberi voluit carere proventu, quem[1] sine lite, ab ecclesiastico viro, ut ipse aiebat, omnino fugiendâ, consequi non potuisset.

Tolosae litteras cum pietate edocet.

§ 6. Interea, ne aliis oneri esset, sed sibi et pauperi matri victum honestis laboribus et laudabili industriâ subministraret, humaniores litteras in castro non ignobili, quod Bussetum vocant, dioecesis Tolosanae, deinde in ipsâ urbe edocuit. Et quoniam eius potissima cura et vigil sollicitudo erat adolescentûm mentes non rerum divinarum (?) sterili dumtaxat notitiâ instruere, sed eorum animos ad caelestem sapientiam amplectendam impellere, et mores ad sublimem christianae professionis virtutem et sanctitatem informare, nobiles viri certatim filios suos eius curae committebant, ut in viâ Domini et in sanctorum scientiâ sub tanti viri proficerent evangelicâ disciplinâ et pietatis magisterio.

Massiliâ Narbonem versus navigans, in manus Turcarum incidit, qui vulneratum in Africam duxerunt.

§ 7. Profectus Massiliam, ut pecuniam, quae ex credito relictae sibi haereditatis debebatur, acciperet, cum Massiliâ[2] Narbonem versus remeaturus Tolosam secundo vento navigaret, in Turcas incidit, qui, navis magistro aliisque interemptis, Vincentium, sagittâ vulneratum, vestibus exutum, et catenis onustum, in Africam captivum adduxerunt. Multa et gravia a Turcarum saevitiâ, ne legem Domini sui desereret, passus est, sciens non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis.

Catenis concaptivi se ipsum suffecit; tertium herum apostatam convertit, cum quo Avenionem venit, ubi iste Ecclesiae reconciliatur.

§ 8. Narrant, cum forte unum e conservis suis sub gravi catenarum pondere misere laborantem conspexisset, nec ad sublevandas miseri illius angustias haberet quod traderet, se ipsum dedisse in vincula ut corporis sui dispendio alienam redimeret calamitatem. Duris agrorum culturae laboribus immiti ab hero addictus fuerat qui ultimus extitit, nam tres toto captivitatis tempore habuit, eumque saepe consueverat una ex concubinis herilibus adire, quae a nativitate professione mahumetanâ, christianae tamen religionis instituta et fidem audiendi percupida erat. Quadam die, cum plura de Deo et christianâ religione rogasset, iussit ut aliquid cantaret ex canticis Sion. Tunc vero servus Dei psalmum illum: *Super flumina Babylonis illîc sedimus et flevimus*, aliaque pia carmina cecinit. Dum autem ad incircumcisas mahumetanae aures sacrum Domini canticum ex ore Vincentii resonabat, Deus operatus est in corde profanae feminae ut aliquam caelestis dulcedinis suavitatem persentiret. Itaque domum regressa, maritum, qui a christianâ fide, ut Mahumetis sequeretur deliramenta, defecerat, convenit, eumque reprehendit religionem suam reliquisse, quam optimam esse censebat, tum ex iis quae de ore servi audierat, tum ex inusitatâ voluptate quam ex cantico perceperat, quantâ neque in maiorum suorum paradiso se fruituram esse sperabat. Verbis feminae commotus, impius ille respexit foeditatem suam, eamque damnavit atque exuere decrevit, adiuvantibus monitis et orationibus probi famuli sui Vincentii; quicum[1] re compositâ, parvâ naviculâ e Turcarum manibus in Gallias aufugit, ibique a Vincentio Apostolicae Sedis Avenionensi prolegato exhibitus, sacris servatis ritibus, impositâque poenitentiâ, Ecclesiae reconciliatus est.

Romam venit loca sacra veneraturus.

§ 9. Romam deinde servus Dei se contulit, ut sacras martyrum veneraretur exuvias, quorum sanguine expiata

1 Edit. Main. legit *quam* pro *quem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *Massiliam* (R. T.).

1 Nempe *cum quo*; male edit. Main. legit *qui cum* (R. T.).

Urbs, quae fuerat sedes superstitionis, facta est mater et magistra religionis, et ut ad sepulchra Apostolorum se prosterneret, et cathedram Petri adoraret, cuius dignitas etiam in indigno haerede non deficit.

In Gallias reversus, duas successive paroecias rexit, iuniores clericos disciplina ecclesiastica sedulò imbuens.

§ 10. Reversus in Gallias, suadente eximiae pietatis[1] viro Petro Berullo, auctore Congregationis Oratorii Iesu, et postea S. R. E. cardinali, primum in Parisiensi, deinde in Lugdunensi dioecesi parochiam administrandam suscepit: ubi, factus forma gregis ex animo, oves sibi commissas dirigens in viam Domini verbo pavit et exemplo. Et quoniam messis quidem multa, operarii autem pauci, iuniores clericos in aedibus suis alendos, educandosque excipit; quibuscum communem vitam agens, eos in lege Domini instruebat, ut, ad maiorem provecti aetatem, possent verbo Dei et doctrinâ salubri Ecclesiam Domini aedificare.

Parisios revertitur Vincentius, quem apprime noscens S. Franciscus Salesius monasteriis Ordinis Visitationis praeficit.

§ 11. Fama pietatis Vincentii et odor bonae eius conversationis pervenit ad S. Franciscum Salesium, qui eum sanctimonialibus Visitationis nuncupatis, quarum monasterium nuper Parisiis erectum fuerat, praeposuit: in commisso autem sibi difficili ministerio vigil sacrarum ancillarum custos et prudens animarum rector ostendit et opere comprobavit quam verum et rectum esset iudicium sanctissimi praesulis qui sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse palam affirmabat. Porro per quadraginta annos singulari prudentiâ, curâ et sollicitudine sacris illis virginibus ad viam salutis beatus Dei servus consuluit, ut, quae a carnali concupiscentiâ recedentes tam carne quam mente se Deo voverant, consummarent opus suum, et ad Dei munera per divina praecepta pervenirent.

1 Edit. Main. legit. *eximia pietate* (R. T.).

Congregationem Missionis instituit B. Vincentius, cuius officia et functiones enumerantur.

§ 12. Sed flagrans Vincentii charitas haud intra sanctimonialium claustra continebatur; sed, cum probe intelligeret nullam esse excellentiorem praestantioremque curam, quam quae curandis sanandisque animis collocatur, ad ineundam spiritualem pugnam contra concupiscentiam carnis et pravitatem mundi, contra superbiam et malitiam saeculi, contra calamitates et miserias filiorum Adam, contra parvulorum ignorantiam, contra demum spirituales nequitias, instruxit exercitus fortium qui praeliarentur praelia Domini. Nam anno MDCXXV instituit Congregationem presbyterorum saecularium Missionis, qui, contemptis atque desertis mundi huius illecebris, in communem vitam castissimam sanctissimamque congregati, nihil proprium habentes, simul aetatem agerent, viventes in orationibus, in lectionibus, in exhortationibus, aliisque spiritualibus exercitiis, quibus clericos saeculares in scientiâ Domini, in ecclesiasticis ritibus, et sacro instruerent ministerio, laicos autem, mandatorum divinorum rerumque caelestium meditatione eis propositâ, ad viam salutis currendam accenderent: qui perpetuo voto ad peragendum apostolicum sacrarum missionum opus praesertim in pagis, in villis, locisque campestribus, ubi iacentibus in tenebris et umbrâ mortis rarò evangelicae veritatis lumen affulget, se Deo obstringerent: qui nullâ superbiâ tumidi, nullâ pervicaciâ turbulenti, nullâ invidentiâ lividi, sed modesti, verecundi, pacati, concordissimam vitam, et intensissimam in Deum proximumque salutem, gratissimum munus omnium bonorum datori offerrent[1].

Perfecta Vincentii charitas animabus potissime consulit, et pro cor-

§ 13. Christiana autem charitas erga proximum, quae a charitate Dei tamquam a fonte proficiscitur, et mirabili

1 Edit. Main. legit *offerent* (R. T.).

poribus sublevandis societatem Puellarum Charitatis latissime diffusam instituit.

quodam modo tamquam gradibus per eam ad perfectum Dei amorem ascenditur, non solum providet[1] saluti animarum, sed etiam corporis indigentiis consulit[2]. Itaque servus Dei, perfectâ ardens[3] charitate, et animis et corporibus subvenire ac benefacere satagebat, agebatque quantum poterat ut proximus salvus corpore salvusque animo esset, ita tamen ut omnem corporum curam ad salutem animarum, de qua potissima debet esse sollicitudo, referret. Quamobrem, totis miserationis visceribus compatiens calamitatibus et angustiis miserorum praesertim aegrotantium, senum, puerorum, puellarumque, qui, viribus infirmi ac debiles, sibi succurrere non valentes, saepe necessario destituti auxilio, suis miseriis opprimuntur, societatem Puellarum Charitatis nuncupatarum fundavit, quae senibus, pueris, egenis, et omnis generis aegrotantibus curandis inserviendisque diu noctuque allaborarent.

Hinc in singulis ferme paroeciis Matronarum sodalitates, quae aegrotorum et miserorum curam haberent; societates puellarum Crucis, Providentiae et S. Genovefae ad efformandum sequiorem sexum instituit, promovet et auget.

§ 14. Praeterea non solum in singulis urbium, sed etiam pagorum et villarum paroeciis sodalitates Matronarum instituit, quarum sollicitâ curâ et diligenti sollicitudine miserorum pressurae et angustiae levarentur, aegrotantibus remedia tam corporalia quam spiritualia, calamitosis opes atque auxilium, egentibus pecunia, nudis vestimenta, afflictis consolatio afferretur. Erigendas etiam curavit, variisque in locis iam ante erectas adiuvit, maximeque promovit societates puellarum Crucis, Providentiae et S. Genoveffae, a quibus educarentur instruerenturque in femineis opificiis honestisque moribus pauperes puellae, ne in maturiorem aetatem adultae ignorantiâ dominicae legis aut divinorum mysteriorum inscitiâ laberentur[1], vel otiosae discerent circumire domos, et loquentes quae non oportet, retro Satanam converterentur, vel manibus laborare nescientes, domesticis oppressae difficultatibus, ad flagitia et peccata inopiâ et egestate impellerentur.

Hospitium pro amentibus, domum pro discolis, hospitale pro senibus artificibus, valetudinaria pro remigibus Parisiis et Massiliae erigenda curat.

§ 15. Insuper hospitium pro amentibus custodiendis, domum ad immorigeros adolescentes corrigendos, et amplum hospitale ad fovendos alendosque senes et artifices, qui ad sibi victum manibus suis quaerendum impotentes calamitate aliquâ evaserunt, aedificavit. Demum valetudinaria pro infirmis remigibus, qui prius in antra more bestiarum detrudebantur, Parisiis et Massiliae enixè procurante regiâ liberalitate constructa et dotata fuere, in quae miseri illi aegritudine laborantes translati, et spiritualibus et corporalibus subsidiis recreantur.

Ludovicus XIII rex christianissimus eius operâ et consilio utitur, cui morienti adstitit.

§ 16. Eximia enim Vincentii probitas vitaeque integritas eo magis magisque in diem elucens, quo studiosius ab ipso occultabatur, clarae memoriae Ludovico XIII Galliarum regi innotuerat; ideoque[2] vivens eius operâ ad distribuendas occultas eleemosynas eiusque consilio in nominandis clericis ad episcopales cathedras et ecclesiastica beneficia utebatur, moriens in ultimo illo agone Vincentium sibi adiutorem consolatoremque esse voluit.

Consiliarius reginae Annae reluctans effectus, eiusque in hoc munus exequendo constantia.

§ 17. Post vero illius obitum, clarae memoriae Anna Austriaca, illius uxor et Galliarum regina, eum, licet reluctantem et invitum, in sanctius conscientiae consilium adscivit. Ipse autem ubique, et in palatio inter aulicos, et domi inter suos Missionis alumnos, et in foro inter cives, et in privatis domibus inter egentes

1 Edit. Main. legit *providit* (R. T.).

2 Edit. Main habet *consuluit* (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *ardemus* pro *ardens* (R. T.).

1 Ni forsan legendum sit *laborarent* pro *laberentur* (R. T.).

2 Ni legendum sit: *ideo, qui* (R. T.).

et calamitosos, et in publicis hospitalibus inter senes et aegrotos, et in villis ac pagis inter villicos et agrestes, et in sacrarum virginum asceteriis[1], et in ecclesiasticis clericorum conventibus, et ubique inter omnes, charitatis officia obibat, sanctitatis lucem diffundebat, bonum Christi odorem disseminabat. Siquidem in regiâ domo, saeculi vanitate contemptâ, et divitiis ac honoribus conculcatis, ad Deum conversas et in caelo fixas omnes cogitationes suas habebat. Itaque eius praecipua cura fuit ut parochialibus praebendis, ecclesiasticis dignitatibus et beneficiis, quae sunt bona pauperum et patrimonium Christi, digniores praeficerentur; et cum nobiles viri filios suos commendarent, et promissis aut minis urgerent, vel speranda praemia irrisit, vel praetentas minas calcavit; neque anima fortis et robusta detrimento haereditatis Christi et Crucis dispendio potentes sibi optavit amicos, aut de comminatis malis trepida inimicos formidavit.

Socios suos exemplo virtutum suarum erudit.

§ 18. Inter suos autem sacrarum missionum socios, quos secum praesertim ad rusticos et agrestes fidei catholicae mysteria et divina praecepta edocendos voto obligari, tum etiam clero rite instituendo aliisque charitatis operibus addici voluerat, robore accinctus ex alto, toto peregrinationis ac conversationis suae tempore fidelem se ministrum, strenuumque ac indefessum vineae Domini cultorem atque operarium exhibuit.

B. Vincentii prudentia in regendo socios suos.

§ 19. Cum autem illorum regimen, non, ut quidam, vim fecisset ut adipisceretur, sed vim passus esset ut acciperet, ita versabatur ut omnes intimis charitatis visceribus complecteretur. Curabat enim ne quem tristitia affligeret, ne cogitatio saecularis urgeret; et vigili pietatis dispensatione providebat ne illum nimius labor gravaret, ne nimiâ hic quiete torpesceret, valentes corpore avocans a desidiâ, ferventes spiritu cogens ad requiem, suave Christi iugum omnibus allevans, et, quidquid diabolus iniecisset, avertens, omnes in sanctam animorum societatem et perfectam Christi charitatem unitos ad currendum christianarum[1] virtutum stadium verbo et exemplo animabat.

Mira ipsius humilitas commendatur.

§ 20. Ipse autem, qui omnibus sanctitatis merito et dignitatis gradu anteibat et humili animi demissione inferior erat, semetipsum palam hominem dictabat nihili, filium villici, et olim gregis addictum custodiae. Perpetuâ suae Congregationis praefecturâ, in generali conventu se ineptum et imparem muneri ferendo prae humilitate affirmans, se abdicavit, et efflagitanti in locum sui alium substitui, ab iteratis totius conventûs precibus vis ei quodammodo illata est ut imposterum exerceret. Etenim quo sublimius ad sanctitatis altitudinem Deum cognoscendo et amando ascendebat; eo inferius agnitione et contemptu sui se dimittebat. Ideo vilissima quaeque domûs obibat officia, et saepe genibus flexis et fluentibus lacrimis veniam a suis petebat, quod malis exemplis aliorum animos offendisset. Ob[2] eximia pietatis opera excellentesque virtutes summam gratiam adeptus erat in aulâ regiâ; plurimi enim faciebat eum Galliarum regina; et apud omnes tum episcopos tum cardinales, aliosque optimates et ecclesiasticos et saeculares, et apud omnes cuiusvis generis, statûs et conditionis homines magno in honore et existimatione habebatur. Ipse vero coram Deo omnium bonorum datore[3]

1 Edit. Main. legit *asceterii* (R. T.).

1 Edit. Main. habet *christianorum* (R. T.).

2 Pessime puncto sublato edit. Main. legit *offendisset ob*, etc. (R. T.).

3 Edit. Main. legit *datori* (R. T.).

humilians se, nihil vanum aut superbum, nihil procax aut inverecundum, nihil intemperans aut immoderatum vel in opere vel in sermone praeseferebat; sed omnia ordinata et ad christianam disciplinam et evangelicam sanctitatem composita aperte ostendebant, nihil intus latere tenebrarum, ubi foris tanta lux virtutum praefulgebat.

Maiorum clericorum seminaria erigenda curat.

§ 21. Temporum iniquitas et civilium bellorum tumultus Galliarum cleri sanctitatem invectâ ignorantiâ corruptisque moribus labefactaverat. Ad[1] reparandum decorem domûs Dei, restituendamque ecclesiasticam disciplinam vires omnes et cogitationes suas Vincentius intendit. Itaque, ut restauraretur ecclesiasticae disciplinae vigor, qui langore[2] vitiorum enervatus fuerat, religiosas domos recipiendis clericis, qui ad sacros ordines promovendi essent, assignavit; eosque in sacris ritibus peragendis, sanctisque moribus efformandis qui ad gradus dignitatem responderent, per se suosque Missionis socios instruendos curavit. Hinc autem sacrarum caeremoniarum nitor et venerabilis observantia in multas Galliarum ecclesias revocata est.

Sacerdotes pro collationibus spiritualibus adunat.

§ 22. Insuper coetus adunavit sacerdotum, qui statis diebus de divinis rebus inter se conferrent, et se in sacris disputationibus exercerent, ut potentes essent exhortari in doctrinâ sanâ et eos qui contradicunt arguere.

Sacrae ordinationi praemittendas a clericis spirituales exercitationes nova ipsius methodo digestas in domibus suae Congregationis disponit.

§ 23. Exemplo autem Moysis, qui, priusquam a Deo praeficeretur Israëlitico populo ut eum e captivitate liberatum per desertum ad sacrificandum Deo in monte et deinde ad terram promissionis deduceret, a strepitu Pharaonis aulae aufugit in solitudinem; ita clericis in sortem Domini vocatis, qui, in huius mortalis vitae terrâ desertâ et inaquosâ, ad altare Domini ministrantes, verbo et exemplo sanctae Dei plebi tendenti ad caelestem patriam, excusso diabolicae captivitatis iugo, praeire debent, auctor fuit, ut, priusquam ad ecclesiasticos gradus ascenderent, a mundanis tumultibus in sanctam secedentes solitudinem, per aliquot dies divinis rebus meditandis contemplandisque sui muneris officiis vacarent.

Vincentius usque ad decrepitam senectutem missionibus vacat, et operarios zelo animarum incensos in diversas mundi partes mittit.

§ 24. Profectò non solum Dei servus Vincentius egregius fuit ministrorum altaris institutor, sed et boni et fidelis dispensatoris formam in se exhibuit; nam erat veluti omnium egentium et miserorum perfugium, et cuiusvis generis pauperes, erogatis etiam nonnunquam quae sibi suisque missionum sociis videbantur necessaria, ita largis sublevabat eleemosynis, ut communiter *pauperum pater* nuncuparetur. Assiduam, licet iam provectus esset aetate, apostolico sacrarum missionum ministerio dabat operam, huc illuc alis charitatis super omnem laborem et super senilis aetatis vires volitans, lucem evangelicae veritatis et divinorum mandatorum scientiam ambulantibus in tenebris et vitiorum caligine praeferebat, praesertim pauperrimis villarum et paganorum incolis, quos, lumine christianae fidei destitutos, in ignorantiae nocte per devia aberrantes, in viam Domini reducebat. Et quoniam charitas mensuram non habet, servi Dei virtus Galliarum terminis restricta non est, sed longe lateque diffusa eluxit; nam ad amplificandam fidem et pietatem evangelicos misit ex suis alumnis operarios non solum in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hyberniam, sed etiam ad barbaros et Indos, nostrisque terris dissociatas gentes, quas suorum alumnorum operâ

1 Perperam edit. Main. legit puncto sublato *labefactaverat ad*, etc. (R. T.).

2 Videtur legendum *languore* vel aliquid aptius (R. T.).

dispulsis idolatriae tenebris ad lucem veritatis adduxit.

Multis Galliae provinciis inopia pressis ingenti pecuniarum copia subvenit, et domi suae Parisiensis ad duo millia pauperes quotidie reficit.

§ 25. In remotis autem provinciis animarum salutem expetens, corporum etiam egestatibus consulere non omittebat, ut per temporalia subsidia carnales homines ad Deum attraheret. Itaque non modò Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, peste, fame belloque vastatas, largiter refecit, missis ingentibus pecuniarum summis, ad quas distribuendas fideli operâ Puellarum Charitatis utebatur, sed in aliis etiam remotissimis regionibus hominibus inopiâ aut calamitate aliquâ laborantibus subvenit. Et cum ipsa Parisiorum civitas ingenti annonae penuriâ gravissime vexaretur, domi suae ad duo millia pauperum sustentavit.

Tot tantisque vexatus curis, nunquam deprimitur, sed pronus ac summe beneficus omnes aequanimiter accipit, ac si aliud nihil sibi esset agendum.

§ 26. Et quamquam variis multisque tum regiae aulae, tum suae Congregationis, aliorumque locorum quae fundaverat, vel quorum curam habebat, distentus negotiis esset, in quibus omnibus indefessam ad Dei gloriam navabat operam; tamen omnium necessitatibus subveniebat, omnium sublevabat angustias, nullum a se repellebat, omnes in Christo complectebatur. Profecto mirum erat quod nemini ad se negaret aditum, faciles omnium postulationibus accomodaret aures, blande responderet, comiter exciperet, nullius concitaret invidiam; sed, omnibus omnia factus, aliorum curaret corpora, aliorum sanaret spiritus, et prout quisque indigens erat, aut vestimentis, aut sumptibus, aut doctrinâ, vestiret, aleret, instrueret, ostendens quemadmodum, etsi non omnibus omnia, omnibus tamen charitas, nulli debeatur iniuria; etenim iniurias, quae ab aliis sibi propter iustitiam inferebantur, tantum abfuit, ut, cum facile posset, ulcisceretur, quin neque unquam de illis queri auditus fuerit, quia, de se humiliter sentiens, illas, si quando accipiebat, meritò se pati iudicabat. Itaque adeo patienti animo eas tulit, ut a convicium sibi faciente veniam flexis genibus petiverit; percutienti autem maxillam, alteram humiliter praebuerit.

Inter furentes militum gladios prosiliens, miserum artificem e mortis faucibus eripit.

§ 27. Militibus caecâ rabie et insano furore[1] infortunatum quemdam artificem iam vulneratum nudis gladiis, ut morti traderent, persequentibus, corpus suum opposuit, et se in apertum vitae discrimen obiecit, ut Deo lucraretur, quem e faucibus praesentis mortis, periculo capitis et sanguinis sui, eripuisset; et quidem, tantâ tamque inusitatâ animi fortitudine attonitis et verbis servi Dei mollitis militum animis, pacati recesserunt; miser autem ille vivus evasit.

Licet affectâ aetate et corpore imbecilli, nunquam ieiunia et carnis macerationes intermittit, auget verò dum Ecclesia regnumve in aliquo discrimine versantur.

§ 28. Sed quoniam dominicus ager, cuius nos[2] operarii sumus, rorante desuper gratiâ Dei, fide munitur, ieiuniis exercetur, eleemosynis seritur, orationibus foecundatur; ideo beatus Vincentius, ne mortalis corporis spirituali culturâ neglectâ generosum germen periret, et innascentibus spinis ac tribulis ea producerentur, quae urenda sunt flammis, non quae dominicis horreis reconduntur, membra sua domare, cilicio conterere, ieiuniis aliisque poenitentiae operibus, praecipue in communibus totius Galliarum regni et Catholicae Ecclesiae calamitatibus, consuevit.

Nihil decernenendum aut agendum nisi post effusas Deo enixas preces suscipit; ad examen saepius animum revocat.

§ 29. Si in negotio aliquo gravi et difficili sententiam rogatus responsum dare cogeretur, aut si aliquid arduum et insolitum faciendum sibi propositum esset, Deum, ut sanctus rex David, priusquam rem aggrederetur, consulebat, et supplex a Patre luminum postulabat ut menti suae lucem eius claritatis infunderet, quâ et quae respondenda aut

1 Pessime ed. Main. legit *favore* pro *furore* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *non* pro *nos* (R. T.).

agenda essent perspiceret, et quae cognita et perspecta essent divinâ praeveniente gratiâ sequeretur, et quod bonum et placitum Deo esset, eâ adiuvante perficeret. Quoties e cubiculo domùs suae prodibat in publicum, se coram Deo in terram prosternebat, et divinam opem enixis sed brevibus precibus implorabat, ne transiens, licet invitus, per semitas saeculi, et terrena ac mundana tractans, coeno filiorum hominum inquinaretur. Ubi vero domum rediverat, intrabat secreta cordis sui, et latitantem conscientiam ad examen vocabat, et cogitationibus inter se invicem accusantibus aut etiam defendentibus sollicite inquirebat, studiose emendabat, severe puniebat, si quid imprudens ex ore excidisset, aut incaute operatus esset, adeo diligens erat in custodiendis viis Domini, qui mandavit mandata sua custodiri nimis.

Orationis studium intermittere nunquam videtur, ac Deum sibi semper praesentem providere.

§ 30. Assiduae autem orationi deditus, a divinarum rerum contemplatione nullis negociis, nullis rebus aut laetis aut tristibus abstrahebatur. Deum enim semper praesentem menti habebat, et in eius conspectu stabat; omnia autem, quae ipsius oculis obversabantur, diligenti curâ sanctâque industriâ effecerat ut rerum omnium Creatorem in eius mentem revocarent et Dei gloriam divinasque laudes ei suo modo loquentes ad caelestem pulchritudinem contemplandam excitarent. Itaque semper modestus et mitis, mansuetus et benignus, in omnibus mirabili animi aequalitate utens, neque laetis efferebatur, neque turbabatur adversis, quia cum Propheta dicere poterat: *Providebam Dominum* [1] *in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commovear.*

A sacrificio missae nunquam abstinet; agonizantium

§ 31. Ab incruento altaris sacrificio nunquam abstinuit, ita vivens ut quotidie offerre posset. Et quia nonnullis ante obitum mensibus, ob tibiarum morbum gravissime adauctum, pedibus insistere nequibat, aderat quotidie missae sacrificio, et pane angelico refectus, post humilem gratiarum actionem, solemnes Ecclesiae preces pro agonizantibus praescriptas, veluti prope diem ex corporeo carcere ad caelestem patriam migraturus, pro animi sensu recitabat.

preces, quasi mox ex ergastulo corporis migraturus, quotidie recitat.

Strenuus Fidei defensor: hinc suborto in Galliis Iansenismo acerrimum bellum indicens, nihil non movit, donec impia dogmata a S. Sede damnarentur.

§ 32. Vivâ enim in Deum fide animabatur, cuius, dum vixit, strenuus defensor et propugnator fuit. Nam, exortâ in Galliis haereticâ tempestate quae turbine suo cuncta turbaverat, ingemuit Dei servus, postquam sensit catholicam fidem in plerisque Iansenianâ labe violari, et ab haereticorum astutiâ plurimorum illudente simplicitati ex omni ordine multos in pravum sensum trahi. Itaque, sancto Dei zelo succensus, contra communes hostes arma fidei arripienda censuit, et quaerens Deo non hominibus placere, sacros Ecclesiae pastores excitavit, ut, supra Christi domini ovile excubias agentes, non sinerent lupos rapaces dominicas oves latenter occidere. Itaque eo quantum poterat hortante ac suadente, octoginta quinque Galliarum episcopi, quibus postea alii adiuncti sunt, clam irrepentem morbum et latentem pestem ad culmen apostolatûs, ad cathedram Petri detulerunt, ad quam pericula quaeque et scandala in regno Dei emergentia, ea praesertim quae fidem laedunt, referenda sunt, ut ibi potissimum damna fidei resarciantur, ubi nequit fides sentire defectum. Itaque, datis ad felicis recordationis Innocentium X praedecessorem nostrùm litteris, Galliarum praesules humillimis precibus postularunt, ut apostolico ore pullulantes damnarentur errores, quo suis constabilitâ regulis Ecclesiâ, et eo, quod illi timebant, pronunciationis iu-

1 Vocem *Dominum* nos addimus (R. T.).

stae firmatâ decreto, improbis ad eam aditus patere non posset, qui perversis instructi verborum ambagibus et callidis argumentorum argutiis sub imagine catholicae fidei disputantes, et pestiferum exhalantes virus, hominum recte sentientium in deteriorem partem corda corrumpere, et totam veri dogmatis de libero arbitrio et gratiâ Dei et hominum redemptione per passionem et mortem Christi domini quaerebant evertere veritatem.

Damnatis Ianseuii erroribus, B. Vincentius hanc pestiferam labem ab omnibus, quos regebat, ecclesiasticis coetibus arcere, labefactatos, quos potuit, ad viam veritatis reducere; postremo pertinaces e toto Galliarum regno a supremâ regiâ potestate expelli curat.

§ 33. Ubi vero responsum Româ venit, decretum successoris Petri submissâ animi veneratione suscepit, et exultans in Domino sententiâ[1] Apostolicae Sedis causam finitam esse, ut tandem finiretur error summo studio allaboravit. Et prima eius cura ac sollicitudo fuit, ut ab omnibus religiosis coetibus, quos ipse fundaverat, vel quorum curam gerebat, ut occulta catholicae fidei inimica pestis arceretur, ne tabidae alicuius partis contagione sana quoque membra corrumperentur. Praeterea magnam noscens esse pietatem prodere latebras impiorum, et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare, apostolicâ libertate, qualis in negotio fidei servum Dei decet, regem, reginam, regiosque ministros commonere non destitit, ut debitis poenis contumaces ad obedientiam inducerent, pertinaces vero in suis erroribus e toto Galliarum regno tamquam pestiferam luem propellerent, atque ita saecularis districtio prodesset ecclesiasticae lenitati, quae etsi sacerdotali contenta iudicio cruentas refugit ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adiuvatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium.

B. Vincentius, anno a Nativitate Christi MDCLX, aetatis suae LXXXV, plenus senio quam laboribus[1], quos pietatis operibus et animarum saluti iugiter intentus alacriter susceperat et ad extremum usque spiritum fortiter toleraverat, Ecclesiae sacramentis munitus, caelestia anhelans, terrena despiciens, sacerdotibus extrema religionis officia praebentibus, ad verba illa sibi familiaria: *Deus, in adiutorium meum intende*, respondens: *Domine, ad adiuvandum me festina*, non de suâ virtute sed de divino adiutorio confisus, Parisiis in domo S. Lazari presbyterorum saecularium Congregationis Missionum feliciter cursum consummavit v kalendas octobris anno MDCLX.

§ 34. Demum plenus dierum et meritorum, cum ad octogesimum quintum suae aetatis annum pervenisset, non minus senio quam laboribus[1], quos pietatis operibus et animarum saluti iugiter intentus alacriter susceperat et ad extremum usque spiritum fortiter toleraverat, Ecclesiae sacramentis munitus, caelestia anhelans, terrena despiciens, sacerdotibus extrema religionis officia praebentibus, ad verba illa sibi familiaria: *Deus, in adiutorium meum intende*, respondens: *Domine, ad adiuvandum me festina*, non de suâ virtute sed de divino adiutorio confisus, Parisiis in domo S. Lazari presbyterorum saecularium Congregationis Missionum feliciter cursum consummavit v kalendas octobris anno MDCLX.

Post mortem viri Dei, eius fama sanctitatis et miraculorum longe lateque percrebrescit.

§ 35. Post eius mortem longe lateque fama sanctitatis percrebuit, quam etiam multis Deus contestatus est signis et miraculis, quibus admirabilis eius providentia abundantiorem exanimis servi sui reliquiis venerationem conciliavit, declarans quanto in honore apud Deum eius anima esset, cum apud eius corpus, quod vitâ emigrante tamquam deforme[2] remanserat, tam evidenter praesens vitae dator appareret[3].

Instructis solitis processibus auctoritate ordinariâ anno MDCCIX, et praehabitis congregationibus praeparatoriis de annis MDCCXV et MDCCXVII, postea in congregatione generali anno MDCCXXVII emanatum est decretum *constare de virtutibus in gradu heroico.*

§ 36. Itaque Parisiis duo processus, ut moris est, auctoritate ordinariâ constructi fuerunt, alter super famâ sanctitatis, virtutibus et miraculis, alter vero super cultu non exhibito. Quibus permissu felicis recordationis Clementis XI praedecessoris nostri apertis, eorumque validitate in sacrorum rituum Congregatione approbatâ, die IV mensis octobris anno Domini MDCCIX, commissio introductionis causae signata fuit. Subinde, praemissis omnibus quae ex Apostolicae Sedis praescripto in hisce cau-

1 Male edit. Main. legit *sententiae* (R. T.).

1 Videtur deesse *fractus*, aut *consumptus*, aut simile (R. T.).

2 Nempe, naturali eius formâ, quae est anima rationalis, destitutum (R. T.).

3 Edit. Main. legit *apparet* (R. T.).

sis exiguntur, tractatum est an constaret de virtutibus theologalibus et cardinalibus in gradu heroico. Post ultimam autem Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, quae generalis fuit, piae memoriae Benedictus XIII, qui nobis in pontificatu praecessit, die XXI mensis septembris anno Domini MDCCXXVII decretum, videlicet constare de virtutibus tum theologalibus tum cardinalibus in gradu heroico, publicari mandavit.

Constructis iterum processibus super miraculis, in tertia congregatione generali anno MDCCXXIX approbata fuere quatuor.

§ 37. Ventum est deinde ad examen miraculorum, quod[1] peractum fuit in tribus congregationibus, quarum ultima generalis habita fuit die XII mensis iulii eiusdem anni, et approbata fuerunt quatuor miracula, scilicet: Primum, subitae sanationis Claudii Iosephi Compoin a caecitate; secundum, instantaneae largitionis loquelae et virium Mariae Annae Lhullier puellae octenni a nativitate mutae et ad motum artuum inferiorum impotenti; tertium, instantaneae sanationis sororis Mathurinae Guerin ab inveterato et maligno ulcere in tibiâ; quartum verò subitae sanationis Alexandri Philippi le Grand ab inveteratâ et contumaci paralysi.

His miraculis admissis, praedicta Congregatio, Benedicto XIII approbante, censet B. Vincentium Beatorum catalogo adscribi posse et Clemens XII anno MDCCXXXI missam et officium de eo concedit.

§ 38. Quod autem de miraculis a praefatâ Rituum Congregatione iudicatum fuit, idem Benedictus praedecessor noster confirmans, eiusdemque Rituum Congregationis esse locum solemni servi Dei beatificationi pronunciantis decreto annuens, die XIII mensis augusti anno Domini MDCCXXIX Vincentium a Paulo in Beatorum numerum adscripsit, et ut de beato Dei servo quotannis die anniversariâ felicis eius obitûs quibusdam in locis officium recitaretur et celebraretur missa de Confessore non Pontifice iuxta rubricas breviarii et missalis romani apostolicâ auctoritate indulsit, ac deinde ut eiusdem servi Dei nomen inter Sanctos, qui in romano martyrologio leguntur, referretur, et propriae de eodem B. Vincentio lectiones, a praenominatâ Rituum Congregatione, audito fidei promotore, approbatae, in secundo nocturno publicè recitarentur, permisit.

Reassumptâ causa, Summus Pontifex duo ex septem, quae afferebantur, miracula MDCCXXXVI approbat.

§ 39. Expeditis postea litteris remissorialibus et compulsorialibus pro conficiendo consueto auctoritate apostolicâ processu super novis miraculis quae supervenerant post decretam eiusdem servi Dei beatificationem, eoque ad Urbem delato, et eiusdem validitate recognitâ, praemissis consuetis congregationibus praeparatoriis et antepraeparatoriis, miraculorum examen delatum est ad nos, qui eidem Benedicto XIII in sacro apostolatûs onere divinâ disponente bonitate successimus, et congregatione generali coram nobis habitâ die XIII mensis ianuarii anno Domini MDCCXXXVI, auditis venerabilium fratrum nostrorum sententiis, post imploratum divinae opis praesidium, die XXIV mensis iunii eiusdem anni, duo, ex septem quae afferebantur, miracula plene approbavimus, videlicet: Primum, instantaneae sanationis Mariae Theresiae a S. Basilio a putridis et diuturnis ulceribus cum longâ et contumaci urinae retentione atque enormi hydrope; et secundum, instantaneae sanationis Francisci Richet ab herniâ perfectâ inveteratâ et desperatâ.

Die x augusti MDCCXXXVI decernit posse deveniri ad canonizationem B. Vincentii.

§ 40. Quod cum a nobis peractum fuisset, habitâ iterum coram nobis generali congregatione, in deliberatione positum est an tutò procedi posset ad solemnem B. Vincentii a Paulo canonizationem; et unanimi voto venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus assentientibus, decretum de peragendâ canonizatione solemniter pronunciavimus.

In consistorio

§ 41. Pluribus mensibus postea ela-

1 Edit. Main. legit *quo* pro *quod* (R. T.).

secreto die VI maii MDCCXXXVII omnes qui tunc aderant cardinales unanimi voce assentiunt ad B. Vincentii canonixationem deveniri posse.

psis, nos consistorium secretum de more convocari iussimus, in quo dilectus filius Antonius Felix tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Zondadarius nuncupatus, suo et totius Congregationis sacrorum rituum nomine, primum retulit, scripturas processuum omniaque causae acta ritè confecta fuisse, et plenissimam auctoritatis et legitimae probationis vim obtinere; deinde, B. Vincentii vità, virtutibus ac miraculis diligenter expositis, se et ceteros dictae Congregationis cardinales unanimi suffragio censere, B. Vincentium, si ita nobis videretur, posse in Sanctorum catalogum adscribi: in quorum sententiam reliqui omnes cardinales, qui praesentes aderant, concesserunt.

Sequenti publico concistorio Pontifex cardinales, archiepiscopos et ceteros praesentes hortatur, ut orationibus et ieiuniis incumbant.

§ 42. Quare in tam sancto ac gravi negotio nihil omninò necessariae diligentiae praetermittentes, ex more institutoque maiorum decrevimus ut ad ulteriora procederetur. Et post nonnullos dies publico consistorio congregato, in eo dilectus filius Thomas Antamorus consistorialis aulae nostrae advocatus, eximià B. Vincentii charitate, vitae innocentià, et miraculis copiosè enarratis, carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi et carissimae in Christo filiae nostrae Mariae eorumdem Francorum reginae christianissimae eius coniugis, aliorum catholicorum principum, necnon venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum, et universi cleri regni Galliarum, totiusque insuper Congregationis presbyterorum saecularium Missionis nomine, ut B. Vincentium in Sanctorum catalogum referre vellemus, suppliciter a nobis postulavit. Nos autem, pro rei gravissimae magnitudine maturius adhuc cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus et ceteris archiepiscopis et episcopis deliberandum esse censentes, publicas orationes et ieiunia indiximus, atque omnes christifideles hortati sumus ut Deum nobiscum precarentur ut daret nobis spiritum sapientiae et intellectus quo haec arcana caelestia, quae ratione humanâ comprehendi non possunt, cognosceremus, et illuminaret oculos mentis nostrae, ut, quid in hac gravissimâ causâ secundum divinum beneplacitum statuendum esset, perspiceremus.

In semipublico consistorio die VII iunii dicti anni, Pontifex diem celebrandae canonizationis indicit.

§ 43. Deinde aliud consistorium semipublicum a nobis habitum est, in quo etiam patriarchas, archiepiscopos et episcopos in Curià Romanâ existentes, protonotarios quoque nostros, qui ex numero dicuntur, et sacri palatii apostolici causarum auditores interesse iussimus. Quibus praesentibus, cum plura a nobis de eximià sanctitate servi Dei ac miraculorum celebritate commemorata fuissent, recensitis etiam instantiis catholicorum principum, et praesertim enixis precibus universae Congregationis presbyterorum saecularium Missionis, omnes rogavimus, ut, quid censerent, liberis suffragiis exponerent. Illi autem singuli ex ordine gravibus sententiis dictis responderunt, uno ore benedicentes Deum, B. Vincentium inter Sanctos Confessores reponendum esse. Horum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino qui concordes efficeret fratrum nostrorum voluntates ut nomen eius glorificaretur in servo suo, ad quem honorandum, quantum homines mortales possunt, corda nostra impelleret et mentes nostras illustraret. Itaque canonizationis diem indiximus, eosque monuimus, ut in orationibus ac ieiuniis perseverantes, nobis in tanto opere exequendo supernum lumen atque auxilium impetrarent.

Omnibus absolutis, die dominicâ XVI iunii

§ 44. Omnibus autem ritè absolutis, quae ex sacris constitutionibus Roma-

*SS. Trinitati sacrâ, B. Vincentium sanctum esse pronunciat, definit, assignatâ novi Sancti annuâ festivitate die XIX iulii.*

naeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie, quae fuit dies dominica SS. Trinitatis, in sacrosanctam Lateranensem basilicam decenter ornatam, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis Romanaeque Curiae praelatis, officialibus, familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, convenimus. Ubi repetitis pro canonizationis decreto petitionibus a dilecto filio nostro Nereo S. R. E. diacono cardinali Corsino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per eumdem Thomam Antemorum advocatum, et decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum in Urbe existentium consilio et consensu, B. Vincentium a Paulo Sanctum esse decrevimus, definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus, illumque universos christifideles tamquam vere Sanctum honorare et venerari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis die XIX mensis iulii memoria ipsius inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli possit.

*Canonizationi adstantibus plenariam peccatorum remissionem concedit.*

§ 45. Eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus in formâ Ecclesiae consuetâ.

*Quibus peractis et Deo gratiis actis, ob senilem et affectam aetatem recessit Summus Pontifex, relicto cardinali Ruffo, ex praesentibus antiquiore, ad celebranda sacra mysteria, adstantibus ceteris omnibus cardinalibus, patriarchis, etc.*

§ 46. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum dominum Patris sempiterni Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariâ omnium peccatorum suorum indulgentiâ et remissione concessâ, propter corporales nostras infirmitates affectamque valetudinem senilemque aetatem ab eâdem Lateranensi ecclesiâ recessimus, remanentibus in eâ venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus archiepiscopis, episcopis et universo clero et populo. Quibus praesentibus, a venerabili fratre nostro Thoma S. R. E. cardinali episcopo Praenestino Ruffo nuncupato, tamquam cardinali in ordine antiquiori, in arâ maximâ praefatae basilicae, ex indulto et de licentiâ nostrâ, solemniter missa cum Sancti eiusdem Confessoris commemoratione celebrata est.

*Iterum gratias Deo agit Summus Pontifex ob dicti Sancti canonizationem eumque christifidelibus iuvandum et imitandum proponit.*

§ 47. Decet autem nos gratias agere, et gloriam dare Deo viventi in saecula saeculorum, qui benedixit conservum nostrum in omni benedictione spirituali, ut esset sanctus et immaculatus coram ipso, et, cum illum dederit nobis quasi fulgentem solem in templo suo in hac nocte peccatorum et tribulationum nostrarum, adeamus cum fiduciâ thronum divinae misericordiae, ore et opere supplicantes, ut S. Vincentius universo christiano populo prosit meritis et exem-

plo, precibus adsit et patrocinio, et in tempore iracundiae fiat reconciliatio.

Huius bullae transumptis credit mandat.

§ 48. Ceterum, quia nimis difficile foret praesentes nostras originales litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem, quae ipsis praesentibus, fides ubique adhibeatur.

Sanctio poenalis.

§ 49. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum decreti, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Ioannem in Laterano, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, XVI kalendas iulii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 iunii 1737, pontif. anno VII.

✠ EGO CLEMENS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.




† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardidinalis Barberinus.

† Ego Petrus episcopus Portuensis cardinalis Ottobonus.

† Ego Thomas episcopus Praenestinus cardinalis Ruffus.

†

† Ego Ludovicus episcopus Albanensis cardinalis Picus.

† Ego Petrus episcopus Tusculanus cardinalis Corradinus.

† Ego Ioannes Antonius tituli S. Laurentii in Lucinâ cardinalis de Viâ.

† Ego Antonius Felix S. Praxedis presbyter cardinalis Zondadari.

†
†
†
†
†
†
†
†
†

† Ego Georgius tituli S. Mariae in Transtyberim cardinalis Spinula.

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae cardinalis Belluga.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ cardinalis Cienfuegos.

† Ego I. B. tituli S. Matthaei in Merulanâ cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Petra, maior poenitentiarius.

†
†
†

† Ego Nicolaus Maria tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Lercari.

†

† Ego Franciscus Antonius tituli S. Sixti presbyter cardinalis Finus.

†
†
†

† Ego frater Vincentius Ludovicus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.

† Ego D. Leander tituli S. Callisti presbyter cardinalis de Porzia.
† Ego P. Aloysius Carafa cardinalis tituli S. Laurentii in Pane et Pernâ.
†
†
† Ego Franciscus Burghesius cardinalis tituli S. Sylvestri in Capite.
†
†
† Ego Vincentius tituli S. Petri in Monte Aureo presbyter cardinalis Bichius.
† Ego Ioseph tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Firrao.
† Ego Antonius tituli S. Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis Gentili.
† Ego frater Ioannes Antonius cardinalis Guadagni tituli S. Sylvestri et Martini ad Montes.
† Ego T. cardinalis de Aquaviva tituli S. Caeciliae.
† Ego Dominicus Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Riviera.
† Ego Marcellus tituli S. Mariae in Arâcaeli presbyter cardinalis Passari.
† Ego Petrus cardinalis Aldovrandus tituli S. Eusebii.
†
† Ego Fr. P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Pieri.
† Ego Iosephus tituli S. Pudentianae presbyter cardinalis Spinellus.
† Ego L. S. Mariae in Viâlatâ, prior diaconorum, cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Agathae in Suburrâ diaconus cardinalis Columna.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.
†
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.
† Ego Nerius S. Eustachii diaconus cardinalis Corsinus.
† Ego B. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Ruspulus.
†
†

†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

*Loco † plumbi.*

A. card. prodatarius.
F. card. Oliverius.

*Visa de Curiâ:*

N. Antonellus.
I. B. Eugenius.

Reg. in Secret. Brevium.

---

## CCIV.

*Beatus Ioannes Franciscus Regis, Societatis Iesu presbyter, Sanctorum Confessorum canoni adscribitur.*

**Clemens Papa XII,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Ad sublimem sanctitatis montem, in quo Christus dominus sedens discipulos suos seorsim a iudaicis turbis evocatos christianae sapientiae praecepta edocuit, ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis, spe firmi, fide robusti, charitate ardentes, gratiâ et virtute divinâ ascenderunt. Ili sunt qui venerunt de tribulatione magnâ, et lavantes stolas suas et dealbantes eas in sanguine Agni, intra densissimam nubem et imperscrutabilis divinitatis caliginem ingressi sunt, ubi divinus Moyses Deum Patrem alloquitur, et ad eius dexteram sedens et compatiens infirmitatibus nostris interpellat pro nobis. Huc autem accedere non audeat carnalis iudaeus, sed intra terminos et septa legalium praeceptorum se contineat, et longe ab imâ montis parte

fumum, caliginem et ignem, fulgura et tonitrua, sonitum et clangorem tubarum, gloriam Domini, hoc est magnalia gratiae suae et prodigia sanctitatis, admiratione simul et terrore perculsus prospiciat. Procul hinc omnis fera bestia et animal immundum, ne loci sanctitatem sanguine foedet vel impuritate contaminet. Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidae, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium. Accedant autem, qui vitalibus aquis in sacro fonte renati, vel purgati sacramento poenitentiae, amicti sunt stolis candidis; accedant, sed solutis antea calceamentis ex corio mortuorum animalium, nempe mortuis relictis operibus, quia terra sancta est. Arcta est via, arduus atque angustus est limes, et nemo tutus per eum ingreditur et ad culmen securus pertingit, nisi vestigiis insistat Christi domini clamantis et dicentis: *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam quotidie.* Ambulandum est igitur vestigiis paribus, et aemulâ ingressione nitendum; quia non est maior domino suo servus, nec liberatore liberatus, et qui cupimus esse christiani, debemus, quod Christus dixit et fecit, imitari, ut respondeat ad fidem nominis sectatio veritatis.

Ioannes Franciscus Regis hanc viam fortiter ingressus ad illius montis fastigium evasit.

§ 1. Asperâ et laboriosâ hac viâ incessit fortis Dei miles Ioannes Franciscus Regis, qui accinctus robore et in spiritu ambulans, calcatis desideriis carnis et passionibus huius temporis fortiter toleratis, per tribulationes ac contumelias, per labores et angustias, in orationibus, in ieiuniis, in vigiliis ad montis evasit fastigium, aspiciens in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contemptâ. Nos autem quibus[1] supernâ dignatione commissum est fidem[1] Dei plebem in viam salutis dirigere, beatum Dei servum, qui ad locum latitudinis per labores et angustias transivit, qui ad caelestem patriam per huius mortalis vitae tribulationes et aerumnas pervenit, in sanctorum munerum solemniter ex veteri more et instituto Romanae Ecclesiae hodiernâ die adscripsimus, ut, eius propositis virtutibus et apud Deum suffragantibus preces[2], per merita unius divini mediatoris Iesu Christi nostra adiuvetur infirmitas, excitetur spes, roboretur fides, accendatur charitas. Itaque beati Dei servi, qui in caelis iam a Deo coronatus est, triumphum in terris spirituali laetitiâ exultantes in Domino celebremus; sed ita celebremus ut eius labores, fidem, charitatem, sancteque res gestas intueamur. Celebremus ergo triumphum, laudemus victoriam, ut illius amemus virtutes, ut laboriosam vitam sanctamque conversationem, quam breviter populis pro nostro pastoralis sollicitudinis officio annunciamus, sedulo imitemur; et illius exemplo dirigatur via nostra in conspectu Domini. Angusta est, spinosa est, dura est, sed talibus tamque multis transeuntibus lenis facta est. Transiit prior ipse Dominus, transierunt apostoli intrepidi, postea martyres, pueri, mulieres, puellae, transiit novissime B. Ioannes Franciscus: eius ergo non timeamus laboriosam vitam sequi, si eius praemium cupimus, si locum, si patriam desideramus.

Ortus eius, pueritia, adolescentia sancte traducta.

§ 2. Ioannes Franciscus Regis, pueritiâ inter suos mirâ innocentiâ exactâ, positâque operâ ediscendis primis linguae latinae rudimentis in oppidulo Galliae Narbonensis, cui nomen Fons Coopertus, ubi pridie kalendas februarii

1 Edit. Main. legit *qui* pro *quibus* (R. T.).

1 Videtur legendum *fidam* aut potius *fidelem* pro *fidem* (R. T.).

2 Videtur legendum *precibus* (R. T.).

anno MDXCVII natus est, Biterras mittitur ut in gymnasio Societatis Iesu studiorum cursum absolveret. Enituit statim inter aequales eximia adolescentis virtus: nam otium et improborum consuetudinem veluti pestem declinans, non vetitis modo voluptatibus, sed etiam iuvenilibus ludis abstinuit, et quod a litterarum studio supererat temporis, fundendis ad Deum precibus, piis legendis libris, serendis de Deo divinisque rebus sermonibus, visitandis templis Sanctorumque memoriis impendebat.

*Sub B. Virginis tutela baptismalem innocentiam et virginitatem illibatam custodit.*

§ 3. Ut vero nec illecebris caperetur saeculi, nec diaboli superaretur insidiis, nec demum pravis commoveretur exemplis, sed partam baptismo gratiam et illibatum virginitatis florem servaret, Virginem Mariam matrem Domini pio semper coluit affectu, ut hinc sumeret exempla vivendi, ubi tamquam in speculo species castitatis et forma probitatis refulget. Nam potenti Matris Dei apud aeternum filium redemptorem nostrum patrocinio confisus, minime dubitabat a Deo impetraturum, ut, currenti sibi per arduas virtutum semitas, id[1], in quo humana conditio ab infirmis viribus suis destituta languescit, superna Dei gratia sufficeret, et quod non posset infirmitate humanâ, assequeretur virtute divinâ.

*Devotio erga angelum custodem, cuius ope a vitae discrimine liberatur.*

§ 4. Angelum quoque sui custodem religioso cultu prosequutus est, ad beati spiritus clientelam eo fidentius confugiens, quod certo sibi persuaserat, se a Dei offensâ et aeterno animae interitu illius caelesti operâ et internis monitis, divinâ annuente misericordiâ et Christi adiuvante gratiâ, liberatum iri, quia casu quodam, qui ei adhuc puero contigit, plane compertum habebat sancti angeli tutelaris praesidio se ab instanti mortis periculo ereptum fuisse.

*Zelo erga sodales proludit adolescens apostolicis missionibus.*

§ 5. At enim probo adolescenti non satis visum est Deum colere, Deiparam, aliosque sanctos pie venerari, et, florentis aetatis et mundi calcatis blanditiis, toto animo sectari virtutem, nisi etiam plures ex sodalibus suis raperet ad Deum, quem ex toto corde et totâ mente suâ amabat. Itaque alios a iuvenili licentiâ vel noxiâ levitate abduxit, alios ad virtutem impensius sequendam invitavit, ex omnibus sex electis, quibuscum, praescriptâ sibi vivendi formâ, ab eâ, quae a clericis in seminariis servari solet, non dissimili, sanctum sodalitium pietatis inivit. Talibus praeclarae virtutis initiis prolusit ad apostolicum sacrarum missionum opus, iam tum in omnibus iuvenilibus actibus praediscens Deum solum quaerere, et saluti animarum procurandae intentam mentem et devotum Deo pectus habere.

*Societatem Iesu ingreditur, atque omni virtute refulget.*

§ 6. Decimum et nonum aetatis suae annum agens, Societatem Iesu ingressus est, ubi, nunquam interrupto cursu, per altas christianae perfectionis semitas ad Deum contendens, humilitate, odio sui, contemptu mundi, paupertatis amore, orationis assiduitate, divinaeque gloriae studio, ceterisque christianae religionis virtutibus, iis ipsis, a quibus in pietatis decurrendo stadio[1] institui quaerebat, admirationi atque exemplo fuit.

*In scholarum ministerio discipulos ad sanctitatem incendit.*

§ 7. Postea autem demandato sibi humanas litteras edocendi munere, teneros adolescentium animos non tam litterarum scientiâ quam pietate in Deum imbuendos curabat. Itaque saepe de diligendo Deo, de obeundis christianae vitae officiis fugiendoque peccato, et privatim et publice cum disci-

1 Videtur legendum *ad id* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *studio* pro *stadio* (R. T.).

pulis sermonem habebat: quaeque in scholis ex ethnicorum libris explicari solent, quaeque ab adolescentibus scribi tractarique exercitii causâ consueverunt, huc referebat omnia ut eorum animos non modo eruditione excultos sed etiam probos sanctosque efformaret: quod tam diligenti curâ et tam uberi fructu per septennium explevit, ut eius discipuli a ceteris gravitate morum vitaeque innocentiâ discernerentur.

*Sacerdotio initiatus iuvandis mortalibus se totum tradit.*

§ 8. Ad sacerdotii sublime fastigium prae animi modestiâ reluctans atque invitus superiorum iussu ascendit: sacerdos autem factus, cogitans quomodo Deo placeret, cum plane intelligeret nullum certiorem gradum ad Dei amorem esse quam hominis erga hominem charitatem, totum se sublevandae egentium inopiae et procurandae animarum saluti devovit.

*Praecipue vero pauperum curam gerit.*

§ 9. Nemo hominum erat, quem ampla eius non complecteretur charitas; potissimam tamen pauperum curam gerebat, sequens Christi domini exemplum, qui, ut humanam superbiam retunderet, cum, ad sanandum reguli filium, illius domum rogatus ire noluisset, ad centurionis servum, non invitatus, ire paratus fuit. Ita eius servus, spiritu Dei plenus qui super humiles requiescit et humilibus dat gratiam, vili atque humili plebi se praebebat, et pauperibus magisque indigentibus ferebat auxilium, spectabatque in hominibus imaginem qua ad Dei similitudinem facti sunt, et pretium magnum quo redempti sunt, non autem honores et divitias et pompas et vanitatem saeculi.

*Admirabilis erga calamitosos quoslibet amor.*

§ 10. Intimis igitur animi sensibus et totis charitatis visceribus, cum pauperum angustias cerneret, commovebatur. Nullum genus erat calamitatis, quod non sublevaret; nullus aeger, cui non succurreret; nullus miser, cui opem non ferret: alios verbis consolabatur, aliis opere subveniebat. His natum atque inserviendis addictum se putabat, his diurnam nocturamque operam in ergastulis, in nosocomiis, in eorum casis praestabat: duos praesertim aegrotos, seu potius hominum cadavera, quae foeditate morbi et maleolenti odore omnes a se averterant, ipse adivit, solatus est, et omni officiorum genere fovit: miracula et prodigia fere non in aliorum quam in pauperum gratiam atque in miserorum auxilium patrare videbatur.

*Baiuli instar onera ad egenos publice portat.*

§ 11. Despectis insolentis vulgi ludibriis et puerorum exsibilationibus, visus est per mediam urbem et confertas populo vias ire onustus stramentorum fascibus, quos emendicando paraverat, ut aegrotantibus egenis lectum sterneret.

*Mirae ad eos sublevandos industriae.*

§ 12. Cessante commercio, cum languescerent artes, et artificibus nihil valeret industria ut se suamque familiam alerent, eorum opificia ad divites mercatores ferebat, eosque exorabat ut aequo pretio emerent. Puellis, quarum res domi angusta erat, ne egestate opprimerentur aut corrumperentur otio, ipse opera feminei artificii facienda quaerebat, ut laboribus suis viverent, nec aliis oneri, nec sibi detrimento atque exitio essent.

*Captivis, viduis, pupillis succurrit, vere miserorum omnium pater.*

§ 13. Ostiatim stipem emendicabat, ut deinde collectam ad alendos pauperes et sustentandos carcere inclusos distribueret. Pupillorum et viduarum causas apud iudices strenue tuebatur, ne divitum potentiâ oppressi, vel improborum fraude circumventi, damnum atque iniuriam acciperent. Itaque miserorum perfugium, pupillorum tutor, viduarum defensor, esurientium cibus, calamitosorum spes, aegrorum solatium, communis omnium parens erat atque ab omnibus vulgo appellabatur.

*Peste infectis ministrat.*

§ 14. Montem Falconensem oppidum, vicinaque loca, quo ad hibernas missiones ineunte anno MDCXL advenerat, atrox pestilentia invaserat; omnium, qui erant contagioso morbo correpti, curam alacris suscepit, contemnens praesentis mortis periculum, cui vivere Christus erat, mori autem lucrum.

*Saeviente fame, pauperum greges, frumento etiam ter miraculum multiplicato, alit.*

§ 15. Anicii gravi saeviente fame, ingentes pauperum greges pauper ipse, solâ Dei providentiâ confisus, alendos suscepit, et, subsidiis undique industriosâ charitate et piâ sollicitudine corrogatis, ter etiam multiplicato per miraculum frumento, sustentavit. Siquidem renovavit benignissimus Deus per manus servi sui prodigia Eliae in multiplicatione frumenti quod in alimoniam pauperum, in summâ illâ caritate annonae, feminae custodiendum tradiderat. Nam servo Dei iubenti ut pauperibus distribueret, respondit illa arcam iam frequentibus largitionibus exhaustam fuisse; iussa autem inspicere, imperioque parens, frumento exundantem invenit: nec id semel, sed tertio contigit. Sed quoniam perfecta dilectio, quae ab amore Dei proficiscitur, agit quidem quantum potest ut proximus salvus corpore salvusque animo sit, sed curam corporis ad sanitatem animi refert; ideo beatus Dei servus curabat ut per temporalia subsidia homines ad Deum traheret, et per corporalem alimoniam caelesti evangelicae doctrinae cibo reficeret.

*In his misericordiae officiis, eó potissimum spectabat, ut animabus consuleret.*

§ 16. Quare Anicii ter quâque hebdomadâ omnes in ecclesiâ convocatos erudiebat; saepenumero eorum audiendis confessionibus noctes prorsus traduxit insomnes; tanto enim animi studio et charitatis ardore eorum invigilabat saluti, ut nullos labores, nulla vitae incommoda sentiret.

*Ardens divini honoris et salutis animarum studium.*

§ 17. Numerosâ semper pauperum turbâ, ubicumque degeret, stipatus erat: moleste atque inurbane in eum irruentes, suavi excipiebat benignitate, et admirabili ferebat patientiâ; aliorum sublevans corporis angustias, aliorum sanans animae infirmitates, nullum a se, si minus temporali succurrere posset, spirituali auxilio destitutum praeteribat: sui enim oblitus, id unum prae oculis habebat ut omnes Christo lucrifaceret. Haec erat omnium votorum et cogitationum suarum summa, regnum Christi amplificare, Dei gloriam et hominum salutem promovere; ideo quandocumque[1] dicebat, se nequaquam recusaturum caeli deliciis serius frui, si eâ dilatione sibi concederetur ut plures ad Dei agnitionem amoremque perduceret.

*Nullus ab eius zelo vacuus locus.*

§ 18. Quare id unum diu noctuque propositum habebat, id vigili curâ, insomni studio, ardentique charitate curabat in urbe, in agris, in templis, in foro, in custodiis publicis, in nosocomiis, in privatorum aedibus, in eo demum, quod poenitentibus mulierculis extruxerat, coenobio, ut bonos inflammaret ad virtutem, scelestos et improbos revocaret a vitiis, curaret languidos, foveret tepidos, sanaret infirmos, sanos validosque ad currendum in viâ Domini impelleret.

*Fortitudo in adversis.*

§ 19. Vitiis bellum indixerat, et quietem, famam vitamque ipsam parvipendens, neque laboribus, neque angustiis, neque minis, neque metu, neque ullâ periculorum denunciatione retardabatur, quominus in discrimine aeternae salutis versantibus accurreret, flagitiosos homines a peccatis revocaret, perditae famae profligataeque pudicitiae mulieres e turpitudinum coeno educeret, orbas parentibus[2] puellas, quarum pudicitia periclitabatur, in tuto collocaret; saepe

1 Forsan legend. *quandoque* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *patentibus* (R. T.).

a flagitiosis hominibus multis obrutus iniuriis, atque etiam verberibus graviter caesus, dum a luporum rapacium manibus innoxias vel infirmas animas abstrahere conatur; saepe ab improbis nebulonibus deceptus et contumeliis atque opprobriis vexatus, dum quasi ad moribundi confessionem audiendam per iocum ac ludibrium evocatur: nunquam tamen fieri potuit ut nocturnam morientibus operam, etiam cum suo gravi damno et detrimento coniunctam, praestare omitteret; aut, ut in procurandâ animarum salute remissius ageret; aut, ut egentibus atque aegrotis opem per se ipsum, si necessitas urgeret, cunctantius afferret: quippe bene redemptam existimabat quolibet suo famae vel capitis periculo quamcumque opem atque auxilium, quod hominibus vel inopiâ vel infirmitate afflictis vel de animae salute periclitantibus ferre posset.

Calicem Christi, aemulus apostolorum et martyrum, bibit in tantis aerumnis.

§ 20. Biberat enim calicem divini amoris, de quo ait Propheta: *Calix tuus inebrians, quam praeclarus est*, et inebriatus fuerat ab ubertate domus eius. Hoc enim calice inebriati ibant apostoli gaudentes a conspectu concilii quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati; hoc inebriati martyres, laeti euntes ad tormenta, ad leones, ad gladios, ad flammas, ad necem, non agnoscebant uxores flentes, non filios, non parentes, non amicos; hoc inebriatus beatus Dei servus Ioannes Franciscus, non labores, non angustias, non dolores, non contumelias, non infamiam, non mortem ipsam videbat; sed omnia terrena bona fluxa et caduca parvifaciens, nihil erat tam arduum, tam difficile, tam laboriosum, tam cum vitae et mundani honoris discrimine coniunctum, quod non ultro laetus et alacris pro Dei gloriâ et animarum salute aggrederetur, in omnibus exhibens se ipsum sicut Dei ministrum in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate. Mirum dictu est, quot procellis iactatus, quot probris exceptus et maledictis laceratus, quot iniuriis et contumeliis appetitus, quam saepe conspersus luto, in coeno conculcatus, verberibus contusus, plagis pene ad mortem usque vulneratus fuit. Mansit invictum ad mundi procellas evangelicum sacerdotalis pectoris robur; et domum, quae aedificata fuerat supra firmam petram, nec furentes improborum turbines, nec violenti tribulationum fluctus prostravêre: mens in pietate solida, in fide firma, Deo devota, non victa est tentationibus aut periculis, sed probata.

Maxillam unam percutienti alteram praebet: strictis gladiis necem minantibus nudum pectus offert.

§ 21. Maiori enim semper animo et erectiori mente, primis superatis aut laboribus aut periculis, ad nova imperterritus pro Dei gloriâ veniebat. Itaque, edoctus magisterio dominico, saepe unam percutientibus maxillam, alteram laetus exhibuit; minantibus stricto gladio necem, vel caput obtulit, vel pectus aperuit, sciens animam, qua diligebat Deum, mori non posse, nisi ab ipsâ Dei dilectione, ob quam mors intentabatur, cessaret: si quis illius vicem doleret, corripiebat, admonens eum ignorare quantum in tolerandis pro Christo opprobriis voluptatis inesset. Sed qui propriis non movebatur malis, alienâ sorte moerebat, miserans adversariorum caecitatem, furorem excusans, calamitatem deplorans, et fervidis ad Deum precibus pro eorum salute deprecabatur, atque ita, quemadmodum servi Dei solent, se de suis inimicis ulciscebatur, ut cuiusque animum, quo magis sibi experiretur infensum, eum maioribus demulceret officiis charitatis.

Ardentissimus amor Dei.

§ 22. Etenim una erat sollicitudo,

una cura, una cogitatio, ne Deus peccatis hominum offenderetur; ideo, cum id vel audiret vel videret, maxime si prohibendi facultas nulla superesset, intimo doloris sensu urebatur, ut ex oculis lacrymae, e pectore suspiria prorumperent, et interdum, prae doloris magnitudine, pene animo deficeret, ut recte cum sancto Davide exclamare posset: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*

Nil cogitat, nil loquitur, nil quaerit, nisi Deum.

§ 23. Plenâ enim et integrâ charitate in Deum flagrabat, Deum menti praesentem ubique habebat, quem assidue in corde gestabat, neque ab eius suavissimo complexu ullâ re avellebatur: nullus illi erat sermo, nisi de Deo divinisque rebus; Deum in prosperis laudabat, ad Deum confugiebat in adversis, eum consulebat in dubiis, in eo omnes delicias et voluptates, omnem consolationem et gaudium, quod non datur impiis, collocatum habebat: magnam noctis partem orans transigebat; quando poterat, in ecclesiâ coram sacrosanctâ Eucharistiâ immaculatam hostiam quotidie Deo immortali offerebat eâ caelestis suavitatis dulcedine, eo fervore charitatis, ut pene a sensibus alienatus videretur.

Corporis austeritates asperrimae, praeter labores assiduos.

§ 24. Rebellantis carnis motus salutari poenitentiae disciplinâ obterendi sunt, et terreni corporis infesta labes spiritali vigore calcanda est. Ut igitur caro, quae concupiscit adversus spiritum, omni terrenae infirmitatis pondere deposito, ad Deum anhelantem spiritum sequeretur, servus Dei, ceteris omnibus suavis et mitis, uni sibi asper sancteque inimicus, corpus domabat asperrimo cilicio, cruentis flagellationibus, brevi somno, eoque super nudâ tabulâ aut humi capto, aquae potu, vilique et modico cibo, quo mortem arceret potius quam famem pelleret, se, ut Deo viveret, sustentabat: itaque omnes animi motus adeo compositos atque in suâ potestate habebat, ut nullus unquam in eo observatus fuerit, qui ad exactam christianae perfectionis regulam non conveniret: nunquam de se suisque rebus in gloriam Dei et proximorum salutem gestis verba faciebat; gratulantibus autem de tot pertinacibus haereticis conversis ad fidem et innumeris peccatoribus ad poenitentiam traductis, modeste respondebat: *Non ego, sed Deus.*

Profunda humilitas.

§ 25. Honore ab aliis affectus et laudibus ornatus, vehementer dolebat et graviter tristabatur laudem sibi tribui, quae Deo soli deberetur, palam dictitans, si probe notus esset, ac pro merito tractaretur, se praetereuntium pedibus, ut vilissimum omnium mortalium, proculcatum iri. Nam ex veracissimâ divinae magnitudinis et humanae parvitatis agnitione et abiectissimae filiorum Adam conditionis intuitu, in se ipso quod suum erat contemnens, et omne datum optimum et omne donum perfectum de sursum esse cognoscens, persuasum habebat nullam esse infamiam aut iniuriam quam non promeruisset: ideo, si quispiam eum, ut saepe contigit, alapis aut verberibus pessime acciperet: *Gratiam habeo,* inquiebat; *pro certo habe, me pluribus dignum esse.*

Mansuetudo, benevolentia, modestia plane angelica.

§ 26. Mansuetus, mitis et beneficus erga omnes, angelicam quamdam modestiam in verbis, incessu, vultu, totiusque corporis habitu praeseferebat, ut spectantium animis reverentiam et venerationem sui et amorem virtutis iniiceret.

Incensa pro Deo patiendi desideria.

§ 27. Divinus enim amor, intus latens in pectore, transiverat in decus corporis, et internam sanctitatem externa prodebant signa virtutum: profecto amorem erga Deum et animatam charitate fidem sanguine suo testatam facere,

et vitam ipsam pro Deo profundere ardentissime cupiebat, ut ei non defuisse credendum sit coronam martyrii, cuius animus patiendi non defuit. Nam praeter certa famae et capitis pericula, quae pro Dei amore libenter atque ultro subivit, non semel dicere auditus est: *Quid mihi optatius, quam pro Christo mori?* Et ad Canadensem missionem, ut mortem pro Christi nomine oppeteret, proficisci voluit; sed altissimo divinae providentiae consilio ei concessum non est, ut suae gentis utilitati serviret.

Missiones in Galliâ maxime arduas decennio obit.

§ 28. Quippe ultimos decem vitae annos in sacris peragendis missionibus impendit, quorum sex primos, partim in inferiori Occitaniâ, partim in Vivariensi, Valentinâque dioecesi, novissimos autem quatuor in restituendâ stabiliendâque apud Velaunos Vivariensibus finitimos pietate collocavit. Anicii autem, quod provinciae caput est, aestivum tempus traducebat, hyeme vero agebat in circumpositis urbi locis, cum, frigore et nivibus ab agrorum culturâ coloni impediti, in suis tuguriis et mapalibus otiantur.

Ratio vitae plane apostolica in iis obeundis.

§ 29. Modus autem ac ratio vitae, quam sibi ab initio constitutam ad finem usque in missionibus constanter servavit, huiusmodi erat. Horas nonnisi binas, vel ad summum ternas somno concedens, reliquam noctis partem meditando, precando, concionesque parando impendebat. Ubi ad destinatum locum pervenerat, imbre licet madidus, aut nive perfusus, itineris lassitudine et labore confectus, divini auxilii exposcendi causâ, rectâ se ad ecclesiam conferebat, quam si clausam reperisset, prae foribus in genua provolutus, vel humi prostratus, Deum tantâ spiritus contentione orabat, ut nec vi frigoris, nec ubertim quandoque cadentibus nivibus a piis cum Deo colloquiis avocaretur. Postridie summo mane ecclesiam ingressus, obviâ familiarique oratione aliquod doctrinae christianae caput explicabat; operam deinde dabat peccata confitentibus; mox dicebat ad populum, apostolico zelo et animi contentione vitia exagitans, impellensque ad virtutem: quo peracto, sedebat rursus in sacro poenitentiae tribunali, quoad, oblato divinae hostiae sacrificio, matutinum tempus clauderet. Pomeridianum transmittebat erudiendis pueris, visitandis aegris, pauperibus sublevandis, sedandis litibus, et dissidentibus in mutuam gratiam reducendis. Sub vesperam iterum concionabatur, confitentes subinde audiebat ad multam noctem, adeo ut saepe adhuc ieiunum a sacro tribunali parochi vel populi ipsi veluti per vim avellerent.

Sermo eius, et praedicatio in ostensione spiritûs et virtutis.

§ 30. Sermo et praedicatio eius non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. Nam simplex quidem, incompta et popularis oratio, sed verbis inerat quaedam occulta vis et caelestis gratiae virtus, quae audientium corda penetrabat, et eorum mentes atque animos sive ad fugiendum vitium, sive ad amplectendam virtutem facile impellebat. Accedebat actio ipsa vehemens et zelo Dei incensa, voxque mire ad movendum efficax, ardoris nempe et suavitatis plena, et, quod longe maius est, constans atque firma apud omnes opinio verae, non adumbratae virtutis, cui respondebant habitus oris ad modestiam et humilitatem compositus, sancta sine fuco simplicitas poenitentiam praeseferens et paupertatem, omnia demum caelestem quamdam spirantia sanctitatem, quae aspectu ipso commovebant animos, et ad Dei amorem rapiebant.

Incredibiles ad eum audiendum omnis generis hominum concursus.

§ 31. Hinc incredibilis fiebat ad eum auscultandum, sive ex aequo sive e superiore loco de rebus divinis disse-

reret, hominum concursus cuiusvis generis, cuiusvis conditionis, cuiusvis aetatis, ipsique adeo haeretici, virtutis admiratione capti, catholicorum ardorem quodam modo aemulari et vincere certabant.

Innumeros peccatores et pertinaces haereticos convertit.

§ 32. Difficile est hominum inire numerum, quos vel ab omni genere flagitiorum ad bonam frugem reduxit et in eà confirmavit, vel ab haeresi ad Ecclesiae catholicae sinum revocavit; et quod mirabilius est, plures catholicos adversus ipsum pessime animatos et hostili odio incensos, pluresque calvinianos in suis erroribus pertinaces, et quorum conversionem frustra alii catholici dogmatis doctores aggressi fuerant, paucis ipse verbis, sceleribus, erroribusque ereptos, christianae virtuti, catholicaeque veritati restituit. Itaque ubicumque evangelici seminis serendi causà per aliquod tempus degerat, conspiciebantur compressa odia, extincta dissidia, expulsa impietas, debellata impudicitia, haeresis multorum animis evulsa, perditissimis etiam mulieribus inspiratus amor castitatis, restitutus sacramentorum usus, pueri et maioris aetatis homines in christianà doctrinà rite instituti, mores omnium immutati, et ad christianae pietatis regulas conformati: tales erant eius laborum et apostolici zeli fructus, talia eius sanctitatis et evangelicae praedicationis illustria monumenta.

Rusticos per montes, per silvas, per avia latibula perquirit studiosissimus animarum venator.

§ 33. Sacro autem verbi ministerio primum per aliquot dies diligentem navabat operam in oppido vel pago, qui, totius regionis tractus[1], hominum frequentià et loci quadam dignitate princeps quodammodo erat; deinde curas et labores suos ad loca vicina conferebat; nullus erat locus tam incultus, tam agrestis, quo sua eum charitas non propelleret: per vias situ aspectuque horridas, per aperta vitae pericula, rusticos in sylvis et montibus, in suis mapalibus, seu potius latibulis, sparsim degentes studiosissimus animarum venator, pedes semper, et ieiunus, ut plurimum, vel modico cibo refectus, investigabat quos erudiret, quos solaretur, quos omni ope sublevaret; exemplo evangelici pastoris, qui, relictis nonagintanovem, vadit ad ovem quae perierat, donec inveniat eam, et, si invenerit eam, suis humeris imponit gaudens, et ad ovile reducit.

1 Forsan *tractu*; aut melius lector scius emendet (R. T.).

Asperitates et pericula difficillimorum itinerum.

§ 34. Quaerens igitur deperditas oves, ibat anxius et sollicitus, actus impetu divini amoris indefesso cursu per ardua et immania quaeque tendentis; iter faciebat per invia plerumque nemora, per abrupta montium asperrimorum iuga, per duratam frigore glaciem, per congestas vel solutas stagnantesque exundantibus aquis nives, per densissimos imbres, procellososque hiberno caelo ventos, per angustos tramites praecipitiis vallatos, per quos manibus pedibusque reptare nonnunquam cogebatur: nihil est enim tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur.

Maximi propterea labores.

§ 35. Nullis igitur deterritus incommodis, nullis retardatus periculis, saepe per ignotos calles rectà deerravit vià, saepe in desertis mapalibus imbri et frigori apertis pernoctavit, saepe cum rerum omnium inopià conflictatus est: arduum aliquando montem superare aggressus, errante per glaciem et nivem vestigio, ita corruit ut crus frangeret; baculo tamen innixus et a socio sustentatus, seu potius divino fretus auxilio, continuavit iter, et cum ad locum, quo tendebat, pervenisset, humanis deficientibus remediis, crus divinitus sanatum est, et obducto callo, mirabiliter coaluit. Viribus interdum adeo fractus erat, ut

pedibus consistere non posset: non semel contigit, ut e suggestu descendens, animo linqueretur: sed nullo commovebatur periculo: omni spe ac fiduciâ in Deo repositâ, quaecumque temporum, locorum, negotiorumque facies esset, eumdem oris habitum quietum et serenum praeseferebat, et tranquillissimâ animi Deo inhaerentis dulcedine fruebatur: placebat sibi in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo: cum enim infirmabatur, tunc potens erat, caelestibus affluens deliciis, quibus servos suos benignissimus Deus consolari solet.

Postrema missio Lalovesci.

§ 36. Itaque post evangelicae doctrinae semen in multis locis disseminatum, missionem Lalovesci, ignobili Viennensis dioecesis pago, in horridis Helviorum montibus posito, ultimis Adventus dominici diebus habendam incidit[1], quam sibi fore postremam, Deo docente, praedicit. Intolerabilis tunc, adultâ iam hyeme, erat vis frigoris, et inexplicabilis viarum difficultas, inter inaccessos montes nivibus ac glacie coopertos vallibusque difficillimis interiectos, superanda occurrebat; nihilominus, Dei nomine invocato, in viam se dedit.

Ex itineris incommodis dolore lateris et acutâ febri corripitur.

§ 37. Ad ceteros durissimos illius itineris casus accessit, quod rectâ deerrantem viâ, cum nox supervenisset, et nemo eum hospitio acciperet, in derelicto tugurio, ventis ac nivibus pervio, intempestam et perfrigidam noctem ducere necesse fuit. Et quoniam sudore madidus[2] ob laborem itineris constiterat, concrevit aspero frigore constrictus sanguis, et lateris dolore gravissimo simulque acutâ febri correptus est. Sed super omnem laboris magnitudinem et poenarum angustias, ferventis amoris vi in Deum raptus, trahensque secum terrenum corporis pondus, liber et admirandus supervolitavit animus pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei amplexum amor castus innititur.

Missionem nihilominus aggreditur et de more continuat.

§ 38. Pervenit Lalovescum, ubi Deum solum quaerens, ad caelestia sola aspirans, nullo cuiquam verbo de infirmitate corporis facto, concionem habuit ad frequentem populum e vicinis montibus collectum, in qua labentis corporis imbecillitatem amantis animi fervor et apostolicus sacerdotalis pectoris vigor sustinuit. Inde, nullo sumpto ad respirandum spatio, poenitentes, confessionibus totâ die auditis, Deo reconciliavit. Postridie erat Natalis dominici dies: licet deterius semper se haberet, ter ad populum verba fecit, et reliquum temporis in sacro tribunali sedit. Idem fecit in sequenti die, donec, exhaustis prorsus viribus et animo deficiente, humanae conditioni cedere coactus, concidit. Vix post quartam horae partem spiritu recepto, confessiones audire perrexit, ad focum assidens in domo parochi, quo fuerat a rusticis deportatus; sed, cum iterum animo linqui coepisset, in lecto repositus est, ubi totius anteactae vitae sacram exomologesim, quam paucos dies ante peregerat, iterum fecit. Postea ingravescente morbo, ut summam Christi nascentis humilitatem paupertatemque, quam totius vitae tempore impense dilexerat, in ultimo vitae actu exactius ac diligentius imitando exprimeret, in stabulum deferri precatus est. Sed, ne citius deficeret, iussus lecto se continere, ibi sacrosanctae Eucharistiae viatico et extremae unctionis sacramento munitus, dexterâ Crucifixi imaginem tenens, et ad caeleste regnum et immortalis gloriae coronam a Christo domino et Virgine Mariâ invitatus, qui se videndos ei praebuerunt, animâ di-

Exhaustis denique viribus, decumbere cogitur.

1 Forsan *incipit* vel *incepit* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *madibus* (R. T.).

Inter dilectos sibi pauperes ac rusticos dulcissime moritur.

vino Salvatori commendatâ, inter pauperum et rusticorum turbas, quibus iuvandis et erudiendis omnem vitam suam ac labores impenderat, hilari ac sereno vultu spiritum Deo reddidit circa mediam noctem ultimae diei exeuntis anni MDCXL.

Densa statim agmina montanorum cum parochis duobus et viginti undique occurrunt.

§ 39. Ut vero Dei servus ex hac mortali vitâ decessit, una omnium vox fuit, sanctum obiisse, et quamvis rigidissimum anni tempus vias faceret impeditissimas, tamen ad hanc vocem, quasi in vicinis locis omnibus ac montibus exaudita fuisset, duo supra viginti parochi et tam densa convenere montanorum agmina, ut, propter infinitam populi multitudinem concurrentem ad videndum et osculandum defuncti corpus, differri in alium diem funus oportuerit.

Ob eius sepulchrum Lalovescus, ignobilis antea vicus, miraculorum frequentiâ nobilitatur.

§ 40. Postmodum, percrebrescente sanctitatis eius ac miraculorum famâ, Lalovescus exiguus antea vicus, paucis tantum constans casis et tuguriis, coepit incolis frequentari, et quotannis redundare ingentibus advenarum catervis, eò per asperrimos montes confluentium ad beatos apostolici viri cineres venerandos, et opem eius in variis morborum et calamitatum generibus implorandam.

Processus Ordinarii Aniciensis.

§ 41. Itaque a bonae memoriae Armando de Bethune Aniciensi episcopo auctoritate ordinariâ anno MDCLXXVI confectus est processus super vitâ et miraculis servi Dei.

Romae signata commissio causae.

§ 42. Duobus supra viginti postea annis elapsis, die XXV ianuarii signata est commissio introductionis causae. Datis subinde litteris remissorialibus ad conficiendum novum processum auctoritate apostolicâ super non cultu, eoque ad Urbem transmisso, eiusque validitate recognitâ, die XIII iulii anno MDCC approbata fuit sententia lata ab archiepiscopo Viennensi super cultu non exhibito iuxta decreta felicis recordationis Urbani PP. VIII praedecessoris nostri.

Processu apostolici de virtutibus et miraculis.

§ 43. Impetratis subinde litteris tam remissorialibus quam compulsorialibus eidem archiepiscopo Viennensi et episcopis Aniciensi et Valentinensi directis, quorum in dioecesibus diu versatus est Dei famulus, ut de virtutibus illius ac miraculis nova haberent testium examina, et novos auctoritate apostolicâ processus conficerent; quibus itidem Romam missis, diligenterque expensis, post diuturnum et accuratum examen habitum in pluribus congregationibus venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum, tam super validitate processuum, quam super virtutibus servi Dei: demum, piae memoriae Clemens Papa XI praedecessor noster die XXVII martii anno MDCCXII, auditis antea in generali sacrorum rituum Congregatione S. R. E. cardinalium sententiis, declaravit Ioannem Franciscum de Regis tres virtutes theologales, quatuor vero cardinales in gradu heroico exercuisse.

Clemens XI decernit constare de virtutibus in gradu heroico.

Testantur amplissimo multitudinem miraculorum episcopi Viennensis, Aniciensis et Valentinensis.

§ 44. Placuit deinde aggredi examen miraculorum, de quibus idem archiepiscopus Viennensis, biennio ante datis, rogatu totius dioecesanae synodi, ad ipsum Summum Pontificem Clementem XI praedecessorem nostrum litteris, testatus fuerat: idemque fecerant, missis ad eumdem praedecessorem nostrum litteris, episcopus Aniciensis et episcopus Valentinensis iudices in causâ delegati.

Item episcopi Galliarum plusquam viginti, aliique gravissimi viri.

§ 45. Quorum antistitum gravissima testimonia confirmaverant viginti duo partim archiepiscopi partim episcopi Occitaniae, quadraginta urbium legati, et universi optimates, quorum nomine ad eumdem Summum Pontificem praedecessorem nostrum archiepiscopus Narbonensis in generalibus provinciae comitiis scripsit.

Clementis eiusdem XI decretum de miraculis.

§ 46. Sed quoniam tot miracula non poterant propter multitudinem singula seorsim expendi, et multorum, variis de causis, ut accidere solet, legitimae necessariaeque probationes vel deperierant vel haberi non poterant, nonnullis ex omnibus selectis, et in pluribus congregationibus S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum per triennium discussis, duo anno MDCCXV idem praedecessor noster Clemens XI decreto suo approbavit: miraculum scilicet repentinae liberationis Ioannae Mariae Peret monialis a diuturnâ inferiorum artuum ad motum impotentiâ et hydrope-tympanite, et miraculum instantaneae sanationis Ioannis Gasparis Montereymar Aniciensis ab enormi herniâ. Et demum, anno insequenti, die XXIV maii, idem praelaudatus Pontifex praedecessor noster servum Dei Ioannem Franciscum in Beatorum Confessorum numerum solemni ritu adscripsit.

Nova post beatificationem miracula.

§ 47. Ab illo tempore non destitit Deus pluribus miraculis sanctitatem servi sui magis magisque testari, ut in eius gloriam erga eius fidelem servum cultus et veneratio augeretur. Etenim vere pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius, quando, nec terra carnis, vitâ deserente, contemnitur, et invisibili animâ de domo visibili discedente, habitaculum servi curâ Domini custoditur, et in gloriam Domini a conservis fidelibus honoratur.

Novi de illis processus et apostolicum decretum Clementis XII.

§ 48. Itaque novis apostolicâ auctoritate processibus in Galliâ conscriptis de miraculis quae per intercessionem B. Francisci post eiusdem beatificationem omnipotens Deus operatus est, septem examini sacrorum rituum Congretionis coram nobis habitae propositis, duo XIX die mensis martii currentis anni approvabimus, videlicet: Primum, instantaneae liberationis Mariannae Forget ab ingenitâ in infernis artubus ad motum impotentiâ, Tolosae in ecclesiâ Societatis Iesu, dum beatificationis solemnia peragerentur; secundum, instantaneae sanationis sororis Mariae Theresiae de Montplaisant monialis professae in monasterio Visitationis civitatis Sanctiamoris dioecesis Lugdunensis ab ingenti duritie seu tumore in ventre, acutâ febri, aliisque exitialibus symptomatibus morti iam proximae, nullo remanente morborum vestigio, ac viribus incontinenti receptis.

Decretum eiusdem Clementis XII de canonizatione.

§ 49. Denique venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in generali sacrorum rituum Congregatione unanimi sententiâ suffragium ferentibus, ad solemnem beati Ioannis Francisci canonizationem tuto deveniri posse, implorato prius a Patre luminum praesidio, die V aprilis solemniter decrevimus.

Consistorium secretum cardinalium coram eodem Summo Pontifice de more habitum.

§ 50. Quod autem faciendum supererat, ut de praemissis omnibus ad universum S. R. E. cardinalium collegium relatio fieret, in consistorio secreto diligenter peractum est a dilecto filio nostro Antonio Felice tituli S. Praxedis presbytero cardinali Zondadario nuncupato, qui, suo et aliorum cardinalium sacrorum rituum Congregationis nomine, B. Ioannis Francisci Regis fidei integritatem ceterasque egregias virtutes et miracula accommodâ oratione exposuit, asserens omnia ex sacrorum canonum praescripto optime comprobata fuisse, proinde se collegasque suos censere ad ulteriora, si ita nobis videretur, progredi licere, et beatum Dei servum in sanctorum numerum referri posse; quod ceteri omnes, qui tunc aderant, cardinales, gravibus sententiis dictis, unanimes comprobarunt.

Consistorium publicum.

§ 51. Convocato deinde publico consistorio, in quo dilectus filius Ioannes Ascevolinus, aulae nostrae consistorialis

advocatus, pro eiusdem servi Dei canonizatione eloquenter peroravit, ac nomine carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi et carissimae in Christo filiae nostrae Mariae eorumdem Francorum reginae christianissimae eius coniugis, et quamplurium venerabilium fratrum archiepiscoporum et episcoporum regni Galliarum, et potissimum provinciae Occitaniae, necnon dilectorum filiorum magistratuum, procerum et populorum eiusdem provinciae, et totius insuper Ordinis clericorum regularium Societatis Iesu, ut ad eam deveniremus, humiliter supplicavit. Nos, rei gravitatem ac magnitudinem prae oculis habentes, cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos ibidem praesentes omni animi contentione hortati sumus, ut orationibus, ieiuniis instantes essent, quo benignissimus Deus lucem suae claritatis super mentem nostram effundere, et in voluntate suâ dirigere dignaretur.

Item semipublicum.

§ 52. Deinde in semipublico consistorio vocatis non solum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis praedictis, sed etiam nostris et Sedis Apostolicis notariis, protonotariis nuncupatis ex numero participantium, ac palatii nostri apostolici causarum auditoribus de more praesentibus, quae opportuna et necessaria videbantur de eximiâ B. Ioannis Francisci sanctitate commemorata sunt: cumque omnes ad eius canonizationem deveniendum concordibus suffragiis censuissent, nos, unanimi eorum consensu audito, aperuimus os nostrum in benedictionibus, ac Dei nutum et voluntatem secuti, iustum et debitum esse censentes, ut, quos Deus honorat in caelis, nos venerationis officio laudemus et glorificemus in terris, celebrandae canonizationis diem indiximus, cunctos adhortati ut in orationibus, ieiuniis et eleemosynis perseverantes, Spiritus Sancti gratiam nostrae humilitati in tam alto negotio impetrare studerent.

Canonizatio demum solemni ritu celebrata die festo Sanctissimae Trinitatis ab eodem Clemente XII.

§ 53. Demum, peractis omnibus quae ex sanctorum patrum auctoritate, canonicis sanctionibus, S. R. E. antiquâ consuetudine, ac novorum decretorum praescripto agenda et observanda erant, hodie, hoc est die festo SS. Trinitatis, in sacrosanctâ Lateranensi basilicâ, in quam solemni ritu cum cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis et episcopis supradictis, necnon dilectis filiis Romanae Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ mane convenimus, post repetitas a dilecto filio nostro Nereo S. R. E. diacono cardinali Corsino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre germano nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum, consistorialis nostrae aulae advocatum, praedictas instantias, quae dudum Sedi Apostolicae pro huiusmodi canonizatione porrectae fuerant, nobisque a praefato Ordine clericorum regurium Societatis Iesu suppliciter porrigebantur, post sacros hymnos, litanias aliasque preces decantatas, ac Spiritus Sancti gratiam humiliter imploratam, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio et consensu, B. Ioannem Franciscum de Regis Confessorem, Sanctum esse decrevimus et definivimus, ac Sanctorum catalogo adscripsimus,

prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus; statuentes ab Ecclesiâ universali illius memoriam quolibet anno die XXIV mensis maii inter sanctos Confessores non Pontifices piâ devotione recoli debere; parique auctoritate omnibus utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis dictâ die XXIV maii ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas, de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis, misericorditer in Domino relaxavimus, et relaxamus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Gratiarum actio.

§ 54. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum dominum Patris sempiterni Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariâ omnium peccatorum suorum indulgentiâ et remissione concessâ, propter corporales nostras infirmitates, affectamque valetudinem, senilemque aetatem, ab eâdem Lateranensi ecclesiâ recessimus, remanentibus in eâ venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, archiepiscopis et episcopis et universo clero et populo; quibus praesentibus, a venerabili fratre nostro Thoma S. R. E. cardinali episcopo Praenestino Ruffo nuncupato, tamquam cardinali in ordine antiquiori, in arâ maximâ praefatae basilicae, ex indulto et de licentiâ nostrâ, solemniter missa cum Sancti eiusdem Confessoris commemoratione celebrata est.

Iterum gratias agit Summus Pontifex.

§ 55. Convenit autem ut Deum caeli benedicamus, et coram omnibus viventibus confiteamur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam, agnoscamusque, non sine magnâ Dei providentiâ factum esse, ut hisce afflictis Romanae Ecclesiae temporibus, quibus maxime multiplici Sanctorum suffragio indigemus, novus hic suffragator et patronus fideli populo tribueretur.

Preces per intercessionem huius Sancti.

§ 56. Quamobrem eumdem Patrem misericordiarum, qui humiles exaltat, humiliter deprecemur, ut, per intercessionem S. Ioannis Francisci, Ecclesiae suae pacem et tranquillitatem, regibus et principibus concordiam et unionem, schismaticis et haereticis agnitionem veritatis et salutis, miseris infidelibus catholicae fidei lumen largiatur.

Fides transumptorum.

§ 57. Ceterum, quia difficile foret praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae et ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 58. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem, hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Ioannem in Laterano, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, XVI kalendas iulii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 iunii 1737, pontif. anno VII.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[1].

† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus.

1 Heic sequitur forma sigilli ut supra pagina 245 *a* (R. T.).

† Ego Petrus episcopus Portuensis cardinalis Ottobonus.

†

† Ego episcopus Sabinensis cardinalis S. Clementis S. R. E. camerarius.

† Ego Ludovicus episcopus Albanensis cardinalis Picus.

† Ego Petrus episcopus Tusculanus cardinalis Corradinus.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Mariae in Transtyberim cardinalis Spinula.

†

† Ego Ludovicus tituli S. Priscae cardinalis Belluga.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in insulâ cardinalis Cienfuegos.

† Ego I. B. tituli S. Matthaei in Merulanâ cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Petra, maior poenitentiarius.

†

†

†

† Ego Nicolaus Maria tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Lercari.

†

† Ego Franciscus Antonius tituli S. Sixti presbyter cardinalis Finus.

†

†

†

† Ego frater Vincentius Ludovicus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.

† Ego D. Leander tituli S. Callisti presbyter cardinalis de Porzia.

† Ego P. Aloysius Carafa cardinalis tituli S. Laurentii in Pane et Perna.

†

†

† Ego Franciscus Burghesius cardinalis tituli S. Silvestri in Capite.

†

†

† Ego Vincentius tituli S. Petri in Monte aureo presbyter cardinalis Bichius.

† Ego Ioseph tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Firrao.

† Ego Antonius tituli S. Stephani in Monte Celio presbyter cardinalis Gentili.

† Ego frater Ioannes Antonius cardinalis Guadagni tituli S. Silvestri et Martini ad Montes.

† Ego T. cardinalis de Acquaviva tituli S. Ceciliae.

† Ego Dominicus Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Riviera.

† Ego Marcellus tituli S. Mariae in Arâcaeli presbyter cardinalis Passari.

†

†

† Ego frater P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Pieri.

†

† Ego L. S. Mariae in Vialata prior decanorum cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Agathae in Suburrâ diaconus cardinalis Columna.

† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.

†

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.

† Ego Nerius S. Eustachii diaconus cardinalis Corsinus.

† Ego B. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Ruspulus.

†

†

†

†

†

†

†
†
†
†
†

*Loco † plumbi.*

A. card. prodatarius.

Pro domino card. OLIVERIO

CAIETANUS AMATUS.

*Visa de Curiâ:*

N. ANTONELLUS.

I. B. EUGENIUS.

Reg. in Secret. Brevium.

---

## CCV.

*Beata Catharina Flisca Adurna sanctarum viduarum albo adnumeratur, designatâ ad eius festivitatem annuam peragendam die* XV *septembris.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam**

Prooemium. § 1. Gaudet et exultat Romana Catholica Ecclesia suorum filiorum laeta victoriis, qui, telis quidem saecularibus nudi, sed divinâ virtute armati, adversus blandientis mundi insidias, vel frementis infernalis hostis impetus, vel saecularium turbinum minas, spe vividâ, mente incorruptâ, constanti fide, charitate ferventi, fortes et stabiles in acie steterunt, et bonum certamen, certamen caeleste, certamen spiritale, praelium Christi decertarunt, gloriosum cursum consumerunt, immarcescibilem coronam de manu Dei meruerunt. Gloriatur igitur, et merito gloriatur pia mater Ecclesia fortitudine martyrum, constantiâ poenitentium, viduarum pietate, castitate virginum, et ceteris praeclaris suorum fidelium virtutibus; qui, spectaculum facti mundo et angelis et hominibus, militantes fortiter et constanter dimicantes, in se ipsis exhibuerunt supernae prodigia virtutis. Infirma enim mundi elegit Deus ut confundat fortia[1], et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret. Omnipotens enim Dei virtus in servorum infirmitate clarescit, et supernae dignationis splendor, quo servos suos illustrat, in Ecclesiae refunditur honorem, quae illos salutari lavacro spiritaliter peperit, doctrinae lacte aluit, sacrarum scripturarum roboravit eloquiis, sacramentis armavit ad pugnam, hortamentis perduxit ad coronam. Itaque, quo inimicorum maior est impetus, saevior pugna, longius certamen, pugnantis autem infirmior aetas, sexus imbecillior, eo magis crescit vincentis meritum et laus, et amantissimae matris gaudium et gloria, quae sanctorum recolens triumphos, eorum exhilarata laudibus et potenti confisa patrocinio, quotidianas, quas ab ingratis accipit filiis, solatur iniurias, et assiduas abstergit lacrymas, quibus funera plangit et ruinas plurimorum. Benedictus Deus, qui non continet in irâ misericordias suas, et Ecclesiam suam quotidie non desinit divinae gratiae prodigiis et gloriosis sanctorum victoriis consolari. Cuius consolationis nos, quos nullis nostris meritis universalis Ecclesiae regimini praeficere dignatus est, inter assiduos tribulationum et adversitatum fluctus, quibus pro peccatis nostris graviter vexamur, participes esse voluit in Beatâ Catharinâ Genuensi, quae fortis illa mulier fuit, quam inventu difficilem Scriptura edixit, et cuius constantis animi fortitudinem, caelestibus auxiliis roboratam, nec infernalis hostis impetus, nec multarum tribulationum impulsus quatere potuit, et ab illo avertere, quod in sublimitate mentis suae altissime conceperat, proposito sanctitatis.

1 Edit. Main habet *fortiora;* at in epist. 1a *ad Corinth.*, cap. I, 27, legitur *fortia* (R. T.).

B. Catharinam sanctarum viduarum catalogo adscribi statuit Pontifex.

§ 2. Nam per gratiam Spiritus Sancti naturae usum et sexus infirmitatem transgressa, accincta robore et in spiritu ambulans, desideria carnis non perfecit; sed in divinâ charitate altius fixis radicibus, et domicilio suo super petram robustâ mole solidato, firma et inconcussa ad infernales incursus et ad procellas et turbines saeculi stetit, ut ad Dei munera, per divina praecepta fortiter pergens, feliciter perveniret. Hanc igitur hodiernâ die, servatis de more solemnitatibus, in Sanctarum Viduarum numerum, ad omnibus fidelibus colendam, auctoritate caelitus nobis impertitâ, retulimus: et ideo eius pie sancteque res gestas praeclarasque virtutes breviter exponemus, ut earum commemoratione[1] dolorem cordis nostri et pectoris nostri angustias leniamus, et fideles omnes ad fugienda mundi huius blandimenta sequendasque virtutes praeclarae huius viduae exemplo provocentur. Experientiâ enim docente quotidie ediscimus humanam infirmitatem, in studio virtutum decurrendo, exemplo amplius quam praeceptis proficere; quoniam nec difficile quod iam factum est aestimatur, et utile quod probatum, et religiosum quod haereditario quodam paternae virtutis usu in nos est successione transfusum.

B. Catharinae patria, genus et primordia.

§ 3. Genuae, quae celebris est in Liguriâ civitas, et totius Genuensis Reipublicae caput, Catharina nata est anno MCDXLVII. Patrem habuit Iacobum Fliscum proregem regni Neapolis, Roberti fratris felicis recordationis Innocentii IV praedecessoris nostri filium, et matrem Franciscam de Nigro, sanguinis vetustate nobiles, sed longe prole ipsâ nobiliores, quae splendorem generis virtutum praestantiâ, quae sola apud Deum nobilitas est, superavit. Vix enim usu rationis potita, et octavum aetatis suae annum attingens, amore erga Deum, erga parentes obsequio, erga se ipsam contemptu, eximiis virtutum argumentis, ad futuram sanctitatem praeluxit. Etenim, Spiritu Sancto instruente, edocta christianam sapientiam esse scire Iesum Christum et hunc crucifixum, frequenter in Christi patientis imaginem e pariete cubiculi sui pendentem figebat oculos, cuius obtutu, miro patiendi desiderio accendebatur, ut, crucifixis carnalibus desideriis, mente solutâ et liberâ ad amorem invisibilium tenderet. Itaque iam magisterium virtutis adepta, quae praeiudicium vehebat aetatis, spretâ lecti mollitie, paleis culcitrae, ligno cervicalis vicem et usum praebentibus, somnum brevissimum capiebat; omnia autem puerilia oblectamenta contemnens, rigida silentii custos solâ oratione delectabatur.

Quamvis monialis esse cuperet, parentum obtemperans voluntati, nubit Iuliano Adurno.

§ 4. Quamobrem spiritali orationis cibo nutritâ, adeo in eâ caelestis patriae amor mundique contemptus succreverat, ut decimum[1] tertium annum agens, consilio confessarii sui adhibito, se in sanctimonialium monasterio dicare Deo totamque dedere decrevit. Sed sacrae virgines, quas adulta animi Catharinae fortitudo et spiritale robur latebat, eius teneros annos et imbecillam corporis valetudinem ratae non aptam ferendis laboribus et monasticae vitae muneribus, consuetudinem monasterii excusantes, ob teneram eius aetatem in suum consortium admittere recusarunt. Ita disponente altissimo divinae providentiae consilio, a religioso monasterii secessu repellitur, quae postea in saeculo remanens feminis nuptis ac viduis, quarum mentibus carnalium cupiditatum tenebras mundi consuetudo offuderat, viam Domini ingredi volentibus tamquam

1 Ed. Main. legit *commemorationem* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. habet *demum* pro *decimum* (R. T.).

lucerna in tenebroso loco super candelabrum posita praeluceret. Repulsam Dei ancilla patienter tulit, et intelligens Dominum se obedientiam velle, non sacrificium, parentum voluntati atque imperio obsecuta, nobili atque diviti viro Iuliano Adurno nupsit.

In ipso coniugali statu pompas saeculi refugit, qua de causâ multas patitur a Iuliano angustias.

§ 5. Sed ne mundanarum voluptatum fallenti capta dulcedine in viam saeculi abduceretur, tribulationes et pressuras immisit Dominus, qui non derelinquit diligentes se. Sponsus enim ab ipso nuptiarum die eam vehementer aversatus est. Ille enim luxum et pompam, haec frugalitatem et modestiam; ille hominum coetus et frequentiam, haec silentium et secretum; ille ludos et oblectamenta saeculi, haec orationem et castas Deum amantium delicias sequebatur. Ideo, ob contraria voluntatum studia alienato mariti animo, aspere ac dure ab eo tractabatur: ipsa vero, etiamsi nulla erga virum maritalis obsequii et cultus praeteriret officia, maxime tamen illius morum ac vitae taedebat; unde caligantibus tristitiae tenebris oppressum est cor eius, nec erat qui consolaretur eam.

Saeculi vivendi morem sequi statuit, ut a continuo animi moerore sublevetur; sed hinc gravior animi augor.

§ 6. Quinquennium in luctu et moerore transegit. Deinde, amicis et consanguineis feminis suadentibus, aliquid pristinae vitae consuetudinis remittere, ut moerentis animi sublevaret tristitiam, aliarum nobilium feminarum coetus ac domos frequentare et vivendi rationem sequi instituit. Sed omnia benignissimus Deus felle amaritudinis consperserat, ut servae suae anima, falsa mundi oblectamenta fastidiens, caelestes dulcedines esuriret: habet enim potestas illa iustissima, miris et incomprehensibilibus modis, per quasdam secretissimas successiones rerum sibi servientium quas creavit, et severitatem vindicandi, et clementiam liberandi. Itaque altero fere quinquennio elapso, cum a terrenis rebus animi potius augeretur moeror et tristitia, quam levaretur angustia, (severa enim misericordia nihil Deus ancillae suae sinebat dulcescere quod ipse non esset), ita supramodum gravata est supra virtutem, ut taederet etiam vivere, et in se ipsâ responsum mortis haberet.

Luce divinâ perfusa, saeculi pompas iterum exuit.

§ 7. Graves inter animi angores, propriam sororem, quae sanctimonialis erat, consuluit, cuius hortatu presbyterum monasterii confessarium adivit; ad cuius pedes vix dum se prostraverat, cum caligantibus iam in saeculo mentis oculis divinae lucis lumen subito affulsit, et doloris simul atque amoris vulnere percussa, parum abfuit quin prolaberetur in terram. Ut vero domum redivit, cum ab arcano fundo alta consideratio, irradiante divinae gratiae lumine, contraxisset et congessisset totam miseriam suam in conspectum cordis sui, obortus est ingens imber lacrymarum, proiectisque mulieribus ornamentis, quae nunquam imposterum resumeret, amarissimâ cordis contritione, sanctâque indignatione sui, detestata est anteactae vitae culpas, admirans divinam clementiam ac ineffabilem Dei bonitatem retrahentem recedentes a se et derelinquentes fontem aquae vivae ut fodiant sibi cisternas dissipatas quae continere non valent aquas.

Ex visione Salvatoris crucem baiulantis ingens Catharinae fit desiderium patiendi.

§ 8. Itaque timore divinae iustitiae, admiratione misericordiarum Domini, odio erga mundum, indignatione erga se, dolore de peccatis, tantâ denique tamque gravi diversorum affectuum cordis intima agitante procellâ, accendebatur iam concepta flamma divini amoris, et pectore suspiria, et oculis cadebant flumina lacrymarum, acceptabile ac gratum Deo sacrificium, cum subito mentis oculis apparuit Salvatoris crucem baiulantis imago toto corpore san-

guine diffluentis. Quam speciem animo alte infixam, vivisque expressam coloribus, ita mente in posterum retinuit, ut quaecumque oculis cerneret, pretioso Christi sanguine ei viderentur adspersa; quocumque se verteret, Salvatoris patientis imaginem sibi videretur intueri. Hinc ingens patiendi ardor, ut se passioni Christi domini conformans, de admissis vel levibus culpis divinae iustitiae in sanguine et per merita divini Mediatoris satisfaceret, et veterem hominem in se crucifigeret, et destrueret corpus peccati, ut non amplius peccato serviret.

Corpus diversimode macerat.

§ 9. Itaque carnem suam ciliciis, flagellis, fame, siti, vigiliis, ieiuniis edomuit, ne spinas ac tribulos vitiorum produceret, sed sancta corpore et spiritu hostiam Deo placentem se offerret. Uno[1] vel altero anno ab admirabilis eius conversionis die, voce Christi domini ad interiores cordis aures resonante, invitata est ad peragendum cum divino Salvatore quadragesimale ieiunium, quo exercita, tria illa tentationum genera, quibus ille volens tentatus est, superare edisceret: nempe, intus verbo Dei nutrita, non quaereret in istà mortalis vitae eremo voluptatem, imo ita domitam cupiditatem haberet, ut nec fami cederet; uni Deo tantum subiecta, non desideraret in monte, hoc est in terrenà elatione, iactantiam, sed nulli creaturae serviens, et neminem praeter Deum adorans, superbiam saeculi et vanitates vanitantium calcaret; aeterno demum incommutabilis veritatis spectaculo inhaerens, curiositatis illecebram contemneret, nec Deum tentaret, nec per fastigium templi, id est per oculos corporis se praecipitem ageret, ut ad temporalia et inferiora, recedendo a Deo templum, hoc est, animam nostram inhabitante, perveniret: atque ita tria illa prorsus sibi subdita et penitus confracta ieiunio et oratione teneret, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et ambitionem saeculi. Auscultavit[1] subito invitamenta dominica fortis Dei mulier, et secuta est spiritum ducentem in desertum poenitentiae, longe a mundanis oblectamentis et saecularibus curis inhabitantibus terras. Et non solum primae illius quadragesimae tempus, sed, per annos tres et viginti, nedum Quadragesimae, verum etiam Adventus ferias solo caelesti orationis cibo et sacrosancto Eucharistiae pane sustentata transegit, amarissimo tantum aquae liquatae salis atque aceti potu sitim quandoque excrucians potius quam restinguens: quo tamen ieiunii tempore robustior atque vividior laboriosis charitatis muneribus perfungebatur. Ita per gratiam Spiritus Sancti naturae usum et sexus infirmitatem transgrediens, cibo abstinentiae et potu amaritudinis aluit corpus suum, docens non solum nescire vitia, sed etiam causas nescire vitiorum.

Egenis et infirmis inservit cum nonnullis matronis.

§ 10. Ad sanctitatis igitur sublimitatem per erectas poenitentiae semitas celeri gradu progrediens Catharina, et a divino humilitatis magistro edocta altitudinem perfectionis mensuram esse debere humilitatis, elegit abiecta esse in domo patris sui, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Itaque se comitem adiiciens, vel potius in pietate ducem aliis nobilibus matronis, quarum cura erat infirmis pauperibusque succurrere, et miserorum calamitates et angustias opere et pecuniâ sublevare, circuibat per vicos et plateas quaerens in pauperibus et infirmis quem diligebat anima sua. Incedebat autem

1 Male edit. Main. puncto sublato legit *se offerret uno* etc. (R. T.).

1 Perperam iterum puncto sublato eadem ed. legit *ambitionem saeculi auscultavit* etc. (R.T.).

per urbem gradu sobrio, veste humili, vultu modesto, fixis in terram oculis, itaut praenuntia sanctitatis anteirent signa virtutum. Egenorum vero necessitatibus prompte ac liberaliter subveniebat, et feminas infirmas singulari charitate complectebatur. Sternebat lectos, purgabat sordes, vilia quaeque munia obibat, solabatur verbis, inserviebat manibus, pecuniâ sustentabat, cibis reficiebat. Laboriosum atque humile infirmis inserviendi munus, primum in privatis domibus, deinde in publico nosocomio, cuius regimen ei demandatum est, sedulâ curâ et diligenti sollicitudine exercuit, et ad felicem usque vitae suae finem retinuit, militans stipendiis suis; nihil enim unquam accepit de substantiâ nosocomii, sed, quae sibi pro victu et indumentis erant necessaria, suis expensis sibi ministrari volebat.

Qualis eius esset amor erga Deum, suique contemptus.

§ 11. Assiduis autem charitatis officiis erga proximum, quasi quibusdam gradibus, ad purum illum ac mirabilem Dei amorem ascendit; siquidem, cum eius corpus templum Dei inhabitantis effectum esset, animus, veluti altare Domini in quo sacrificium laudis quotidie Altissimo immolaretur manu aeterni Sacerdotis, excusso mundanorum affectuum pulvere et terrenarum cogitationum remotis cineribus, totus exarsit, vaporem exhalans[1] divini ignis non solum penetrantis inflammantisque cordis intima, sed pertingentis usque ad exteriora corporis, et ad sensus mortalium hominum. Nam thorax ceteraeque corporis partes, quae cor ambiunt, ignem spirare videbantur; nec manibus tangi poterant, quin et dolore afficerentur et intolerabilem ardorem persentirent. Quare, per altas contemplationis vias introducta a caelesti Sponso in cubiculum suum, et ad contemplandam aeternae maiestatis pulchritudinem admissa, divinae lucis fulgore mens repercussa, intimo cognitionis sensu percipiebat, comparatione immensae illius altitudinis, imam mortalis conditionis paupertatem et miseriam, inanitatem, vilitatemque sui; et cernens fastigium celsitatis sursum, et faciem abyssi deorsum, adeo se contemnebat, seque ab aliis sperni amabat, ut semetipsam nunquam proprio vocaret nomine, atque aegreferret ab aliis se nominari. Affirmabat enim nihil esse in creaturis, quod bonum esset vel Deo placere posset, sed ex nihilo eductas, et contagione labis primi parentis contaminatas, in malum semper propendere, et frequentissime in illud prolabi, nisi Dei gratiâ misericorditer liberentur: ideo curandum esse ut destruatur quod ex nostro est, ut Christus aedificetur in nobis, cuius gratiâ adiuti dicere valeamus cum Apostolo: *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Etenim non solum temporalibus indigentium necessitatibus, et aegrotantium corporibus sanandis curandisque sedulo navabat operam, sed etiam aliorum animis medendis curam omnem ac studium impendebat. Ideo et qui aegrotantes in nosocomio decumbebant, et qui eam adibant, his atque aliis sanctissimis instruebat monitis, quibus et ad peccati fugam et ad Dei amorem impelleret.

Dialogum scribit.

§ 12. Imo dilatans spatia charitatis, dialogum etiam scripsit, in quo allegorice inducens animam et corpus peregrinationem facere statuentes, convenientesque absque dissidio iter peragere, mire ostendit quanto detrimento anima caeci amoris sui laqueis implicata in recto aeternae salutis itinere peragendo impediatur.

Proximo praebet documenta et incitamenta virtutis.

§ 13. Sed maximo ad virtutem sequendam incitamento et exemplo atque admirationi omnibus erat, femi-

1 Ed. M. leg. *exhalanis* pro *exhalans* (R.T.).

nam splendido genere natam adeo humilem ut vilissima quaeque munera in publico nosocomio exerceret, adeo mitem et patientem ut alacri animo procacium servorum iniurias et contumelias exciperet, tantâ ferventem charitate, ut, corpore licet infirma, omnium aegrotantium curae praesto esset; et quamvis divinae contemplationis dulcedine in extasim rapta frequenter a sensibus alienaretur, tamen, vocata ad peragenda charitatis officia, illico surgebat, et hilari ac rubicundo vultu, veluti ex consortio sermonis Domini, accurrebat, expletisque charitatis muneribus ad orationem redibat; ita Deo unita ut nullius creaturae recordaretur, ita proximorum curae ac animarum saluti intenta ut sui prorsus videretur oblita.

Quam fixa mente in aeternarum rerum contemplatione Deique amore maneret.

§ 14. Nam a Deo impetraverat, ut, proximorum necessitatibus sublevandis inserviens, tametsi id tantâ sedulitate et diligentiâ praestaret, quantum alius nemo pari charitate non praeditus adhibere posset, tamen, statim ac officium charitatis impleverat, eius, cui inservierat, oblivisceretur. Itaque nulla creaturae imago illam, quam alte corde et mente infixam patientis Salvatoris imaginem gerebat, obumbrabat, et flagrantem illam divini amoris flammam, qua cor illius suaviter aestuabat, nullus terrenus affectus vel restinguebat vel minuebat. Idcirco vere cum Apostolo exclamare poterat: *Neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei quae est in Christo Iesu domino nostro.* Profecto non illam aspera natura et dissoluti intolerabilesque viri mores, quos semper patienti et remisso animo toleravit; non contemptus et irrisiones, dum pietatis opera peragebat, guadebat enim quod digna habita esset pro nomine Iesu contumeliam pati; non dura eorum qui nosocomio ministrabant imperia, quae humilis ac lubens exequebatur; non carorum et consanguineorum iactura, quam, benedicens Domino, aequissimo animo tulit; non corporis infirmitas assiduaeque aegritudines (cum enim infirmabatur, tunc potentior erat; non denique sive prospera sive adversa sive praesentia sive futura a Deo avellere potuerunt: sed tamquam petra immobilis adversus furentes saeculi turbines et frementis hostis impetus stabat, nec caelestibus donis ditata efferebatur, nec adversis concussa deprimebatur; sed perseverantissimâ animi puritate complectens Deum, quem semper praesentem gerebat, ad eum toto affectu se tenens, non habebat quod expectaret vel timeret futurum, nec in praeteritum traiiciens quod meminisset, nec in praesens respiciens quod amaret. Ideo nullâ vice variabatur, nec ulla in tempora distendebatur; sed cohaerens summo, vero, et vere aeterno Bono, quod solum animae diligenti illud sufficit, eiusque flagrans desiderium explere posset[1], in nullam temporum varietatem et vicissitudinem ab illo se revolvebat, et ad se declinabat, vel defluebat ad alia: nam, invento quem diligebat anima sua, tenebat eum nec dimittebat; in eo exultabat, gaudebat, gloriabatur; eiusque sanctum nomen semper gerebat in corde, semper habebat in ore, nullum maius persentiens gaudium ac solatium, quam si dulce Iesu nomen etiam ab aliis pronuntiari audiret.

Ex osculo mulieris contagiosâ febre laborantis, quae Iesu nomen invocaverat, morbum contrahens

§ 15. Quamdam mulierem, contagiosâ febre in extremo vitae laborantem, et vi morbi loquendi facultate privatam, saepius adhortata ut sanctum Iesu no-

1 Aptius fortasse leg. *potest* (R. T.).

et postmodum convalescens pristina pietatis erga infirmos officia repetit.

men pronunciaret, statim atque moventem ora animadvertit, impetu amoris sanctissimi nominis abrepta, suique oblita, foetidi et pestilentis oris labia exosculata est, quorum contactu, eodem infecta morbo, parum abfuit, quin vitam cum morte commutaret. Sanitate deinde Dei voluntate sibi restitutâ, nihilo secius ac antea, nullâ cautione adhibitâ, omnique vitae et salutis periculo contempto, pristina erga infirmos pietatis officia alacris et laeta repetiit. Ex abundanti enim divini amoris fonte emanabat mira illa pectoris constantia et animi firmitas in currendâ viâ Domini et sectandis semitis eius. Nam idem semper vultus, eademque frons, et praeclara in omni actu vitae aequalitas; humilis, mitis, modesta et misericors, humana despiciens, caelestia inquirens, admirabilem suavitatem in verbis ac moribus praeseferebat; omnes ad se confugientes excipiebat benigne, amanter solabatur, prudenter admonebat, prompte ac studiose sublevabat; una et assidua eius cura et perpetua cogitatio erat Dei honor, gloria et laus nominis eius, vitiorum ac scelerum destructio, peccantium conversio, animarum salus; id curabat, id satagebat, huc referebat cogitationes omnes et sedulam illam quam pro corporibus proximorum sanandis sublevandisque curam adhibebat.

Virum suis moribus ad bonam frugem reducit.

§ 16. Plures igitur abeuntes in consilia impiorum, et sequentes semitas saeculi, orationibus et suasionibus suis, divinâ operante misericordiâ, ad viam Domini revocavit; et potissimum illud accidit, quod fore Apostolus praedixerat, ut sanctificaretur vir per mulierem fidelem. Nam etiam Iulianum Adurnum virum suum lucrata est Domino, loquens illi sanctis moribus suis, quibus eam Deus pulchram fecerat et reverenter amabilem atque admirabilem. Etenim primum ab eo impetravit ut sibi in castitate vivere liceret; deinde ipse ultro ad illam veniens, collatisque cum eâ consiliis, a viis saeculi recedens, induto habitu Tertii Ordinis sancti Francisci, piam vivendi rationem instituit. Cum autem in postremâ aegritudine suâ, ut erat ad iram proclivis, morbi incommoditatum pertaesus, tantâ esset impatientiâ et indignatione correptus, ut in periculo aeternae salutis versari videretur; id ubi sancta uxor conspexit, ingressa cubiculum suum oravit Dominum qui ventis et tempestatibus imperat, et serenitatem caelo, mari tranquillitatem reddit; et statim ab immortali Deo obtinuit ut tranquillaretur impatiens mariti animus, ut procellosa tempestas sedaretur. Siquidem, nondum finitâ oratione, vir, stupentibus omnibus, mutatus est, et tranquillato animo, submissoque divinae voluntati, patienterque toleratis extremae vitae molestiis ac doloribus, mortem obivit.

Mira eius de salute animarum sollicitudo.

§ 17. Anxia autem Catharinae cura et sollicitudo de salute animarum, et fervor eius charitatis erga proximum, pars exigua erat immensae flammae, qua in Dei amorem exarserat, et qua ex animo refluente in corpus non solum cor vicinaeque partes divini ignis ardore fervere videbantur, sed insuper pars illa cutis, quae cordis regionem ambit, igneo rubore [1] suffusa post felicem eius obitum mortalium oculis apparuit.

Assidua in oratione.

§ 18. Itaque, ubi non vocabat charitas vel aliorum praecepta impellebant, ad orationem redibat, in qua caelestibus fruens contemplationis deliciis, alienabatur a sensibus, et animae, a rerum sensibilium tumultu et perturbatione liberae [2], in suavissimâ quiete supra pectus divini magistri recumbenti, caelestia re-

1 Edit. Main. legit *robore* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *libere* (R. T.).

velabantur secreta, quae intellectus humanus percipere nequit: ineffabilis scilicet divinae sapientiae modus, quo hominum aeternae consulit saluti; humanae caecitatis misera conditio, quae, lacrymabili insaniens aegritudine, oblata sibi repellit remedia, et divina beneficia in suam perniciem vertit; vis superni amoris, gratiae sanctificantis pulchritudo, aeternae beatitudinis gloria. Quae postea a suis interrogata, cum maxime vellet, humanis verbis exprimere nequibat; quod enim mens divino lumine illustrata conceperat, lingua, carneis innodata vinculis, parere non poterat; ut iam illud Apostoli usurpare posset: *Scio huiusmodi hominem, sive in corpore sive extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.*

Qualis amoris aestus in Deum.

19. Ita igitur B. Catharinae assiduae orationis et caelestis contemplationis uberibus inhaerentem charitas erga Deum et erga proximum nutriverat ac roboraverat animum; qui cum iam esset sequendo Deo factus idoneus, ac dicere posset caelesti Sponso: *Trahe me post te, curremus*, et divinae maiestatis sublimitas ex tantâ parte, quantam mortali homini vix ferre licet, sese aperuisset, adeo mirabilis ille charitatis ardor excreverat[1], et tantum divini amoris surrexerat[2] incendium, ut, exustâ omni terrenâ labe, atque interiori homine purgato et sanctificato, caelestis amoris ignis ex animo in corpus exundans vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti et pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, infirmam carnem tanto ferendo ardori imparem fere consumpserit, et iam pene solo spiritu viveret, nec in alio corporis sarcinam sentiret, quam in doloribus et languoribus, quos aestuantis amoris vis atque impetus in eam redundans efficiebat; unde in eâ iam satis appareret quam divine dictum sit: *Ego sum ignis consumens*; et illud: *Ignem veni mittere in terram;* tum etiam: *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Pleno igitur pectore aestuabat et totis flagrabat visceribus Catharina, et animus morarum impatiens ad castissimum caelestis[1] Sponsi ferebatur amplexum, ut saepe, amoris impetu acta, cum Apostolo dicere cogeretur: *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* Nam dulce quidem est vinculum corporis quo ligatus est homo, et ab eo solvi non vult; illa tamen, quia sciebat quid sibi repositum esset, et iam gustaverat primitias spiritus, concupiscebat dissolvi et esse cum Christo, adeout, quod aliis metum ac terrorem ingerit, ipsi gaudio ac solatio esset; si nempe aut de vitâ cum morte commutandâ sermonem audiret, aut si aliquos in nosocomio morientes aspiceret, aut si sacris precibus, aut sancto sacrificio, quod pro mortuis offertur, interesset, internâ quadam laetitiâ et spirituali gaudio afficiebatur. Gemebat enim gemitibus inenarrabilibus in peregrinatione suâ recordans Hierusalem, et elevato atque extento sursum corde, caelestem requirebat patriam, amatam patriam, desideratam patriam, pulchram et sanctam civitatem, et Deum super eam regnatorem et illustratorem Patrem, Dominum sponsum suum, dilectum suum, castas et fortes delicias, beatam requiem et solidum gaudium, unum, summum, verum et sempiternum bonum. Gratulabatur ergo, aliquando solvenda esse vincula carnalium membrorum ut acciperet indumenta et ornamenta virtutum; ponendam esse carnem

1 Aptius Acta SS. habent *excrevit* (R. T.).
2 Aptius ibid. legitur *surrexit* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *caelesti* pro *caelestis* (R. T.).

ut coronam reciperet; discedendum esse a corpore ut cum Deo coniungeretur; migrandum esse e terris ut ad caelum perveniret: felix mutatio, sancta migratio!

In extremum incidit morbum, quod a medicis divinitus immissum noscitur.

§ 20. Verum divinae exequendae[1] voluntati semper intenta, et solum quod Domino placitum esset faciendi cupida et sollicita, eique omne suum desiderium submittens, omnemque cogitationem ad Dei voluntatem conformans, vitam sibi produci non recusabat, ut per diuturna dolorum tormenta conformior fieret imagini Filii sui, quia, sicut socii passionis erimus, ita erimus et resurrectionis. Quare inter huiusmodi suaviter adversantium desideriorum conflictus, novo quodam caelestis amoris angebatur martyrio, quo factum est ut infirma caro inusitatâ quadam et gravi aegritudine, quae postrema fuit, correpta succumberet. Cum autem insolitae infirmitati sanandae nulla remedia proficerent, qui eius salutis curam gerebant, ut omnia experirentur et nihil intentatum relinquerent, convocarunt decem medicorum consilium; qui cum iacentem conspexissent, nec ullum morbi indicium appareret, perpensis causis, quibus aegrotare coeperat, aegritudinis symptomatibus diligenter inspectis, cum nullum ex propinatis remediis prodesset, sed tantum caelestes visiones et sacram Eucharistiam, qua tantummodo refecta per quatuordecim ante obitum postremos dies vitam duxit, prostratis eius[2] viribus solatio et adiumento esse cognovissent, morbi novitate attoniti, quid divinum in mirabili illâ infirmitate manifeste comperientes, in eam convenere sententiam, eius aegritudinem non humanam, nec humanis sanandam remediis, sed eam divinitus immissam, et caelesti animarum medico relinquendam.

Pie moritur.

§ 21. Sexagesimum tertium aetatis suae annum agebat, cum optatum tempus advenit, quo, dissolutis corporei carceris vinculis, ad optatum caelestis Sponsi complexum libera evolaret. Praesentiens igitur iam sibi finem mortalis vitae instare, oculis atque manu caelum indigitans, quo mox profectura erat, verbis illis: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, suavissime pronunciatis, paulo post, magnitudine potius charitatis quam morbi languens, in secreto et mentibus hominum impervio divini amoris silentio placidissime obdormivit in Domino XVII kalendas octobris anno MDX.

Miracula post mortem patrata.

§ 22. Ubi vero beatae Dei famulae mortis rumor urbem Genuensem pervasit, ad sacras eius exuvias in magno nosocomio, ubi decesserat, venerandas, ex omni ordine atque aetate viri et mulieres frequentes confluxere; ibique plurimi solatium quibus angebantur molestiis, quibusque afflictabantur aegritudinibus[1] medicinam eius intercessione invenerunt. Interea corpus eius, quod flexile, incorruptum, rubroque colore circa cor, et vivo omnino simili cernebatur, post aliquot dies in sepulchro in nosocomii ecclesiâ recenter constructo[2] summâ veneratione collocatum fuit. Post duodeviginti menses illo aperto, ut sanctae viduae corpus ad novum tumulum decentius ornatum transferretur, quo ingenti civium multitudini, quae ad illud venerandum accurrebat, fieret satis, repositum est intra sacelli cancellos, quibus confertim irruentium turba arceretur: per octo continuos dies ita permansit, populorum concursu

1 Edit. Main. legit *exequendo* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *cuius* pro *eius* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *aegritudinis* pro *aegritudinibus* (R. T.).
2 Edit. Main legit *constructa* (R. T.).

nunquam deficiente, auctâ praesertim veneratione ex miraculis quae omnipotens Deus circa illud operabatur. Quibus diebus elapsis, in eâdem ecclesiâ ad marmoreum tumulum in sublime erectum delatum est, ubi, miraculis clarum, publicae venerationi expositum, devotionis fervore erga sacras beatae Catharinae reliquias nunquam imminuto, ad nostra usque tempora permansit: divinâ omnipotentiâ testimonium prodigiis dexterae suae perhibente, sibi non perire quod moritur, et mortalium mentibus indicante quantâ in gloriâ esset in caelis anima huius beatae viduae, cuius caro exanimis tam eximiis divinitatis effectibus in terris ornabatur.

*Eius corpus non a Genuensibus solum, sed etiam ab aliis populis in veneratione habitum.*

§ 23. Itaque nedum Genuensium, verum etiam ceterorum populorum erga hanc sanctam Dei servam devotio, et ad sacrum eius corpus venerandum cuiusvis generis et conditionis hominum assiduus concursus fuit.

*Confectis itaque super his omnibus processibus primum auctoritate ordinariâ, deinde ex commissione apostolicâ, servato ordine, processum est ad singularum rerum diligens examen, decreto, etc.*

§ 24. Cultu igitur et veneratione erga illam constanter perseverante, et post centum annorum lapsum percrebescente, post confectos auctoritate ordinariâ processus super eius sanctitate et miraculis, eosque in sacrâ Rituum Congregatione exhibitos, expedita fuit commissio die XXIV mensis maii anno MDCXXXVI ad effectum fabricandi processum auctoritate apostolicâ super cultu immemorabili et casu excepto a decretis felicis recordationis Urbani VIII praedecessoris nostri; illoque absoluto, a bonae memoriae Decio S. R. E. diacono cardinali Azzolini nuncupato, causae relatore, propositum fuit dubium, an sententia ab archiepiscopo Genuensi iudice delegato lata super cultu immemorabili et casu excepto esset confirmanda; et responsum fuit: Constare de casu excepto; proinde praefatam sententiam esse confirmandam. Quod decretum piae memoriae Clemens X pariter praedecessor noster die VI aprilis anno MDCLXXV confirmavit. Praeterea eodem cardinali Azzolino causae ponente, obtenta est die XVII mensis augusti anno MDCLXXXIII facultas conficiendi processum super sanctitate vitae, virtutibus et miraculis, ut ad Beatae canonizationem deveniri posset. Labentibus deinde pluribus annis, ac processu post nonnullas prorogationes ac subrogationes nondum absoluto, suffectoque in ponentem causae bonae memoriae Iosepho Renato Imperiali nuncupato, supplicatum fuit pro concessione officii et missae de eâdem Beatâ, et S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum Congregatio edito decreto, a felicis recordationis Clemente XI praedecessore nostro confirmato, die XIX mensis septembris anno MDCCX concessit ut in civitate Genuensi recitaretur officium et celebraretur missa de communi Viduarum in honorem beatae Catharinae; nec multo post eadem concessio ad totum Ianuensis Reipublicae dominium fuit ampliata; ac tandem approbatum extitit officium et missa propria de eâdem Beatâ cum eiusdem elogio in romano martyrologio apponendo. Completo autem processu super virtutibus, propositoque dubio in praefatâ sacrorum rituum Congregatione, prodiit decretum affirmans, constare de virtutibus in gradu heroico, quod fuit a nobis die XIII mensis maii anno MDCCXXXII confirmatum.

*Examen miraculorum.*

§ 25. Absolutoque etiam altero processu super miraculis, ventum est ad illorum examen; suffecto interim in causae relatorem dilecto filio Georgio tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. presbytero cardinali Spinula nuncupato in locum bonae memoriae Iosephi Renati S. R. E. diaconi cardinalis Imperialis nuncupati, viam universae carnis

ingressi, in Congregatione coram nobis habitâ die II mensis aprilis anno MDCCXXXVII, ex quatuor miraculis propositis, tria sequentia fuere approbata, videlicet: Primum, subitae sanationis Mariae Magdalenae Rizzi; haec enim mulier, in qua a novem circiter annis iniqua vitiati humoris feritas defluxa ad infernos artus non minus quam ad latus sinistrum extensa, quantum vetustate suâ in latere acerbos enutriverat acerbioresque per intervalla cruciatus excitaverat, tantum in tumefactis cruribus liberam motus ademerat facultatem, iamdiu ad incurabiles amandata, quum[1] totâ nocte sanationem praecedente a lateris dolore saevius torqueretur, post invocationem B. Catharinae brevi somno correpta, sana surrexit diluculo, ac liberatrici suae gratias referens, ad consueta benevalentium officia incolumis reversa est: tertium, sanationis repentinae Mariae Franciscae Xaveriae Gentilis patritiae Genuensis, quam et scorbutica aegritudo a tredecim fere annis invaserat, et spirandi difficultas, convulsiones cum nervorum in pedibus attractione, ac vivae lucis omnisque rumoris intolerantia ita vexabant, ut nec ambulare, nec decumbere posset omnino nisi cervicalibus pluriniis fulciretur; quae in spem consequendae salutis erecta, si Beatae exuvias coram ei datum esset venerari, voti compos facta, in gestatoriâ sellâ a Beatae visitatione domum redux, nil haesitans se divinitus perfectam obtinuisse salutem, domesticas scalas animosa conscendere, sedere, surgere, atque ambulare illico coepit, quibus afflictabatur morbis undequaque depulsis: et quartum, instantaneae curationis Blanchae feminae in hospitali incurabilium a viginti quinque annis iacentis, quae, ex antiquâ femoris laxatione, artuum infernorum dexteraeque manus paralysi gravabatur, dum ad Beatae sepulcrum toto spiritus conatu salutem flagitat, repente attractam manum extendit, et utrumque crus imbecille expedite movet, ac graditur, perfectae incolumitati restituta.

§ 26. Denique generali sacrorum rituum Congregatione coram nobis convocatâ, propositâque quaestione, an, stante praefatorum miraculorum approbatione, ad solemnem B. Catharinae Fliscae Adurnae canonizationem tuto posset deveniri, cum venerabiles fratres nostri S. R. E. cardinales praefatae Congregationis sacris ritibus praepositae affirmative respondissent: nos, post humillimas nostras aliorumque fusas ad Deum preces ut in re tam gravi caelestis adiutorii lumen concederetur ex alto, die XIII aprilis anno MDCCXXXVII ad B. Catharinam solemni ritu in Sanctarum album adscribendam procedi posse declaravimus. Postea die VI sequentis mensis maii in concistorio nostro secreto, a dilecto filio Antonio Felice tituli S. Praxedis presbytero cardinali Zondadario nuncupato, praemissorum omnium, quae in causâ acta fuerant, necnon vitae et miraculorum B. Catharinae summatim et apposite relatione factâ, cum reliqui cardinales, qui adfuerunt, idem censuissent; in publico consistorio proxime a nobis habito, auditâ per dilectum filium Gabrielem Serianum, consistorialis aulae nostrae advocatum, disertâ oratione de virtutum excellentiâ vitaeque sanctitate B. Catharinae, tum etiam humillimis supplicationibus quae nobis pro eiusdem Beatae Dei servae canonizatione nomine totius cleri et populi inclytae Genuensis Reipublicae porrigebantur, de re tantâ tamque arduo negotio nos, ut oportebat, cum ve-

Decretum Congregationis Rituum deveniri posse ad solemnem huius Beatae canonizationem.

1 Edit. Main. legit *quam* pro *quum* (R. T.).

nerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, archiepiscopis et episcopis maturius deliberaturos responso dato, eosdem cardinales et episcopos ad implorandum eleemosynis, ieiuniis et orationibus divinum auxilium in Domino hortati sumus. Deinde eorumdem cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe praesentium consistorio semipublico indicto, in quo etiam nostri et Apostolicae Sedis notarii, protonotarii nuncupati, ex numero participantium, et sacri palatii apostolici causarum auditores vocati adfuerunt, iidem cardinales, patriarchae, archiepiscopi et episcopi omnes B. Catharinam ex iis, quae a nobis proposita et in processibus relata fuerant, in Sanctarum numerum adscribendam esse censuerunt. Quorum sententiis auditis, nos, gratias Deo agentes quod ancillam suam per ministerium nostrum honorificari velle dignaretur, canonizationis diem indiximus, omnesque interim, ut eleemosynis, orationibus ac ieiuniis ad nobis caelestem Spiritus Sancti gratiam in tantâ re gravique negotio impetrandam diligenter ac perseveranter insisterent, iterum adhortati sumus.

Omnibus absolutis die XVI iunii eam Sanctam esse definit, assignatâ pro annuâ festivitate die XV septembris.

§ 27. Demum rite omnibus absolutis quae sanctorum patrum auctoritas, sacrorum canonum statuta, S. R. E. antiqua consuetudo in re huiusmodi peragenda praescribunt, hodie, quae fuit dies dominica SS. Trinitatis, in sacrosanctam Lateranensem basilicam decenter ornatam, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, necnon patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanaeque Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus a dilecto filio nostro Nereo S. R. E. diacono cardinali Corsino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum consistorialis aulae nostrae advocatum, et decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio et consensu, B. Catharinam de Flisco viduam, Sanctam esse decrevimus et definivimus, ac Sanctarum catalogo adscripsimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus, illamque universos christifideles tamquam vere Sanctam honorare et venerari mandavimus et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari possint et consecrari, et singulis annis memoria ipsius die XV mensis septembris inter sanctas nec virgines nec martyres piâ devotione recoli debeat.

Canonizationi praesentibus plenariam concedit indulgentiam.

§ 28. Eâdemque auctorirate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus et relaxamus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Ceterae ad hoc peractae solemnitates recensentur.

§ 29. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum dominum Patris sempiterni Filium, et San-

ctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariâ omnium peccatorum suorum indulgentiâ et remissione concessâ, propter corporales nostras infirmitates affectamque valetudinem senilemque aetatem ab eâdem Lateranensi ecclesiâ recessimus, remanentibus in eâ venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, archiepiscopis, episcopis et universo clero et populo: quibus praesentibus, a venerabili fratre nostro Thoma S. R. E. cardinali episcopo Praenestino Ruffo nuncupato, tamquam cardinali in ordine antiquiori, in arâ maximâ praefatae basilicae, ex indulto et de licentiâ nostrâ, solemniter missa cum Sanctae eiusdem nec virginis nec martyris commemoratione celebrata est.

Gratias Deo agit Pontifex.

§ 30. Cum omni autem humilitate aequum est, ut nos pro tam insigni beneficio gratias Deo agamus, et confiteamur Domino dominorum, per quem amici eius coronantur in caelis et honorificantur in terris, et a quo gloria et honos et pax omni operanti bonum; et quoniam Sanctae huius praesidium videmus nobis divinitus comparatum, ineffabilem Dei clementiam obsecremus, ut cuius in terris voluit his nostris calamitosis temporibus gloriam manifestari, eius suffragantibus precibus, per merita et passionem filii sui Christi domini salvatoris nostri faciem suam a peccatis nostris avertens, nos a praesentibus huius mortalis vitae angustiis liberare, et in hoc saeculo caelesti gratiâ suâ, et in futuro aeternâ sanctorum felicitate donare dignetur.

Harum litterarum transumptis ubique credi iubet.

§ 31. Ceterum, quia difficile foret, praesentes nostras originales litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 32. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Ioannem in Laterano, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, XVI kalendas iulii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 iunii 1737, pontif. anno VII.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[1].

† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus episcopus Portuensis cardinalis Ottobonus.

†

† Ego episcopus Sabinensis cardinalis S. Clementis S. R. E. camerarius.

† Ego Ludovicus episcopus Albanensis cardinalis Picus.

† Ego Petrus episcopus Tusculanus cardinalis Corradinus.

†
†
†
†
†
†
†
†
†

1 Heic sequitur forma sigilli ut supra pagina 245 *a* (R. T.).

†
† Ego Georgius tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Spinula.
†
† Ego Ludovicus tituli S. Mariae in Transtyberim cardinalis Belluga.
†
† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ cardinalis Cienfuegos.
† Ego I. B. tituli S. Matthaei in Merulanâ cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Petra, maior poenitentiarius.
†
†
†
† Ego Nicolaus Maria tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Lercari.
†
† Ego Franciscus Antonius tituli S. Sixti presbyter cardinalis Finus.
†
†
†
† Ego frater Vincentius Ludovicus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.
† Ego D. Leander tituli S. Callisti presbyter cardinalis de Porzia.
† Ego P. Aloysius Carafa cardinalis tituli S. Priscae.
†
†
† Ego Franciscus Burghesius cardinalis tituli S. Sylvestri in Capite.
†
†
† Ego Vincentius tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Bichius.
† Ego Ioseph tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Firrao.
† Ego Antonius tituli S. Stephani in Monte Coelio presbyter cardinalis Gentili.
† Ego frater Ioannes Antonius cardinalis Guadagni tituli S. Sylvestri et Martini ad Montes.
† Ego T. cardinalis de Aquaviva tituli S. Caeciliae.
† Ego Dominicus Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Riviera.
† Ego Marcellus tituli S. Mariae in Arâcaeli presbyter cardinalis Passari.
†
†
† Ego Fr. P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Pieri.
†
† Ego Laurentius prior diaconorum S. R. E. cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Agathae in Suburrâ cardinalis Columna.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.
†
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.
† Ego Nerius S. Eustachii diaconus cardinalis Corsinus.
† Ego B. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Ruspulus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†

Antonius card. prodatarius.

*Visa de Curiâ:*

N. Antonellus.
I. B. Eugenius.

---

## CCVI.

*Canonizatio B. Iulianae Falconeriae Tertii Ordinis Servorum B. Mariae Virginis fundatricis.*

**Clemens Episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. § 1. Humanum genus, quod morsu infausti pomi primus parens perdiderat, aeternus Dei filius Christus dominus e captivitate peccati redempturus, formam servi ex virginali utero accipere voluit, atque ita virginis filius, et ipse virgo, virginem sibi copulavit Ecclesiam, cuius fecunditati non obest virginitas, sicut nec fecunditas adimit virginitatem; casta enim et virgo totâ fide, quam nulla haeresis inficit macula, nullus mendax contaminat error, caelestis Sponsi sui sequitur vestigia, laeta numerosâ prole filiorum, quos inexhauste et nunquam senescenti partu quotidie sacri lavacri undis aeternam parit ad vitam; sterilis peperit plurimos, et quae multos habebat filios infirmata est. Sed flos ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiae spiritalis, laudis et honoris, opus integrum atque incorruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, virgines sunt: quae, a carnali concupiscentiâ et a corruptione saeculi recedentes, tam carne quam mente se Deo voverunt; quae, de virginitate suâ gloriam foris non quaerentes, sed spe ad interiora raptae, carnem macerantes ieiuniis, et toto desiderio ad supernam patriam anhelantes, contentae mercede divinâ, laudes contempsêre terrenas; quae, vigiles in praeceptis dominicis, oleum sanctorum operum in vasis habentes, acceptis lampadibus suis obviam caelesti Sponso iverunt, et cum eo intraverunt ad nuptias. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiae matris gloriosa fecunditas, et, licet saeculi crescat iniquitas, non desinit Ecclesia sancta esse in membris, et copiosâ sacrarum virginum prole adversus synagogas satanae quotidie laetari; etenim non parit virgines sacras nisi virgo illa sacra quae desponsata est uni viro casta exhiberi Christo; ex illâ, non totâ corpore, sed totâ virgine spiritu, nascuntur sanctae virgines et corpore et spiritu. Fremat igitur infernalis hostis, et sanctae virginitatis invidiâ lividus contabescat; primae parentis victor se ab infirmis puellis quotidie victum ingemiscat, et caelestem hanc virtutem, quam improbitas assequi nequit, per suos impietatis ministros infamet. Parit Ecclesia quotidie virgines, quas nullâ saeculi contagione coinquinatas offert sponso suo, ut sequantur Agnum quocumque ierit, et quibus os obstruat obloquentium iniqua, et vituperatorum sanctae virginitatis impudentiam confundat. Non deserit enim Deus Ecclesiam suam, neque cessat eam in diem, operans magnalia potentiae suae, novâ sanctorum prole fecundare, et imbecillitati humanae nova semper parare subsidia, dum in servis suis mira proponit imitationis exempla, quorum merita et orationes nostra vult esse suffragia. Fecit nobiscum misericordiam suam benignissimus Deus, et parvitati nostrae concedere voluit, ut sacram virginem Iulianam Falconeriam, quae in eâdem Florentinâ urbe nata est, ubi primum mortalem hanc lucem aspeximus, et quam iam antea plebi suae in gloriâ miraculorum manifestaverat, nos cuncto christiano populo Sanctarum Virginum cultu venerandam apostolicâ auctoritate decerneremus. Itaque manus ad caelum tollentes gratias agimus omnium bonorum largitori, qui inter multiplices tribulationes, quibus ob peccata nostra assidue affligimur, dedit nobis de beatae virginis virtutibus ac meritis laetari, et sanctam eius conversationem et mirabilia divinae gratiae annunciare populis,

ut, cuius sacras exuvias ac religiosas imagines pio devotionis affectu venerantur, pari religionis ardore vitae sanctitatem imitentur. Non enim beatos esse homines censendum est si iustis et sanctis carnis propinquitate iungantur, vel natali solo socientur; sed si eorum doctrinae ac moribus obediendo atque imitando cohaerescant. Nam, sicut fratribus Christi domini, idest secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, nihil profuit illa cognatio; sic et materna propinquitas nihil Mariae profuisset, nisi felicius Christum corde quam carne gestasset.

B. Iuliana ex sterilibus parentibus Florentiae nascitur.

§ 2. Ex Falconeriâ gente perillustri, patre nomine clarissimo, et matre Recordatâ, sterilibus atque in senectutem vergentibus, nata est Iuliana Florentiae, tamquam praemium paternae pietatis, eo tempore in lucem prodiens, quo eius pater Florentinae Reipublicae consulari potestate princeps, in beatissimae Virginis ab Angelo salutatae honorem, magnificum templum Deo optimo maximo extruendum curabat.

Adhuc infans manibus in coelum protensis nomina Iesu et Mariae pronunciat.

§ 3. Sed quoniam fastigium nobilitatis est inter Dei filios computari, nec addere nobis quidquam ad dignitatem terrenae originis decus, nisi contemptu suo, potest; ideo sanctorum nobilitatem caelestemque patriam ab infantiâ inquirens B. Iuliana, splendorem terrenae patriae et originis decus respuendo auxit, contemnendo dilatavit. Nam in ipso nutricis sinu, dum fasciis involvitur, infantiles manus sponte suâ in caelum tendens, mutam adhuc per aetatem linguam in dulcissima Iesu et Mariae nomina dissolvit; scilicet ex abundantiâ cordis sanctissima nomina proferens, quorum amor tenero in pectore latebat, manibus autem in caelum protensis, quasi hominibus indicaret, quo, stadium mortalis huius vitae ingressa, cursum suum, superno spiritu gubernante, dirigeret. Hinc factum est ut puerilia omnia illius aetatis declinans, spiritualibus dumtaxat exercitationibus studeret; quibus in secretiori parte domus, anachoretarum secessus imitata, sedulam adeo navabat operam, ut B. Alexius, Iulianae patruus, unus ex septem Ordinis Servorum Mariae fundatoribus, cuius exemplo et doctrinis instituebatur, in teneris annis grandaevam puellae virtutem admirans, genitrici solitus fuerit dicere, eam non puellam sed angelum peperisse.

Mentis puritatem diligenter custodit.

§ 4. Et quidem mentis puritatem, qua angelicis spiritibus assimilamur, in primis coluit, diligentissime praecavens omnia quae eam laedere possent; tantâ enim modestiâ usa est, ut oculos nunquam in toto vitae cursu ad hominis faciem intuendam erexerit, non monilium aut vestium quaerens ornamenta, sed morum; speculum, aliaque muliebris vanitatis instrumenta semper abhorruit; et ornamento crinium, quod alienae voluntati obsequens adhibere cogebatur, spissis acicularum aculeis infixis ingeniose caput lacerabat, ne inter mundanos ornatus amor vanitatis irreperet, et mentem castam ac puram Deoque dicatam saecularia desideria profanarent.

Saeculares respuit nuptias.

§ 5. Decimum quartum aetatis annum agens, conspicuis sibi propositis nuptiis, toto animo exhorruit purissima virgo, probe sciens, quod mulier, quae nupta est, cogitat quae sunt mundi, quomodo placeat viro; quae vero innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Urgebatur blanditiis et minis consanguineorum; sed forte pectus, quod caelestis[1] Sponsi amor occupaverat, nec mundi illecebrae, nec hominum territamenta expugnare potuerunt. Nam, de suâ infirmitate timens, in auxilium matrem et exemplar

1 Edit. Main. legit *caelesti* (R. T.).

puritatis Deiparam Virginem ferventibus precibus advocat, ac deinde terrenum coniugium, desiderio nuptiarum caelestium, plurimis lacrymis a se deprecatur. Adfuit famulae suae beatissima Virgo, eiusque ope et potenti apud Deum patrocinio, in cuius manu corda hominum sunt, consanguineorum voluntatis Iuliana victrix evasit.

Mantellatarum habitum e manu B. Philippi Benitii suscipit.

§ 6. Ut vero in futurum mundanarum nuptiarum spem omnem suis adimeret, propriis manibus sibi crine reciso, iampridem carnalibus circumcisis desideriis, eligens abiecta esse in domo Patris sui, sacrarum virginum, quas *Mantellatas* vocant, pauperem habitum humillime petiit, exultanter obtinuit. Anno probationis exacto, stetit ad altare Domini hostia pudoris, victima castitatis, et tria solemnia vota, quae iampridem animo conceperat, immortali Deo nuncupavit, adstante Dei sacerdote B. Philippo Benitio, qui sacrum ei velamen, quo amatoribus mundi occultaretur, imposuit. Qui postea proxime futuri sui obitûs certior divinitus factus, Florentiâ Perusium ac deinde Tudertum secedere cogitans, excellentem Iulianae virtutem[1] et sanctitatem compertam habens, eius orationibus nedum sacrarum virginum societatem Tertii Ordinis Servorum B. Mariae Virginis, quae tum exoriebatur, sed universum Servorum Ordinem commendavit, fore praedicens ut ipsa eiusdem Tertii Ordinis caput et fundatrix, leges ei praescribendo, futura esset, simulque monens ne prae animi humilitate delatum sibi munus pertinacius recusaret.

Remanet in domo paterna, ut matri inserviat.

§ 7. Interea devotum Deo pectus, et mens caelesti Sponso dicata, mundana quaeque contemnens, et saecularia cuncta fastidiens, cupiebat elongari fugiens et manere in solitudine, ut, remotis terrenarum rerum turbis, in sanctâ Dei contemplatione quiesceret. Sed retraxit charitas quae non quaerit quae sua sunt, et lex Domini qua filii honorem et cultum parentibus exhibere praecipiuntur. Ideo, ne vidua mater, unicae filiae solatio destituta, moerens solitaria in domo vitam transigeret, debita parenti pietatis et servitutis officia, quoad vixit, praestare non detrectavit. Remansit igitur in saeculo, ut saeculum virtutem edoceret; ibi enim adeo pie sancteque vitam instituit, adeo bonis omnibus virtutum operibus mundo praeluxit, ut complures nobiles virgines ac matronas, saecularibus pompis repudiatis, ad Deo serviendum in eodem religioso instituto exemplo suo provocaverit. Quin mater ipsa, sublimis virtutis et christianae sanctitatis pulchritudinem in Iulianâ admirata, se filiae suae in iustificationibus Domini et sequendis semitis eius pie erudiendam instituendamque dedit.

Virginibus Mantellatis regulas scribit.

§ 8. Cum autem ancillarum Dei societas ad eum numerum excrevisset, ut conveniens esse videretur eis, in unum coetum adunatis, aliquam vivendi formam ac regulam praescribi, nulla aptior ad huiusmodi grave opus explendum, ipso B. Philippo Benitio, dum viveret, praemonstrante, iudicata est, quam Iuliana, quae iam imaginem secundi hominis, qui de caelo est, in se portabat: hanc enim virginitas portat, portat integritas, sanctitas portat et veritas. Itaque sapientiam edocta, sapientiam vero non huius saeculi, neque principum huius saeculi, qui destruuntur, tam prudentes ac sapientes regulas condidit, ut huius Apostolicae Sedis auctoritate meruerint approbari. Custos virginitatis charitas est, locus autem huius custodis humilitas, ibi quippe habitat qui dixit, super humilem et quietum et trementem verba sua requiescere spiritum suum. Itaque ancilla Dei, pede humilitatis ad

1 Edit. Main. legit *virtutum* (R. T.).

sublimia virtutum ascendens, quanto magis in sanctitate proficiebat, tanto magis se humiliabat in omnibus, ut coram Deo inveniret gratiam. Defunctâ igitur matre, a iugo piae servitutis libera, nudis pedibus, fune ad collum alligato, ad sanctimonialium, quas ipsa instituerat, domum convolavit; ibique coram omnibus genuflexa, quae omnium erat mater, tamquam addictissima serva, ut in eorum consortium admitteretur, humillimis precibus efflagitavit. At vero sacrae virgines, profundam magistrae suae humilitatem et sublimem virtutem admiratae, unanimi consensu ei monasterii regimen detulere; quod ipsa invita et reluctans, sed tandem superiorum cedens iussibus, suamque submittens voluntatem, accepit, tamtumque oneris ob humilitatem recusatum, ex obedientiâ susceptum, prudentiâ gessit, charitate administravit.

Sacrarum virginum monasterium ingressa, alias verbis et exemplo edocet.

§ 9. Nam corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, orandi studiosior, nunquam otiosa, aut[1] operi manuum intenta, solita quae Dei sunt, non quae sua, quaerere, offendere neminem, iuvare omnes, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem[2], facta est forma sui parvi gregis, instruens verbo et exemplo. Etenim frequenter filias suas monere solebat, Deiparam Virginem prae oculis semper habendam esse tamquam perfectissimum virginitatis exemplar, in quo velut in speculo refulget species castitatis et forma virtutis; hinc sumenda exempla vivendi, ubi expressa magisteria probitatis, quid corrigi, quid evitari, quid tenere oporteret, ostenderent: dolorosae earum matri, Dei scilicet genitrici, ut similiores efficerentur, amandam esse potius domum luctûs, quam domum convivii; spernendam esse vestium vanitatem, ut B. Virginis religioso habitu digniores fierent; militiam esse vitam hominis super terram, ideo semper ad pugnam paratas esse debere; amatorum mundi irrisiones et obtrectamenta, quibus feminae Deo dicatae impetuntur, animae lucrum aestimanda esse, ideoque Apostoli verba animo perpetuo retinenda: *si hominibus placerem, Christi servus non essem;* recte ab eis factum, non semper ab aliis laudatum iri; malum autem magis in Mariae ancillis quam in ceteris mulieribus exagerandum fore, pro certo haberént; otium ut pestem fugere et aliquid indesinenter operari curarent, vacuum enim desidiosumque pectus vanis cogitationibus et diabolicis insidiis patere; arbitrum mentis non hominem, sed Deum quaerendum; mundi plausus declinandos esse; non a creaturis, sed a solo Deo in afflictionibus solatium, in recte factis laudem ac praemium expectarent; nihil arduum ac insolitum sine praevio maturoque consilio aggrediendum, humanaeque prudentiae dictamen respuendum esse, ubi divinae legis praescripto adversatur; charitatem vero, quae nulli inimica, omnibus mater est, inter sorores ita servandam esse, ut nulla divitum vel pauperum, nulla nobilium aut ignobilium, nulla denique personarum discretio fieret. His atque aliis fidelis et prudens Dei ancilla, quam constituerat Dominus super familiam Matris suae, assiduis virtutum documentis, ad currendum in viâ Domini filias suas muniebat.

Humilitate ceterisque virtutibus excellit.

§ 10. Ipsa autem luce suarum virtutum omnibus praeibat, et angelicâ quadam modestiâ, admirabili mansuetudine, singulari animi demissione secum ad Deum alias rapiebat. Memor verborum Christi domini, qui fecit et docuit dicens discipulis suis: *Qui maior est in*

1 Pro *aut*, fors. legend. *semper autem* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *virtutum* (R. T.).

*vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator*, quas dignitate anteibat, honore sibi praeferebat, humillima quaeque monasterii munia obibat, infirmas omni officiorum genere fovebat, aliarum voluntati obsequebatur, molestias patienter ferebat, consilia libenter auscultabat, stabilis in fide, humilis in timore, ad omnem tolerantiam fortis, ad sustinendam iniuriam mitis, ad faciendam misericordiam facilis: amabat paupertatem, prosequebatur obedientiam, custodiebat virginitatem adeo religiose, ut ad extremos usque digitos sorores suas manicatas incedere voluerit; ipsa vero adeo verbis, vultu, habitu, incessu modesta fuit, ut externa corporis species simulacrum esset mentis, humilitatis forma, imago integritatis.

Poenitentiae operibus corpus suum in servitutem redigit.

§ 11. Iustitiâ nostrâ, non cruciatibus, delectatur Deus: sed contra illecebras saeculi, contra rebellantis concupiscentiae impetus, contra minaces fremitus invisibilium inimicorum non corporis fortitudine nec carnis est saturitate certandum; cum hoc maxime hominis interiora corrumpat, quod exteriora delectat; et tanto fiat rationalis anima purgatior, quanto fuerit substantia carnis afflictior. Itaque haec beata virgo, quae fuit una de numero prudentum, ducta a Spiritu Sancto in desertum poenitentiae, severum hunc vitae tenorem a primis adolescentiae annis ad mortem usque constanti in proposito voluntate retinuit. Sive frigus hiemale glaceret, sive calor arderet aestivus, rudi semper vilique panno reliquum corpus induta, pedibus nudis incedebat. Vino a pueritiâ abstinuit; eo uti vel obedientia vel necessitas cogeret, ita aquâ diluebat, ut omnem prorsus vini saporem adimeret; crura et brachia nodosis funibus, virgineos autem lumbos aculeatâ ferreâque zonâ tam arcte constrinxerat, ut, ad eam e defunctae corpore extrahendam, superinductam carnem resecare necesse fuerit; aspero cilicio vestiebat corpus suum in servitutem redigens, et quotidianas insuper addebat flagellationes, ut pene exanimis quandoque deficere videretur; praesertim feriâ qualibet secundâ durius carnem suam ieiuniis flagrisque affligebat, offerens se divinae iustitiae pro animabus in igne purgatorio detentis hostiam placationis per merita unius mediatoris domini nostri Iesu Christi; feriâ vero quartâ et sextâ in Christi passionis memoriam ab omni semper abstinuit cibo, caelesti Eucharistiae pane duntaxat refecta; singulis autem sabbatis in honorem B. Mariae Virginis, quam eius sectando virtutes impense coluit, modico tantum panis frusto et frigidae aquae potu corpus sustentabat; reliquis autem diebus, vilissimis cibis usa est, et quibus non famem satiaret, sed mortem repelleret.

In divinarum rerum contemplatione noctes pene integras impendit.

§ 12. Discipula autem divini magistri, qui, manens in terris, non habebat ubi caput reclinaret, super nudâ humo, et, ubi aliquantulum aegro corpori indulgendum esset, rudi super storeâ somnum brevissimum capiebat; reliquum vero noctis in divinarum rerum contemplatione, praecipue vero in Christi eiusque sanctissimae Matris doloribus meditandis impendebat, quos tam ardenti perferendi desiderio incensa fuit, ut, ab eâdem Dei Matre, poenarum, quas in unigeniti Filii morte passa fuit, particeps[1] fieri, iugiter efflagitaret, cupiens se passionum sociam esse, ut esset et consolationis; nec abnuit votis ancillae suae Regina martyrum, tantumque dolorum[2], tamque acrem sensum ei a Filio impetravit, ut, veluti cruci affixa, quandoque pene mori videretur, atque in eius castissimo pectore

1 Ita habet edit. Main. (R. T.).
2 Videtur legendum *dolorem* (R. T.).

et poenarum acerbitate et amoris divinâ dulcedine alternante, dicere saepe consuevisse traditur: *Nemo de corde meo rapiat amorem meum crucifixum.*

Frustra diabolicis insidiis impetitur.

§ 13. Spiritualibus igitur abstinentiae et poenitentiae armis munita, quibus vitiorum omnium incentiva exciderat, ingressa est generosa virgo ad pugnam contra infernales nequitias, contra antiquum serpentem irreconciliabilem humani generis inimicum. Siquidem invisibilis hostis filiorum Adam, qui, stimulante invidiae livore, primo homini gratiam datae immortalitatis eripuit, non destitit et occultis insidiis et aperto bello sanctissimam virginem per plures annos impetere ut a sancto virginitatis et religionis proposito averteret, et eâdem ruinâ, qua ipse perditus est, involveret. Modo enim impurissimis suggestionibus purissimam sanctae virginis mentem polluere, modo terribilibus spectris fortissimum animum terrere tentavit, modo crudelissimis ictibus efferatam rabiem ac furorem suum in eam effudit. Quadam die, cum castissimum pectus totis infernalis nequitiae viribus expugnare aggressus esset, et vehementissimo eius incursu virginea mens turbaretur, et iam humana nutaret infirmitas, subito Dei offensae horrore correptam et impetu divini amoris actam ex imo pectore ferunt exclamasse: *Exple, Domine, exple sitim crudelis hostis, meque in infernum deiice; aeternum cruciabor quidem, sed te non offendam.*

Infernalis hostis conatus assiduâ oratione superat.

§ 14. Nihil igitur veteres profuere artes, nihil profuit infernalis astutia, sed irriti ceciderunt diabolici conatus, et virgineum pectus divinâ gratiâ armatum infernalia tela ferire non potuerunt: ut enim potentis inimici tutius superaret insidias, et frementis hostis facilius repelleret impetus, Deo per orationem, quam ad decem usque, saepe ad viginti, nonnunquam ad vigintiquatuor horarum spatium protrahebat, frequentissime uniri studebat. Ex intimâ autem cum Deo unione factum est ut tam immenso divini amoris flagraret incendio, ut extremo in Dei offensam exardescens odio, ad solum peccati nomen tota contremisceret; quin imo quadam die, sceleris cuiusdam narratione auditâ, tanto perculsa dolore est, ut prope examinis corruerit.

Alios a vitiis et peccatis avocare studet.

§ 15. Flagranti autem charitate, qua Deum amabat, complectebatur et proximos, quos a divinis offensis avertere sedulâ curâ, sollicitâque industriâ, omnique animi conatu satagebat. Itaque, ex aliorum peccatis maximo animi concepto dolore, aliena crimina severis in se animadversionibus copiosisque lacrymis ulciscebatur. Et quoniam compertum habebat ex publicis dissidiis intestina odia nasci, atque inde multa gigni scelera et peccata, civiles discordias hortationibus et consiliis compescuit, et dissidentes ad pacem et amicitiam revocavit. Praeterea matronarum luxum et vanitatem coërcuit, multos ad poenitentiam adduxit, plurimos virtute firmavit, omnes verbis aedificavit et exemplo; Pauperes et infirmos summâ miseratione et charitate a teneris annis complexa est; nam adhuc adolescentula nudos cooperire et famelicos pascere, propriis vestibus exutis, et pretiosioribus e mensâ dapibus detractis, consuevit, iam tunc in parvo praemeditans cuncta contemnere et sua simul universa largiri. Nam postea, sui iuris facta, paternam maternamque haereditatem ad pauperum et servorum Mariae inopiam sublevandam impendit. Insuper opulentas feminas ad proprias in egentium alimoniam opes distribuendas suasionibus et exemplo perduxit.

Non solum

§ 16. Publica nosocomia, dum in aedi-

proximorum animis, sed etiam corporibus sanandis operam praebet.

bus maternis habitabat, frequentans, et aegrotantium inserviens necessitatibus, eos verbis animabat ad patientiam, doctrinis instruebat ad pietatem. Quare, ut benignissimus Deus eximiam servae suae virtutem in oculis hominum illustriorem redderet, aegrotos ad eius manum contactum saepe pristinae sanitati restituit. Aliis etiam gratiae donis eam insignivit; inter cetera, ut eos, qui virginitatem colerent, ex mirâ odoris fragrantiâ cognosceret.

Caelestibus fruens deliciis eamdem animi modestiam servat.

§ 17. In orationibus autem tantâ caelestis dulcedinis suavitate animus eius perfundebatur, ut in frequentes exstases, corpore e solo in altum sublato, raperetur. At vero illud omnium animos in admirationem sui atque amorem trahebat, quod, inter tam insignia divinae gratiae dona et admirantium eius virtutem laudes, eamdem semper modestiam, mansuetudinem et humilitatem servavit, ut, quanto altius virtutum incremento eveheretur, tanto demissius humilitatis profunditate descenderet.

Ad extremum vitae redacta refici Eucharistiâ desiderat.

§ 18. Demum continuatis ieiuniis, diuturnisque carnis macerationibus, tum etiam ob senilem aetatem, quippe septuagenariâ maior, debilitati stomachi morbo graviter affecta, cumque in dies ingravescentem hilari semper vultu constantique animo perferens, ad ultimum spiritum redacta est. Cum autem, extremae unctionis et poenitentiae sacramentis receptis, sacram Eucharistiam ob indignantis stomachi vitium sibi denegari intellexit, maximum in modum doluit sacra Dei ancilla in extremo illo agone communione corporis et sanguinis Christi destituta procedere ad pugnam, et sanctissimo viatico minime refecta ex hac mortali vitâ proficisci, et denique in ultimo vitae momento a dilectissimo Sponso suo quodammodo separari; et ab evangelici patrisfamiliâs coenâ, et a regalibus nuptiis, nullâ suâ culpâ, sed solâ vi morbi, excludi, graviter ingemuit.

Caelestis panis supra eius pectus positus miro modo interiora penetrans ex adstantium oculis disparuit et paulo post beata virgo migravit in caelum.

§ 19. Ut vero amantissimi cordis sui angustiis lenimentum aliquod adhiberet, fratrem eiusdem Ordinis Servorum B. Mariae confessarium suum rogavit, ut, sacrâ pixide ad se delatâ, aspectu saltem augustissimi sacramenti dolorem animi sui solaretur. Obsequente eius voluntati sacerdote, statim ac eucharisticus panis illo deferente apparuit, Iuliana, viribus destituta, sed ferventis charitatis robore sustentata, se in formam crucis super terram Dominum suum adoratura prostravit, eiusque facies, antea squalore morbi et macie deformata, angelico quodam decore honestata eluxit. Sed praesentiâ sanctissimi corporis Christi immensae charitatis exaggerato potius quam restincto ardore, orat ut sibi liceat divinissimum sacramentum deosculari; renuente autem sacerdote, supplex iterum efflagitat, ut supra pectus suum candido expanso velo sacra hostia ponatur. Voti compos effecta est; sed panis ille caelestis, ubi virgineum attigit pectus, statim, ut credibile est, interiora sponsae suae pectoris arcana penetrans, ex adstantium oculis disparuit; illa vero eodem temporis momento caelestem sponsum dulciter compellans, ac dicens: *Dulcis mi Iesu,* inter castissimos divini sponsi complexus felicem animam Deo reddidit XIII kalendas iulias anno Christi MCCCXLI.

Circa sinistrum pectoris latus forma hostiae carni impressa reperitur.

§ 20. Dum vero sacrae virginis corpus a suis sororibus, ut fieri solet, curabatur, inventa est circa sinistrum pectoris latus hostiae forma carni veluti sigillo impressa, quae Christi crucifixi imaginem referebat; ita divinâ operante omnipotentiâ, ut imago Christi crucifixi, quem vivens mente et corde semper gestaverat, defunctae in corpore a morta-

lium oculis conspiceretur, veluti signaculum divini amoris dilectam hortantis et dicentis: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

Vulgato eius mortis nuncio, magnus fit populi concursus, et multi ad eius feretri seu vestis contactum sanantur.

§ 21. Ubi autem felix beataque Iulianae mors audita est, famâ eius sanctitatis et novo atque inaudito sacrosanctae hostiae miraculo excitata tota ferme Florentina civitas per plures dies ad Virginis Mariae Annunciatae basilicam confluxit, sacrum virginis corpus Spiritus Sancti templum veneratura. Ut vero benignissimus Deus ancillam suam, quam caelesti et immarcessibili gloriâ donaverat, gloriosam quoque in terris efficeret, ad solum illius feretri aut vestis contactum infirmos plurimos a variis morborum generibus mirabiliter liberavit. Quamobrem, ab eiusdem obitûs die usque in praesens et miraculis illustris et beatae sanctaeque nomine nuncupata, populis ad eius sacras colendas exuvias undique confluentibus in cultu numquam intermisso habita est. Nec solum in Etruriâ, sed in multis etiam orbis christiani provinciis ancilla Dei summâ iamdiu veneratione colitur; ubi quoque plura sacrarum virginum monasteria Iulianam veluti matrem suam ac Tertii Ordinis Servorum Mariae institutricem venerantur, eiusque regulam a felicis recordationis Innocentio Papa VIII et Martino Papa V, praedecessoribus nostris, anno MCDXXIV, XVII kalendas aprilis, approbatam profitentur: quin etiam felicis recordationis Paulus V praedecessor noster, in suis litteris in formâ Brevis datis IV idus maii anno MDCVIII ad clarae memoriae Iulianam Gonzagam archiducem Austriae praefati Ordinis professam et in Germaniâ restauratricem, Beatae atque eiusdem instituti Patronae titulo Iulianam condecoravit.

Acta canonizationis.

§ 22. Famâ vero illius sanctitatis ac miraculorum in dies percrebescente, anno sexcentesimo sexagesimo septimo supra millesimum a piae memoriae Clemente IX signata fuit commissio introductionis causae canonizationis, ad effectum etiam recognoscendi, ut cautius in re tam gravi procederetur, eius virtutes et miracula. Ac deinde anno MDCLXXIII, super eiusdem cultu immemorabili et casu excepto, processu Florentiae fabricato, iudicis delegati sententia pro cultu immemorabili et casu excepto emanavit, quae ad relationem bonae memoriae Decii S. R. E. diaconi cardinalis Azzolini nuncupati habitam diebus IX et XXVII mensis iulii anno sexcentesimo septuagesimo octavo supra millesimum a Sede Apostolicâ confirmata fuit. Felicis autem recordationis Innocentius XII diebus X mensis ianuarii et XVII octobris anni MDCXCIII universo Ordini Servorum B. Mariae Virginis et Florentinae civitati facultatem indulsit de illâ celebrandi missam et officium de communi virginum sub ritu semiduplici; quam deinde anno supra millesimum septingentesimo decimo octavo, die X mensis septembris, ad ritum duplicem elevavit piae recordationis Clemens XI praedecessor noster, eo quod B. Iulianam Tertii Servorum Ordinis fundatricem fuisse compertum habuit. Anno denique MDCCXXVIII, die XX mensis martii, a felicis recordationis Benedicto XIII praedecessore nostro approbatae fuerunt lectiones propriae eiusdem officii cum hymno et oratione, dieque VII mensis augusti eiusdem anni B. Iulianae nomen cum elogio inscriptum est in martyrologio romano.

Examen miraculorum.

§ 23. Interea temporis, causâ eiusdem canonizationis in sacrâ Rituum Congregatione mature discussâ, anno MDCCXXV, die V mensis februarii, ab eodem Ponti-

fice decretum fuit ita constare de virtutibus eius theologalibus et cardinalibus ut recte pergi possit ad discussionem miraculorum. Quibus subinde in eâdem sacrâ Congregatione, ut moris est, ad examen vocatis, denique, die VIII mensis septembris, Nativitati B. Mariae Virginis sacrâ, anno MDCCXXIX, idem sanctae memoriae Benedictus XIII ex novem propositis miraculis quatuor sequentia solemni decreto probavit, videlicet: Primum, instantaneae sanationis sororis Felicis Fortunatae de Sardis monialis professae in monasterio S. Benedicti civitatis Pisarum ab affectionibus hystericis, convulsionibus atrocissimis, et febri per quindecim annos continuâ, in tertio genere; secundum, odoris suavissimi promanantis a reliquiâ B. Iulianae, consistente in unâ ex eius costis, in secundo genere; tertium, instantaneae sanationis patris F. Horatii Riminaldi Ordinis Servorum B. M. V. ab apoplexiâ seu paralysi et attractione nervorum; et quartum, instantaneae emissionis fetus in utero Mariae Magdalenae Cittadelli a pluribus diebus iam mortui, iisque in tertio genere.

Quod procedi possit ad canonizationem.

§ 24. Proposito demum in aliâ generali sacrorum rituum Congregatione coram supra laudato Pontifice die IV mensis octobris anni MDCCXXIX a venerabili fratre nostro Ludovico episcopo Albanensi S. R. E. cardinali Pico de Mirandula nuncupato, subrogato in locum bonae memoriae Iosephi Renati presbyteri cardinalis, dum viveret, tituli S. Laurentii in Lucinâ Imperiali nuncupati, ponentis seu relatoris, altero dubio, quod in hac causâ supererat, nimirum, an, stante approbatione praedictorum quatuor miraculorum, tuto quandocumque procedi possit ad solemnem B. Iulianae canonizationem, omnibusque tam consultoribus quam S. R. E. cardinalibus affirmative respondentibus, idem Pontifex praedecessor noster, post imploratam de more Sancti Spiritus assistentiam, die V eiusdem mensis et anni decretum de eiusdem Beatae canonizatione suo tempore et loco peragendâ pronunciavit. Cum vero idem Benedictus XIII humanae peregrinationis viam complevisset, nosque nullis nostris meritis, sed solâ divinae gratiae dignatione ad Ecclesiae gubernacula vocati essemus, ad augumentum divini honoris, et sanctae Ecclesiae utilitatem pertinere arbitrati sumus, ut, quod praefatus praedecessor noster faciendum sibi proposuerat, ad effectum et complementum perduceremus. Non plurimum etiam ad praesentium temporum calamitatem levandam interesse existimavimus, si christifidelium devotio erga sanctos et electos Dei, qui pro nobis in tantis necessitatibus intercederent, augeretur.

Supplicantibus pluribus catholicis regibus, ac principibus et universo Ordine Servorum B. Mariae Virginis et ipsa familia Falconeria in sanctarum virginum numerum adscribitur.

§ 25. Mandavimus itaque, ut, omnibus, quae in causâ acta fuerant, diligenter inspectis et recognitis, relatio eorum nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio fieret. Itaque die VI maii praesentis anni in consistorio nostro secreto dilectus filius noster Antonius Felix tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Zondadarius nuncupatus totius processûs summam, ac suam aliorumque cardinalium sacris ritibus praepositorum sententiam, necnon vitae sanctitatem et miracula B. Iulianae accurate et luculenter exposuit: quibus auditis, reliqui omnes cardinales, qui aderant, ad ulteriora fore procedendum communi suffragio pronunciarunt. Cum igitur in publico consistorio proxime a nobis convocato dilectus filius Nicolaus Maria Sacripantes consistorialis aulae nostrae advocatus pro eius canonizatione eleganter perorasset; ac, nomine diversorum ca-

tholicorum regum et principum, et praesertim universi Ordinis fratrum servorum B. Mariae Virginis, et ipsius familiae Falconeriae, ut ad eam procedere dignaremur, humiliter supplicasset: nos, de re tantâ venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales et episcopos in Curiâ praesentes consulturos esse respondimus; atque interim cardinales atque episcopos, qui aderant, in visceribus Christi hortati sumus, ut, orationibus instantes, in ieiuniis et eleemosynis animos suos coram Deo nobiscum humiliantes, precibus a Deo patre luminum exposcerent, ut ex alto super nos lucem et veritatem suam emitteret, quae nos ad voluntatem et beneplacitum eius cognoscendum et perficiendum deduceret.

Consistorium semipublicum.

§ 26. Itaque in semipublico consistorio, quod deinceps congregatum est, advocatis non modo cardinalibus, sed patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Curiâ nostrâ existentibus, intervenientibus etiam nostris ac Sedis Apostolicae notariis, protonotariis ex numero participantium nuncupatis, ac sacri palatii apostolici causarum auditoribus, cum a nobis de eximiâ sanctitate ancillae Dei ac miraculorum celebritate, quae necessaria videbantur, commemorata fuissent, omnes concorditer ac uno ore benedicentes Deum amicos suos honorificantem in terris et coronantem in caelis, B. Iulianam in sanctarum virginum numerum adscribendam esse censuerunt. Quorum omnium audito consensu, intimo cordis affectu exultavimus in Domino, gratias agentes Deo et filio eius domino nostro Iesu Christo, quod Ecclesiam suam non derelinqueret, sed gloriâ sanctorum suorum illustrare et patrocinio munire dignaretur. Canonizationis itaque indiximus diem, eosdemque fratres ac filios nostros monuimus ut in orationibus et eleemosynis perseverantes a divinâ benignitate impetrarent ut in tanto opere exequendo splendor domini Dei nostri esset super nos, qui opus manuum nostrarum ad perficiendam eius voluntatem dirigeret.

Solemnitas canonizationis.

§ 27. Demum, rite omnibus absolutis quae ex sacris constitutionibus, Romanaeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie, quae fuit dies dominica SS. Trinitatis, in sacrosanctam Lateranensem basilicam decenter ornatam, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, nec non patriarchis, archiepiscopis et episcopis, Romanaeque Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero saeculari et regulari, ac maximâ populi frequentiâ, convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus a dilecto filio nostro Nereo S. R. E. diacono cardinali Corsino nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per dilectum filium Thomam Antamorum consistorialis aulae nostrae advocatum, et decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratiâ humiliter imploratâ, ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae, et christianae religionis augmentum, auctoritate domini nostri Iesu Christi, beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostrâ, maturâ deliberatione praehabitâ, et divinâ ope saepius imploratâ, ac de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in Urbe existentium consilio et consensu, B. Iulianam Falconeriam sanctam esse decrevimus et definivimus, ac sanctorum catalogo adscripsimus, prout tenore praesentium similiter decernimus, definimus et adscribimus, illamque universos cristifideles tamquam vere sanctam honorare et venerari mandavimus

et mandamus, statuentes ut ab universali Ecclesiâ in eius honorem ecclesiae et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari possint, et singulis annis die XIX mensis iunii, qua ad caelestem gloriam vocata est, inter sanctas virgines non martyres piâ devotione recoli debeat, eâdemque auctoritate omnibus christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui annis singulis eodem festo die ad sepulchrum, in quo eius corpus requiescit, visitandum accesserint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis aut aliàs quomodolibet debitis poenitentiis misericorditer in Domino relaxavimus ac relaxamus in formâ Ecclesiae consuetâ.

Gratiarum actio.

§ 28. His peractis, Deum Patrem aeternum, regemque gloriae Christum dominum Patris sempiterni Filium, et Sanctum Paraclitum Spiritum, unum Deum unumque Dominum, laudibus et confessionibus venerati, sacroque hymno *Te Deum* solemniter decantato, omnibusque christifidelibus tunc praesentibus plenariâ omnium peccatorum suorum indulgentiâ et remissione concessâ, propter corporales nostras infirmitates affectamque valetudinem senilemque aetatem ab eâdem Lateranensi ecclesiâ recessimus, remanentibus in eâ venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus, archiepiscopis et episcopis, et universo clero et populo; quibus praesentibus, a venerabili fratre nostro Thoma S. R. E. cardinali episcopo Praenestino Ruffo nuncupato, tamquam cardinali in ordine antiquiori, in arâ maximâ praefatae basilicae, ex indulto et de licentiâ nostrâ, solemniter missa cum sanctae eiusdem virginis non martyris commemoratione celebrata est. Decet autem ut pro tam insigni beneficio cum omni humilitate benedicamus et glorificemus Deum, cui omnis honor et gloria et potestas in saecula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut, per intercessionem electae suae, non secundum peccata nostra faciat nobis, sed infinitam bonitatem suam respiciens, et indignationem suam avertens a culpis nostris, ostendat nobis lucem misericordiarum suarum, et immittat timorem suum super gentes quae non cognoverunt eum, eum[1] ut cognoscant quia non est alius Deus nisi Deus noster.

Fides transumptorum.

§ 29. Ceterum, quia difficile foret, praesentes nostras litteras ad singula loca, ubi opus esset, deferri, volumus ut earum exemplis, etiam impressis, manu tamen publici notarii subscriptis, et sigillo alicuius personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem ubique fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si essent exhibitae et ostensae.

Sanctio poenalis.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, definitionis, adscriptionis, mandati, statuti, concessionis, elargitionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Ioannem in Laterano, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, XVI kalendas iulii, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 16 iunii 1737, pontif. anno VII.

✠ EGO CLEMENS
CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS[2].

† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus.

† Ego Petrus episcopus Portuensis cardinalis Ottobonus.

1 Vox *eum* redundare videtur (R. T.).

2 Eadem forma sigilli ut sup. p. 245 (R. T.).

†
† Ego episcopus Sabinensis cardinalis S. Clementis S. R. E. camerarius.
† Ego Ludovicus episcopus Albanensis cardinalis Picus.
† Ego Petrus episcopus Tusculanus cardinalis Corradinus.
†
†
†
†
†
†
†
†
†
†
† Ego Georgius tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Spinula.
†
† Ego Ludovicus tituli S. Mariae in Transtyberim cardinalis Belluga.
†
† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ cardinalis Cienfuegos.
† Ego I. B. tituli S. Matthaei in Merulanâ cardinalis de Alteriis.
† Ego Vincentius tituli S. Petri ad Vincula presbyter cardinalis Petra, maior poenitentiarius.
†
†
†
† Ego Nicolaus Maria tituli Ss. Ioannis et Pauli cardinalis Lercari.
†
† Ego Franciscus Antonius tituli S. Sixti presbyter cardinalis Finus.
†
†
†
† Ego frater Vincentius Ludovicus tituli S. Pancratii presbyter cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.
† Ego D. Leander tituli S. Callisti presbyter cardinalis de Porzia.
† Ego P. Aloysius Carafa cardinalis tituli S. Priscae.

†
†
† Ego Franciscus Burghesius cardinalis tituli S. Sylvestri in Capite.
†
†
† Ego Vincentius tituli S. Laurentii in Pane et Perna presbyter cardinalis Bichius.
† Ego Ioseph tituli S. Thomae in Parione presbyter cardinalis Firrao.
† Ego Antonius tituli S. Stephani in Monte Celio presbyter cardinalis Gentili.
† Ego frater Ioannes Antonius cardinalis Guadagni tituli S. Sylvestri et Martini ad Montes.
† Ego T. cardinalis de Acquaviva tituli S. Caeciliae.
† Ego Dominicus Ss. Quirici et Iulittae presbyter cardinalis Riviera.
† Ego Marcellus tituli S. Mariae in Arâcaeli presbyter cardinalis Passari.
†
†
† Ego frater P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Pieri.
†
† Ego Laurentius, prior diaconorum, cardinalis de Alteriis.
† Ego Carolus S. Agathae in Suburrâ diaconus cardinalis Columna.
† Ego Fabius Ss. Viti et Modesti diaconus cardinalis Oliverius.
†
† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.
† Ego Nicolaus S. Mariae ad Martyres diaconus cardinalis Iudice.
† Ego Nerius S. Eustachii diaconus cardinalis Corsinus.
† Ego B. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Ruspulus.
†
†
†
†
†
†
†
†

†
†
†

*Loco † plumbi.*

A. card. prodatarius.
Pro domino card. Oliverio
Caietanus Amatus.

*Visa de Curiâ:*
N. Antonellus.

Reg. in Secret. Brevium.

---

## CCVII.

*Beatificatio servi Dei Iosephi a Leonissa sacerdotis expresse professi Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pastorum princeps Iesus Christus, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, quemadmodum nova semper in Ecclesiâ suâ instaurat exempla virtutum, et de terrâ nostrâ novos sibi suscitat et erigit servos, ut collocet eos cum principibus populi sui, et solium gloriae teneant in caelis, ac tanquam stellae fulgentes in perpetuas aeternitates illuminent his qui in tenebris et in umbrâ mortis sedent ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Ita nos debitum sacrosancti apostolatûs nostri officium ducimus, et catholicae religioni magis adaugendae et christifidelibus ad pietatem amplius excitandis in hac temporum conditione valde opportunum, ut, benignitatem Dei nostri et memoriam sanctitatis eius in virtutibus ac meritis servorum suorum extollentes ac praedicantes, eorum praesertim debitae venerationis cultum promovere satagamus, qui, postquam lubricum inter blandientis mundi illecebras pueritiae iter mirâ cum morum innocentiâ confecissent, arduum perfectionis curriculum sub severioris disciplinae instituto ineuntes, non solum dignos in pietatis et doctrinarum palaestrâ progressus fecerunt, verum etiam, verbo et exemplo facem ceteris praeferentes, adeo incredibili divinae gloriae et animarum salutis procurandae zelo exarserunt, ut, omnes Christo lucrifaciendi causâ, labores, ludibria, verbera, cruciatus ac mortem ipsam christianâ fortitudine contemnentes, tandem evolarunt ad coronam legitime certantibus repositam in caelis a bonorum omnium largitore Deo, qui servorum suorum agones ac labores, laudabiliter pro sui nominis gloriâ completos, signis etiam et miraculis illustrare dignatus est.

Sacrorum Rituum Congregatio declarat venerabilem servum Dei Iosephum a Leonissa Beatum dici posse.

§ 1. Cum itaque, mature diligenterque discussis atque perpensis per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de Apostolicae Sedis licentiâ confectis super vitae sanctitate et virtutibus tam theologicis quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Iosephum a Leonissa, presbyterum expresse professum Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum nuncupatorum, multipliciter claruisse, necnon miraculis quae ad eius intercessionem et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebat, eadem Congregatio coram nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unâque voce censuerit, posse, quandocumque nobis videretur, praedictum servum Dei Beatum declarari cum consuetis indultis:

Eumdem coli posse declarat Clemens.

§ 2. Hinc est quod nos, piis atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitum, catholicorum principum, et universitatum, necnon totius memorati Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Capuccinorum, et nominatim Gregorii a Româ eiusdem Ordinis sa-

cerdotis expresse professi, huiusque causae postulatoris, supplicationibus[1] nobis et huic Sanctae Sedi super hoc humiliter porrectis benigne inclinati, de supradictae Congregationis consilio et assensu, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus ut praefatus servus Dei Iosephus a Leonissa imposterum Beati nomine nuncupetur, eiusque corpus et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur, imagines quoque radiis seu splendoribus exornentur, atque de eo quotannis die felicis eius transitus, seu aliâ die non impeditâ illam immediate sequenti, recitetur officium et missa celebretur de communi Confessoris non Pontificis, iuxta rubricas breviarii et missalis romani.

Officium eius recitari nonnullis in locis permittit.

§ 3. Porro recitationem officii et missae celebrationem huiusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo Ordine Minorum sancti Francisci Capuccinorum utriusque sexus, in loco Leonissae dioecesis Spoletanae, in quo natus est, et ubi venerabile ipsius corpus requiescit, atque in terrâ Amatricis Reatinae dioecesis unde ad caelos evolavit, ab omnibus utriusque sexus christifidelibus tam saecularibus quam regularibus, qui ad Horas canonicas tenentur, et, quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum perageretur, confluentibus.

Primoque anno a datis hisce litteris solemnia eius beatificationis peragi.

§ 4. Praeterea, primo dumtaxat anno a datis hisce litteris, et, quoad Indias, a die quo eaedem litterae illuc pervenerint inchoando, in ecclesiis Ordinis, loci ac terrae praefatorum solemnia beatificationis ipsius servi Dei cum officio et missâ sub ritu duplici maiori, die ab Ordinariis respective constitutâ, postquam tamen in ecclesiâ Lateranensi de Urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem XXII currentis mensis iunii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis credi iubet.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu secretarii dictae Congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti eiusdem Congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX iunii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 19 iunii 1737, pontif. anno VII.

---

## CCVIII.

*Confirmatio decreti capituli generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum super divisione et novâ assignatione conventuum, cum impositione perpetui silentii.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Apostolicae procurationis ministerium, quod pastorum princeps Iesus Christus per ineffabilem clementiae suae abundantiam imbecillitati nostrae imponere dignatus est, a nobis exigit, ut ea interdum, quae certis rationabilibus ex causis etiam a nobis concessa sunt, ipsâ subinde rerum experientiâ suadente, et maioribus ex causis, quibus praesertim felici christifidelium sub suavi religionis iugo Altissimo famulantium statui et salubri gubernio consulitur,

1 Male edit. Main. legit *supplicantibus* pro *supplicationibus* (R. T.).

revocamus et immutamus, in hisque sollicitudinis nostrae studium interponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Divisa provincia Polona a Lithuanâ, huic attributus conventus Varsaviensis.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum, quod aliàs in capitulo generali eiusdem Ordinis, in conventu S. Mariae de Scalâ nuncupato de Urbe anno MDCCXXXIV celebrato, novae provinciae Lithuaniae S. Casimiri dictae, ab antiquâ Poloniae provinciâ S. Spiritus nuncupatâ rationabilibus de causis tunc divisae et erectae, inter alios conventus eidem provinciae Lithuaniae insimul attributos, conventus Varsaviensis assignatus fuit, quemadmodum per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis litteras die VII iunii eiusdem anni MDCCXXXIV expeditas decretum a memorato capitulo generali hac de re editum toto illius tenore inserto confirmavimus.

In capitulo anni MDCCXXXVII decretum ut eius loco uniretur conventus Lublinensis.

§ 2. In capitulo vero generali praesentis[1] Ordinis in conventu Ss. Theresiae et Ioannis a Cruce prope Montem Pietatis nuncupatum de eâdem Urbe die XI maii hoc praesenti anno MDCCXXXVII habito, fratres e gremio praefati capituli, postquam cognovissent et serio expendissent rationes, ac difficultates, quae in praedicti conventus Varsaviensis, ab antiquâ Poloniae provinciâ, ut praemittitur, separati ac disiuncti, et provinciae Lithuanae de novo erectae assignati et uniti, cessione occurrebant, mature considerassent, decreverunt, nobis humiliter supplicandum esse, ut, praefatis nostris litteris quoad supradictam partem dumtaxat derogantes, vice et loco assignationis saepedicti conventus Varsaviensis provinciae Lithuanae, assignetur eidem conventus Lublinensis, et praefatus conventus Varsaviensis remaneat ut ante divisionem antiquae provinciae Poloniae, iuxta alterum decretum eiusdem capituli generalis, tenoris qui sequitur, videlicet:

Propositum fuit an ad maiorem pacem utriusque provinciae Poloniae et Lithuaniae rogandus sit Sanctissimus ad ratam habendam extraditionem conventûs Varsaviensis cum omnibus mobilibus et immobilibus religiosis provinciae S. Spiritus Poloniae faciendam a religiosis provinciae S. Casimiri Lithuaniae, ac vicissim extraditionem conventûs Lublinensis cum omnibus mobilibus ac immobilibus religiosis provinciae S. Casimiri Lithuaniae faciendam ab illis provinciae S. Spiritus, itaut relinquatur facultas reeligiosis provinciae S. Spiritus procurandi sibi hospitium regulare Lublini, et e converso provinciae S. Casimiri Lithuaniae hospitium consimile Varsaviae ratione causarum agendarum utrobique; et cum tam Varsaviae quam Lublini sint monasteria sanctimonialium Carmelitarum Excalceatorum sub Ordinis iurisdictione, monasterium Varsaviense praedictum sanctimonialium semper gubernetur a religiosis provinciae Poloniae, monasterium vero monialium Lublini, quod vocatur S. Ioseph, administretur a religiosis provinciae S. Casimiri Lithuaniae, aliudque monasterium praedictarum monialium sub titulo SS. Conceptionis in eâdem civitate Lublinensi existens a religiosis provinciae Sancti Spiritus Poloniae: et responsum fuit affirmative ad omnia cum omnibus votis.

Huic decreto polita apostolica confirmatio.

§ 3. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse procurator generalis non solum praedictas assignationes supradictorum conventuum religiosorum virorum et monasteriorum monialium, ut praemittitur in praeinserto decreto, provinciis ab eodem capitulo generali die XXI[1] maii praesenti anno MDCCXXXVII celebrato respective assignatorum, quo firmius subsistant ac serventur exactius,

1 Videtur legendum *praefati* (R. T.).

1 Paulo ante dictum fuit XI (R. T.).

apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri ac aliâs in praemissis opportune provideri et ut infra indulgeri summopere desideret:

Confirmat Clemens.

§ 4. Nos, dictum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, audito etiam super praemissis dilecto filio nostro Nicolao S. R. E. diacono cardinali Iudice nuncupato, universi Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo apud nos et Sedem Apostolicam protectore, et, quoad novas supradictarum conventuum et monasteriorum respective assignationes dumtaxat, praefatis nostris litteris derogantes, decretum praeinsertum a memorato capitulo generali factum, ut praefertur, cum omnibus et singulis in eo contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, perpetuumque super divisione et assignationibus praefatis silentium utrique parti imponimus, et os occludimus.

Sicque ubique definiendum statuit.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 6. Non obstantibus praefatis nostris litteris, aliisque praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciarum, conventuum et monasteriorum praedictorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII iunii MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VII.

Dat. die 22 iunii 1737, pontif. anno VII.

---

## CCIX.

*Ampliatio indulti Gregorii XV, nempe quod fratres Carthusiani non solum erigere valeant oratoria et altaria in eorum granciis et domibus in quibus residebunt sacerdotes dicti Ordinis, sed etiam quod ad huiusmodi effectum sufficiat quod dicta oratoria, etc., visitata et approbata sint a patribus visitatoribus eiusdem Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Ordini Carthusiensi data facultas habendi altaria portatilia in domibus et granciis.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis monachorum Ordinis Carthusiensium, quod, cum, inter cetera privilegia a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessa, felicis recordationis Urbanus quidem V itidem praedecessor noster per quasdam suas apostolicas litteras VII kalendas maii anno MCCCLXIII expeditas concesserit monachis eiusdem Ordinis facultatem retinendi in suis domibus et granciis altaria portatilia, atque inibi missam celebrandi, Bonifacius vero IX recolendae memoriae praedecessor noster, constitutione quae incipit *Sacrosancta Romana, etc.*, praefatum Ordinem a quacumque Ordinariorum iurisdictione exemerit;

Hoc exemplo indultum patribus Societatis Iesu ut in locis a superioribus Societatis approbatis missae celebrentur.

§ 2. Quarum concessionum praedicto Ordini Carthusiensi factarum exemplo, piae memoriae Gregorius XIII pariter praedecessor noster clericis regularibus Societatis Iesu, inter alia indulta impertita per constitutionem die III maii anno MDLXXV emanatam quae incipit *Decet Romanum Pontificem, etc.*, hoc tribuit ut in oratoriis et capellis, quae ipsius Societatis provinciales per se in domibus et collegiis et aliis locis ubi aliqui Societatis residebunt approbaverint et ad divinum dumtaxat cultum deputaverint, missae et alia divina officia, alterius licentiâ minime requisitâ, celebrari possint:

A Congregatione Concilii Carthusiensibus concessum ut in oratoriis simul ab Ordinariis locorum visitatis possint missae celebrari.

§ 3. Congregatio quoque tunc existentium S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum die XXIV septembris anno MDCXXII pro eodem Ordine Carthusiensi edidit sequens decretum, scilicet:

Ut deinceps in capellis seu oratoriis existentibus in domibus ac membris seu granciis monasteriorum Carthusianorum, postea tamen quam locorum Ordinarii eiusmodi cappellas semel visitaverint, ac fabricâ atque ornatu sacrâque supellectili compererint pro dignitate nitere, sacrosanctum missae sacrificium tam per regulares sive eiusdem sive alterius religionis, quam saeculares presbyteros tuto celebrari valeat, missamque inibi audientes diebus festivis praecepto Ecclesiae, hac de re edito, satisfacere intelligantur, absque tamen ullo iurium parrochialium ecclesiarum praeiudicio:

A Gregorio vero XV communicata Carthusiensibus omnium Ordinum privilegia.

§ 4. Quod quidem decretum etiam approbatum fuit a felicis recordationis Gregorio XV itidem praedecessore nostro, qui pariter anno MDCXXIII, per quadragesimam secundam [1] constitutionem quae incipit *Ad uberes, etc.*, largitus fuit saepedicto Ordini Carthusiensi communicationem et extensionem privilegiorum Ordinibus tam mendicantibus quam non mendicantibus respective concessorum, vigore cuius communicationis et extensionis privilegiorum praefatus ordo Carthusiensis semper potitus et fruitus est eodem privilegio, quo potiuntur ac fruuntur tam praefati clerici regulares Societatis Iesu quam ceteri regulares, nimirum erigendi in suis granciis oratoria sine Ordinariorum locorum licentiâ ac visitatione, sed solâ dumtaxat approbatione a suis visitatoribus, qui in dicto Ordine provincialium vices gerunt, factâ.

Supplicatum itaque Papae ut in vigore huiusce communicationis Carthusianis habere liceat oratoria solis visitatoribus Ordinis subiecta.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, iidem monachi Ordinis Carthusiensis in granciâ Turricis nuncupatâ, quae est pars et membrum Carthusiae Trisultinae, in dioecesi Verulanâ existenti, oratorium erexissent, et in Congregatione venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum propositum fuisset dubium, an liceret monachis Carthusianis retinere oratorium ad ce-

1 In hac novâ edit. est sub numero XCIX, et legitur in vol. XII, pag. 785 (R. T.).

lebrandum seu celebrari faciendum missae sacrificium in granciâ Turricis, in casu, etc.; quod[1] die XXX iulii anni MDCCXXXV resolutum fuit affirmative, praeviâ tamen visitatione episcopi ad formam indulti Gregorii XV praedecessoris: idem modernus procurator generalis, considerans esse valde aequum, ut, quemadmodum praedicti clerici regulares Societatis Iesu aliaeque religiones privilegium erigendi oratoria ad exemplum privilegiorum praefato Ordini Carthusiensi concessorum obtinuerunt, et re ipsâ retinent in suis granciis oratoria et capellas minime subiectas visitationi Ordinariorum locorum, ut ex attestationibus superiorum earumdem religionum constare asseritur, ita Ordinem Carthusiensem, propter memoratam communicationem et extensionem privilegiorum praedictarum religionum sibi impertitam a secundodicto Gregorio praedecessore post annum ab edito decreto eiusdem Congregationis Concilii, iisdem privilegiis potiri et frui posse summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Clemens.

§ 6. Nos igitur, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, toti Carthusianorum Ordini, ut non solum erigi possint et valeant oratoria, capellae et altaria in granciis et domibus religiosis, in quibus residebunt eiusdem Ordinis sacerdotes, atque in illis celebrare valeant missae sacrificia iuxta praeinsertum decretum praefatae Congregationis Concilii die XXIV septembris MDCXXII editum et a secundodicto Gregorio comprobatum ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, indulgemus; sed etiam illud ampliando et extendendo, quod ad huiusmodi effectum satis sit et sufficiat quod dicta oratoria capellae et altaria visitata fuerint et approbata a patribus visitatoribus eiusdem Ordinis.

Sicque in perpetuum servari mandat.

§ 7. Decernentes, praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 8. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti Ordinis Carthusiensis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

1 Ed. Main. habet *quo* pro *quod* (R. T.).

Praesentium transumptis credi iubet.

§ 9. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIX augusti MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 19 augusti 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCX.

*Nonnullae ordinationes pro administratione bibliothecae et archivii conventus S. Mariae de Arâcaeli de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Ad seraphicae religionis, cui etiam, dum adhuc in minoribus constituti eramus, tuendae provehendaeque, quantum cum Domino potuimus, semper adlaborare curavimus, decus et incrementum in suscepto pietatis praesertim ac litterarum curriculo magis adaugendum, in hac apostolatus speculâ per immensam divinae bonitatis clementiam meritis licet imparibus collocatos nos decet ut maioribus quam antea pontificiae sollicitudinis et apostolicae charitatis studiis advigilemus.

A patre Iosepho ab Ebora constructa aedificia pro bibliotheca et archivo Ordinis ornata ac libris monumentisque referta.

§ 1. Cum itaque, sicut pro parte dilectorum filiorum modernorum ministri provincialis provinciae Romanae et guardiani conventus S. Mariae de Arâcaeli de Urbe Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum nobis nuper expositum fuit, in dicto conventu, qui praecipuum totius eiusdem Ordinis sancti Francisci domicilium, et, praeter ministros et officiales omnium nationum utriusque cismontanae et ultramontanae familiae ibidem residentes, ministri etiam generalis et respective commissarii generalis cismontani pro tempore residentia existit, a fundamentis excitatum sit maximum aedificium praeclarâ dilecti filii Iosephi Mariae Fonseca ab Ebora exgeneralis praedicti Ordinis operâ, collectis undique magnis pecuniarum, quibus nos etiam non modicam partem contulimus, summis, non solum pro insigni bibliothecâ, quae iam armariis, pluteis et libris omnis generis referta et adornata est, sed etiam pro amplo tabulario sive archivo generali Ordinis praefati, nondum tamen completo, in quo omnia quae poterit idem Iosephus Maria ex universis praedictae religionis carthophylaciis et tablinis sive authographa sive exscripta monumenta non sine magnis sumptibus contracta condere intendit, atque etiam pro aedibus sive mansionibus iam ex omni parte completis et instructis, in quibus bibliothecarius et archivista seu tabularius pro tempore bibliothecae et archivi praedictorum, eorumque custodes, scribae et socii inservientes, necnon praefatae religionis chronologus pro maiori publico commodo et custodiâ commorari debent:

Provincialis provinciae Romanae, et guardianus Aracaelitanus Papae supplicant ut dictae bibliothecae cura eidem patri Iosepho ad vitam committatur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, nisi cura et administratio bibliothecae et archivi praefatorum eidem Iosepho Mariae cum facultate, quoad vixerit, et in quocumque statu et gradu tam intra quam extra praedictum Ordinem semper et quomodocumque extiterit, eam exercendi, et bibliothecarium et archivistam generalem, aliosque custodes, scribas et socios de-

putandi demandetur et committatur, atque insimul exhortetur, ut, quemadmodum pro religionis zelo tam excellens et tantae utilitatis opus incepit, ita maioribus incrementis adaugere ac perficere perseveret, procul dubio timendum sit, ne ad eam, quam idem Iosephus Maria intendit, perfectionem nunquam pervenire possit, imo etiam imperfectum relinquatur: ac propterea praefati exponentes nobis humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere et ut infra de apostolicâ benignitate indulgere dignaremur:

Committit Clemens patri Iosepho bibliothecae et archivii praefecturam cum facultate idoneos deputandi cum ministros, ac utendi ad vitam aedibus ab eodem erectis.

§ 3. Nos igitur, praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationi [1], ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praefati Iosephi Mariae omnem curam et diligentiam hac in re adhibitam plurimum in Domino commendantes, eidem, quoad vixerit, et in quocumque statu et gradu tam intra quam extra praefatum Ordinem semper et quomodocumque extiterit, totam administrationem, custodiam et omnimodam praefecturam tam bibliothecae quam archivi generalis praedictorum, cum omnibus et singulis annexis et connexis, committimus, mandamus et iniungimus, necnon aedium sive mansionum ab ipso Iosepho Maria extructarum usum et habitationem cum omnibus et singulis in eisdem contentis, quoad vixerit, ut praemittitur, eidem concedimus et impertimur, ac insuper bibliothecarium et archivistam generalem, cum ceteris aliis ministris et officialibus ipsi benevisis, ut praefertur, eique subiectos, constituendi et deputandi, facultatem pariter tribuimus et largimur.

Proprias mansiones bibliothecario, archivistae, etc. assignat.

§ 4. Volumus autem ut tam bibliothecarius quam archivista huiusmodi pietate, doctrinâ et religiosâ observantiâ, ceterisque virtutibus insignes de provinciâ Romanâ eligantur, ac sint lectores iubilati. Qui sane bibliothecarius et archivista generalis, necnon chronologus Ordinis aliique [1] ministri subalterni, donec ipse Iosephus Maria in humanis fuerit, habitent in mansionibus sive cellis sibi in conventu praedicto assignatis, seu assignandis; post eiusdem vero Iosephi Mariae mortem, commorentur in aedibus, sive mansionibus, quarum usum et habitationem ipsi Iosepho Mariae ad sui vitam attribuimus.

Ministro generali et commissario cismontano praedictorum exequutionem demandat.

§ 5. Verum, ut providentiae nostrae decretum huiusmodi firmius in perpetuum subsistat et servetur exactius, apostolicâ auctoritate ministro generali et commissario generali pro tempore familiae cismontanae Ordinis praefati in virtute sanctae obedientiae tenore praesentium committimus et mandamus totalem praemissorum executionem, atque ut omnia et singula in hisce nostris contenta et statuta atque decreta, prout statuta et decreta sunt, ita observari et manuteneri faciat.

Sic semper et ubique praecipit servari.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab

1 Deest *inclinati* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *aliisque* (R. T.).

eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat contrariis

§ 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, nec non conventus et Ordinis praedictorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX septembris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 septembris 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCXI.

*Indulgentia aliàs concessa visitantibus ecclesias Congregationis Missionis et Puellarum Charitatis die* XXVII *septembris applicatur die* XIX *iulii B. Vincentio a Paulo sacro.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Benedictus XIII indulgentiam concedit visitantibus ecclesias Congregationis missionis die XXVII septembris.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Benedictus Papa XIII praedecessor noster omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis presbyterorum saecularium Congregationis Missionis tam eâtenus erectis, quam in posterum erigendis die XXVII mensis septembris a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitassent, et ibi pro christianorum principium concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effudissent, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino perpetuo concessit;

Eamdem indulgentiam extenderat Clemens ad ecclesias Puellarum charitatis.

§ 2. Postmodum vero nos eamdem indulgentiam ad ecclesias seu capellas Puellarum Charitatis nuncupatarum regulam seu institutum S. Vincentii a Paulo profitentium extendimus et ampliavimus: et aliàs, prout in litteris felicis recordationis Benedicti XIII praedecessoris nostri die XIV februarii MDCCXXX, pontificatus sui anno VI, et nostris die XXX augusti MDCCXXX in simili formâ Brevis respective desuper expeditis plenius continetur.

Revocatis itaquo huiusmodi concessionibus ex praedictâ die applicantur diei XIX iulii S. Vincentio a Paulo sacro.

§ 3. Nunc autem nos, praedictam indulgentiam, visitantibus aliquam ex dictis ecclesiis die XXVII mensis septembris, ut praefertur, concessam, per praesentes auctoritate apostolicâ revocantes, ac supplicationibus dilecti filii Ioannis Conty, superioris generalis dictorum presbyterorum saecularium Congregationis Missionis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac sacrâ communione refectis, qui aliquam ex praedictis ecclesiis die festo S. Vincentii a Paulo XIX mensis iulii celebrari solito, dictae Congregationis Missionis ac Puellarum Charitatis nuncupatarum

fundatoris, a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordiâ, haeresum extirpatione, ac S. M. E. exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII septembris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 23 septembris 1737, pontif. anno VIII.

F. cardinalis OLIVERIUS.

## CCXII.

*Confirmatio chirographorum super distributione salis* a cartella *nuncupatâ in civitate Anconitanâ ac illius statu et comitatu faciendâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Chirographo concesserat Clemens civitati Anconitanae devenire ad distributionem salis dicti *a cartella.*

§ 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Anconitanae, quod aliàs nos, per chirographum manu nostrâ subscriptum, et dilecto filio nostro Dominico S. R. E. presbytero cardinali Riviera nuncupato Congregationis venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. cardinalium bono regimini communitatum et universitatum Status nostri Ecclesiastici praepositae praefecto directum, eidem civitati facultatem et gratiam deveniendi ad distributionem salis, ut vulgariter dicitur, *a cartella*, super qualibet personâ, etiam ecclesiasticâ et regulari, privilegiatâ ac privilegiatissimâ, nec non praedictâ civitate, toto illius Statu et comitatu, cum variis facultatibus et provisionibus ad bonum distributionis salis huiusmodi finem tendentibus, concessimus;

Declaravit postmodum in dicto chirographo omnes omnino comprehendi etiam specificâ mentione dignos.

§ 2. Et subinde per aliud simile chirographum per nos signatum, eidem Dominico cardinali et praefecto itidem directum, ad tollendam quamcumque dubietatem quae super comprehensione aliarum personarum specificam et individuam mentionem praetendentium exoriri posset, primodictum chirographum confirmantes declaravimus, quod tales personae, Ordines regulares, militares, patentati, privilegiati et privilegiatissimi, qui specificam et individuam mentionem requirerent, comprehensi remaneant; ac iura Camerae nostrae Apostolicae quomodolibet competentia reservavimus: et aliàs, prout uberius continetur in dictis chirographis tenoris sequentis videlicet:

Tenor primi chirographi.

§ 3. *Reverendissimo cardinale Domenico Riviera, prefetto della nostra Congregazione de' sgravî e buon governo.*

Ci ha fatto rappresentare la nostra città di Ancona, che pacificamente godendo e possedendo per legittimi titoli anche onerosi la privativa di vendere il sale in tutta la città, territorio e luoghi e territorî del suo Stato e contado, sia spediente per l'indennità di essa città, che per l'addietro ha patito un notabilissimo sbilancio nel provento di tale privativa respettivamente alle persone a lei soggette per varie irreparabili cause e specialmente delli contrabandi

di sale, atteso il luogo situato vicino al mare, per modo tale che, oltre varî considerabili successi, la sperienza ha dimostrato che ne' tempi presenti l'annuo fruttato della suddetta privativa resti eccessivamente diminuito, di venire alla distribuzione de' sali ripartitamente per ogni persona, e come volgarmente si dice *a cartella*, secondo la deliberazione a pieni voti presa nel pubblico e general consiglio celebrato li XXII agosto del passato anno MDCCXXXVI. Ed avendo noi benignamente ricevute le suppliche che sopra tale affare ci sono state umilmente rappresentate, e inteso prima il parere ed informazioni dateci da monsignor Carlo Maria Sagripante, nostro tesoriere generale, anche col voto della nostra Congregazione camerale, e precedenti le informazioni date da monsignor Nicolò Serra governatore di detta nostra città di Ancona, quali cose tutte abbiamo qui per pienamente inserte ed espresse parola per parola, siamo venuti alla concessione del presente Chirografo, col quale commettiamo a voi ed a' vostri successori che in virtù della nostra suprema potestà ed autorità pontificia, e senza bisogno di riportare il consenso di alcuna persona che potesse aver parte ed interesse in qualunque modo nel presente negozio, e molto meno di qualunque giudice o congregazione, eziandio del buon governo, di cui voi siete il prefetto, sì della Curia Romana che fuori della Curia Romana, obblighiate ogni e ciascheduna persona sì laica che ecclesiastica, sì secolare che regolare di qualunque religione, anche della Compagnia di Gesù, dell'Ordine militare di S. Giovanni Gerosolimitano, di qualunque altro che ricercasse e meritasse specifica ed individuale menzione, come esente, privilegiata, privilegiatissima, ed anche ebree o ebrei, o altri infedeli domicilianti, abitanti e dimoranti nella detta nostra città di Ancona, suburbî, territorio, luoghi, loro territorî, suburbî, ed in tutto lo Stato e contado di detta nostra città di Ancona, dell'uno e dell'altro sesso, e per esse i padri e capi di famiglie, superiori, ed altri che di ragione possono e devono, a ricevere e contentarsi di ricevere ogni anno la distribuzione de' sali volgarmente detta *a cartella*, da regolarsi respettivamente secondo il numero delle anime; e per i luoghi e territorî soggetti al detto Stato e contado di Ancona, obblighiate come sopra le comunità o università di ciascheduno di essi luoghi, le quali debbano ricevere e contentarsi di ricevere la medesima distribuzione de' sali, volgarmente detta *a cartella*, proporzionatamente agli abitanti e dimoranti in tali luoghi e territorî, d'ogni genere e sorta di persone sopra espresse, quali persone, e ciascheduna di esse, possano e debbano da tali comunità essere costrette a ricevere la detta distribuzione de' sali nello istesso modo, forma e pratica che la detta nostra città d'Ancona, in virtù e forza del presente Chirografo, potrà e dovrà costringere gli abitanti e dimoranti in detta città e suburbio e territorio di Ancona, e le dette comunità o sieno università di detti luoghi e soggetti al suo Stato e contado; e per l'effetto, esecuzione e piena osservanza di ogni e singola cosa contenuta dal principio sino al fine del nostro presente Chirografo, comunicherete tutte singole e ciascheduna facoltà a voi in esso nostro Chirografo concedute al detto presente governatore della nostra città d'Ancona; e tali facoltà dovranno restare e durare, non solo a lui, ma anche a ciascheduno delli di

lui successori *pro tempore*, e dovranno intendersi a lui ed alli di lui successori communicate, per servirsene e metterle in opera tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e colli vostri successori, e tante volte sarà bisognevole e necessario, utile ed opportuno, di modo tale che mai tal facoltà o facoltà suddette terminino e spirino o finiscano: con osservarsi però li seguenti capitoli.

I. Che ciascheduna persona sì laica che ecclesiastica, regolare ed in qualsivoglia modo privilegiata, sopra l'età di anni quattordici compiti, abbia l'obbligo di comprare e di ricevere annualmente la quantità del sale che si stabilirà nella esecuzione del presente nostro Chirografo da voi o dai vostri successori *pro tempore*, o dal detto governatore della nostra città d'Ancona, o dai successori di esso *pro tempore*, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e con li vostri successori, di quella specie che sarà permessa vendere, ritenere, spacciare alla detta nostra città d'Ancona in vigore della sua privativa; qual sale da distribuirsi, dovrà pagarsi al medesimo prezzo in oggi corrente d'un baiocco per libbra, e nel caso d'incarimento, dovrà accrescersi ragionevolmente, senza però gravare le persone soggette alla distribuzione; debba ogni anno a debiti e convenevoli tempi farsi una deputazione di alcune persone rette ed idonee dal consiglio pubblico, quali, fissato prima il numero annuale d'ogni persona della città, suburbio, territorio, casali, castella e loro territorî e casali, con quelle regole che saranno più espedienti e si approveranno ogni volta dal detto consiglio pubblico, facciano sapere e notificare alle persone, comunità, ossieno università, ed a qualunque altro luogo e persona soggette alla distribuzione, il ripartimento fatto, colla destinazione del giorno e termine in cui ciascheduno dovrà ricevere la sua quota o rata che gli tocca; e per tale effetto si potranno e dovranno mettere in esecuzione e pratica, ogni volta che sarà espediente, necessario ed opportuno, tutti quelli usi, consuetudini, regole e pratiche che si trovano e si troveranno messe in esecuzione in altri luoghi, città e terre del nostro dominio e Stato Ecclesiastico nella effettuazione, esecuzione, uso ed osservanza di simile distribuzione dei sali, volgarmente detta *a cartella*.

II. Che siccome le comunità od università soggette alla distribuzione dovranno e potranno essere costrette alla distribuzione ed al pagamento del sale distribuito senza cura della detta nostra città d'Ancona di addrizzarsi sopra ciascheduna persona, famiglia, casa particolare, conventi, monasterì, spedali, seminarî o altri simili, così le stesse comunità od università potranno dirigersi per le stesse contro le persone, case e famiglie particolari, conventi, monasterî, ospedali, seminarî o altri simili, con quelli medesimi modi e forme che per virtù e forza del presente nostro Chirografo potrà dirigersi la detta nostra città d'Ancona sopra le persone della città, suburbio e territorio proprio; ma però dette comunità od università non potranno nè dovranno esigere altro prezzo del sale, che quello avranno veramente e realmente pagato alla nostra città di Ancona, e potranno solamente accrescere quella poca ed onesta somma che sarà necessaria per la spesa del trasporto del sale dalla città di Ancona a ciaschedun luogo e castello soggetti respettivamente, e per la spesa della distribuzione da farsi.

III. Che oltre la quantità del sale

prescritta a ciascuna persona, debba inoltre correre l'obbligo di ricevere e contentarsi di ricevere un'altra quantità di sale ragionevolmente considerata rispetto alli formaggi, animali che si trovano nella campagna, carni, pesci ed altro che può considerarsi giustamente, per regolare la distribuzione maggiore di quella che sarà stata destinata alla sola e semplice persona di ognuno; e nello stesso modo le comunità od università de' luoghi soggetti alla distribuzione dovranno ricevere e contentarsi di ricevere anche quella somma e quantità di sale, che per rispetto alli formaggi, animali, carni, pesci ed altro, deve e puole, come sopra, accrescersi, oltre a quella pura quantità che sarà stata tassata e prescritta alla pura persona.

IV. Che il simile s' intenda espressamente detto e prescritto rispetto agli osti, bettolieri, locandieri, macellari, pizzicaroli, ed altri che fanno professione a cui convenga l'uso del sale, nella città e luoghi soggetti, con avere anco riguardo alli forastieri che capitano o alloggiano nelle osterie, bettole, locande, e dimorano nella città e nei luoghi soggetti alla distribuzione.

V. Che debba tenersi aperta la pubblica salara nella nostra città di Ancona per comodo e servigio de' forestieri che siano per fare e facciano realmente breve e corta dimora, e perciò non sia possibile comprenderli sotto la tassa della distribuzione, e per comodo e servigio de' bastimenti che giungono e si fermano nel porto; ed il simile ancora s' intenda per quelle persone che come vere povere non potranno tassarsi sotto la distribuzione, e per quelle altre persone della città, stato e contado, ed anco forastiere, le quali volessero comprare maggiore quantità di sale di quella nella quale sono state tassate.

VI. Che in caso di contumacia di alcune delle persone, sia lecito alla detta nostra città d'Ancona, oltre all' infrascritto rimedio per via di editto penale, procedere per via di mano regia avanti li giudici competenti rispetto alle persone, famiglie, case, conventi, monasterî, ospedali, seminarî e simili, e rispetto alle comunità, università e luoghi soggetti, avanti voi e de' vostri successori *pro tempore*, ed avanti il presente governatore d'Ancona e li di lui successori *pro tempore*, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e con li vostri successori; e tale mano regia possa e debba eseguirsi nella via e forma più privilegiata che si trova e si può, anche *more camerali*, ed aver luogo non solo per quello riguarda il fatto di ricevere e di costringere a ricevere ciascuno e ciascheduna famiglia, casa, convento, monasterî, ospedali, seminarî o altri simili, e la comunità od università de' luoghi soggetti, la rata e porzione in cui sarà stata nel ripartimento, come sopra da farsi, tassata e considerata, senza potersi ammettere eccezione alcuna di eccesso, irragionevolezza o ingiustizia, quale anzi all'opposto debba sempre ed in ogni caso intendersi riservata in appresso e dopo che sarà pienamente adempita ed eseguita la distribuzione, ma anche per quello riguarda il totale e pieno pagamento della somma e somme che saranno dovute sulla regola della medesima distribuzione, qual pagamento dovrà onninamente seguire e da ogni giudice farsi adempire, rimossa similmente ogni eccezione, e quella, ne' casi però ne' quali sarà di ragione, riservata in appresso nel modo che si è detto.

VII. Che nell'atto dell'esecuzione del presente Chirografo, possa non solamente dichiararsi da voi e vostri suc-

cessori, e dal presente governatore di Ancona e di lui successori *pro tempore*, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e con li vostri successori, ogni e ciascheduna cosa dubbia che potesse insorgere circa il contenuto nel presente Chirografo, ma ancora possa determinarsi ogni e ciascheduna altra cosa che nel presente Chirografo è espressa; e dove ciò non riesca, debba sempre essere non solo conforme alle regole di ragione, ma inoltre alla buona e spedita condotta di questo negozio, colla maggiore utilità e comodo di detta nostra città d'Ancona, per aver sempre il più pieno ed il più efficace effetto della distribuzione e dell'emolumento da ritraersi da esso, ed il maggiore accrescimento del provento risultante dalla privativa, sempre in benefizio della detta nostra città d'Ancona, di modo che l'interpretazione e dichiarazione più favorevole e benigna a detta nostra città prevalga e debba sempre prevalere ad ogni altra.

VIII. Che in ogni futuro tempo nel quale occorresse o fosse di bisogno oppure utile venire alla mutazione di qualche cosa che riguarda l'ordine ed il modo di esso ordine ed esecuzione una volta già intrapreso sopra la detta distribuzione de' sali volgarmente detta *a cartella*, ciò sia lecito a farsi precedente la pubblica risoluzione del consiglio della detta nostra città d'Ancona e l'approvazione vostra e de' vostri successori *pro tempore*, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e con li vostri successori, senza necessità di sentire o di chiamare alcuno, ma con la sola e semplice ricognizione e verificazione della causa che sarà necessaria, utile od opportuna la detta mutazione, e ciò tante volte quante volte sarà o verrà il caso della mutazione, e non sarà mai lecito a voi ed a' vostri successori *pro tempore*, e molto meno al presente governatore ed a' di lui successori *pro tempore*, disapprovare la risoluzione e determinazione presa nel consiglio, se non in quel caso in cui non avesse utilità alcuna per la detta nostra città, e fosse del tutto ed affatto irragionevole.

IX. Che per l'esecuzione del presente nostro Chirografo possa e sia lecito a voi ed a qualunque vostro successore, ed al presente governatore d'Ancona ed alli di lui successori *pro tempore*, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e con li vostri successori, ogni volta che se ne farà dalla detta nostra città la richiesta, venire alla pubblicazione ed affissione di qualunque editto penale contro qualunque persona e luogo obbligato e soggetto alla distribuzione del sale, laico, ecclesiastico, regolare, privilegiato, privilegiatissimo ed esente, e ciò per virtù delle facoltà che noi pienamente concediamo a voi ed alli vostri successori *pro tempore*, ed al detto governatore di Ancona ed a' di lui successori *pro tempore*, contra qualunque sorta e qualità di persone, ancorchè meritasse espressa ed espressissima menzione; e particolarmente tale editto pubblicherete e farete affiggere, o detto governatore e di lui successori *pro tempore* pubblicheranno e faranno affiggere, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e co' vostri successori, immediatamente dopo data al presente nostro Chirografo la dovuta esecuzione, e prima di effettuarsi la distribuzione, acciocchè così a tutti sia nota la volontà nostra qui espressa; e le pene da incorrersi dai trasgressori, in qualunque caso delli sopraddetti, dovranno applicarsi a beneficio pubblico di detta no-

stra città; e sarà lecito a voi e vostri successori, ed al detto governatore e di lui successori, tanto congiuntamente quanto separatamente con voi e colli vostri successori, di fare giudicialmente seguire il pagamento ed esazione, anche per via di mano regia, contro qualunque persona o luogo sì laico che ecclesiastico, regolare, privilegiato, privilegiatissimo ed esenti, e di qualunque genere, specie e qualità, e ciò per virtù di facoltà speciali che in questa parte colla pienezza dell'autorità e potestà pontificia diamo e concediamo a voi e a detto governatore e di lui successori come sopra.

x. Finalmente, che in qualunque materia e caso riguardante il contenuto di tutto il presente Chirografo, non si debbano attendere le inibizioni di qualunque giudice anche supremo, o delle sagre Congregazioni di Roma, e molto meno di qualunque altro giudice tanto ordinario che delegato fuori di Roma, se tali inibizioni non saranno segnate colla nostra propria mano, e da' sommi Pontefici nostri successori.

E tutto il contenuto dal principio fino al fine del presente nostro Chirografo, e ciascheduna delle cose in esso contenute, vogliamo che si debbano perfettamente, pienamente ed esattamente osservare ed adempire, ed eseguire. Volendo e decretando che al presente nostro Chirografo, e ciascheduna delle cose in esso contenute, non si possa mai opponere di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione; nè che mai sotto tali o altri qualunque pretesti, quantunque validissimi, legittimi e sostanziali, benchè chiusi nel corpo della Legge, anche di *ius quaesito*, e pregiudizio del terzo, possa essere impugnato, moderato, o rivocato, o ridotto *ad viam iuris*, o concedersi verso di esso l'aperizione *oris*, o altro qualunque rimedio di ragione o di fatto, di grazia o di giustizia, o concessa per moto proprio e con pienezza di potestà, e tali rimedì, anche ottenuti, mai possano giovare ad alcuna persona, o in qualunque modo impedire la perpetua ed inviolabile esecuzione di quanto è stato da noi, come sopra, ordinato e stabilito. E che così, e non altrimente debba sempre giudicarsi, definirsi ed interpretarsi, sì da voi, e da' vostri successori *pro tempore*, e dal detto governatore di Ancona, e di lui successori *pro tempore*, che da qualunque giudice e tribunale, benchè collegiale, commissario e delegato, Congregazioni, anche de' reverendissimi cardinali, legati *a latere*, camerlengo di santa Chiesa, tesoriere, presidenti, uditori di Rota, chierici di Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà e giurisdizione di definire ed interpretare diversamente; dichiarando noi, sin da ora, nullo, irrito ed invalido tutto ciò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente o ignorantemente, fosse in qualunque tempo giudicato contro la forma e disposizione del presente nostro Chirogafo: quale vogliamo che vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, benchè non si ammetta e registrasi in Camera secondo la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, e benchè non vi siano stati chiamati, sentiti, nè citati quelli che in qualunque modo vi avessero o pretendessero di avervi qualche interesse. Non ostanti la regola della nostra Cancelleria *De iure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre constituzioni ed ordinazioni apostoliche, Brevi, Chirografi, anche per via di nuove permissioni e concessioni, ed

altri qualunque indulti nostri e de' nostri predecessori, a favore di qualunque persona, quanto si voglia privilegiata, privilegiatissima, che per comprenderla vi si ricercasse di farne una espressa ed individua menzione, benchè muniti di decreti irritanti, e d'altre formole e clausule, anche derogatorie delle derogatorie, più effrenate, insolite ed inusitate, che avessero bisogno di espressa specificazione, nè che si dovessero registrare e riferire di parola in parola, decreti camerali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, anche immemorabili, e confermati o confermate in forma specifica dalla Santa Sede, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto e registrato, supplendo noi colla pienezza della nostra potestà pontificia ad ogni vizio e difetto, quantunque sostanziale e formale che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione ed effetto di quanto si esprime nel presente nostro Chirografo, ampiamente ed espressamente deroghiamo, anco con pienezza di derogatoria delle derogatorie, siccome espressamente deroghiamo a detta Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*. Non intendiamo però che col medesimo presente nostro Chirografo s'intenda o possa intendersi fatto pregiudizio alcuno alle ragioni che in qualsivoglia modo competono alla nostra Camera Apostolica. Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo dì 14 settembre 1737.

CLEMENS Papa XII.

Tenor secundi Chirographi.

§ 4. *Reverendissimo cardinale Domenico Riviera, prefetto della nostra Congregazione de' sgravî e buon governo.*

Avendo la nostra città di Ancona ottenuta da noi la grazia pontificia di un chirografo da noi segnato sotto li 14 del corrente mese di settembre del corrente anno 1737, sopra la distribuzione de' sali volgarmente detta *a cartella*, da farsi sopra ogni e ciascheduna persona, sì laica che ecclesiastica, sì secolare che regolare, di qualunque religione, anche della Compagnia di Gesù, dell'Ordine di S. Giovanni Gerosolimitano, e e di qualunque altra che ricercasse o meritasse specifica ed individuale menzione come esente, privilegiata, privilegiatissima, ed anche ebree o ebrei, ed altri infedeli domiciliauti, abitanti e dimoranti nella detta nostra città di Ancona, suburbio, territorio, luoghi, loro territori, suburbî, ed in tutto lo Stato e contado della medesima città di Ancona, dell'uno e dell'altro sesso, e per esse i padri e capi di famiglia, superiori ed altri, che possano e devano essere compresi sotto tale distribuzione, e per tali persone qualunque communità o università, famiglia, casa, convento, monastero, ospedale, seminario, o altri simili; ed insorgendo, o potendo insorgere dubbio, che sotto tali persone possano rimanere esenti dalla suddetta distribuzione de' sali quelle di tale qualità e specie che tal volta possono pretendere di non venire comprese sotto la disposizione ed espressione generale, sebbene noi con la effrenatezza di parole, delle quali ci siamo serviti, non abbiamo inteso mai che questa sorta di persone debba restare esente, atteso il numero considerabile de' privilegiati e patentati che in detta nostra città di Ancona, o suo Stato e contado dimorano, e talvolta sotto l'ombra del loro privilegio più facilmente si fanno indebitamente lecito di pregiudicare alla medesima nostra nostra città: quindi è, che con questo nuovo nostro presente

Chirografo, avendo primieramente qui per inserta parola per parola, e dal principio sino al fine, tutto il tenore dell'altro suddetto nostro Chirografo da noi segnato sotto il detto giorno dei 14 del corrente mese di settembre, e tutte e singole concessioni, capitoli, deroghe, deroghe di deroghe, ed ogni e qualunque altra cosa da noi fatta e conceduta a favore di detta nostra città di Ancona, quali cose tutte s'intendano, e vogliamo che s'intendano qui repetite parola per parola, e dal principio sino al fine, ed in tutto e per tutto confermate ed approvate, siccome di nuovo, quando anche bisognasse, le confermiamo ed approviamo in tutto e per tutto, vogliamo, dichiariamo ed ordiniamo, che niuna persona affatto eccettuata, s'intenda o si possa intendere esente, immune o non compresa sotto la suddetta distribuzione de' sali volgarmente detta *a cartella*, ancorchè la persona o persone, ed anche i luoghi, comunità, università, monasterî, collegi, conventi, seminarî ed altri simili, che pretendessero di essere esenti, sieno laiche o laici, ecclesiastiche o ecclesiastici, secolare o secolari, regolare o regolari di qualunque Ordine, istituto e congregazione, quantunque delle Undici, e della Compagnia di Gesù, chierici della nostra Camera, camerali, ministri ed offiziali del nostro palazzo apostolico, cavalieri di Malta e di S. Stefano, e di qualunque altr'Ordine militare, patentati del S. Uffizio, della S. Casa di Loreto, della rev. fabrica di S. Pietro di Roma, e di qualunque altra congregazione o tribunale, anche collegiato, familiari de' reverendissimi cardinali, arcivescovi, vescovi, prelati, anche assistenti alla nostra cappella, e loro rispettivi offiziali, ministri, affittuarî, coloni, patentati, anche addetti e soggetti al continuo servizio, generalmente niuna persona affatto eccettuata, di modo tale che la espressione o specificazione delle qualità delle persone non induca mai eccezione a favore di quella qualità di persone che non sia stata da noi espressa e denominata, servendoci, per la totale osservanza ed esecuzione della dichiarazione contenuta in questo nostro Chirografo, di tutte quelle clausole, e ciascheduna di esse, che si contengono nell'altro suddetto nostro Chirografo del 14 corrente, quali nuovamente dichiariamo e vogliamo che qui si abbiano come espressamente, formalmente apposte, espresse e repetite, anche rispetto alle facoltà da noi concedute a monsignor governatore di Ancona, e di lui successori, per potere procedere tanto congiuntamente che separatamente con voi e colli vostri successori. Non ostantechè le persone, che avessero o potessero allegare di avere circa le suddette cose qualche privilegio, non siano state chiamate e non siano state sentite, poichè questa è la nostra precisa e deliberata volontà. Volendo che il presente nostro Chirografo vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore, con la semplice nostra sottoscrizione, benchè non si ammetta e non si registri in Camera, secondo la Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis*, alla quale, oltre alla Bolla, Moti proprî, Brevi, Chirografi, anche per via di nuove permissioni, concessioni, ed altri qualunque indulti nostri e de' nostri predecessori, a favore di qualunque persona quantosivoglia privilegiata, privilegiatissima, che per comprenderla si ricercasse di farne una espressa ed individua menzione, benchè muniti di decreti irritanti, ed altre formole e clausole, anche derogatorie più effrenate, insolite ed inu-

sitate, che avessero bisogno di espressa specificazione, e che si dovessero registrare di parola in parola, decreti camerali, leggi civili e canoniche, statuti, riforme, stili, usi, consuetudini, anche immemorabili, confermati e confermate in forma specifica dalla Santa Sede, e qualunque altra cosa che facesse o potesse fare in contrario, avendone di esse e di tutte e ciascheduna di esse il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto e registrato, supplendo noi colla pienezza della nostra podestà pontificia ad ogni vizio e difetto, quantunque sostanziale e formale, che vi potesse intervenire, per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione di quanto si esprime nel presente e nell'altro suddetto Chirografo, anche con pienezza di derogatoria delle derogatorie, ed alla regola della nostra Cancelleria *De non tollendo ius quaesitum* ampliamente, pienamente ed espressamente deroghiamo. Non intendiamo, come nell'altro suddetto nostro Chirografo, nè vogliamo che s'intenda o possa intendersi fatto pregiudizio alcuno alle ragioni che in qualsivoglia modo competono alla nostra reverenda Camera Apostolica. Dato dal nostro palazzo apostolico di Monte Cavallo, questo dì 20 settembre 1737.

CLEMENS Papa XII.

Praedictas syngraphas confirmat Pontifex.

§ 5. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicti exponentes praemissa, quo firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos[1] fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Chirographa nostra praeinserta, cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis ac inde legitime secutis et secuturis quibuscumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque tam ex iuris communis et constitutionum apostolicarum, necnon dictae civitatis aliorumve quorumvis statutorum, eorumque reformationum et novarum additionum praescripto, quam de stylo et consuetudine, seu aliàs quomodolibet in similibus etiam de necessitate observandarum, et alios quoslibet etiam quantumvis formales et substantiales defectus, si qui in praemissis seu eorum aliquo principaliter vel accessorie aut aliàs quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, supplemus et sanamus, ac penitus et omnino tollimus et abolemus.

Iuxta eas ubique iudicandum esse declarat.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. camerarium et alios cardinales, etiam de latere legatos, necnon Camerae nostrae apostolicae praesiden-

1 Aptius lege *absolutas* (R. T.).

tes clericos, thesaurarium generalem, ceterosque officiales et ministros nunc et pro tempore existentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit. § 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon praedictae civitatis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; necnon omnibus illis quae in Chirographis praeinsertis concessimus non obstare; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VIII octobris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 octobris 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCXIII.

*Restitutio seu nova erectio provinciae regni Hiberniae fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo* strictioris observantiae *dudum reviviscentis, cui adiudicantur omnes conventus nunc existentes et imposterum recuperandi.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium. Pastoralis officii, quo catholicae Ecclesiae per universum terrarum orbem diffusae regimini divinâ dispositione praesidemus, sollicitudo nos admonet, ut felici prosperoque christifidelium, qui e fluctibus saeculi in portum vitae religiosae confugerunt, gubernio atque directioni, etiam per provinciarum, ubi olim florentes, et idem quod orthodoxa religio accepit detrimentum passae, iterum, benedicente bonorum omnium largitore, revirescere coeperunt, restitutionem sive novam erectionem providere interdum studeamus, sicut, locorum, personarum et temporum qualitatibus mature perpensis, ad Dei gloriam et religionis incrementum atque animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni agens venerabilium fratrum catholicorum antistitum regni Hiberniae et procurator dilectorum itidem filiorum fratrum Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo strictioris observantiae nuncupatorum eiusdem regni, quod fratres praedicti Ordinis anno MCCLX, tempore Henrici III regis, ut asseritur, Hiberniam ingressi, ita religiosae vitae ac doctrinae exemplis populos illos in eiusdem Ordinis venerationem perduxerunt, ut tempore Eduardi IV sive I Andegavensis regis, circa annum MCCCIII, in provinciam coalescentes, ad triginta duos conventus habuisse, ac per tercentos et amplius annos quamplurimos viros Ordinis praedicti virtutibus ac litteris insignes sacris infulis fuisse decoratos memoriae traditum sit. Ordo Carmelitarum olim in regno Hiberniae florescens.

§ 2. Subinde autem, propter persecutionem catholicis ab assertâ reginâ Elisabethâ motam inflictamque, fratribus praefatis aut occisis aut fugatis, provincia illa extincta fuit; postmodum vero fratres illuc redeuntes ad usque Cromuvelli tyranni, a quo penitus deleti fuere, tempus perdurarunt. Sub Iacobo II clarae memoriae, dum vixit, Angliae et Scotiae VII rege, iterum restaurationem aggressi, cum ipso etiam rege patrium solum relinquere ab intruso Guillelmo III coacti, se se in Gallias receperunt. Temporum varietate extinctus,

Reflorescit postmodum hisce temporibus Ordo.

§ 3. Denique ad propria reversi, et in dies, Deo propitio, crescentes, sub curà et auxilio provinciae reformatae Turoniae praefati Ordinis fuerunt, a qua praeclaris carissimi in Christo filii nostri Iacobi III magnae Britanniae regis illustris, et dilecti itidem filii nostri Ioseplii Renati, dum viveret, tituli S. Laurentii in Luciná presbyteri[1] S.R.E. cardinalis Imperiali nuncupati, Hiberniae apud nos et hanc Sanctam Sedem protectoris, studiis et operâ separatis anno MDCCXXIX unus generalis commissarius et vicarius ex ipsismet fratribus constitutus datusque fuit, sub quo usque ad duodecim conventus recuperati sunt. In congregatione vero eorumdem die XXIII septembris proxime elapsi in conventu Dublinensi celebratâ, novos rectores domorum eligentes et suffragantes, pene omnes in favorem generalis commissarii et vicarii dilecto pariter filio moderno priori generali totius praedicti Ordinis preces obtulerunt, ut, quamvis sola ipsis facultas sex simul eidem generali priori praesentandi inesset, tamen dictum generalem commissarium et vicarium sibi superiorem designare et confirmare mallet.

Fratres itaque patres supplicant pro nova erectione provinciae.

§ 4. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praefati fratres, proprium mendicantium institutum adimplentes, ad pastorale animarum ministerium obeundum ab ipsis archiepiscopis et episcopis secum ibidem adhibeantur, atque adeo ab iisdem quoque praesulibus commendentur, ut, quemadmodum ceteri mendicantium Ordines ibidem et alibi propriam provinciam obtinent, ita ipsis etiam suam provinciam habere, provincialem eligere, aliosque ministros et officiales deputare, et omnia, sicut antea in more positum erat, facere et constituere liceat; atque huius rei causâ memoratus prior generalis praedicti Ordinis desuper praemissis expostulatus, assistentiam quidem suam promittens, huiusmodi vero facultatem a nobis sibi esse impetrandam responderit: nobis propterea antistites et fratres praefati humiliter supplicari fecerunt ut opportune sibi in praemissis providere et ut infra indulgere de apostolicâ benignitate dignaremur.

Concedit Clemens.

§ 5. Nos igitur, eosdem antistites et fratres specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, attentis narratis, et audito dilecto itidem filio nostro Nerio S.R.E. praefatae diacono cardinali Corsino nuncupato, nostro secundum carnem nepote, apud nos et Sedem praefatam eiusdem regni Hiberniae moderno protectore, cui hoc negotium commisimus, super veritate omnium supra expositorum informante, provinciam strictioris observantiae praefati Ordinis totius regni Hiberniae saepedicti, cum omnibus conventibus nunc existentibus et in posterum recuperandis, ceterisque annexis et connexis, in pristinum statum, cum facultatibus eligendi proprium provincialem, definitorium, aliosque officiales et ministros deputandi, auctoritate apostolicâ tenore praesentium restituimus, ac de novo, quatenus opus sit, erigimus et constituimus, ipsique provinciae sic restitutae ac de novo erectae conventum Edemburgi, olim provinciae Sco-

1 Edit. Main. legit *presbyter* (R. T.).

tiae existentem, perpetuo unientes et adnectentes, provinciali pro tempore praefatae provinciae Hiberniae futuro facultatem quoque deputandi vicarium provincialem praedictae provinciae Scotiae et priorem praedicti conventus Edemburgi, eâdem auctoritate apostolicâ tribuimus et impertimur.

Primum provincialem ac definitores creat.

§ 6. Insuper, pro hac vice tantum, eidem provinciae de idoneis priore provinciali et definitoribus providere volentes, ac de infrascriptorum fratrum expresse professorum fide, prudentiâ, charitate, integritate, doctrinâ, vigilantiâ et religionis zelo plurimum in Domino confisi, dilectos filios Matthaeum a S. Eliseo in sacrâ theologiâ doctorem, aliàs Lyon, in priorem provincialem; ac Simonem a S. Stoc, aliàs a Burth, in primum, Patricium a S. Mariâ Magdalenâ, aliàs Moans, in secundum, Iacobum a Nativitate, aliàs Barnis, in tertium, Iacobum a S. Theresiâ, aliàs Pendergat, in quartum definitores dictae provinciae sic a nobis erectae, ad tempus quo eiusmodi officia iuxta regularia eiusdem Ordinis instituta durare consueverunt, cum omnibus et singulis praerogativis, praeeminentiis, facultatibus, auctoritate, privilegiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, auctoritate et tenore praedictis constituimus et deputamus. Praeterea pro proximo futuro capitulo generali eumdem Matthaeum in definitorem generalem, ac Patricium a S. Mariâ Magdalenâ in primum, ac dilectos pariter filios Ioannem Oneal in secundum socium, necnon Guillelmum Fleyrr in vicarium provincialem Scotiae et priorem conventus Edemburgi, ac Petrum a Pendergat socium et secretarium eiusdem Scotiae, eâdem auctoritate instituimus pariter et deputamus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis memoratae provinciae superioribus, fratribus et personis, ceterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut supernominatos fratres ad officia eis respective per praesentes demandata, illorumque liberum exercitium, iuxta earumdem tenorem praesentium, recipiant et admittant, eosque recognoscant, et illis in omnibus ad eadem officia spectantibus pareant et obediant, faveantque et assistant respective.

Huiusmodi litterarum firmitas.

§ 7. Ac decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, provinciarum Hiberniae et Scotiae et Ordinis praedictorum, aliisque quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x octobris, MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 octobris 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCXIV.

*Extensio et ampliatio constitutionis, quae incipit* In supremo iustitiae solio, *contra homicidas editae pro Statu Ecclesiastico, ad regna Hispaniarum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Enarratio contentorum in bulla *In supremo.*

§ 1. Aliàs nos per nostras sub plumbo expeditas litteras, nempe VI kalendas februarii anno Incarnationis dominicae MDCCXXXIV[1], pontificatus nostri anno V, ad compescenda et coërcenda, atque ab hac almâ Urbe totâque in temporali S. R. E. ditione penitus avertenda et eliminanda homicidia, quae a viris sanguinum, divini humanique iuris oblitis, incredili cum immanitate in dies magis magisque increbescente saepissime patrari non sine gravissimo paterni animi nostri dolore ac moerore inaudiveramus, constitutionem, quae incipit *In supremo iustitiae solio*, promulgavimus: in qua, postquam omnes et singulas constitutiones a felicis recordationis Pio II, Paulo II, Sixto IV, Iulio II, Leone X, Iulio III, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Innocentio XI, Innocentio XII, ac Benedicto XIII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, adversus homicidas saluberrime editas approbavimus, confirmavimus et innovavimus, illasque adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi vel allegari potuisset, restituimus et plenarie reintegravimus, quae deinceps omnino et inviolabiter observari praecepimus ac mandavimus, inter cetera in eâdem constitutione contenta, haec praescripta erant, tenoris qui sequitur[1]:

Statutum in eâ, ut nemini suffragari valeat quodlibet privilegium in casu homicidii.

« Et quoniam experimento compertum est, administrationem ac cursum rectae et expeditae iustitiae, qua reipublicae salus praecipue innititur, summopere obturbari[2] vel ab excessivo numero privilegiatorum, vulgariter *patentati* nuncupatorum, vel a minus rectâ intelligentiâ privilegiorum concessorum: proinde, salvis firmisque remanentibus decretis ac resolutionibus quae temporibus felicis pariter recordationis Urbani Papae VIII et dictorum Innocentii XI ac Innocentii XII praedecessorum, aut aliàs quandocumque eâ super re emanarunt, volumus quod privilegium fori nemini quorumcumque privilegiatorum huiusmodi tam in Urbe quam in reliquo Statu Ecclesiastico (praedictis officialibus aliisque privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium eiusdem S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum ac ministris necessariis actu inservientibus archiepiscopis, episcopis et Ordinariis praefatis, eorumque curiis dumtaxat exceptis) pro crimine homicidii suffragentur; sed dicti privilegiati, quatenus clericali charactere insigniti, ecclesiasticae, et quatenus laici fuerint, saeculari iurisdictioni subiaceant; reservantes nobis facultatem declarandi quinam quotque esse debeant veri familiares dictorum archiepiscoporum, episcoporum et Ordinariorum, ac officiales necessarii cu-

1 Supra pag. 37 *a* ponitur data *kalendis februarii* MDCCXXXV (R. T.).

1 Vide sup., pag. 32 *b* § 8 (R. T.).

2 Pessime edit. Maiu. legit *ob turbam* pro *obturbari* (R. T.).

riis ecclesiasticis verum et actuale servitium praestantes.

Clericus tonsuratus secundi homicidii reus fori privilegio non gaudeat.

« Insuper, quia ex illis etiam qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis et ab omni culpâ et maculâ immunis vitae ac virtutum exemplo praelucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suae vocationis immemores, ut, impellente humani generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant: nos, perversorum quorumcumque malitiae obviandum esse, non indulgendum, probe intelligentes, ad istorum quoque fraenandam pervicaciam, perpetuo itidem statuimus, quod clericus primae tonsurae nullum beneficium ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones clericis huiusmodi a Concilio Tridentino praescriptas servaverit ac servet, pro duobus tamen homicidiis, animo deliberato et praemeditato per eum patratis, privilegio fori et canonis in odium tanti excessûs et ad aliorum terrorem exuatur, et uti incorrigibilis omnino saeculari potestati subiiciatur, ab eâ tamquam laicus legitimis poenis plectendus; clericus quoque in minoribus ordinibus constitutus, nec pariter beneficiatus, nec praescripta a Concilio Tridentino servans, tam coelebs quam coniugatus, in causis homicidii dicto privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque a proprio episcopo seu Ordinario repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abiecit, reassumere possit, nisi post totaliter expiatam admissi delicti poenam; declaratio autem, an reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit, ad episcopum aliumve loci Ordinarium omnino spectet; non retardatâ interim delinquentis assecuratione faciendâ etiam per iudicem laicum nomine Ecclesiae, qui illum pariter Ecclesiae nomine ad illius dispositionem retinere possit ac debeat, donec dicta declaratio prodierit: quacumque diversâ ac etiam contrariâ iuris canonici et apostolicarum constitutionum dispositione, seu interpretatione, necnon consuetudine haud refragante.

Benedictus XIII laicos deliberato animo idem crimen patrantes ab immunitate ecclesiastica exclusit.

« Porro, cum idem Benedictus praedecessor, animadvertens homicidia huiusmodi suo etiam tempore increbrescere, nec minus quam alia facinora in celebri constitutione dicti Gregorii XIV etiam praedecessoris, quae incipit *Cum aliàs*, recensita, publicae quieti officere, pro commissi sibi apostolici officii debito, per praedictam suam anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VI idus iunii, cui initium est *Ex quo divina*, evulgatam constitutionem, laicos, animo praemeditato ac deliberato proximum suum interficientes, ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excluserit et repulerit, ac pro exclusis atque repulsis haberi voluerit: nos, ob gliscentem in dies quorumdam ecclesiasticorum nequitiam, qui, nullâ proprii status habitâ ratione, non raro in adeo nefarium detestandumque crimen prolabuntur, ipsarum Gregorii et Benedicti praedecessorum constitutionibus, quas supra confirmavimus atque innovavimus, inhaerentes, et, quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum reos immunitate ecclesiasticâ nequaquam iuvari iterum decernentes, eamdem Benedicti praedecessoris constitutionem, laicos, animo praemeditato ac deliberato proximum suum sicut praemittitur interficientes, a beneficio immunitatis ecclesiasticae excludentem, ad ipsos ecclesiasticos, cuiuscumque gradus et ordinis existant, in Urbe ac universâ ditione nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectâ, homicidium animo similiter praemeditato ac deliberato patrantes, extendimus

quoque et ampliamus, dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum iudice ecclesiastico competente cognoscatur, et ab eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sanguinis, ad praescriptum sacrorum canonum condignâ puniantur animadversione.

De aetate ad poenam privationemque immunitatis ecclesiasticae requisita.

« Ulterius, ad varias doctorum, qui eiusdem Benedicti praedecessoris mentem quoad personas in dictâ eius constitutione comprehensas interpretari ac explicare voluerunt, sententias et opiniones dirimendas, declaramus homicidii reos natu minores viginti quinque, maiores vero viginti annis, tam laicos quam clericos, atque omnes et singulos, sive laicos sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dictâ Benedicti praedecessoris constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus; ita scilicet ut illorum extractio e loco immuni atque traditio curiae saeculari, quoad laicos, ad eiusdem curiae saecularis requisitionem, fiat a curiâ ecclesiasticâ, et clerici ab ipsâ curiâ ecclesiasticâ ex officio omnino extrahantur iuxta normam infra dicendam.

De modo extrahendi reos ab ecclesiâ iuxta qualitatem criminis et personae.

« Item declaramus omnes et singulos praedictos, tam laicos quam ecclesiasticos, qui in Urbe ac ditione praefatis ex causâ et occasione homicidii etiam in rixâ commissi cum armis seu instrumentis suâpte naturâ aptis ad occidendum inquisiti et processati vel in contumaciam banniti et condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, immunitatis praefatae beneficio minime etiam gaudere; utque reorum ratione homicidii ut praefertur excepti inquisitorum seu bannitorum et in contumaciam condemnatorum extractio ab ecclesiis aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique iudici competenti, legitimis modo et formâ a curiâ ecclesiasticâ fiant, volumus et ordinamus, ut, quotiescumque iudici ecclesiastico competenti innotuerit aliquem laicum seu ecclesiasticum ex causâ homicidii excepti inquisitum atque processatum ad ecclesiam seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate ac personae reitate subministrata vel acquisita suppetant indicia, quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem iudex ecclesiasticus ex officio, ac nemine etiam requirente, si delinquens sit clericus, sin vero laicus, postquam a curiâ saeculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab ecclesiâ seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii saecularis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, devenire teneatur; extractumque ad suos, si tuti et securi fuerint, sin minus, ad curiae saecularis carceres asportari, ibique sub tutâ custodiâ detineri curet et faciat: ubi vero, ex processu informativo desuper conficiendo, quoad inquisitum nondum condemnatum, dictus iudex ecclesiasticus ex acquisitis seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab[1] extracto homicidium a praefatâ Benedicti praedecessoris et hac nostrâ constitutionibus exceptum patratum fuisse cognoverit[2], ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur, extractumque, si laicus sit, ministris et officialibus curiae saecularis, si autem clericus, eius competenti iudici ecclesia-

1 Male edit. Main. legit *ad* pro *ab* (R. T).
2 Male edit. Main. legit *cognoverint* (R. T.).

stico tradere et consignare possit ac debeat, exactis tamen receptisque, in actu traditionis et consignationis huiusmodi, a iudice quidem saeculari iuramento, et ab ecclesiastico promissione in verbo veritatis, de restituendo extractum ecclesiae locove immuni, sub poenâ excommunicationis latae sententiae nobis et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatae, quatenus extractus in suis defensionibus, quae ad tramites iuris et ordinationum apostolicarum ei competunt, praefata elidat seu diluat indicia; et, si illa minime eliserit sive diluerit, et delinquens repertus fuerit, iudici suo, scilicet ecclesiastico in clericum, saeculari in laicum, ut iuris esse censuerit, animadvertere liceat.

De bannitis et sententia contumaciali irretitis.

« Quoties autem de iam bannito aut in contumaciam damnato ex causâ homicidii superius excepti sive laico sive ecclesiastico agetur, quilibet iudex ecclesiasticus, ut praefertur, competens, ad illius, laici[1] nimirum instante curiâ saeculari, et clerici ex officio, extractionem ab ecclesiâ locove immuni, cum interventu quoque personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, ac traditionem suo respective iudici, sicut mox dispositum est, procedat; solamque sententiae contumacialis et actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num istiusmodi sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit, ad formam constitutionum apostolicarum pronunciare ac declarare queat et debeat an bannitus et in contumaciam damnatus consignandus veniat, nec ne; exactis pariter et receptis, quatenus consignetur, a iudice saeculari iuramento, si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico vero, si fuerit clericus, promissione ipsum, ut supra, restituendi ecclesiae locove immuni, sub ante dictâ poenâ excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus ei ad praescriptum praedictarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem et iniustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit; quod si id praestare nequiverit, et ex eisdem sententiâ et actis rite et recte gestis reus repertus fuerit, iudex eius competens sententiam exequi, et, quando aliquem in poenâ irrogatâ excessum deprehenderit, etiam moderari valeat; ita quod quaecumque declaratio a praedicto iudice ecclesiastico facta in iudicio ecclesiasticae immunitatis super consignatione banniti et in contumaciam damnati eiusque denegatione nullatenus deservire et a nemine allegari possit in alio diverso ac separato iudicio, in quo scilicet de praefatae sententiae contumacialis executione postmodum disputari contingeret; ad quem effectum dicta declaratio iudicis ecclesiastici perinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo iudicis competentis in cognoscendâ et definiendâ validitate seu nullitate, iustitiâ seu iniustitiâ eiusdem sententiae contumacialis ingeratur ».

Constitutio praedicta *In supremo* ad Hispaniarum regna extenditur.

§ 2. Cum autem inter cetera, quae in tractatu vigintisex articulis comprehenso ac per mutuam reciprocamque nostram et carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici ratificationem ac ratihabitionem in perpetuum inter apostolicam hanc Sanctam Sedem et earumdem Hispaniarum regna firmato ac constabilito contenta et concordata fuerunt, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XII currentis mensis novembris expeditis litteris uberius continetur, illud quoque

1 Vocem *laici* nos addimus (R. T.).

concordatum fuerit ut dispositionem praefatae constitutionis nostrae superius insertam etiam ad Hispaniarum memoratarum regna, in quibus homicidia frequentissima quoque sunt, extendere et ampliare de apostolicâ benignitate dignaremur: nos igitur, ad tam exitiale ac detestabile homicidiorum flagitium, quantum cum Domino possumus, propulsandum exterminandumque advigilantes, praedictam constitutionem, pro universâ, ut praemittitur, S. R. E. praefatae ditione a nobis factam, quoad praeinserta in his praesentibus litteris respective, ad praedicta Hispaniarum regna, apostolicâ auctoritate, motu proprio, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, atque deinceps omnino ac inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

Sola sententiae contumacialis exhibitio sufficit ad hoc ut iudex ecclesiasticus possit declarare an in contumacia damnatus consignandus sit, nec ne.

§ 3. Volumus tamen, ut, sicut in nostrâ ditione ecclesiasticâ sola sententiae contumacialis, et actorum quibus illa fundatur, exhibitio ad hoc[1] sufficiat ut dictus iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit ad formam constitutionum apostolicarum, pronunciare ac declarare queat et debeat an bannitus et in contumaciam damnatus consignandus veniat, necne; ita pariter pro regnis Hispaniarum sola sententiae contumacialis, ac actorum quibus illa fundatur, exhibitio, ad hoc sufficiat ut iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit ad formam legum et statutorum eorumdem regnorum Hispaniarum, pronunciare ac declarare queat ac debeat an bannitus et in contumaciam damnatus consignandus veniat, nec ne.

Praesentium litterarum firmitas et perpetua observantia.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere[1], atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, eorumdem cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functoros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praeinsertis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stilis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac quorumcumque praedecessorum nostrorum litteris, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis, etiam dictis cardinalibus, eorumque Congregationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi

1 Partic. *ut* hinc abiicimus (R. T.).

1 Edit. Main. legit *oblineri* (R. T.).

pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaelibet alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Terminus indictus ad huiusmodi constitutionis vigorem inducendum.

§ 6. Volumus autem, ut, lapsis vigintiquinque diebus postquam praesentes litterae per earumdem Hispaniarum regna ab ordinario nostro atque apostolicae huius Sanctae Sedis in iisdem Hispaniarum regnis nuntio publicatae fuerint, omnes et singulos in praefatis regnis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter ac nominatim intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI novembris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 novembris 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCXV.

*Patriarchae pro tempore ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis perpetuo conceditur, quod in consistorio immediate sequenti ad eius electionem ac provisionem de patriarchatu ad cardinalitiam dignitatem promoveri debeat.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Inter praecipuas apostolici ministerii nostri partes eam esse longe gravissimam nobis iniunctam intelligimus, ut hierarchiam, divinâ ordinatione in Catholicâ Ecclesiâ institutam, non solum semper stabilem custodire et conservare, verum etiam maioribus gloriae ac splendoris incrementis, cum haec ad divini honoris cultum magis adaugendum ac Catholicae Ecclesiae decus amplius promovendum plane redundatura fore in[1] Domino prospicimus et confidimus, apostolicâ sollicitudine ac providentiâ cumulare satagamus[2].

Causae concedendi privilegium de quo in rubrica.

§ 1. Itaque, cum venerabilis frater patriarcha ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis iis insignibus et praerogativis a felicis recordationis Clemente XI et Benedicto XIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris primum ordinatus[3] fuerit ut profecto inter ecclesiasticos praesules et antistites plurimum excellat, hinc est quod nos etiam congruum et consentaneum propterea fore existimamus, si patriarcha praefatus per laudabilem providentiae et indulgentiae rationem, quam apostolica haec Sancta Sedes, quantum commode fieri poterit, in assumendis S. R. E. cardinalibus habere consuevit erga orthodoxas nationes, inter eosdem S. R. E. cardinales etiam

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).
2 Edit. Main. legit *satagimus* (R. T.).
3 Potius legendum *ornatus* (R. T.).

per antedictae providentiae anticipationem in posterum adnumeretur, quemadmodum ipsum quoque carissimum in Christo filium nostrum Ioannem Portugalliae et Algarbiorum regem illustrem de catholicâ religione multis nominibus, et praesertim ob eximiam pietatem ac constantem fidelissimamque erga apostolicam hanc Sedem probatam observantiam ac singularem sollicitudinem, studium zelumque in provehendâ propagandâque ad instar omnium Portugalliae et Algarbiorum regum praedecessorum suorum apud barbaras remotissimasque gentes catholicâ fide, meritissimum, ac propterea omnibus apostolicae liberalitatis documentis dignissimum, id ipsum sentientem desiderare accepimus.

Concessio privilegii praedicti.

§ 2. Quamobrem, motu proprio, nostro et successorum nostrorum et Sedis Apostolicae nomine, de nonnullorum etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, concedimus et indulgemus, ut, memoratâ erga catholicas nationes providentiâ suffragante, in consistorio provisus et electus pro tempore patriarcha ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, qui alioquin peculiaria iuxta constitutiones apostolicas ad cardinalitiam dignitatem requisita habere debeat, in amplissimum eiusdem S. R. E. senatum in altero immediate sequenti concistorio cooptetur, eique suo tempore, servatâque suâ forma, unus ex cardinalitiis titulis assignetur iuxta constitutiones felicis recordationis Sixti Papae V. Quod si nulla adsit eamdem catholicis nationibus impertiendi apostolicae benignitatis gratiam opportunitas, tamen per anticipationem etiam non semel, et quoties opus fuerit, faciendam, in sacrum cardinalium collegium adscisci eâ quidem lege statuimus, ut, quoties vigore praesentium laudatae apostolicae beneficentiae testimonia acceperit natio Lusitana, toties nulla eidem obsecundandi ratio habeatur, cum opportuna gratificandi aliis nationibus aut Pontifici ipsi, qui patriarcham S. R. E. cardinalem declaraverat, aut sibi succedentibus pro tempore Summis Pontificibus, se obtulerit occasio.

Non dandus locus coadiutoriae, nisi causis cognitis in consistorio secreto.

§ 3. Porro huic pontificiae nostrae concessioni providentiaeque motu proprio et ex certâ ac maturâ deliberatione nostris ac de apostolicae potestatis plenitudine initae tunc locum esse statuimus, cum supradictam patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem vacare contigerit, translationibus et dimissionibus omnino exclusis, nisi tamen ad dimissionem admittendam causa adeo urgens publica et necessaria sit, ut[1] serio expensa neque etiam per suffraganei antistitis subsidium patriarchalis ecclesiae indigentiis occurri possit, atque in secreto eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium concistorio ac ab ipsis pro tempore Romanis Pontificibus comprobetur; sicque futuris perpetuo temporibus a nobis successoribusque nostris servandum esse decernimus et statuimus.

Huiusce concessionis firmitas.

§ 4. Decernentes pariter, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et Sedis praefatae nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes ac functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis au-

1 Videtur legendum *et* pro *ut* (R. T.).

ctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio. § 5. Non obstantibus apostolicis, ac in generalibus conciliis editis, constitutionibus et ordinationibus super praemissis disponentibus; quas omnes, quatenus praesenti constitutioni in aliquo adversantur, illarum tenores pro plene et sufficienter expressis habentes, etiamsi de illis specialis, specifica, expressa et individua, de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio facienda esset, omnino abrogamus, abolemus et annullamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda. § 6. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo praelati vel personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae. § 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri indulti, dationis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, XVI kalendas ianuarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 17 decembris 1737, pontif. anno VIII.

A. card. pro-datarius.

Pro domino card. OLIVERIO.

C. AMATUS.

*Visa de Curiâ:*

N. ANTONELLUS.

*Loco † Bullae Aureae.*

## CCXVI.

*Extensio indulti, magistris generalibus Ordinis B. M. V. de Mercede Redemptionis Captivorum a Sede Apostolicâ concessi celebrandi in privatis oratoriis conventuum dicti Ordinis in quibus eos commorari contigerit, ad exgenerales eiusdem Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Mez, frater expresse professus, in sacrâ theologiâ magister, ac procurator generalis Ordinis B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, quod aliàs, auctoritate apostolicâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, tunc et pro tempore existentibus magistris generalibus eiusdem Ordinis indultum fuit ut ipsi in privato domus suae habitationis[1] intra claustra conventuum dicti Ordinis, ubi eos pro tempore commorari contigisset, unam missam pro unoquoque die per se ipsos celebrare libere et licite possent et valerent, et aliàs, prout in apostolicis desuper in simili formâ Brevis expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Concessio aliàs magistris generalibus Ordinis facta.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, indultum huiusmodi ad exgenerales eiusdem Ordinis per nos extendi summopere desideret: nos, eiusdem Iosephi procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel Extenditur ad exgenerales.

1 Videtur deesse *oratorio*, vel legendum *habitaculo* (R. T.).

causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, indultum praepositum pro tempore existentibus magistris generalibus Ordinis huiusmodi celebrandi in privatis oratoriis conventuum dicti Ordinis, in quibus eos commorari contigerit, ut praefertur, concessum, ad modernos et pro tempore existentes exgenerales ipsius Ordinis, servatâ in reliquis praedictarum litterarum formâ et dispositione, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus et ampliamus. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in dictis litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xx decembris MDCCXXXVII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 20 decembris 1737, pontif. anno VIII.

---

## CCXVII.

*Confirmatio quarumdam resolutionum Congregationis particularis pro expositis archihospitalis S. Spiritus in Saxiâ de Urbe.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Leander cardinalis Portia visitator huius archihospitalis cum facultate alium ad id assumendi.

§ 1. Aliàs nos, nempe die XXX septembris MDCCXXXVII proxime elapsi, ad ecclesiae, domui, valetudinario sive archihospitali[1] mensaeque nummulariae S. Spiritus in Saxiâ nuncupati huius almae Urbis nostrae rationibus opportune providendum, dilectum filium nostrum Leandrum tituli S. Callisti presbyterum S. R. E. cardinalem Portiam nuncupatum visitatorem apostolicum, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis, ac praesertim sibi in subsidium assumendi unum aut plures Romanae Curiae praelatos, sive personas sibi benevisas, ut quaecumque[1] ad ecclesiae, domus, valetudinarii sive archihospitalis mensaeque nummulariae praedictae levamen utilitatemque proficua ac saluberrima statuenda atque providenda fore existimasset, pro suâ spectatâ fide, prudentiâ, doctrinâ, charitate, religionis zelo, ac rerum agendarum dexteritate et experientiâ, provideret ac statueret, constituimus et deputavimus, prout in aliis nostris in simili formâ Brevis litteris desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

A Congregatione particulari statutum, ut in unaquaque provincia stabiliatur modus educandi infantes expositos.

§ 2. Cum autem, inter cetera hactenus inita consilia adhibitaque remedia, illud etiam necessarium esse iudicaverit, ut aliquo pacto diminuerentur magna impendia et sumptus qui fiunt ob curam educationemque infantium expositorum qui ex provinciis etiam Ecclesiastici Status nostri tam extra quam intra districtum almae Urbis praefatae quotidie numerosissimi afferuntur; ac propterea nobis humiliter supplicaverit ut ad huiusmodi effectum Congregationem particularem nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium aliorumque Romanae Curiae praelatorum deputaremus, quemadmodum deputavimus; a qua quidem Congregatione particulari a nobis deputatâ, et habitâ die VII mensis ianuarii proxime praeteriti, considerata et resoluta fuerunt: I. Dictum archihospitale impotens omnino esse ad ferendum onus

1 Forsan *domus, valetudinarii, sive archihospitalis* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *quâcumque* (R. T.).

admittendi ac alendi proiectos intra et extra Urbis districtum natos; ac proinde; II. In[1] incumbere unicuique respectivae provinciae ex iis ex quibus antea deferebantur ad dictum archihospitale: ac, ut id exequatur; III. In unàquaque provinciâ statuendum esse locum et modum, ut ii respective alantur; IV. Data fuit eidem Leandro visitatori facultas eligendi aliquem praelatum, qui, cum facultatibus per quam amplissimis a nobis impetrandis, se conferat ad dictas provincias, ac adhibito consilio ordinariorum gubernatorum, necnon deputatorum communitatum, quod resolutum fuit, integre exequatur:

Huiusmodi decretum confirmatur a Clemente.

§ 3. In quorum sequelam idem Leander visitator, ad mentem Congregationis praefatae, praeelegit in praelatum ad exequendum praedicta dilectum filium magistrum Martinum Innicum Caraccioli in utrâque signaturâ nostrâ referendarium: subinde vero die XIII eiusdem mensis ianuarii, factâ nobis omnium relatione, praeinsertas resolutiones approbavimus, ac, pro firmiori illarum subsistentiâ, de praesenti motu proprio et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, iterum approbamus et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Firmitas harum litterarum.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque.

Obstantium derogatio.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII februarii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 7 februarii 1738, pontif. anno VIII.

[1] Videtur legendum *Id* pro *In* (R. T.).

---

## CCXVIII.

*Quarta pars redituum, a patriarchali, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus aliàs dismembrata favore dignitatum, canonicorum et beneficiatorum patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis a felicis recordationis Clemente XI et Innocentio XIII summis Pontificibus, ampliatur ad tertiam dictorum redituum partem, aliique ecclesiastici redditus pro earumdem dignitatum et canonicorum decentiori substentatione et patriarchalis ecclesiae manutentione perpetuo applicantur.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Religiosa christianorum principum erga divini servitii decorem vota paterno prosequimur affectu, eaque ad debitum, prout pastoralis nostri muneris sollicitudo et laudabilis eorumdem principum exigit devotio, perducimus implementum. Quapropter, dum nos providam nostrae considerationis aciem dirigimus ad inclitam et vere regiam charitatem carissimi in Christo filii nostri Ioannis hoc nomine V Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, qui in regnis suis non solum temporalium, verum etiam et praecipue spiritualium

rerum[1] sublime nomen ad divini servitii gloriam erigendamque ad beatam Sion populorum suorum devotionem personare, et in eius patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali, caelestis beatorum civium aulae imaginem exhibente in terris, personas divinis obsequiis iugiter insistentes pro earum debitâ manutentione, et prout patriarchalis ecclesiae praedictae postulat dignitas, novis facultatibus annuisque redditibus communiri, eisque sic communitis, caelestis aulae ac beatorum civium praedictorum in patriarchali ecclesiâ huiusmodi sibi populisque suis elucescere maiestatem, piissimis ac vere fidelissimo rege dignis exoptat affectibus, ad desideria sua huiusmodi apostolicae liberalitatis nostrae partes favorabiliter interponimus, prout, pensatis desideriorum praedictorum erga divini servitii decorem meritis, in Domino conspicimus salubriter expedire.

Clemens XII erectam a se patriarchalem ecclesiam dotavit ex dismembratione quartae partis fructuum ceterarum ecclesiarum.

§ 1. Aliàs siquidem felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, postquam ipse patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem ab eo erectam et institutam, ob suorum insignia meritorum, copioso privilegiorum et indultorum ac aliarum gratiarum apostolicâ auctoritate concessorum thesauro ditaverat, ut in eâ divinarum rerum cultus suo quoque par esset decori, eiusdemque patriarchalis ecclesia Ulyssiponensis occidentalis fructibus, redditibus et proventibus ecclesiasticis, per quos dignitates, canonici et beneficiati, ceterique dictae patriarchalis ecclesiae Ulysspionensis occidentalis ministri se decenter sustentare valerent, suus quoque fulgor elucesceret et maiestas, motu eius proprio a praedictâ patriarchali Ulyssiponensi occidentali ac archiepiscopalibus et episcopalibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis consistentibus ecclesiis quartam partem earumdem fructuum, redditumm et proventuum naturalium, industrialium et civilium, summam triginta trium millium centum triginta septem ducatorum auri de Camerâ constituentem, dismembravit et separavit; et ex cantoratûs, qui ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum, ex thesaurariae maioris nuncupatae, qui etiam ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum, ex scholasticae[1] respective dignitatum, qui similiter ad centum quinquaginta quatuor, tertiam partem eorum, videlicet quinquaginta unum; ac ex quindecim canonicatuum et praebendarum saecularis et forsan insignis collegiatae ecclesiae S. Mariae de Alcacova oppidi de Santarem Ulyssiponensis occidentalis dioecesis, qui, videlicet quorumlibet eorum, ad centum quinquaginta quatuor, et insimul ad bis mille trecentos decem, tertiam partem uniuscuiusque eorum, videlicet quinquaginta unum pro quolibet, et insimul septingentos sexaginta quinque; ac ex prioratûs, qui ad trecentos octoginta quatuor, quatuor nonas partes eorum, videlicet sexaginta novem, et ex archipresbyteratûs, qui ad centum quadraginta duos, quartam partem eorum, videlicet triginta quinque, et ex thesaurariae etiam respective dignitatum, qui ad quadringentos, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum septuagintaocto; ac ex trium canonicatuum et praebendarum etiam saecularis et forsan insignis collegiatae ecclesiae oppidi de Barcellos Bracharensis dioecesis respective fructibus, redditibus et proventibus, qui, videlicet cuiuslibet eorum, ad centum triginta septem, et insimul qua-

1 Syntaxin seq. redintegrare dimittimus lectori scio, non enim potuimus (R. T.).

1 Vel *scholastriae* ut postea legitur (R. T.).

drigentos undecim, quartam partem eorum, videlicet trigintaquinque pro quolibet, et insimul ad[1] centum quinque; necnon ex prioratûs, qui ad quingentos viginti duos, quatuor nonas partes eorum, videlicet ducentos triginta duos, ex cantoratûs, qui ad trecentos quadraginta septem, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum quinquaginta quatuor, ex thesaurariae etiam respective dignitatum, qui ad ducentos sexaginta, quatuor nonas partes eorum, videlicet centum sexdecim; ac ex decem canonicatuum et praebendarum pariter saecularis et forsan insignis collegiatae ecclesiae S. Mariae de Ourem Leiriensis dioecesis respective fructibus, redditibus et proventibus, qui, videlicet cuiuslibet eorum, ad centum septuaginta tres ducatos auri de Camerâ huiusmodi annuatim respective ascendebant, et insimul mille septingentos triginta ducatos auri similes constituebant, duas quintas partes eorum, videlicet septuaginta pro quolibet, et insimul septingentos ducatos auri pares respective constituentes, respective dismembravit et separavit; ac S. Mariae oppidi de Obidos Ulyssiponensis occidentalis dioecesis, cuius quadringentorum quinquaginta octo, et S. Mametis loci de Lindoso, cuius ducentorum triginta quatuor, ac S. Iacobi loci de Anha, cuius quadringentorum octodecim, ac S. Mariae oppidi Chaves Bracharensis respective dioecesis, forsan habitualem tantum, nullatenus vero actualem curam animarum habentes, ecclesias seu capellas, aut respective in eis vel aliis respective locorum Ulyssiponensis occidentalis et Bracharensis respective dioecesum huiusmodi et respective ecclesiis totidem perpetua simplicia ecclesiastica, prioratus seu abbatias, etiam respective nuncupatas seu nuncupata, ad vel sub S. Mariae ac S. Mametis et S. Iacobi necnon S. Mariae huiusmodi respective altaria seu respective invocationibus, cuius quingentorum quinquaginta trium ducatorum auri similium respective fructus, redditus et proventus valorem annuum non excedebant, certo tunc expresso modo vacantes seu vacantia, sub certis modo et formâ tunc expressis suppressit et extinxit: ac quartam partem omnium et quorumcumque fructuum, reddituum et proventuum tam naturalium quam industrialium et civilium patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum huiusmodi, necnon alios fructus, redditus et proventus ex dignitatum ac canonicatuum et praebendarum collegiatarum huiusmodi fructibus, ut praefertur, dismembratam et separatam, ac dismembratos et separatos, necnon ecclesiarum seu capellarum aut beneficiorum, ut praefertur, suppressarum et extinctarum, seu suppressorum et extinctorum huiusmodi, fructus, redditus et proventus, dignitatibus et canonicatibus et praebendis, necnon duodecim beneficiis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, sub certis modo et formâ similiter tunc expressis, apostolicâ auctoritate praefatâ, motu eius proprio, et de apostolicae potestatis plenitudine, applicavit et assignavit, ac respective annexuit et incorporavit: ac aliàs, prout in eiusdem Clementis praedecessoris litteris ab eiusdem recordationis Innocentio XIII similiter praedecessore nostro, pro eo quod praedictus Clemens praedecessor, antequam ipsae desuper conficerentur, sicut Domino placuit, ab humanis decesserat, in formâ *Rationi congruit* desuper expeditis[1], sub datum videlicet apud S. Petrum anno Incarnationis dominicae MDCCXXI,

1 Praeposit. *ad* delenda videtur (R. T.).

1 Non leguntur in Bullario (R. T.).

xv kalendas iunii, pontificatus sui anno I, plenius continetur.

Causae novae faciendae concessionis.

§ 2. Cum autem, sicut accepimus, praedicti fructus, ut praefertur applicati, congruenti ac honorificae pro tempore existentium dignitatum ac canonicorum aliorumque ministrorum eidem patriarchali Ulyssiponensi occidentali ecclesiae inservientium substentationi et decori, onerumque eidem patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali incumbentium supportationi impares esse dignoscantur, earumdemque litterarum apostolicarum executio suspensa extiterit, et adhuc existat de praesenti:

Concessio de qua in rubrica.

§ 3. Nos igitur, qui patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem praefatam pari paternoque prosequimur affectu, probe scientes pia praedicti Ioannis regis erga divini cultûs in praedictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali augmentum eiusque decorem desideria, et ne diutius ipsa convenientibus suae dignitati onerumque ab ipsâ substinendorum supportationi ac congruis ei famulantium manutentioni et honorificentiae orbata remaneat subsidiis, dilectos filios modernos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis dignitates et canonicos, ac eorum quemlibet, a quibusvis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, necnon praefati Clementis praedecessoris litteras ab Innocentio praedecessore praedicto in dictâ formâ expeditas, earumque totum et integrum tenorem praesentibus pro expressis ac de verbo ad verbum pro insertis habentes, easque ac omnia et singula in eis contenta, nisi quatenus praesentibus adversentur, approbantes, confirmantes et innovantes, et, si qui desuper defectus quomodolibet intervenerint, revalidantes, motu simili, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque pari apostolicae potestatis plenitudine, attento consensu dicti Ioannis regis ad hunc effectum, ut accepimus, iam praestito, a patriarchali Ulyssiponensi occidentali, ac archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus praedictis, ac[1] quarum insimul fructus, redditus et proventus ad centum triginta duos mille quingentos sexaginta-sex ducatos auri pares, ut etiam accepimus, annuatim ascendunt, ex omnibus et singulis earum respective fructibus, redditibus et proventibus naturalibus, industrialibus et civilibus, ex censibus, laudemiis, contributionibus praedialibus, vulgo *pitancas*, aliisque obventionibus, necnon ex iurisdictione etiam temporali et ex cancellariae ac luctuosarum proventibus provenientibus, ceterisque emolumentis quibuscumque ad patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem ac archiepiscopales et episcopales ecclesias praedictas quocomque titulo, etiam unionis, donationis, contractûs cuiuslibet, etiam onerosi, aut legati, etiam personalis nuncupati, vel aliâ quavis causâ seu iure, nunc et pro tempore, etiam de novo in futurum respective spectantibus, loco quartae partis earum cuiuslibet respective fructuum, reddituum et proventuum a praedicto Clemente praedecessore ab eis respective dismembratae, eiusdemque patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis applicatae, insimul ad triginta tres mille cen-

1 Coniunct. *ac* deleri commode posset (R.T.).

tum trigintaseptem ducatos auri de Camerâ huiusmodi, ut praefertur, ascendentis, tertiam earumdem respective fructuum, redditunm et proventuum naturalium, industrialium et civilium ex censibus, laudemiis, contributionibus praedialibus, vulgo *pitancas*, aliisque obventionibus, necnon ex iurisdictione etiam temporali et ex cancellariae ac luctuosarum proventibus provenientium, ceterorumque emolumentorum quorumcumque ad patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem ac archiepiscopales et episcopales ecclesias praedictas quocumque titulo etiam unionis, donationis, contractûs cuiuslibet, etiam onerosi, aut legati, etiam personalis nuncupati, vel aliâ quavis causâ seu iure, nunc et pro tempore etiam de novo in futurum respective spectantium, partem, insimul ad quadraginta quatuor mille centum octoginta octo ducatos auri huiusmodi annuatim nunc et etiam pro tempore ascendentem, et, quoad[1] ecclesias praedictas quae pastoris solatio ad praesens destitutae existunt, a die datae earumdem praesentium, quoad alias vero quae suo respective pastore viduatae non reperiuntur, ex nunc pro tunc, et cum primum illas et earum quamlibet eodem pastoris solatio destitui contigerit: necnon ex decanatu post pontificalem maiore, cuius mille ducentorum nonaginta novem, necnon ex cantoratu, cuius quingentorum nonaginta quatuor, et ex uno de Braga, cuius septingentorum quinquaginta sex, ac ex altero archidiaconatibus de Colimbria respective nuncupatis, cuius ducentorum triginta septem, ac ex thesaurariatu maiori nuncupato, cuius aliorum septingentorum quadraginta septem, ac ex scholastriâ respective dignitatibus, cuius octingentorum septuaginta sex et iulii unius; necnon ex uno et unâ, quem et quam Antonius Magalhaens, ac quorum quadringentorum quinquaginta novem, nec non ex alio et aliâ, quem et quam Simon Barbosa, ac quorum quadringentorum nonaginta octo, ac ex alio et aliâ, quem et quam Ignatius de Aravio, ac quorum quadringentorum quadraginta septem, ac ex alio et aliâ, quem et quam Emanuel Pereira de Aravio, ac quorum octingentorum triginta unius, ac ex alio et aliâ, quem et quam Ioannes Soares Monteiro, ac quorum[1] quadringentorum trigintaquinque, necnon ex alio et aliâ, quem et quam Antonius Ribeiro de Macedo, ac quorum quingentorum quadraginta trium, ac ex reliquo canonicatibus et reliquâ praebendis ecclesiae Bracharensis, quem et quam Gonzalvus Antonius de Sousa, aut aliàs forsan respective nominati et seu cognominati clerici seu presbyteri dilecti etiam filii, vel eorum aut alicuius eorum forsan successores seu successor, ad praesens respective obtinent, ac quorum quadringentorum octoginta; necnon ex decanatu etiam post pontificalem maiore, cuius mille sexcentorum, ac ex scholastriâ similiter respective dignitatibus, cuius octingentorum quinquaginta octo, necnon ex undecim canonicatibus et, non tamen doctorali et magistrali respective nuncupatis, praebendis ecclesiae Elborensis, quorum et quarum insimul novem mille quadringentorum triginta octo, ac ex quinque canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis eiusdem ecclesiae Elborensis, etiam ex illo et illâ, cuius altera dimidia fructuum pars tribunali sacrae Inquisitionis perpetuò applicata reperitur, ac quorum et quarum insimul bis mille centum quadraginta quinque; necnon

1 Male ed. Main. legit *quod* pro *quoad* (R.T.).

1 Edit. Main. legit *quarum* (R. T.).

ex decanatu similiter post pontificalem maiore, cuius sexcentorum octoginta septem, necnon ex thesaurariatu maiori nuncupato ecclesiae Colimbriensis, cuius octingentorum quinquaginta octo; nec non ex decanatu post pontificalem maiore, cuius noningentorum triginta, ac ex cantoratu, cuius quingentorum nonaginta quatuor, ac ex uno de Baculo seu de Valdigem, cuius septingentorum sexaginta quinque, ac ex altero archidiaconatibus de Regoa respective nuncupatis ecclesiae Lamacensis, cuius quadringentorum triginta quinque; necnon ex decanatu etiam post pontificalem maiore, cuius mille trecentorum triginta duorum, necnon ex cantoratu, cuius sexcentorum septuaginta duorum, nec non ex scholastriâ, cuius sexcentorum septuaginta duorum, necnon ex archidiaconatu etiam Baculo seu de Meinedo nuncupato, cuius octingentorum septuaginta, necnon ex archipresbyteratu ecclesiae Portugallensis, cuius sexcentorum sexaginta trium; necnon ex thesaurariatu maiore nuncupato, cuius quingentorum nonaginta unius et iuliorum novem cum dimidio, necnon ex uno de Guarda, cuius ducentorum triginta unius, necnon ex alio de Selorico, cuius ducentorum quinquaginta octo, nec non ex reliquo archidiaconatibus de Covilham respective nuncupatis ecclesiae Ægitaniensis, nullam vel modicam tantum residentiam requirentibus, cuius aliorum ducentorum triginta unius; nec non ex cantoratu, cuius septingentorum quatuordecim et iuliorum quinque monetae romanae, ac ex scholastriâ, cuius quadringentorum viginti novem, necnon ex archidiaconatu etiam de Baculo nuncupato ecclesiae Visensis, dignitatibus inibi respective, non tamen post pontificalem maioribus, existentibus, ac quorum et quarum aliquibus ex dignitatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis praedictis, nonnullae parochiales ecclesiae, et seu illarum fructus, perpetuò unitae, annexae et incorporatae, et seu uniti, annexi et incorporati respective reperiuntur, ac cuius, et praedictorum et forsan aliorum illis respective annexorum, ducentorum triginta unius ducatorum auri de Camerâ huiusmodi respective fructus, redditus et proventus, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, quique omnes insimul annuam summam triginta trium millium quadringentorum sex ducatorum auri similium et iuliorum quindecim monetae praefatae cum dimidio alterius iulii similis, ut pariter accepimus, constituunt, totidem singulas dignitatum ac canonicatuum et praebendarum, necnon canonicatuum cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiorum canonicatuum et dimidiarum praebendarum, ac eorum et earum cuiuslibet respective fructuum, reddituum et proventuum praefatorum, etiam ex distributionibus quotidianis, decimis et aliis quibuscumque proventibus, etiam ratione eis et eorum cuilibet praefatorum et aliorum forsan respective annexorum, necnon bonis, proprietatibus, iuribus, censibus, laudemiis, contributionibus praedialibus, vulgo *pitancas*, ceterisque proventibus, obventionibus et emolumentis quibuscumque, certis et incertis, in pecuniâ vel fructibus aut quibuslibet aliis rebus quomodolibet consistentibus, provenientium, et ad dignitates ac canonicatus et praebendas, necnon canonicatus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidios canonicatus et dimidias praebendas, illosque et illas pro tempore obtinentes quocumque titulo etiam unionum, donationum, oblationum, luctuosarum, contractûs cuiuslibet etiam

onerosi, aut legatorum etiam personalium nuncupatorum, seu aliâ quavis causâ vel iure nunc et pro tempore et seu etiam de novo aut in futurum spectantium, respective tertias partes, quae insimul annuam summam undecim millium centum trigintasex ducatorum auri similium et iuliorum undecim constituunt: necnon ex uno Oliveira, cuius mille nonagintaquatuor, illorum medietatem, videlicet quingentos quadragintaseptem, et ex altero archidiaconatibus de Regoa respective nuncupatis praefatae ecclesiae Portugallensis, inibi respective dignitatibus, non tamen post pontificalem maioribus, existentibus, quibus pariter, ut etiam accepimus, nonnullae parochiales ecclesiae, et seu illarum fructus perpetuò respective unitae, annexae et incorporatae, et seu uniti, annexi et incorporati reperiuntur, ac cuius bismille centum nonagintaduorum ducatorum auri parium respective fructus, redditus et proventus, secundum aestimationem praefatam, valorem annuum, ut pariter accepimus, non excedunt, tres ex quatuor eorumdem fructuum, reddituum et proventuum ex eis etiam ut praefertur provenientium, et ad eos similiter quocumque titulo aut qualibet ex causâ nunc et in futurum ut praefertur spectantium, et seu unitorum, annexorum et incorporatorum praefatorum partes, videlicet mille sexcentos quadraginta quatuor ducatos auri partes[1]: ac insuper unius de Barroso, cuius quingentorum duorum, ac alterius S. Christinae, cuius mille ducentorum quadragintasex et iuliorum septem monetae cum dimidio alterius iulii similis, necnon alterius de Fontearcada, cuius mille centum sexaginta quinque et iuliorum duodecim monetae praefatae cum dimidio alterius iulii similis, necnon alterius de Labruge, cuius quingentorum quatuordecim et iuliorum quinque monetae praefatae, necnon alterius de Neiva, cuius quingentorum, necnon alterius de Villanova de Cerveira, cuius trecentorum triginta unius et iuliorum septem monetae praefatae cum dimidio alterius iulii similis, in praefatâ Bracharensi, necnon alterius etiam de Baculo, cuius quadringentorum vigintiocto et iuliorum decem monetae praefatae, ac alterius de Sexta, in praedictâ Elborensi, cuius quadringentorum vigintiocto quinquaginta septem et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii paris, ac reliqui archidiaconatûs S. Petri de Franca respective nuncupatorum, cuius quingentorum septuaginta unius et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis in praedictâ Vicensi, ac thesaurariatûs maioris nuncupati in eâdem Lamacensi respective ecclesiis respective dignitatum, non tamen post pontificalem maiorum, nullamque vel modicam tantum residentiam requirentium, quarum aliquibus etiam nonnullae parochiales ecclesiae, et seu illarum fructus, similiter perpetuò unitae, annexae et incorporatae, et seu uniti, annexi et incorporati respective existunt, ac cuius quingentorum quatuordecim ducatorum auri parium et iuliorum octo monetae praedictae respective fructus, redditus et proventus, secundum aestimationem praedictam, valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, omnes et singulos eorum ac cuiuslibet eorum fructus, redditus et proventus praedictos, etiam ut praefertur ex decimis et aliis quibuscumque proventibus, etiam ratione praedictorum et forsan aliorum eis et eorum cuilibet respective annexorum, necnon bonis, proprietatibus, iuribus, censibus, laudemiis, contribu-

1 Videtur legendum *pares* pro *partes* (R. T.).

tionibus praedialibus, vulgo *pitancas*, ceterisque proventibus, obventionibus et emolumentis quibuscumque, certis et incertis, provenientes, ac in pecuniâ vel fructibus aut quibuslibet aliis rebus quomodolibet consistentes, et ad ultimodictas decem dignitates, ac illas pro tempore obtinentes, quocumque titulo, etiam donationum, oblationum, luctuosarum, contractûs cuiuslibet etiam onerosi, aut legatorum etiam personalium nuncupatorum, seu aliâ quavis causâ vel iure, nunc et pro tempore et seu etiam de novo aut in futurum spectantes, qui omnes et singuli ultimodictarum decem dignitatum respective fructus, redditus et proventus annuam summam sex millium centum triginta unius ducatorum auri similium et iuliorum tredecim monetae praedictae, ut pariter accepimus, constituunt: ex nunc, quoad dignitates ac canonicatus et praebendas necnon canonicatus cum dimidiâ praebendâ seu dimidios canonicatus et dimidias praebendas huiusmodi quae et qui actu nunc vacant, quo vero ad illas et illos quae et qui minime vacant de praesenti, ex nunc prout ex tunc et e contra, ac cum primum omnes et singulas dignitates ac omnes et singulos canonicatus et praebendas, necnon canonicatus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidios canonicatus et dimidias praebendas huiusmodi, ac illarum quamlibet et illorum quemlibet, per cessum, etiam ex causâ permutationis, etiam in nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, vel decessum seu privationem aut dimissionem vel amissionem quorumcumque illas et illos aut illarum et illorum quamlibet et quemlibet quomodolibet obtinentium et obtinentes[1], aut aliàs quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam ex quocumque decreto vacationis seu cessationis cuiuscumque iuris, apostolicâ auctoritate in provisionibus de aliis beneficiis illas et illos quomodolibet obtinentibus eâdem apostolicâ auctoritate factis quomodolibet apponendo[1], seu tunc apposito, etiam in aliquo ex mensibus nobis et Romano Pontifici pro tempore existenti Sedique Apostolicae praedictae per constitutiones apostolicas seu cancellariae apostolicae regulas editas vel edendas vel aliàs quomodolibet reservatis, seu ordinariis collatoribus per easdem apostolicas constitutiones, cancellariae praedictae regulas, seu litteras alternativarum, aut alia privilegia et indulta concessa, seu iure ordinario vel aliàs competentia[2], vacare contigerit; etiamsi actu nunc, ut praefertur, aut aliàs quovis modo, quem, etiamsi ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore iuris clausa[3] resultet, praesentibus haberi volumus pro expresso, etiamsi illas et illos et illarum quamlibet ac illorum quemlibet nunc obtinentes et obtinens nostri aut Romani Pontificis pro tempore existentis seu cuiusvis S. R. E. cardinalis etiam tunc viventis familiares seu familiaris, continui commensales seu continuus commensalis, aut Romanae Curiae officiales seu officialis, aut aliàs quamcumque reservationem seu affectionem quomodolibet inducentes seu inducens extiterint seu extiterit, seu per illas et illos aut illarum quamlibet et illorum quemlibet obtinentium seu obtinentis, vel quorumvis aliorum, de illis et illarum qualibet et illorum quolibet in Romanâ Curiâ praedictâ vel extra eam etiam coram notario publico et testibus respective factas liberas resignationes, aut assequutionem alterius beneficii ec-

1 Potius lege *et obtinentis* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *apponendi* (R. T.).
2 Fors. *competentibus*, nempe *mensibus* (R.T).
3 Male ed. Main. h. *clausula* pro *clausâ* (R. T.).

clesiastici quavis auctoritate collati, respective vacent seu vacet, etiamsi tanto tempore vacaverint seu vacaverit, quod eorum seu eius collatio, iuxta Lateranensis statuta Concilii, ad Sedem Apostolicam praedictam legitime devoluta existat, ipsaeque dignitates necnon canonicatus et praebendae, ac canonicatus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidii canonicatus et dimidiae praebendae praefati, ac illarum quaelibet et illorum quilibet dispositioni apostolicae specialiter vel aliàs generaliter reservatae et reservati, ac reservata et reservatus existant et existat, et super eis seu earum aliquâ vel eorum aliquo inter aliquos lis, cuius statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tamen dignitatibus et canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis praedictis, illasque et illos pro tempore respective obtinentibus, nulla, nisi ea quae per vicarios perpetuos exerceri solet, cura immineat animarum, apostolicâ auctoritate praedictâ, perpetuò separamus, dismembramus et seiungimus.

Dismembratio tertiae partis eiusque respectiva applicatio.

§ 4. Ac omnes et singulos omnium et singulorum respective fructuum, redditum et proventuum a patriarchali Ulyssiponensi occidentali, ac archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praedictis, necnon ex dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis, tertiam et dimidiam, ac tres ex quatuor respective partes praedictas, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus ab ultimodictis decem dignitatibus, ut praefertur, dismembratas, separatas et seiunctas, ac respective separatos, dismembratos et seiunctos, in viginti quatuor portiones aequales dividi, easque sic divisas, in earum respective naturalibus, industrialibus et civilibus fructibus, redditibus et proventibus praefatis, persolvi debere volumus et statuimus; eisque sic divisis et persolvi debitis, unamquamque ex portionibus huiusmodi unicuique ex dignitatibus, ac unicuique ex canonicis patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praefatae (cum hoc tamen quod patriarcha Ulyssiponensis occidentalis pro tempore existens, cum consilio et consensu praefati Ioannis regis, super tertiâ parte fructuum, redditum et proventuum a patriarchali Ulyssiponensi occidentali, ac archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praefatis, a nobis sic, ut praefertur, dismembratâ praefatâ, unam, super tertiâ vero ac dimidiâ ac tribus ex quatuor respective partibus a dignitatum et canonicatuum et praebendarum, necnon canonicatuum cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiorum canonicatuum et dimidiarum praebendarum, necnon ultimodictarum decem dignitatum respective fructibus, redditibus et proventibus praefatis a nobis per praesentes, ut praefertur, dismembratis praefatis, ac dignitatibus ac canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis a nobis ut infra applicandis, alteram eorumdem respective fructuum, redditum et proventuum quotas Ioanni regi ac patriarchae praefatis benevisas, dummodo tamen primodicta, videlicet, a patriarchali Ulyssiponensi occidentali ac archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis praefatis quartam, secundodicta[1] vero quotae huiusmodi, ut infra statuendae, tres quartas a dignitatibus ac canonicatibus et praebendis necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ seu

1 Edit. Main. legit *secundodictae* (R. T.).

dimidiis praebendis praefatis a nobis per praesentes ut praefertur dismembratorum, separatorum et seiunctorum respective fructuum, reddituum et proventuum praefatorum respective partes respective non excedant, in[1] eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis fabricae utilitatem et indigentias necnon ministrorum eidem patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali nunc et pro tempore inservientium substentationem convertendas, et a singulis dignitatibus et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis singulis annis perpetuò persolvendas, infra tempus Ioanni regi ac patriarchae praefatis benevisum, statuere possit et valeat), ita quod liceat nunc et pro tempore existentibus eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis dignitatibus et canonicis, et eorum cuilibet, per se vel procuratores, actores, exactores vel oeconomos suos, eorum respective nomine, corporalem, actualem et civilem omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum a nobis per praesentes, ut praefertur, dismembratorum, separatorum et seiunctorum (quoad ecclesiarum, videlicet, dignitatum, canonicatuum et praebendarum, ac canonicatuum cum dimidià praebendà, seu dimidiorum canonicatuum et dimidiarum praebendarum, quae et qui nunc vacant, videlicet[2], a die datae presentium, quo vero ad illarum et illorum, quae et qui minime vacant de praesenti, respective fructus redditus et proventus ut praefertur dismembratos, seiunctos et separatos, et ut infra applicandos praedictos, a die illarum et illorum respective eventurae vacationis respective apprehendendam) possessionem proprià auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuò retinere, ipsosque fructus, redditus et proventus, per se, vel alium, seu alios, in proprià specie et non aliàs, et, si species inseparabilis et individua sit, in quotà parte iusti valoris percipere, administrare, exigere et levare, ac tam ex horreis communibus, quam ex aliis quibuscumque locis, ubicumque servati existant, extrahere, eosque libere locare, et in electione exactorum dictorum fructuum, reddituum et proventuum, *priostes* nuncupatorum, aliorumque similium officialium, vocem per ipsos conductores seu eorumdem dignitatum et canonicorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis procuratores vel oeconomos habere, necnon ab eisdem oeconomis seu administratoribus reddituum cathedralium ecclesiarum et dignitatum ac canonicatuum et praebendarum, necnon canonicatuum cum dimidià praebendâ, seu dimidiorum canonicatuum, et dimidiarum praebendarum praefatorum, reliquisque officialibus quibuscumque, ac exactoribus illarum seu illorum, vel et ab ipsis episcopis, dignitatibus et canonicis, quatenus opus sit, iuramentum super verâ quantitate quorumcumque respective reddituum praefatorum exquirere, ac eos ad praefatum iuramentum praestandum compellere, ceterosque dictae administrationis actus exercere, dictosque omnes et singulos fructus, redditus et proventus, ex patriarchali Ulyssiponensi occidentali, et archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis, necnon dignitatibus et canonicatibus et praebendis, ac canonicatibus cum dimidià praebendà, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis praefatis, a nobis per praesentes ut praefertur dismembratos, separatos et seiunctos, ac ut infra applicandos (ab omni decimâ,

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

2 Particula *videlicet* repetita, commodius deleretur (R. T.).

quartâ, mediâ, et quavis aliâ fructuum parte, subsidio etiam charitativo et excusato, et quocumque alio tam ordinario, quam extraordinario onere, cogitabili vel excogitabili [1], etiam reali, perpetuo, vel ad tempus, quomodolibet nuncupato, etiam pro patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, ac archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum praefatarum, vel illis aut unicuique ex dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus [2] cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis annexarum, cum curâ et sine curâ, ecclesiarum, capellarum, sive altarium, respective fabricâ, et quavis etiam dictâ apostolicâ seu ordinariâ respective auctoritate et regiâ potestate, ac ex quacumque etiam urgenti, urgentissimâ et de necessitate exprimendâ causâ, etiam pro seminario puerorum ecclesiastico, classis triremium reparatione, et fabricâ basilicae Principis Apostolorum de Urbe, Cruciatâ sanctâ, et expeditione contra Turcas ac alios orthodoxae fidei hostes, etiam ad imperatoris, regum, reginarum, etiam Portugalliae et Algarbiorum regnorum praefatorum, necnon ducum, rerumpublicarum, et aliorum quorumcumque principum instantiam, intuitum et contemplationem, ac pro eorum et Sedis Apostolicae praefatae necessitatibus, aut aliàs canonice vel de facto impositis, vel pro tempore quomodolibet imponendis, vel eisdem patriarchali Ulyssiponensi occidentali, ac archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis, aut dignitatibus et canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis praefatis, ex fundatione, institutione, vel statuto, sive consuetudine, etiam ratione mulctarum, vel cuiuslibet alterius poenae, diminutionis, amissionis seu oneris, sive quocumque alio nomine, aut alio quolibet modo et causâ, nunc et pro tempore respective inhaerentis [1], aut quae seu qui ex dictis vel aliis hîc non expressis aut futuris et non praevisis causis in diminutionem fructuum, reddituum et proventuum redundare possint, ac etiam quacumque pensione super eisdem fructibus, redditibus et proventibus, apostolicâ auctoritate praefatâ, etiam perpetuò, etiam in favorem tribunalis sacrae Inquisitionis contra haereticam pravitatem, vel cuiuslibet alterius pii loci, vel aliàs quomodolibet in futurum reservandâ, quae omnia patriarcha Ulyssiponensis occidentalis, archiepiscopi et episcopi, necnon dignitates et canonici praefati nunc et pro tempore existentes solvere teneantur, etiamsi in impositionibus huiusmodi caveatur expresse quod pensionarii seu reservatarii partis fructuum patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis ac archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum praefatarum, ac dignitatum et canonicatuum cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiorum canonicatuum et dimidiarum praebendarum praefatorum, pro ratâ pensionum, reservationum et applicationum suarum quantumvis exemptarum, contribuere teneantur, ac aliàs, in omnibus et per omnia et omnino quoad omnia liberos, immunes et exemptos, prout per easdem praesentes eximimus et liberamus, ac exemptos et liberatos esse volumus), sub conditionibus infra positis exigere, levare et in communes usus et utilitatem praefatae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ut praefertur, eiusque dignitatum ac canonicorum, ceterorumque ministrorum ei in

1 Potius lege *inexcogitabili* (R. T.).

2 Coniunct. *et* hinc abiicimus (R. T.).

1 Videretur potius legendum *inhaerentibus*, nempe *decimâ*, *quartâ*, *mediâ*, etc. (R. T.).

divinis inservientium indigentias ac sumptus respective, modo et formâ praefatis, convertere, Dioecesani loci vel cuiusvis alterius licentiâ desuper minime requisitâ (cum hoc tamen quod sex dignitates et octodecim canonici dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, eveniente singulâ ultimodictarum decem dignitatum respective pro tempore vacatione, singulis singulas ultimodictas decem dignitates huiusmodi pro tempore respective obtinentibus, vel earum respective mensae capitulari, centum septuaginta unum ducatos auri pares et iulios septem monetae praefatae cum dimidio alterius iulii similis, summam trecentorum millium regalium monetae Portugalliae constituentes, singulis annis persolvere debeant et teneantur; quodque omnia et quaecumque onera, obligationes, expensae et amissiones, quae ultimodictis decem dignitatibus easque et earum singulas nunc respective obtinentibus respective incumbunt, illa videlicet et illae, quae personalia et personales, ab iis qui easdem ultimodictas decem dignitates pro tempore obtinebunt, alia vero et aliae, quae realia et reales esse dignoscuntur, ab eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis capitulo ac dignitatibus et canonicis praefatis, ex nunc, quoad illas ex praefatis decem dignitatibus ultimodictis quae ad praesens vacant, quo vero ad illas quae minime vacant de praesenti, ex tunc, et cum primum illas et illarum quamlibet quomodolibet ut praefertur vacare contigerit, respective supportentur et supportari debeant) apostolicâ auctoritate motuque pari etiam perpetuò applicamus et appropriamus.

Quo pacto et a quibus solvendae sint pensiones super praebendas hic taxatas impositae.

§ 5. Porro, attendentes quod super nonnullarum ex dignitatibus, et nonnullorum ex canonicatibus et praebendis necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis, respective fructibus, redditibus et proventibus praefatis, quarum et quorum eorumdem respective fructuum, redditinum et proventuum respective tertia, dimidia, ac tres ex quatuor respective partes per praesentes a nobis, ut praefertur, dismembratae et applicatae existunt, nonnullae pensiones annuae, et forsan earum aliquae perpetuò, apostolicâ auctoritate praefatâ reservatae[1] reperiuntur: nos, ut earum oneri consulamus, per easdem praesentes decernimus et statuimus, quod, si pensiones huiusmodi perpetuò reservatae reperiantur, earum integra solutio eiusdemque solutionis onus ad dignitates et canonicatus et praebendas, necnon canonicatus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidios canonicatus et dimidias praebendas huiusmodi, super quorum fructibus, redditibus et proventibus reservatae reperiuntur, pro tempore obtinentes omnino spectet et pertineat; pensionum vero, quae dumtaxat ad alicuius vitam reservatae reperiuntur, solutio, etiam ex tertiâ ac dimidiâ ac tribus ex quatuor fructuum, reddituum et proventuum ut praefertur applicatorum praedictorum respective partibus praefatis, et pro ratâ respective partium huiusmodi, donec pensiones ad alicuius vitam reservatae huiusmodi duraverint, facienda sit.

De modo servando in expeditione litterarum apostolicarum provisionis dignitatum canonicatuum, etc., taxatorum.

§ 6. Ne autem, ob dismembrationem et separationem a nobis per praesentes ut praefertur factas huiusmodi, ulla dubitationis oriatur occasio super expensis in expeditione litterarum apostolicarum ab eis qui pro tempore ad patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem ac archiepiscopales et episcopales ecclesias praedictas pro tempore promovendi erunt,

1 Male edit. Main. legit *reservata* (R. T.).

necnon ab eis, qui de dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis praedictis, ex quarum et quorum respective fructibus praefatis tertia fructuum, ut praefertur, applicatorum pars a nobis per praesentes, ut praefertur, dismembrata, ac[1] dignitatibus et canonicatibus ac praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, etiam ut praefertur, applicata existit, pro tempore providendi erunt, respective faciendis, quod ad patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem, ac archiepiscopales et episcopales ecclesias praedictas pro tempore promoti, seu ad illas nominati vel electi, necnon de dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, necnon canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis, ex quorum fructibus, redditibus et proventibus tertia fructuum, redditnum et proventuum, ut praefertur, applicatorum huiusmodi pars a nobis per praesentes ut praefertur dismembrata, et dignitatibus ac canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, etiam ut praefertur, applicata extitit, per obitum, aut resignationem, vel liberam dimissionem, sive renunciationem, aut per viam deputationis in coadiutorem perpetuum super illarum et illorum respective regimine et administratione cum futurâ in illis respective successione, aut aliàs quomodolibet provisi, omnes et quascumque expensas necessarias et opportunas in expeditione litterarum apostolicarum desuper expediendarum integraliter, ut prius, et prout ante dismembrationem, separationem, seiunctionem, necnon applicationem et appropriationem a nobis per praesentes ut praefertur factas huiusmodi, facere debuissent, absque ullâ diminutione, et absque eo quod, ob dismembrationem, separationem, seiunctionem, necnon applicationem et appropriationem, a nobis per praesentes, ut praefertur respective factas huiusmodi, aliquid unquam a patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali, eiusque dignitatibus et canonicis praetendere possint et valeant, facere, aliaque omnia et singula iura Datariae et Cancellariae et Camerae nostrae apostolicis debita; quo vero ad unum et alterum archidiaconatus eiusdem ecclesiae Portugallensis, ex quorum fructibus, redditibus et proventibus dimidia, ac tres ex quatuor eorumdem fructuum respective partes huiusmodi, necnon quoad ultimodictas decem dignitates, quorum omnes et singuli fructus, redditus et proventus praefati, a nobis per praesentes ut praefertur dismembratae, seiunctae et separatae, ac dismembrati, seiuncti et separati, necnon dignitatibus ac canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, etiam ut praefertur, applicatae et appropriati extiterunt, quod de uno et altero praefatae ecclesiae Portugallensis archidiaconatibus huiusmodi, necnon de ultimodictis decem dignitatibus, etiam ut praefertur, pro tempore providendi, in expeditione litterarum apostolicarum desuper conficiendarum, Datariae et Cancellariae ac Camerae praefatarum iura et expensas huiusmodi nonnisi ad[1] rationem partis fructuum, reddituum et proventuum uni et alteri praefatae ecclesiae Portugallensis archidiaconatibus huiusmodi remanentis, et[2] ad rationem portionis ultimodictis decem dignitatibus et earum singulis a capitulo necnon dignitatibus et canonicis dictae patriarchalis

1 Pessime edit. Main. legit *a* pro *ac* (R. T.).

1 Praeposit. *ad* nos addimus (R. T.).

2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ut praefertur persolvendae, et non aliàs, persolvere respective debeant et teneantur; quodque omnes et quicumque fructus, redditus et proventus praefati, a nobis per praesentes ut praefertur dismembrati, seiuncti et separati, et dignitatibus et canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis applicati et appropriati, pro aequali ratâ inter fructus certos sive grossos ad unamquamque et unumquemque ex dictis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis spectantes annumerentur (ita quod sic annumerati, si super dictis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, illarumque et illorum provisionibus, litteras apostolicas expediri contingat, eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis[1] dignitatis post pontificalem maioris videlicet fructus, redditus et proventus certi, qui aliàs, iuxta taxam in praefatis eiusdem Clementis praedecessoris ab Innocentio etiam praedecessore nostro praefato desuper in formâ praefatâ expeditis litteris constitutam, summam mille quingentorum quinquaginta trium, computatis vero distributionis quotidianis, mille septingentorum septuaginta septem non excedebant, deinceps bis mille septingentorum quinquaginta trium, computatis vero distributionis praefatis, bis mille noningentorum septuaginta octo, cuiuslibet vero ex aliis quinque dignitatibus et octodecim canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis respective fructus certi, qui, iuxta eamdem taxam, etiam summam mille quingentorum viginti octo, computatis vero distributionibus quotidianis, mille septingentorum octo ducatorum auri parium similiter non excedebant, deinceps bis mille septingentorum viginti octo, computatis vero distributionibus praefatis, bis mille noningentorum octo ducatorum auri similium, eorum respective valorem annuum non excedere respective exprimantur et exprimi debeant) eâdem auctoritate decernimus et statuimus. Quo vero ad fructuum, reddituum et proventuum praedictorum dispositionem et usum, tam in divisione reddituum quam in vacationibus dignitatum ac canonicatuum et praebendarum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis faciendam, sive faciendum, idem servetur ordo qui a dicto Clemente praedecessore in praedictis litteris in dictâ formâ expeditis praescriptus fuit.

§ 7. Ac demum patriarchae Ulyssiponensi occidentali pro tempore existenti praefato, ad augendum in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali divini servitii cultum, ut ipse, cum paribus consilio et consensu eiusdem Ioannis regis, novum aliquod beneficium ecclesiasticum, seu aliqua nova beneficia ecclesiastica, seu novum canonicatum et novam praebendam, seu novos canonicatus et novas praebendas, pro clerico seu clericis, aut presbytero seu presbyteris idoneo seu idoneis, novo futuro beneficiato, seu novis futuris in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali beneficiatis, seu novo futuro canonico, aut novis futuris dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis canonicis, a praedicto Ioanne rege, ut infra, respective praesentando seu praesentandis, qui omnibus et singulis privilegiis, indultis, gratiis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus et facultatibus, quibus alii dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis

Patriarchae datur facultas novos erigendi canonicatus seu beneficia.

1 Videtur deesse titulus dignitatis (R. T.).

canonici et beneficiati respective utuntur et gaudent, respective etiam uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, ex redditibus in eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis utilitatem, illiusque ministrorum substentationem, tam a praedicto Clemente praedecessore per supra relatas litteras in dictâ formâ expeditas, quam per praesentes a nobis, ut praefertur, assignatis et applicatis, ex illis videlicet, quos congruis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis fabricae praefatae manutentioni ac ministrorum eidem patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali inservientium substentationi praefatis superesse contigerit, perpetuò erigere et instituere; eisque sic erectis et institutis, pro illorum respective dote, ac illa et illos pro tempore respective obtinentium congruâ substentatione, redditus in usum fabricae aliarumque dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis indigentiarum ac ministrorum eidem patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali inservientium substentationem ut praefertur applicatos et appropriatos praefatos, illos videlicet, qui, ut praefertur, superfuerint, perpetuò applicare et appropriare; necnon beneficio seu beneficiis, aut canonicatui et praebendae, seu canonicatibus et praebendis, ab eo ut praefertur erigendo seu erigendis, in actu eius seu eorum erectionis huiusmodi, onera servitii in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali, vel extra illam, ab eo seu ab eis praestandi, praescribere et imponere; necnon privilegia, indulta, gratias, exemptiones, libertates, immunitates, facultatesque praefata ac praefatas, etiam illa vel illas quae de iure canonicatibus et praebendis, necnon beneficiis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis competere et inesse dignoscuntur, ei vel eis similiter in actu erectionis praefatae limitare libere et licite possit et valeat, eâdem apostolicâ auctoritate similiter perpetuò concedimus et indulgemus.

*Huiusmodi erigendorum beneficiorum ius patronatûs regi eiusque successoribus asseritur.*

§ 8. Insuper eidem Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi ius patronatûs et praesentandi ac nominandi ad beneficium seu beneficia, aut ad canonicatum et praebendam, seu canonicatus et praebendas, sic ut praefertur ab eodem patriarcha Ulyssiponensi occidentali pro tempore existente praefato erigendum seu erigenda, vel erigendos et erigendas huiusmodi, personam idoneam seu personas idoneas, tam ex primâ vice a primaevâ eius aut eorum respective erectione et institutione praefatis vacans seu vacantia, aut vacantes, quam etiam de cetero, dum illud seu illa, aut illos et illas[1] quibusvis modis et ex quorumcumque personis, etiam nostris, aut Romani Pontificis pro tempore existentis, seu cuiusvis S. R. E. cardinalis etiam nunc viventis familiaribus, continuis commensalibus, seu Romanae Curiae officialibus, aut aliàs quomodolibet reservationem et affectionem quamcumque apostolicam inducentibus, seu per liberas, etiam ex causâ, permutationem seu resignationes de illo vel illis in Romanâ Curiâ praedictâ etiam in manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis, vel extra eam, quomodolibet factam seu factas, aut admissam seu admissas, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, seu illud vel illa aut illos et illas pro tempore obtinentium decessum, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, religionis ingressum, matrimonii contractum, aut aliàs quomodo-

1 Vocem *et illas* nos addimus (R. T.).

cumque et qualitercumque, simul vel successive, etiam apud Sedem Apostolicam praedictam vacare contigerit, in illo vel illis per Ordinarium loci ad praesentationem dicti Ioannis et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis instituendam seu instituendas, motu simili pariter perpetuò reservamus, concedimus et assignamus.

Illudque ius vere regium esse decernitur.

§ 9. Necnon ius patronatùs et praesentandi ac nominandi huiusmodi vere regium existere, eidemque Ioanni ac Portugalliae et Algarbiorum regi pro tempore existenti praefato non ex privilegio, sed ex verâ primaevâ, reali, actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione et perpetuâ dotatione competere, et ad Ioannem et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem praedictum pertinere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem et roboris firmitatem iurispatronatùs regii huiusmodi obtinere; ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis clausulis et decretis, etiam cum clausulâ *Quorum tenores, etc.*, in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis, regulae Cancellariae nostrae, aut aliàs quomodocumque factâ, nullatenus comprehendi; nec illi ullo unquam tempore, sub quocumque praetextu, et ex quacumque causâ quantumvis urgenti, urgentissimâ et legitimâ, per nos seu quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes, vel Sedem eamdem, aut illius legatos etiam de latere, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu cuiusvis instituti contemplatione, per quascumque litteras apostolicas etiam in formâ Brevis, quasvis etiam derogatoriarum derogatorias ac fortiores et insolitas clausulas necnon irritantia et alia decreta quaecumque in se continentes, derogari aut derogatum censeri posse neque debere; et in contrarium factas derogationes, necnon quascumque collationes, provisiones, institutiones, vel alias dispositiones[1] de beneficio seu beneficiis, aut canonicatu et praebendâ, seu canonicatibus et praebendis a patriarchâ Ulyssiponensi occidentali pro tempore existente praefato sic ut praefertur erigendo seu erigendis, et tunc erecto seu erectis, pro tempore quoquo modo respective vacaturo seu vacaturis, absque praefati Ioannis et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis consensu seu praesentatione aut nominatione respective factas, processusque desuper habendos, et inde tunc secuta et sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis habenda, nec ius vel coloratum titulum possidendi cuiquam per illa tribui, vel a quocumque adquiri posse, decernimus.

Quando unicuique canonicatui applicatorum redditiuum assignatio facienda sit.

§ 10. Et, attento quod praefatus Clemens praedecessor in dictis ab Innocentio praedecessore nostro praefato desuper in dictâ formâ expeditis litteris inter alia voluit quod applicatio et appropriatio, aliaque per easdem dicti Clementis praedecessoris in praefatâ formâ expeditas litteras in dictae Ulyssiponensis occidentalis patriarchalis ecclesiae praebendarum et beneficiorum respective dotis augmentum concessa et elargita, locum minime habere valerent, nisi prius aliae eiusdem Clementis praedecessoris litterae, super servitio a dignitatibus ac canonicis et beneficiatis dictae patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali praestando tunc emanatae, earum debitae executioni demandarentur, secundodictae vero eiusdem Clementis praedecessoris litterae, ex certis

1 Edit. Main. legit *depositiones* (R. T.).

rationalibus et nobis notis causis, executioni huiusmodi demandari hucusque nequiverint: nos, ad avellendam omnem dubietatis et controversiae occasionem, primodictarum Clementis praedecessoris praefati litterarum debitae intimationis illarumque tempore habili executionis et quemlibet alium defectum sanantes, easque ad quoscumque effectus extrinsecos, qualenus opus sit, reintegrantes, et plenarie ac plenissime revalidantes, dignitatibus necnon capitulo et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ut ipsi primodictarum litterarum effectu omnibusque et singulis gratiis et indultis eis in primodictis eiusdem Clementis praedecessoris in praefatâ formâ expeditis litteris concessis et elargitis gaudeant, utantur et fruantur, perinde ac si praefata dicti Clementis praedecessoris voluntas in primodictis litteris nullatenus apposita fuisset, utque dignitates, capitulum et canonici dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ex patriarchali Ulyssiponensi occidentali, archiepiscopalibus et episcopalibus ecclesiis, ac dignitatibus et canonicatibus et praebendis collegiatarum respective ecclesiarum, necnon prioratibus seu abbatiis in primodictis praefati Clementis praedecessoris in praefatâ formâ expeditis litteris designatis, quae et qui vacantes reperiantur, quantum legitime oporteat ad complementum summae ex primodictarum dicti Clementis praedecessoris litterarum tenore in dignitatum, canonicorum et beneficiatorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis utilitatem applicatae et appropriatae, a die datae primodictarum dicti Clementis praedecessoris litterarum, videlicet v kalendas octobris anno Incarnationis dominicae MDCCXX, quoad illas et illos quae et qui tunc vacabant, quo vero ad alios et alias quae et qui deinde vacaverunt, vel deinceps vacaturi vel vacaturae fuerint, ab illorum seu illarum respective vacationis respective die respective computandae,[1] (cum hoc tamen quod omnes et singulos fructus, redditus et proventus praedictos, per dictum Clementem praedecessorem et per nos per praesentes dictae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis dignitatibus et canonicis praedictis, ut praefertur, applicatos et appropriatos, dignitates ac capitulum et canonici dictae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, loco depositi, donec nova servitii in eâdem ecclesiâ patriarchali Ulyssiponensi occidentali ab eis praestandi forma cum opportunis insuper ordinationibus a nobis aut Romanis Pontificibus successoribus nostris praescribatur, illaque debitae executioni demandetur, et huiusmodi depositi distribuendi ratio insimul statuatur, integros et intactos, deductis dumtaxat necessariis expensis, asservare debeant et asservari faciant) percipere et levare, et ad eorum perceptionem et exactionem huiusmodi plenissime exsequendum omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus aliisque gratiis, tam in primodictis eiusdem Clementis praedecessoris litteris, quam in eisdem praesentibus quomodolibet respective concessis et impartitis, perinde ac si simul, non autem separatim, concessa et impartita fuissent, eaque tam in primodictis Clementis praedecessoris huiusmodi quam in eisdem praesentibus respective litteris totaliter inserta et specialiter expressa fuissent, aeque[2] ac pariformiter uti, frui et gaudere libere

1 Desunt verba, *fructus, redditus et proventus ipsis ut praefertur applicatos et appropriatos* (R. T.).

2 Pessime ed. M. legit *eaque* pro *aeque* (R. T.).

et licite possint et valeant, dictâ apostolicâ auctoritate, motuque pari, eorumdem tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Dati commissarii pro executione litterarum.

§ 11. Ut autem tam praesentes nostrae, quam primodictae eiusdem Clementis praedecessoris in formâ praedictâ expeditae respective litterae, omniaque et singula in eis respective contenta, quae unum eumdemque dictae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis decorem illiusque capituli ac dignitatum et canonicorum favorem respiciunt, debitae parataeque executioni, omnimodaeque demandentur observantiae, motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam dilectis filiis nostro et Sedis Apostolicae nuncio in Portugalliae et Algarbiorum regnis nunc et pro tempore commoranti, necnon duobus dignioribus et antiquioribus ministris, non tamen regularibus, tribunalis Inquisitionis regnorum praedictorum nunc et pro tempore existentibus, in locum dilectorum pariter filiorum Inquisitoris generalis et auditoris seu iudicis ecclesiastici patronatûs regii, quibus unâ cum nuncio praedicto a dicto Clemente praedecessore primodictarum litterarum in praedictâ formâ expeditarum executio demandata et commissa fuit, per praesentes committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, etiam quavis difficultate occurrente a praedicto Clemente praedecessore ac a nobis non praevisâ, quae effectum tam primodictarum eiusdem Clementis praedecessoris in dictâ formâ expeditarum quam nostrarum praesentium respective litterarum minime retardare valeat, easque[1] primodictas praefati Clementis praedecessoris, ac praesentes nostras respective litteras, tam quoad quartarum partium praedictorum fructuum, reddituum et proventuum naturalium, industrialium, et civilium patriarchalis, archiepiscopalium et episcopalium, nec non quartarum partium fructuum, reddituum, et proventuum ex dignitatibus ac canonicatibus, et praebendis collegiatarum respective ecclesiarum praedictarum, quam quoad tertiarum partium praedictorum fructuum, reddituum et proventuum, naturalium, industrialium et civilium earumdem patriarchalis, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum, nec non quartarum partium fructuum reddituum et proventuum a dignitatibus, nec non canonicatibus et praebendis, ac canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus et dimidiis praebendis, nec non omnium, et singulorum fructuum, reddituum et proventuum ultimodictarum decem dignitatum respective dismembrationes et applicationes, aliaque omnia et singula a praedicto Clemente praedecessore per primodictas in formâ praefatâ expeditas litteras et a nobis per praesentes respective concessa et expressa, debitae executioni demandari faciant, ac, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte et ad instantiam pro tempore existentium capituli, dignitatum et canonicorum dictae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis coniunctim vel divisim fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant apostolicâ auctoritate omnia et singula praemissa, nec non in primodictis Clementis praedecessoris praedicti in dictâ formâ expeditis litteris contenta et expressa quaecumque, quatenus eisdem praesentibus non adversentur, suum debitum sortiri effectum, ac ab omnibus et quibuscumque personis firmiter et inviolabiliter observari et adimpleri;

1 Potius lege *easdem* (R. T.).

non permittentes modernos et pro tempore existentes capitulum, dignitates et canonicos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis a quoquam super omnibus et singulis eis a praedicto Clemente praedecessore per primodictas litteras in dictâ formâ expeditas et a nobis per praesentes respective concessis quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione posposità, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis; et insuper iudicibus praedictis, et eorum cuilibet, quoscumque omnium et singulorum praemissorum necnon a Clemente praedecessore praedicto per primodictas in formâ praefatâ expeditas litteras concessorum effectum impedientes, seu pro tempore existentes capitulum, dignitates et canonicos praedictos super eisdem praemissis necnon ab eodem Clemente praedecessore, ut praefertur, concessis molestantes, perturbantes, eisque quovis modo contradicentes, etiam per edictum publicum, constito summarie de non tuto accessu, citandi, illisque, ac quibus et quoties inhibendum fuerit, etiam per edictum, quoad patriarcham, archiepiscopos et episcopos sub interdicti ingressûs ecclesiae, quo vero ad alios inferiores sub excommunicationis, ac etiam pecuniariis, nec non privationis beneficiorum et officiorum saecularium et ecclesiasticorum eorum arbitrio imponendis, moderandis et applicandis poenis, inhibendi, ac eos, quos censuras et poenas praedictas incurrisse constiterit, eas incurrisse, servatâ formâ Concilii Tridentini, declarandi, ac censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravandi, reaggravandi et interdicendi, plenam et liberam, motu pari, dictâ auctoritate, concedimus facultatem.

Contravertentes solutionem in hac bulla praescriptam non audiendi in iudicio, nisi praevio deposito pecuniae.

§ 12. Denique, pro faciliori tam earumdem dicti Clementis praedecessoris in praedictâ formâ expeditarum, quam nostrarum praesentium respective litterarum executione et effectu, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus decernimus et declaramus, quod in eventum, in quem pro tempore existentes patriarcha, archiepiscopi et episcopi, nec non dignitates et canonici, aut quicumque alii dignitatum, canonicorum et beneficiatorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ratione applicationum praefatarum debitores, si[1] solutionem ab eis debito tempore faciendam quacumque de causâ etiam legitimâ protrahere seu in dubium revocare vellent, id nullatenus facere possint, nec super hoc in iudicio vel extra audiri[2] valeant, nisi prius facto deposito, iuxta stylum regni Portugalliae, illius quantitatis quae ab eis controverti vellet, quodque in exactionibus faciendis ab huiusmodi debitoribus procedi debeat viâ executivâ, ut in debitis regalibus, ac summarie et sine strepitu et figurâ iudicii, ac solâ facti veritate inspectâ.

Commissarii hic nominati perpetui iudices etiam privative declarantur in causis quas agitari super his contingет.

§ 13. Volumus ulterius, et eâdem auctoritate decernimus, quod executores praefati pro tempore existentes, simul vel separatim, in causis concernentibus liquidationem, exactionem et solutionem quartarum, tertiarum, aliarumque quotarum dismembratarum et respective applicatarum praefatarum, semper sint iudices privative, et iurisdictione suâ uti valeant contra quascumque personas, et quavis tam archiepiscopali, episcopali quam aliâ quacumque dignitate

1 Particula *si* delenda (R. T.).

2 Pessime edit. Main. legit *auditi* pro *audiri* (R. T.).

praeditas, etiamsi personae huiusmodi gaudeant privilegiis aut indultis ut in earum causis conveniri nequeant nisi in eorum foro et coram certo eorum iudice, quae privilegia, quoad causas liquidationis, exactionis et solutionis huiusmodi, locum habere non debere declaramus, immo ea ad hunc effectum revocamus, et, quatenus opus sit, privilegiis et indultis huiusmodi, quavis et apostolicâ auctoritate eis forsan concessis, specialiter et expresse derogamus; ita ut super[1] causis praefatis in nullo alio tribunali, praeterquam coram iudicibus praedictis pro tempore existentibus, litigari possit.

Hasce litteras nullo notari vitio posse statuitur, sed semper fore validas.

§ 14. Praesentes quoque semper et perpetuò validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel ex qualibet causâ quantumvis legitimâ et iuridicâ, piâ, privilegiatâ, ac speciali notâ dignâ, etiam ex eo quod dignitates, canonici et beneficiati dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ac pro tempore existentes patriarcha Ulyssiponensis occidentalis, archiepiscopi et episcopi Portugalliae et Algarbiorum regnorum, necnon dignitates et canonicatus ac praebendas, nec non canonicatus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidios canonicatus et dimidias praebendas praefatos nunc et pro tempore obtinentes, seu quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, gradùs, conditionis et praeeminentiae sint, in praemissis et circa ea quomodolibet, et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione, ius vel interesse habentes, aut quomodolibet habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad illa vocati et auditi non fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis et obreptionis aut nullitatis seu invaliditatis vitio, vel intentionis nostrae, aut ius vel interesse habentium consensùs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, sive etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo, solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliquâ resultante[1], seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessariò exprimenda foret, aut quod de voluntate nostrâ huiusmodi et aliis superius expressis nullibi appareret seu aliàs probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, et aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu et potestatis plenitudine similibus concesso aut impetrato vel emanato uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse; neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes et

1 Edit. Main. legit *semper* pro *super* (R. T.).

1 Pesssime ed. M. legit *resultantes* (R. T.).

Sedem Apostolicam praefatam, etiam motu pari, ac ex certà scientiâ, etiam concistorialiter, et quibusvis de causis, ac sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac datâ specialis mentio fieret, pro tempore faciendis et concedendis, comprehendi; sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum, ac eum, in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessas esse et fore; sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, officio et dignitate fungentes, ac praerogativâ, privilegio, praeeminentiâ et honore fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; et, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Obstantium derogatio. § 15. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae de praestando consensu, de iure quaesito non tollendo, de exprimendo vero annuo valore, ac de unionibus, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis et edendis regulis, ac Lateranensis Concilii novissime celebrati uniones seu applicationes perpetuas nonnisi in certis casibus fieri prohibentis, ac dismembrationes perpetuas super patriarchalium, archiepiscopalium mensarum fructibus, redditibus et proventibus nonnisi ex cessionis aut aliâ rationabili causâ, quae in consistorio nostro iusta et honesta habita fuerit, ac certis aliis modo et formâ in dicto Concilio expressis, reservari similiter prohibentis, necnon, quoad praedictam executorum deputationem, recolendae memoriae Bonifacii Papae VIIJ similiter praedecessoris nostri, aliisque quibusvis in contrarium praemissorum, etiam in synodalibus, universalibus et provincialibus conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, ac archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum praedictarum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ respective roboratis, statutis, eorumdemque statutorum reformationibus et novis editionibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, dispositionibus et ultimis voluntatibus in contrarium eorumdem praemissorum, quibuscumque privilegiis etiam ex fundatione competentibus, a nobis seu a quibuscumque Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris respective concessis, nec non indultis et litteris apostolicis, illis earumque superioribus et personis ac locis quibuscumque, etiam speciali, specificâ, expressâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, etiam motu pari, ac etiam consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi

in eis caveatur expresse quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu simili deque pari apostolicae potestatis plenitudine pro tempore concessas, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias clausulas in se continentes, illis[1] derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua mentio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores eisdem praesentibus, perinde ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso hic inserti forent, pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime ac sufficienter necnon specialiter et expresse motu simili derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

A promovendis ad ecclesias in expeditione litterarum apostolicarum non praetendenda reductio taxae ratione praesentis dismembrationis.

§ 16. Volumus autem quod pro tempore promovendi ad patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem ac archiepiscopales et episcopales ecclesias praedictas, in expeditione litterarum apostolicarum super promotione de eorum personis ad easdem patriarchalem Ulyssiponensem occidentalem ac archiepiscopales et episcopales ecclesias apostolicà auctoritate praedictà faciendà, reductionem taxae seu communis propter dismembrationem tertiae partis earum fructuum, redditunm et proventuum praedictorum per nos ut praefertur factam nullo modo praetendere valeant, perinde ac si dismembratio, separatio ac seiunctio, nec non applicatio et appropriatio huiusmodi factae non fuissent.

Servanda quantitas in hisce litteris expressa.

§ 17. Volumus praeterea quod omnium et singulorum fructuum, redditnum et proventuum desuper expressorum praedictorum tertia, dimidia, ac tres ex quatuor respective partes, a nobis per praesentes, ut praefertur, dismembratae et applicatae praedictae, in eorumdem fructuum specie, eorumque eventuali quantitate, etiamsi quantitas huiusmodi maior vel minor fuerit quantitate illà quae praesentibus expressa reperitur, persolvi debeant.

Poenae contra temeratores bullae huius.

§ 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae resolutionis, approbationis, confirmationis, innovationis, separationis, dismembrationis, seiunctionis, exemptionis, liberationis, applicationis, appropriationis, concessionis, indulti, reservationis, assignationis, sanationis, reintegrationis, revalidationis, commissionis, mandati, declarationis, statuti, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, VI idus februarii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 februarii 1738, pontif. anno VIII.

*Loco † Bullae aureae.*

---

## CCXIX.

*Reservatio iuris patronatûs et praesentandi ad omnes dignitates ac canonicatus et praebendas ceteraque beneficia cathedralis Ulyssiponensis orientalis serenissimo principi Ioanni V eiusque successoribus Portugalliae et Algarbiorum regibus.*

1 Vox *illis* importune repetita (R. T.).

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Circumspecta Sedis Apostolicae sollicitudo christianorum principum, quos ad exhibenda Catholicae Ecclesiae eidemque Sedi eximia servitia promptos alacresque dignovit, liberalitatis et gratitudinis suae testimoniis fovere nunquam destitit.

Ioannis regis merita erga Catholicam Religionem et Sedem Apostolicam.

§ 1. Sane, cum carissimus in Christo filius noster Ioannes hoc nomine V Portugalliae et Algarbiorum rex illustris, praeclaris maiorum suorum vestigiis inhaerens, copioso piorum operariorum coetui ad amplificandum in longinquis regionibus agri dominici messem, verbumque Dei seminandum, indefessâ vigilantiâ et regiâ liberalitate temporalia vitae subsidia quotannis subministrare consueverit, divinique cultûs assiduum propagatorem se agere semper studuerit, necnon eiusdem Apostolicae Sedis opportunitatibus, ut primum notas habuit, paratissimo obsequio et auxilio, ut fidelissimum decet principem, non sine gravi suo suorumque subditorum incommodo, praesto esse sategerit:

Concessio de qua in rubricà.

§ 2. Nos, tantis eiusdem Ioannis regis meritis paternae nostrae considerationis lance pensatis, ut servitiorum praedictorum apostolicaeque liberalitatis vicissim praestata munera mutui inter se monumentum et stimulus amoris existant, eidemque Ioanni regi, eiusque in dictis regnis successoribus, uberiorem, qua piis et benemerentibus ecclesiasticis personis gratificari queant, facultatem subministrare cupientes, motu proprio, et ex certâ scientiâ merâque liberalitate nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi ius patronatûs et praesentandi ac nominandi ad omnes et singulas infrascriptas dignitates, omnesque et singulos infrascriptos canonicatus et praebendas, nec non capellaniam infrascriptam, ac dimidios canonicatus et dimidias praebendas, nec non quartanarias ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, ad decanatum[1] videlicet, qui post pontificalem maior, ac cuius mille et quinque ducatorum auri de Camerà et iuliorum undecim monetae romanae; et ad cantoratum, qui secunda, ac cuius septuaginta et quadraginta sex ducatorum auri similium et iuliorum trium monetae praedictae; ad archidiaconatum de Lisbona nuncupatum, qui tertia, ac cuius octingentorum et sexaginta quinque ducatorum auri similium et iuliorum duodecim monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; et ad thesaurariatum maiorem, qui quarta, ac cuius aliorum sexcentorum et quadraginta quinque ducatorum auri de Camerâ huiusmodi et iuliorum duodecim monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; et ad archidiaconatum de Santarem respective nuncupatum, qui quinta, ac cuius quingentorum et septuaginta unius ducatorum auri de Camerâ huiusmodi et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; et ad scholastriam, quae sexta, ac cuius quadringentorum et viginti duorum ducatorum auri de Camerâ huiusmodi et iuliorum quinque monetae praedictae; et ad archidiaconatum *della terza sedia* nuncupatum, qui septima, ac cuius sexcentorum et quinquaginta octo ducatorum auri similium et iuliorum quinque monetae praedictae; et ad archipresbyteratum, qui octava inibi respective dignitates existunt, ac cuius quingentorum et septuaginta novem ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae prae-

1 Edit. Main. legit *et Recanatum* (R. T.).

dictae cum dimidio alterius iulii; nec non ad unum et unam tertii a decani, quorum sexcentorum et decem et octo ducatorum auri similium et iuliorum quinque monetae praedictae; ac ad alium et aliam quarti ab eiusdem decani, quorum quingentorum et septuaginta novem ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad alium et aliam quarti a cantoris, quorum quingentorum et octuaginta unius ducatorum auri similium et iuliorum duodecim monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad alium et aliam quinti a decani praedicti, quorum septingentorum et viginti quinque ducatorum auri similium et iuliorum duodecim monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad alium et aliam sexti a decani praedicti, quorum quingentorum et nonaginta quinque ducatorum auri huiusmodi et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad alium et aliam sexti ab eiusdem cantoris, quorum sexcentorum viginti duorum ducatorum auri similium et iuliorum quindecim monetae praedictae; ac ad alium et aliam magistralem nuncupatam septimi a cantoris praedicti, qui, dum illi pro tempore vacant, clerico seu presbytero in theologiâ magistro, vel forsan licentiato, ab universitate studii generalis Colimbriensis, in concursu desuper habendo, approbando et nominando, et ab eodem Ioanne et pro tempore existente Portugalliae et Algarbiorum rege praesentando, ordinariâ auctoritate conferri consueverunt et debent, et de quibus pro tempore provisi novam eorum provisionem a Sede Apostolicâ impetrare et iura Camerae Apostolicae et aliis propterea debita persolvere tenentur, ac quorum sexcentorum viginti octo ducatorum auri similium et iuliorum decem monetae praedictae; et ad alium et aliam octavi a praedicti decani, quorum sexcentorum octo ducatorum auri similium; ac ad alium et aliam octavi a dicti cantoris, quorum sexcentorum quadraginta sex ducatorum auri similium et iuliorum quinque monetae praedictae; ac ad alium et aliam doctoralem nuncupatam noni ab eiusdem decani, qui, pro tempore quoque vacantes, clerico seu presbytero in iure canonico seu forsan civili doctori, aut forsan licentiato, ab universitate praedictâ similiter approbando et nominando, et ab eodem Ioanne et pro tempore existente Portugalliae et Algarbiorum rege praedicto etiam praesentando, ordinariâ auctoritate praedictâ similiter conferri consueverunt et debent, et de quibus pro tempore provisi pariter novam illorum provisionem a dictâ Sede impetrare ac iura eidem Camerae Apostolicae et aliis ut praefertur debita persolvere tenentur, ac quorum sexcentorum octo ducatorum auri similium; ac ad alium et aliam duodecimi ab eiusdem cantoris, quorum septingentorum quatuor ducatorum auri similium et iuliorum decem monetae praedictae; ac ad alium et aliam tertiidecimi a decani praedicti, quorum sexcentorum undecim ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad alium et aliam quartidecimi ab eiusdem decani, quorum quingentorum et nonaginta quatuor ducatorum auri similium et iuliorum quindecim monetae praedictae; ac ad alium et aliam quintidecimi a dicti cantoris, quorum septingentorum viginti trium ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis, quorum medietatem, seu cuius dimidiam praebendam

exigendi et percipiendi tribunali Inquisitionis contra haereticam pravitatem, ut pariter accepimus, ius competit; ac ad alium et aliam sextidecimi ab eiusdem decani, quorum sexcentorum trium ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; et ad alium et aliam decimiseptimi pariter ab eiusdem decani, quorum sexcentorum quatuor ducatorum auri similium; ac ad alium et aliam decimioctavi etiam ab eiusdem decani, quorum sexcentorum septem ducatorum auri similium et iuliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; ac ad reliquum et reliquam eiusdem ecclesiae Ulyssiponensis orientalis canonicatus, praebendas, deciminoni respective stalli ab eiusdem decani respective latere, quorum sexcentorum sexdecim ducatorum auri similium; nec non ad capellaniam maiorem de Mafra nuncupatam S. Sebastiani in eâdem ecclesiâ Ulyssiponensi orientali per bonae memoriae Ioannem Martius de Soalhaens, dum viveret, episcopum Ulyssiponensem fundatam, cui canonicatus et praebenda etiam de Mafra nuncupati quinti stalli a praedicti cantoris latere apostolicâ auctoritate perpetuò uniti et annexi reperiuntur, ac quae et qui, sicut accepimus, de iurepatronatûs laicorum nobilium, videlicet pro tempore existentis domûs de Vasconcellos de Soalhaens possessoris et administratoris ex fundatione praedictâ vel donatione seu ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, existunt, et in cuius capellaniae fundatione praedictâ caveri dicitur expresse quod ad illam pro tempore vacantem clericus de genere eiusdem Ioannis episcopi praedictae capellaniae fundatoris descendens, si idoneus reperiatur, sin autem, alius clericus seu presbyter idoneus praesentetur et praesentari possit, ac quorum mille ducentorum et viginti auri parium; nec non ad quatuor dimidios canonicatus et dimidias praebendas, ad duos videlicet et duas super nono[1] a praedicti cantoris, quorum insimul quingentorum septuaginta octo ducatorum auri similium et iuliorum quindecim monetae praedictae, ac ad alios duos et duas super decimosexto ab eiusdem cantoris, quorum insimul quingentorum octoginta unius ducatorum auri similium et iuliorum duodecim monetae praedictae cum dimidio alterius iulii similis; nec non ad duodecim quartanarias, ad quatuor videlicet super undecimo a praedicti decani, quarum insimul quingentorum septuaginta octo ducatorum auri similium et iuliorum quindecim monetae praedictae, ac ad alios quatuor super undecimo a praedicti cantoris, quarum insimul quingentorum octoginta ducatorum auri similium et iuliorum decem monetae praedictae, ac ad reliquas quatuor quartanarias huiusmodi super tertiodecimo respective stallo ab eiusdem cantoris respective latere respective fundatas, quarum insimul, nec non dignitatibus ac canonicatibus et praebendis nec non capellaniae dimidiisque canonicatibus et dimidiis praebendis ac quartanariis praedictis forsan respective annexorum, etiam computatis respective distributionibus quotidianis et aliis incertis, quingentorum octoginta ducatorum auri de Camerâ huiusmodi respective fructus, redditus et proventus, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt (ac quorum et quarum, non tamen quoad dictum decanatum, qui in praedictâ ecclesiâ Ulyssiponensi orientali dignitas

1 Edit. Main. legit *novo* pro *nono* (R. T.).

post pontificalem maior, ut praefertur, existit, nec non quoad septimo et decimo dictos canonicatus et praebendas, ac capellaniam huiusmodi eique annexos canonicatum et praebendam praedictos, dum illi et illae pro tempore vacant, collatio, provisio ac institutio, et omnimoda alia dispositio ad pro tempore existentem archiepiscopum ac dilectos similiter filios capitulum et canonicos praedictae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis simultanee, tempore vero sedis archiepiscopalis Ulyssiponensis orientalis vacationis, ad capitulum et canonicos praedictos, cessantibus reservationibus et affectionibus apostolicis, spectat et pertinet; quod quidem ius patronatûs et praesentandi, quod ad praedictae domûs de Vasconcellos de Soalhaens possessorem et administratorem pro tempore existentem, praedicto dilecto filio nobili viro de Lima et Vasconcellos vicecomite de Villanova de Cerveira moderno praedictae domûs possessore et administratore, modernoque unice[1] praedictae capellae illique annexorum canonicatûs et praebendae praedictorum patrono, ut accepimus, annuente, et attentâ infrascriptâ ut infra faciendâ et decernendâ compensatione, ac approbandi nominandique, quod ad universitatem praedictam, et exigendi dimidiam praebendam seu dimidios fructus, redditus et proventus praedictos, quod ad dictum Inquisitionis tribunal, necnon conferendi et providendi respective ius, quod ad modernos et respective pro tempore existentes archiepiscopum, capitulum et canonicos praedictos ex quacumque causâ etiam publicae utilitatis, aut aliàs quomodolibet, respective spectat et pertinet, et de consensu eiusdem Ioannis regis, quoad ea in quibus et ad quae ius aliquod eidem Ioanni regi competere potest, et quatenus opus sit, apostolicâ auctoritate per praesentes perpetuò extinguimus et abrogamus), cum primum dignitates, nec non canonicatus et praebendas ac capellaniam huiusmodi, dimidiosque canonicatus et dimidias praebendas, ac quartanarias praedictas, quibusvis modis et quorumcumque etiam nostrorum et Romani Pontificis pro tempore existentis seu cuiusvis S.R.E. cardinalis familiarium et continuorum commensalium seu Romanae Curiae nostrae officialium aut aliàs quomodolibet reservationem inducentibus personis, seu per liberas etiam ex causâ permutationis resignationes, iurium cessiones de illis in dictâ Curiâ vel extra eam etiam in nostris et Romani Pontificis pro tempore existentis manibus quomodolibet factas vel admissas, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, seu illas et illos pro tempore obtinentium decessum etiam apud Sedem Apostolicam praedictam decedentium, vel quamvis aliam dimissionem, amissionem, privationem, religionis ingressum, et matrimonii contractum, ad cathedralium ecclesiarum vel monasteriorum, etiam consistorialium, seu quamcumque aliam promotionem, aut quomodolibet et qualitercumque etiam apud Sedem praedictam pro tempore vacare contigerit, etiamsi tempore datae praesentium vacent, personas idoneas ut praefertur (non tamen quoad capellaniam eique annexos canonicatum et praebendam praedictos) iuxta dicti Ioannis episcopi fundationem praedictam debite qualificatas, a pro tempore existente archiepiscopo ecclesiae Ulyssiponensis orientalis praedicto approbandas, ita quod personarum huiusmodi in eis institutio ad

1 Forsan legendum *unico* (R. T.).

1 Vocem *ecclesiae* nos addimus (R. T.).

eumdem archiepiscopum pro tempore existentem privative, extincto iure simultaneo, quod cum eodem archiepiscopo capitulum dictae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, ut praefertur, exercebat, imposterum spectet et pertineat (cum hoc tamen quod dictus Ioannes rex, ne vicecomes praedictus pro iurepatronatûs et praesentandi huiusmodi ad praedictam capellaniam cum ei annexis canonicatu et praebendâ de Mafra nuncupatis praedictis, redditibusque et iuribus ad eosdem pertinentibus, a nobis per praesentes ut praefertur abrogato et extincto, aliquod detrimentum patiatur, prout ex aequâ suae regiae liberalitatis ratione teneri vult, Thomae vicecomiti praedicto, uti dictae domûs possessori et administratori, pro eius a nobis ut praefertur abrogato et extincto iure, ad illud ei compensandum, aliud ius patronatûs et praesentandi ad alios canonicatus et praebendas aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum, seu alia beneficia ecclesiastica, quae[1] ad Ioannem, et pro tempore existentes[2] regem praefatum, vel etiam ad aliqua seu aliquas ex commendis Ordinum militarium in Portugalliae regnis existentium, et quorum Ioannes et pro tempore existens rex praefatus gubernator perpetuusque administrator existit, vel ipsas commendas, seu alios ecclesiasticos aut saeculares annuos redditus, bona, iura vel honores, qui vel quae ad Ioannis et pro tempore existentis regis praefati iuspatronatûs seu ad illius regiae coronae liberam dispositionem spectant et pertinent, et quibus Thomas vicecomes praefatus, eiusque successores, ad quos dictum iuspatronatûs pro tempore spectare debuisset, perfrui et gaudere, vel respective eos et ea in proprios usus convertere libere et licite valeant, iuxta rationabilem et congruam inter dictum Ioannem regem ac Thomam vicecomitem praefatum statuendam compensationem; non retardatâ tamen in reliquis earumdem praesentium executione, quae illico, nullo desuper habito processu, debitae promptaeque executioni demandari debeant, prout nos ex nunc pro demandatis haberi volumus, non obstantibus ad effectum praemissorum quibusvis contrariis dictorum Ordinum, etiam iuramento aut confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, privilegiis, indultis et constitutionibus etiam apostolicis ad eosdem Ordines spectantibus, cedat, assignet seu conferat; et pro eo quod dictus Ioannes rex Ordinum praedictorum gubernator et perpetuus administrator ut praefertur existit, ad hoc ut ipse aliquam ex dictorum Ordinum commendis seu aliqua bona eidem Thomae vicecomiti ut praefertur cedere, assignare seu conferre valeat, eumdem Ioannem regem et gubernatorem perpetuumque administratorem a quocumque de non alienandis tam eiusdem regiae coronae quam Ordinum praedictorum respective bonis aut aliâs quomodolibet ab eo respective praestito iuramento, voto seu obligatione quacumque, ad praemissorum effectum, apostolicâ auctoritate praefatâ absolvimus et liberamus, ac ex nunc absolutum et liberatum esse volumus et declaramus; et quoad approbandi nominandique ad canonicatum et magistralem ac canonicatum et doctoralem respective nuncupatas praebendas, quod universitati praefatae, necnon percipiendi et exigendi dimidiam praebendam seu dimidios fructus, redditus et proventus praefatos respective ius, quod tribunali praefato ante

Compensatio comiti de Vasconcellos pro capellania de Maphra, super qua etiam ius patronatûs et praesentandi dicto regi conceditur.

1 Pessime edit. Main. legit *quod* pro *quae ad* (R. T.).

2 Aptius lege *existentem* (R. T.).

eiusdem iuris abrogationem et extinctionem a nobis per praesentes ut praefertur factas respective[1], iuris huiusmodi compensatio, prout aequum rationique consonum fuerit, providaque ratio postulaverit, in posterum statuetur), apostolicâ auctoritate, earumdem tenore praesentium, perpetuò reservamus[2], concedimus et assignamus.

Ius patronatûs praedictum vere regium decernitur.

§ 3. Necnon ius patronatûs et praesentandi ac nominandi huiusmodi vere regium existere, ac eidem Ioanni et pro tempore existenti Portugalliae et Algarbiorum regi praedicto, non ex privilegio apostolico, sed ex verâ primaevâ, reali, actuali, plenâ, integrâ et omnimodâ fundatione ac perpetuâ dotatione competere, et ad Ioannem et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem praedictum pertinere, illudque vim, effectum, naturam, qualitatem et validitatem iuris[3] patronatûs regii huiusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione iurispatronatûs ex privilegio apostolico vel consuetudine aut praescriptione acquisiti, etiam cum quibusvis praegnantissimis et efficacissimis verbis, clausulis, ac etiam irritantibus et aliis fortioribus decretis, etiam cum clausulâ, *Quorum tenores*, etc., in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis legis, nostraeque et Cancellariae Apostolicae regulae, etiam per nos et successores nostros Romanos Pontifices, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam concistorialiter, pro tempore quomodocumque factâ, concessâ et emanatâ, nullatenus comprehendi, nec illi[4] ullo unquam tempore, etiam ratione cuiusvis litis pendentiae vel vacationis apud Sedem praefatam, etiam ex causâ permutationis, vel devolutionis, seu alio quocumque praetextu, ac ex quacumque causâ quantumvis urgenti et legitimâ, per nos seu Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes, vel Sedem praedictam, aut illius etiam de latere legatos, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, seu cuiusvis intuitu et contemplatione, per quascumque litteras apostolicas, et quascumque etiam derogatoriarum derogatorias, ac fortiores et insolitas clausulas, necnon irritantia et alia decreta quaecumque in se continentes, derogari posse, neque debere, aut derogatum censeri; necnon omnes et quascumque collationes, provisiones, commendas, aliasque dispositiones de omnibus et singulis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, necnon capellaniâ praefatâ, ac dimidiis canonicatibus dimidiisque praebendis ac quartanariis praefatae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis contra earumdem praesentium tenorem, et aliàs quam ad praesentationem Ioannis et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis praefati, seu de illius consensu, et in eis institutiones ad praesentationem huiusmodi, aliàs quam per pro tempore existentem archiepiscopum Ulyssiponensem orientalem, ad quem ut praefertur ius instituendi privative pertinere et spectare debeat, etiam apud Sedem praefatam pro tempore vacantibus, quibusvis personis sub quibuscumque verborum expressionibus pro tempore factas seu faciendas, processusque desuper habitos seu habendos, ac inde pro tempore sequenda quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris vel momenti fore et esse, ac pro nullis et infectis haberi et censeri, nec ius aut coloratum titulum possidendi cuiquam tribuere, nec per illa acquiri

1 Deest verbum ex. g. *competebat* (R. T.).
2 Absolvitur syntaxis incepta pag. 359 *a* (R.T.).
3 Edit. Main. legit *ius* pro *iuris* (R. T.).
4 Pessime edit. Main. legit *illo* pro *illi* (R.T.).

posse; necnon veteris iuris respective conferendi, instituendi, approbandi, nominandi, ac praesentandi et percipiendi ac exigendi abrogationem et extinctionem a nobis ut praefertur factas, validas et efficaces fore et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri, nec eas sub quibuscumque contrariis aut similibus vel dissimilibus, specialibus aut generalibus reservationibus, cum quibusvis restrictivis, ac etiam earumdem derogatoriarum derogatoriis clausulis irritantibus, etiam vim contractûs inducentibus, aut fortioribus et arctioribus decretis, aut aliàs quomodolibet pro tempore concedendis, et cum praefatâ clausulâ *Quorum tenores*, *etc.*, editis vel edendis, nullatenus comprehensas esse et fore, minusque comprehendi posse aut debere, sed semper ab illis exceptas et exclusas esse et censeri, ac plenum semper validissimumque sui effectum sortiri debere;

Praesentium firmitas.

§ 4. Nec non omnia et singula praemissa, ac easdem nostras praesentes, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel alio quovis defectu, etiam ex eo quod causae, propter quas eadem praemissa facta fuerunt, coram Ordinario loci, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegato, examinatae, verificatae et ab eo approbatae, necnon archiepiscopus ac capitulum et canonici praefatae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, dictasque dignitates, ac canonicatus et praebendas ac quartanarias nunc respective obtinentes, necnon capellaniam praefatam, dimidiosque canonicatus et dimidias praebendas, ac quartanarias nunc respective obtinentes, nec non alii quicumque in praemissis quodcumque ius vel interesse habentes vel habere praetendentes, ad id vocati et auditi non fuerint, nec eorum desuper expressum respective consensum praestiterint, seu ex quavis aliâ causâ, et quocumque alio praetextu, quaesito colore vel ingenio, notari, impugnari, invalidari, retractari, ad viam et terminos iuris reduci, seu in ius vel controversiam revocari, aut adversus illa et illas quodcumque iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari posse, nec sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, per nos et quoscumque Romanos Pontifices successores nostros, ac etiam Sedem praedictam, pro tempore faciendis, comprehendi posse vel debere, sed semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et eum in quo antea quomodolibet erant statum restituta, reposita et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quaecumque posteriori datâ per dictum Ioannem et pro tempore existentem Portugalliae et Algarbiorum regem quandocumque eligendâ concessa, valida et efficacia, ac concessas, validas et efficaces fore et esse, plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, sicque nostrae mentis et intentionis fuisse et esse, et ita in omnibus et singulis praemissis ab omnibus censeri, et ita per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, definiendi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, definiri et interpretari debere, et, quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane, decernimus, statuimus et mandamus.

Commissarii deputati pro executione huiusce concessionis.

§ 5. Quocirca dilectis filiis nostro et dictae Sedis nuncio in praefatis[1] regnis nunc et pro tempore commoranti, nec non duobus dignioribus et antiquioribus ministris, non tamen regularibus, tribunalis Inquisitionis regnorum huiusmodi, nunc et pro tempore existentibus, motu simili per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios, praesentes nostras litteras et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, et quoties pro parte dicti Ioannis et pro tempore existentis Portugalliae et Algarbiorum regis seu illius ministrorum fuerint requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis auxilio assistentes, faciant auctoritate nostrà easdem praesentes, et in eis contenta huiusmodi, ab omnibus, ad quos spectat et pro tempore spectabit, firmiter observari; contradictores quoslibet et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo; ac, legitimis super hoc habendis servatis processibus, sententias, censuras et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando; invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac, quatenus opus sit, de exprimendo vero annuo valore, de non concedendis gratiis ad instar, necnon praedictâ dictae capellaniae, aliisque omnium et singulorum dignitatum, canonicatuum et praebendarum, dimidiorumque canonicatuum et dimidiarum praebendarum ac quartanariarum huiusmodi respective fundationibus, et, quoad praedictam iudicum executorum deputationem, felicis recordationis Bonifacii Papae VIII similiter praedecessoris nostri de unâ, et in concilio generali editâ de duabus dietis, dummodo ultra duas[1] dietas quis vigore praesentium ad iudicium non trahatur, aliisque apostolicis, etiam in generalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, et Ordinum militarium praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis aliâ firmitate roboratis, statutis aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, archiepiscopo necnon capitulo et canonicis dictae ecclesiae Ulyssiponensis orientalis, aut Ordinibus praedictis, aut eorum vel aliis superioribus, ac quibusvis aliis personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, etiam motu pari et consistorialiter, etiam in dignitatum ac canonicatuum et praebendarum necnon praefatâ eiusdem capellaniae ac dimidiorum canonicatuum et dimidiarum praebendarum ac quartanariarum huiusmodi fundationibus, necnon universitati, vicecomiti et tribunali praefatis[2] respective quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, aliisque quae eisdem praesentibus quomodolibet obesse possent, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, etiam veriores, totosque et integros, etiam praesentibus

1 Pessime edit Main. legit *praesentis* pro *praefatis* (R. T.).

1 Forsan legendum *tres* pro *duas* (R. T.).
2 Ed. M. h. *praesentibus* pro *praefatis* (R.T.).

pro expressis, insertis ac de verbo ad verbum registratis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum earumdem praesentium omniumque et singulorum praedictorum validitatem[1], hac vice dumtaxat, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, specialiter et expresse harum serie derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenae contra infractores huius bullae.

§ 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae extinctionis, abrogationis, absolutionis, liberationis, declarationis, reservationis, concessionis, assignationis, decreti, statuti, commissionis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, VIII idus martii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 8 martii 1738, pontif. anno VIII.

A. card. pro-datarius.

*Visa de Curiâ:*

N. Antonellus.
F. Piccionius.

---

## CCXX.

*Congregationi et collegio sacrae Familiae Iesu Christi Neapolitanae, eorumque ecclesiae, presbyteris saecularibus, alumnis et convictoribus et personis, nunc et pro tempore existentibus, communicantur privilegia, praerogativae, facultates, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones et indulta Congregationibus Oratorii S. Philippi Nerii et Piorum Operariorum concessa, ac omnes et singulae indulgentiae ecclesiae S. Mariae ad Martyres vulgo* della Rotonda.

1 Male edit. Main. legit *validatis* pro *validitatem* (R. T.).

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Inter praecipuas ministerii nostri partes, in supremâ Catholicae Ecclesiae administratione, tenuitati nostrae per ineffabilem divinae sapientiae atque bonitatis abundantiam demandatâ, accurate obeundas, illam non ultimam reputamus, ut luculentiora pontificiae benignitatis auctoritatisque privilegia et gratias paterno libentique animo iis dilectis filiis conferamus, qui, sicut novellae olivarum plantationes in iuventute suâ, uberes bonorum operum fructus in Catholicâ Ecclesiâ alacrius proferre satagentes, uberiora apostolicae beneficientae indulgentiaeque nostrae munera, praerogativas ac favores sibi promereri videntur.

Matthaeus Ripa, dictae Congregationis et Collegii fundator, Papae supplicat.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Ripa, fundator et modernus superior ac rector Congregationis et Collegii sub invocatione Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae erectorum, quorum institutum per alias nostras in simili formâ Brevis litteras desuper die VII aprilis MDCCXXXII expeditas approbavimus, ac subinde regulas quoque confirmavimus, quod, cum Congregatio et collegium huiusmodi ad instar Congregationum presbyterorum saecularium Oratorii sancti Philippi Nerii ac Piorum Operariorum nuncupatorum dictae civitatis Neapolitanae fundata et instituta sint; ipse vero exponens, ac presbyteri, alumni, convictores, et aliae personae Congregationis et collegii praefatorum, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, favoribus, gratiis, indulgentiis, exem-

ptionibus et indultis a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris tam presbyteris saecularibus Oratorii sancti Philippi Nerii et Piorum Orariorum praedictis, quam ecclesiis, domibus et congregationibus eorumdem quocumque tempore quomodolibet hactenus concessis et in futurum concedendis, frui et gaudere posse plurimum desiderent: nobis propterea tam suo quam praefatorum presbyterorum, alumnorum, convictorum et aliarum personarum huiusmodi nomine humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et[1] ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens facultatum et indulgentiarum, de quibus in rubrica, applicationem concedit.

§ 2. Nos igitur, specialem ipsis exponenti et presbyteris, alumnis, convictoribus, aliisque personis, ut praemittitur, gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et attento quod dilectus filius noster Ioseph S. R. E. cardinalis Spinelli nuncupatus, archiepiscopalis ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesul, ad nos retulerit, praefatos presbyteros, alumnos et convictores non solum in iis ad divini cultus incrementum et animarum salutem in civitate et dioecesi Neapolitanâ spectantibus regulas et instituta tam presbyterorum Oratorii sancti Filippi Nerii quam Piorum Operariorum praedictorum servare, verum etiam maiora ipsis onera imposita esse, iisdem Congregationi et collegio Sacrae Familiae Iesu Christi, illiusque ecclesiae ac presbyteris saecularibus, alumnis, convictoribus et personis nunc et pro tempore existentibus, ut omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, gratiis et indulgentiis ac exemptionibus et indultis memoratarum Congregationum, earumque ecclesiis, presbyteris et personis per Romanos Pontifices praedecessores nostros quomodolibet concessis et in futurum concedendis, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, et quibus eaedem Congregationes earumque ecclesiarum presbyteri et personae ex praedecessorum nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac[1] uti, frui, potiri et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia, perinde ac si privilegia, praerogativae, facultates, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones et indulta huiusmodi ipsis Congregationi et collegio Sacrae Familiae Iesu Christi, eorumque ecclesiae, presbyteris, alumnis, convictoribus et personis specialiter concessa reperirentur, sine praeiudicio tamen gratiarum, indultorum et privilegiorum iisdem a nobis aliàs concessorum, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Concedit quoque indulgentias iam concessas ecclesiae *della Rotonda*.

§ 3. Quoad indulgentias vero ecclesiae et in eâ sitis altaribus Congregationis et collegii Familiae Iesu Christi praefatorum, eas omnes et singulas, quae ecclesiae eiusque respective altaribus S. Mariae ad Martyres *della Rotonda* vulgo dictae de Urbe per Romanos Pontifices praedecessores nostros nosque ipsos hactenus concessae reperiuntur, aut quas in futurum concedendas esse contigerit, cum uno dumtaxat altari privilegiato quotidiano perpetuo, etiam per

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

1 Coniunctio *ac* delenda (R. T.).

modum aggregationis et sine quacumque dependentiâ, concedimus et clargimur.

Clausulae irritantes.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus nostrae et Cancellariae Apostolicae regulâ de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 martii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXI.

*Extensio indulti, ab Urbano VIII pro alumnis et convictoribus collegii Propagandae Fidei concessi, ad alumnos et convictores pro Sinensibus et Indis collegii Sacrae Familiae Iesu Christi in civitate Neapolitanâ erecti.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Pro supremâ Catholicae Ecclesiae procuratione, quam pastorum princeps Iesus Christus altissimo divinae providentiae suae consilio nobis plane immerentibus credere dignatus est, tamquam fideles prudentesque dispensatores praecipua apostolicae benignitatis auctoritatisque argumenta iis potissimum ingenti cum pontificii cordis laetitiâ exhibere satagimus, qui in diebus nostris veluti cooperatores et coadiutores in ministerii nostri opus a nobis adsciti et constituti in excolendâ vineâ Dei sabbaoht per universum terrarum orbem plantatâ alacrius adlaborare pergunt atque contendunt.

Capita concessionum ab Urbano VIII alumnis collegii Urbani factarum.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Matthaeus Ripa, fundator et modernus superior ac rector Congregationis et collegii sub invocatione Sacrae Familiae Iesu Christi extra muros civitatis Neapolitanae erectorum, quorum institutum per alias nostras in simili formâ Brevis litteras desuper die VII aprilis MDCCXXXII expeditas approbavimus, ac subinde regulas quoque confirmavimus, quod aliàs felicis recordatio Urbanus VIII praedecessor noster dilectis filiis tunc et pro tempore existentibus alumnis et convictoribus Congregationis de Propagandâ Fide, aliisque qui quoquomodo ad instantiam eiusdem Congregationis Romae vel alibi educarentur, ut ipsi, absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici aut patrimonii, sed ad titulum tantum missionis, a quocumque quem maluerint catholico antistite gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente et in propriâ dioecesi residente, vel in alienâ de Dioecesani loci licentiâ pontificalia exercente, ad quatuor minores

etiam unico festivo vel feriato, necnon etiam ad sacros et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis, et continuis vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoverentur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuissent, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non essent, dummodo tamen forent aetatis legitimae, ac aliàs idonei, et per triennium continuum essent eiusdem Congregationis alumni seu convictores, aut ad illius instantiam educati, ac denique haberent litteras testimoniales rectorum aut eorum apud quos educarentur et instruerentur de eorum vitâ et moribus ac in scientiis profectibus, nec eis aliquod obstaret impedimentum, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, auctoritate apostolicâ, sub certis modo et formâ tunc expressis, concessit et indulsit, et aliàs prout in praedictis Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die XVIII maii MDCXXXVII expeditis plenius continetur.

Illae novo collegio extra Neapolim fundato conceduntur.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Matthaeus privilegia seu indulta praedicta ad alumnos et convictores collegii Sacrae Familiae Iesu Christi huiusmodi per nos extendi atque iisdem concedi summopere desideret: nos, piis eiusdem Matthaei votis hac in re quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eumque et alumnos ac convictores secundodicti collegii huiusmodi a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, privilegia, in praedictis Urbani praedecessoris litteris contenta, ad modernos et pro tempore existentes collegiales collegii Sacrae Familiae Iesu Christi civitatis Neapolitanae Sinenses, et ad eos qui ex regionibus Indiarum advenerint, dumtaxat, extendimus, atque iisdem concedimus; nempe, ut ipsi absque litteris dimissorialibus suorum Ordinariorum, et etiam sine titulo beneficii ecclesiastici, sed ad titulum tantum missionis, a quocumque quem maluerint catholico antistite ad quatuor minores etiam unico festivo vel feriato, necnon etiam ad sacros et presbyteratus ordines tribus dominicis, seu aliis festivis et continuis vel interpolatis diebus, etiam extra tempora ad id a iure statuta, et non servatis interstitiis a sacro Concilio Tridentino designatis, annique curriculo non expectato, etiamsi, antequam de uno ad alium ordinem promoveantur, in primo quoque suscepto ordine se minime exercuerint, aut alicuius ecclesiae servitio adscripti non sint, dummodo tamen sint aetatis legitimae, nec eis aliud canonicum obstet impedimentum, et habeant litteras testimoniales rectorum aut eorum apud quos educantur et instruuntur, promoveri, et promoti in illis etiam in altaris ministerio ministrare libere possint et valeant, ita tamen, ut, quotiescumque contingat aliquos ex iisdem Sinensibus et Indis ad ordines promoveri debere, antequam e collegio dimittantur, dictus Matthaeus modernus et pro tempore

existens superior, si sedes archiepiscopalis Neapolitana sit plena, teneatur eos dirigere cum attestationibus de illorum baptismate, vitâ, moribus et in scientiis profectu ad dilectum filium nostrum Iosephum S. R. E. cardinalem Spinelli nuncupatum archiepiscopalis ecclesiae Neapolitanae ex concessione et dispensatione apostolicâ praesulem, seu pro tempore illius existentem archiepiscopum, quatenus vero idem cardinalis et praesul seu archiepiscopus praedictus quacumque ex causâ illorum ordinationem peragere non valeat, liberum sit memorato Matthaeo, et pro tempore existenti superiori collegii praedicti, illos ad quemcumque catholicum antistitem gratiam et communionem supradictae Sedis habentem pro ordinibus suscipiendis dirigere, servatâ in reliquis praedictarum Urbani praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate praedictâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

Obstantium derogatio.

§ 3. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV martii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 14 martii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXII.

*Impositio datii scutorum decem pro quolibet centenario super mercibus sericis, quae ex alienis intra Statum Ecclesiasticum adsportari contingat.*

Reverendissimo cardinal camerlengo vescovo di Sabina.

Vectigalia nonnulla de consilio Congregationis particularis nuper imposita super merces exteras.

§ 1. Dopo che la Congregazione particolare da noi deputata per il sollievo delle arti e maestranze del nostro Stato Ecclesiastico, secondo le nostre premure tutte intente al sollievo del medesimo Stato, ed a stabilire ed accrescere in esso le manifatture, specialmente di lana e seta, da qualche tempo diminuite, a cagione della soverchia introduzione di pannine, drappi ed altre merci provenienti da paesi esteri, venne nell'anno 1735 in determinazione di doversi imporre una gabella di scudi venti per cento sopra diversi panni forastieri, non eccedenti il valore di scudi cinque la canna, ed un' altra di scudi dodici per cento sopra altre merci parimente forastiere, sopra ogni specie de' panni più nobili, e sopra diverse robe di seta, telerie, ed altre merci fine parimente lavorate fuori del medesimo Stato, che in pregiudizio della nostra Camera e sue dogane generali si vendevano ne' fondachi aperti in alcune città, terre e luoghi posti entro il distretto di quaranta miglia intorno a Roma, comprese ancora le città di Viterbo, Civitavecchia, e Rieti, quali risoluzioni furono poscia approvate con nostri speciali chirografi segnati li 9 maggio di detto anno, ed eseguite per mezzo degli editti pubblicati da voi, e respettivamente da monsignor nostro tesoriere generale il dì 31 del suddetto mese, con riservarsi insieme di prendere ulteriori provvedimenti secondo portasse il bisogno, anche rispetto ad ogni altra manifattura;

Eadem congregatio consuluit novum datium imponi scutorum decem pro centum super merces sericas eiusdem generis.

§ 2. Avendoci ultimamente riferito monsignor segretario di detta Congregazione, che la medesima, nuovamente adunatasi li 24 agosto e 17 settembre dell'anno 1736, giudicasse spediente per il fine suddetto di procedere all'imposizione di una nuova gabella di scudi dieci per cento sopra tutti e singoli drappi, stoffe, calzette, fazzoletti,

veli, e tutte altre manifatture di seta liscie fabbricate fuori del nostro Stato, di qualunque prezzo e valore elle siano, come ancora sopra li drappi, stoffe di seta fiorate, fabbricate parimente fuori di detto Stato, purchè non eccedano il valore di scudi cinque la canna, con doversene regolare l' esigenza e l' applicazione nel modo che segue, e con altre dichiarazioni come appresso; quale risoluzione restasse poi non solo confermata dalla medesima Congregazione tenuta li 14 maggio dell'anno prossimo passato, e solamente modificata rispetto alle due Legazioni di Bologna e Ferrara, quali piacque per ora di eccettuare, ma inoltre ampliata[1] in una particolare adunanza avuta li 6 del corrente mese dalla maggior parte dei reverendissimi cardinali di detta Congregazione coll' intervento ancora di monsignor nostro tesoriere generale e di monsignor commissario generale della nostra Camera, con essere stati di unanime sentimento di potersi detta gabella del dieci per cento stendere alli drappi e stoffe di seta fiorate lavorate fuori di Stato del valore di scudi sei la canna; e conoscendo noi il vantaggio e profitto che può recare a' nostri amatissimi sudditi una tale ordinazione, venendo per mezzo di essa ad aumentarsi lo spaccio e consumo di simili drappi ed altre sete lavorate nel medesimo Stato, ed a vie più animarsi i nostri lavorieri all' accrescimento e miglioramento delle loro fabbriche:

*Confirmatur a Pontifice.*

§ 3. Perciò, non meno a riflesso delle relazioni da ogni parte avute di andarsi giornalmente perfezionando in esso nostro Stato l'arte e maestranze della seta coll' impiego di quantità considerabile di famiglie in somigliante industria, che delle premurose e replicate istanze che abbiamo inteso esser state fatte da tutti i fabbricatori di sete del medesimo stato, siamo di buona voglia condescesi ad approvarla e confermarla come segue.

*Facultas cuique concessa portandi et asportandi intra Statum Ecclesiasticum dictas merces.*

§ 4. Quindi è che col presente nostro Chirografo, in cui abbiamo per espresso e di parola in parola inserto il tenore delle suddette risoluzioni, degli accennati nostri chirografi delli 9 maggio 1735, e degli editti in seguito di essi come sopra pubblicati, ed ogni altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, benchè degna di speciale ed individua menzione, di nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della nostra suprema autorità, approviamo e confermiamo colle seguenti dichiarazioni le soprariferite resoluzioni della suddetta Congregazione particolare da noi deputata, e per l'effetto ed esecuzione di esse vogliamo ed ordiniamo che sia lecito ad ogni persona di poter liberamente continuare ad introdurre in qualsivoglia città e luogo dello Stato Ecclesiastico, tanto per uso proprio che per cagione di negozio, tutti e singoli drappi, stoffe, calzette e veli, ed altre qualsisiano manifatture di sete liscie fabbricate fuori, di qualunque valore e prezzo elle siano, come ancora li drappi e stoffe fiorate di seta fabbricate fuori del medesimo Stato, purchè il loro prezzo e valore non ecceda scudi sei la canna, con restare però soggette le suddette merci al pagamento di una gabella di scudi dieci per cento, quale noi col presente nostro Chirografo imponiamo e costituiamo sopra dette merci, ed a tal effetto vogliamo che, o siano i medesimi proprietarì, o vetturali, procacci, o qualsiano altri portatori di esse si per mare che per terra, debbano darne fedele assegna alli ministri deputati alli

1 Edit. Main. legit *ampliare* (R. T.).

confini del medesimo Stato Ecclesiastico per la distribuzione de' bollettini, o per far dogane, e regolarsi in tutto e per tutto, secondo le leggi ed ordinazioni prescritte nei chirografi ed editti sopra enunciati, concernenti l'imposizione della gabella di scudi venti per cento sopra i suddetti panni forastieri d'inferiore valore di scudi cinque la canna; quali ordinazioni, sì per quello riguarda l'apposizione del bollo e pagamento del suddetto annuo dazio del dieci per cento, che rispetto alla comprensione di tutte e singole persone di qualsivoglia stato, grado e condizione, come pure quanto all' incorso ed applicazione delle pene comminate contro i trasgressori, abbiamo qui ad una ad una per ripetute, come se fossero di parola in parola inserte, e non altrimenti, ecc.

Beneficium huiusmodi datii applicatur communitatibus.

§ 5. Volendo che la gabella suddetta del dieci per cento debba stendersi per tutto il nostro Stato Ecclesiastico, eccettuatene bensì per ora le due Legazioni di Bologna e di Ferrara, e che debba cedere a beneficio delle comunità di esso Stato, come l'altra del venti imposta, come sopra, per i panni forastieri, senza però restar comprese sotto l'accennata applicazione le suddette merci di seta che s'introdurranno nelle città, terre e luoghi posti nel distretto delle quaranta miglia intorno a Roma, poichè rispetto a queste ci riserviamo di disporne con altro Chirografo a parte che sarà diretto a monsignor nostro tesoriere generale. E per la stessa ragione di essere il ritratto di questa nuova imposta applicato a benefizio delle suddette comunità, è nostra intenzione che, in caso che le suddette merci fossero soggette ad altra gabella comunitativa, l'importo di essa debba detrarsi dal suddetto dieci per cento, di modo che, giustificandosi il pagamento con fede autentica del ministro che presiede all'esigenza di detta gabella comunitativa, in tal caso ed in tali luoghi la gabella suddetta sia e debba essere solamente quella somma che manca per arrivare al detto dieci per cento. Intendendo però che sotto l'accennata detrazione cadano solamente i pagamenti come sopra fatti nelle dogane generali delle comunità, e non il pagato per le gabelle di passo, nè l'altre spese occorse per il viaggio alli conduttori di esse merci, come fu ordinato nelli chirografi et editti della gabella de'panni, alli quali la suddetta Congregazione particolare si è riportata anche rispetto a questo nuovo dazio del dieci per cento: *Lasciando altresì alla vigilanza del reverendissimo cardinal Riviera, prefetto della Congregazione del buon governo, il fare quanto stimerà necessario per l'esigenza di detta nuova gabella, come sopra, destinata a benefizio delle comunità.*

Quae merces ab hac impositione liberae esse debeant.

§ 6. Ed affinchè le suddette merci una volta che siano introdotte nello Stato Ecclesiastico non passino altri dominî senza il pagamento di questa nuova gabella, e si tolga alli mercanti ed altri proprietarî il pretesto che sogliono talvolta addurre di essere robe di puro transito, o di esserne seguita la vendita nei porti franchi, o nelle fiere libere del medesimo Stato Pontificio, il che, se si ammettesse, si renderebbero più de' nostri sudditi privilegiati i forastieri: perciò, secondando anche in ciò la mente di essa Congregazione particolare, espressamente dichiariamo ed ordiniamo che s' intenda accordato il transito per lo Stato Ecclesiastico e l' immunità della gabella solo per quelle merci veramente destinate per altri Stati sino dalle spedizioni di paesi esteri, e che tal denunzia debba farsi alli con-

fini, coll'indirizzo, notato sopra le balle o fagotti, alla persona particolare o luogo preciso fuori di Stato a cui sono destinate, per essere poi in tali circostanze, col solito pagamento del transito, nella conformità che si pratica nelle dogane di Roma, ed in ogni altro dominio, accompagnate col solito bollettone di città in città, senza essere sballate ed aperte sino al loro destino, per togliere in tal forma ogni occasione del ritorno nel medesimo Stato di dette robe non gabellate, con pericolo di cagionare fraudi e sconcerti nella negoziazione.

Antiqua datia et prohibitiones remaneant in suo statu.

§ 7. Volendo ancora, che col disposto come sopra non s'intenda indotta alcuna innovazione rispetto all'altra gabella del dodici per cento imposta sopra li drappi ed altre robe di seta fabbricate parimente fuori di Stato che s'introducono nelle città, terre e luoghi posti nel suddetto distretto delle quaranta miglia intorno a Roma, come nè pure rispetto alla proibita introduzione de' damaschi e velluti forastieri nella città di Roma; dovendo in questa parte restare nel suo intiero vigore tutto ciò che si prescrive ne' sopra enunciati nostri chirografi ed editti in sequela di essi pubblicati, e specialmente in quello di monsignor nostro tesoriere generale, e quanto dal medesimo verrà ordinato con altro nuovo editto da pubblicarsi in seguito di questa nostra disposizione.

Cardinali camerario data commissio praedicta exequendi.

§ 8. Volendo ancora che per l'effetto delle cose suddette si facciano da voi editti e bandi, ne' quali si dia la norma e regolamento necessario per l'esazione di questa nuova gabella, come praticaste nell'altra de' panni forastieri; con facoltà parimente di procedere in tutte e singole cause tanto criminali che civili appartenenti alla suddetta nuova imposizione, e sopra tutti e singoli loro incidenti, emergenti e dipendenti, nella solita forma che vi compete per tutte le altre cause camerali, e di prendere ogni altro provvedimento che vi parerà adequato per quelle merci forastiere che si troveranno introdotte in detto Stato prima della presente nostra disposizione, e di fare tutt'altro che crederete confacente alla più facile esecuzione di quanto si è come sopra da noi stabilito, approvando d'adesso tutto ciò che da voi sarà fatto in adempimento delle cose predette, essendo tale la mente e volontà nostra espressa.

Firmitas praesentis schedulae.

§ 9. Volendo e decretando che il presente nostro Chirografo, ammettendosi e registrandosi in Camera a tenore della Bolla di Pio IV nostro predecessore *De registrandis,* vaglia e debba aver sempre il suo pieno effetto, esecuzione e vigore colla semplice nostra sottoscrizione, e che non gli si possa mai in alcun tempo opporre di surrezione, orrezione, nè di alcun altro vizio o difetto della nostra volontà ed intenzione, e così e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse giudicarsi, definirsi ed interpretarsi dalla suddetta Congregazione deputata, da voi, da monsignor tesoriere generale, dal tribunale della nostra Camera, e da qualunque altro giudice e tribunale, ancorchè collegiativo e composto di reverendissimi cardinali; togliendo loro ed a ciascuno di essi la facoltà di giudicare, decidere, definire ed interpretare diversamente; dichiarando noi d'adesso preventivamente nullo, irrito ed invalido tutto ciò che scientemente o ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi sia stato chiamato, citato, nè sentito monsignor commissario della nostra Camera, e qualunque altro che vi avesse o potesse avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non ostanti la regola della nostra Cancelleria *De iure quaesito non tollendo*, e quali si siano altre costituzioni ed ordinazioni apostoliche nostre e de' nostri predecessori, leggi civili e canoniche, concilî generali e provinciali, esenzioni ed indulti conceduti e confermati da noi e da questa Santa Sede, anche per via di contratto ed a titolo veramente oneroso, e con clausole quanto si voglia insolite ed effrenate, anche derogatorie delle derogatorie, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini ed ogni altra cosa che facesse o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso e di parola in parola inserto, e supplendo noi colla pienezza della nostra suprema apostolica potestà a qualunque vizio e difetto quantunque sostanziale e formale che nelle cose premesse potesse intervenire, per questa volta sola e per l'effetto suddetto pienamente deroghiamo.

Dato dal nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 15 marzo 1738.

Dat. die 15 martii 1738, pontif. anno VIII.

Clemens PP. XII.

---

## CCXXIII.

*Dignitatibus et canonicis nunc et pro tempore existentibus patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis conceditur licentia celebrandi seu celebrari faciendi quotidie etiam per horam ante auroram et per horam post meridiem unam missam in privatis domorum suarum existentibus oratoriis in sui ac familiae praesentiâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Causae concedendi privilegii.

§ 1. Insignem dilectorum filiorum capituli, dignitatum et canonicorum patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ordinem, cui non solum felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster tot ecclesiastica ornamenta, privilegia et praeregativas, ad instar nonnullorum etiam aliarum cathedralium ecclesiarum saecularium canonicorum et abbatum mitrae usum habentium, apostolicâ auctoritate suâ contulit, verum etiam carissimus in Christo filius noster Ioannes Portugalliae et Algarbiorum rex illustris praeclara saecularis honorificentiae decora, bona, et congruentes redditus, quibus eam dignitatem cum debito etiam magnatum regni honore coniunctam sustinerent, regali liberalitate attribuit, nos, etsi non obscuris pontificiae beneficentiae argumentis, ad ipsius Ioannis regis supplicationem, adaugere non omisimus, tamen novo etiam paternae, qua dignitates et canonicos huiusmodi complectimur, benignitatis testimonio ornandi cumulandique opportunam occasionem praeterire non patimur.

Concessio de qua in rubricâ.

§ 2. Itaque tam dignitati, quam spirituali consolationi eorumdem dignitatum et canonicorum, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, eosque et alios pro tempore existentes amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, modernis et pro tempore existentibus dignitatibus et canonicis patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praedictae, ut in privatis domorum suae habitationis in Portugalliae et Al-

gabiorum regnis existentibus oratoriis ad hoc decenter muro extructis et ornatis, seu extruendis et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis, per Ordinarios respective locorum prius visitandis et approbandis, ac de ipsorum Ordinariorum licentiâ, unam missam pro unoquoque die per semetipsos celebrare, sive per quemcumque sacerdotem ab Ordinario approbatum saecularem, seu de superiorum suorum licentiâ regularem, sine tamen quorumcumque iurium parochialium praeiudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentecostes et Nativitatis domini nostri Iesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in suâ ac consanguineorum et affinium secum insimul in eâdem domo habitantium familiaeque, et, quoad [1] oratoria ruri existentia, etiam in hospitum nobilium suorum praesentiâ, etiam per horam tantum ante auroram, et item per horam post meridiem, celebrari facere libere et licite possint et valeant, ac quilibet eorum possit et valeat, itaut nec ipsis nec sacerdoti taliter celebranti id ad culpam valeat quomodolibet imputari, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, in perpetuum concedimus et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumptorum.

§ 4. Volumus autem quod familiares servitiis suis tempore dictae missae actu non necessarii ibidem missae huiusmodi interessentes, ab obligatione audiendi missam in ecclesiâ diebus festis de praecepto minime liberi censeantur; quemadmodum etiam ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII martii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 22 martii 1738, pontif. anno VIII.

1 Edit. Main. legit *quod* pro *quoad* (R. T.).

---

## CCXXIV.

*Confirmatio et innovatio litterarum Eugenii IV circa transitus monachorum Ordinis Cisterciensis Congregationis Portugalliae ad alios Ordines.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Eugenius IV sub certis poenis Ordinis huius religiosis transitum ad quemcumque alium Ordinem praeter Carthusiensium interdixit.

§ 1. Emanarunt dudum a felicis recordationis Eugenio Papa IV praedecessore nostro quaedam litterae sub plumbo tenoris sequentis, videlicet:

« *Eugenius episcopus, servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.* Regularem vitam professis sic decet omnem vagandi materiam omnemque inquietudinis causam amputare, quod in eorum vocatione persistant, ac sedulum et devotum Altissimo exhibeant famulatum. Sane pro parte dilectorum filiorum patris abbatis monasterii Cisterciensis Cabilonensis dioecesis et aliorum Cisterciensis Ordinis abbatum exhibita nobis nuper petitio continebat, quod nonnulli monaci dicti Ordinis, alii videlicet melioris frugis ficto colore, alii vero ut iugum obedientiae et salutaris medicinae effugiant disciplinam, ad alios regulares Ordines se divertunt, et, ut in illis remanere libere possint, licentiam Apostolicae Sedis in exquisitis coloribus satagunt obtinere. Nos igitur, quorum interest animarum providere saluti, et

huiusmodi salubre remedium adhibere, eorumdem patris et abbatum supplicationibus inclinati, harum serie decernimus, et etiam ordinamus, quod nullus Ordinis praedicti professus ad alium quemcumque praeterquam Carthusiensium Ordinem etiam praetextu litterarum maioris poenitentiarii nostri, etiamsi in illis plena et expressa de praesentibus mentio habeatur, absque eiusdem patris abbatis licentiâ speciali, causam rationabilem et urgentem, quare licentia huiusmodi concedi debeat, nobis et successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse et specifice allegantis, audeat seu praesumat quomodolibet se transferre. Decernentes nihilominus contrafacientes eosdem correctioni sui abbatis et dicti Ordinis omnino subesse, eosque transeuntes, et abbates eorum ipsis ad alium praeterquam dictum Ordinem Carthusiensium transeundi licentiam concedentes, ipso facto excommunicationis sententiae subiacere. Non obstantibus quibuscumque privilegiis ac indultis quavis auctoritate concessis vel concedendis, quae, quoad hoc, nullius decernimus existere firmitatis, et contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae voluntatis et constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Florentiae anno Incarnationis dominicae MCDXXXIX, XVI kalendas martii, pontificatus nostri anno VIII.

Eugenii litterae confirmantur a Clemente.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius modernus procurator generalis Congregationis Portugalliae eiusdem Ordinis Cisterciensis nobis nuper exponi fecit, quo litterae praedictae, usque adhuc observatae, deinceps, non obstante quocumque abusu qui nuper in regularis disciplinae detrimentum prodire coeperit, suum sortiantur effectum, confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertas memorati Eugenii praedecessoris litteras, cum omnibus et singulis in eis respective contentis et expressis, quoad monachos dicti Ordinis Cisterciensis Congregationis Portugalliae, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, et, quatenus opus sit, ad monachos Congregationis Portugalliae Ordinis Cisterciensis huiusmodi dictâ auctoritate extendimus et ampliamus, et de novo, ne moderni et pro tempore existentes monachi Congregationis praefatae ad quemcumque alium Ordinem seu Congregationem vel institutum a Sede Apostolicâ approbatum, praeterquam ad illum Carthusianorum etiam praetextu litterarum ab officio Poenitentiariae Apostolicae sibi concessarum, licet in illis plena et expressa de eisdem litteris mentio habeatur, absque abbatis generalis dictae Congregationis licentiâ se transferri possint, sub eâdem excommunicationis

poenâ, auctoritate et tenore praedictis interdicimus et proibemus.

Qui sic ubique praecipit servari. § 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus. § 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis, quae idem Eugenius praedecessor in suis litteris praefatis voluit non obstare, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, pivilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fides danda. § 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici vel abbatis generalis dictae Congregationis subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae aut supradicti abbatis vel Congregationis praedictae secretarii generalis munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in iudicio quam extra habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVII martii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 27 martii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXV.

*Decretum ut novae aedes, ad conventum B. M. V. de Nive de Palazzola Ordinis fratrum Minorum de Observantiâ constructae, nulli alio usui applicari possint nisi ad hospitium benefactorum eiusdem Ordinis.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Iosephus Maria Fonseca ab Ebora, exgeneralis Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, quod, cum ipse ex pecuniis per suos religiosos industrios labores ac per eleemósynas a piorum christifidelium elargitione sibi impertitas[1], insimul ad summum fere octoginta millium scutorum monetae romanae ascendentibus, conventum B. Mariae Virginis de Nive de Palazzola nuncupatum provinciae Romanae eiusdem Ordinis paulo ante refici, in eoque, intra claustra, et in illius planis inferioribus, et extra illud, nonnullas aedes seu mansiones construi curaverit, quibus ipse Iosephus Maria de praesenti ad sui usum et commoditatem potitur; ut autem ecclesia praefati conventus, et praemissa, quae absolvenda sunt, ad perfectionem perducere valeat, usum et commodum dictarum aedium seu mansionum ad sui Causae huiusce declarationis, scilicet nova constructio conventus et nonnullarum aedium ei annexarum.

1 Videtur deesse *collectis* (R. T.).

vitam a nobis concedi plurimum desi-sideret:

Reservato constructori dictarum aedium usu ad sui vitam, statuitur, ut in eis imposterum feminae nullo modo pernoctare possint, sed benefactorum hospitio dumtaxat debeant dictae aedes inservire.

§ 2. Nos, ipsum Iosephum Mariam specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, eidem Iosepho Mariae, ut ipse[1], quoad vixerit, et in quocumque statu et gradu tam intra quam extra Ordinem praedictum semper et quandocumque extiterit, usum et commodum dictarum aedium seu mansionum, per eum tam in supradicto conventu quam extra illum constructarum, cum omnibus et singulis suis membris, annexis et connexis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus. Praeterea, ne, post eiusdem Iosephi Mariae obitum, aedes seu mansiones, per ipsum, sicut praemittitur, extra supradictum conventum edificatae, unâ cum suis membris et annexis praefatis[2], habitationi[3] dicti Ordinis benefactorum aliarumque personarum inibi pro tempore adventantium, occasione eorum transitûs, hospitio tantum excipiendorum, et non alteri cuicumque usui destinari ac inservire debeant, nec ullus conventûs et Ordinis praefatorum superior aut religiosus, vel quisquam quavis auctoritate vel superioritate aut officio fulgens, in eisdem aedibus seu mansionibus (praeterquam eâ de causâ) etiam praetextu rusticationis degere, vel quovis alio modo habitare possit, minusque mulieres et feminei sexus personae, cuiuscumque status, gradus et conditionis existant, in aedibus et mansionibus praefatis pernoctare valeant, aut ut ibi pernoctent permittere audeat seu praesumat, sub excommunicationis latae sententiae Sedi Apostolicae reservatae, a qua nemo nisi a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente, praeterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium obtinere queat, et, quoad regulares, etiam privationis vocis activae et passivae poenis, per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis, auctoritate et tenore praedictis interdicimus et prohibemus.

Contraria tolluntur.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, conventûs et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Praesens Breve in eis affigendum.

§ 4. Volumus autem, ut, secuto eiusdem Iosephi Mariae obitu, praesentis prohibitionis exemplum in valvis dicti conventus, seu aedium vel mansionum praedictarum, aut in aliquo alio conspicuo loco, ubi ab omnibus cerni et legi possit, affixum continuo remaneat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX

1 Vel deest verbum *habeat*, vel voces *ut ipse* delendae sunt (R. T.).

2 Ed. M. legit *praesentis* pro *praefatis* (R.T.).

3 Videretur legendum *ullius habitationi*, *sed*, etc. (R. T.).

aprilis MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXVI.

*Prohibitio, ne confessarii absolvere possint ministros S. Officii Inquisitionis revelantes et publicantes illius acta, tractata et gesta in regnis Portugalliae et Algarbiorum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Sub poenâ excommunicationis interdictum a Pontifice officialibus Inquisitionis in Portugallia gesta ulla eiusdem tribunalis cuiquam aperire.

§ 1. Cum nos aliàs, per quasdam nostras desuper in simili formâ Brevis expeditas litteras, supplicationibus dilecti filii nostri Nuni, presbyteri S. R. E. cardinalis de Cunha nuncupati, in Portugalliae et Algarbiorum regnis et dominiis ab eis dependentibus carissimo in Christo filio nostro Ioanni eorumdem regnorum regi illustri mediate vel immediate subiectis inquisitoris generalis Officii Inquisitionis adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolicâ instituti, humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis Officii Inquisitionis huiusmodi in memoratis regnis et dominiis, sive minoribus inquisitoribus, sive consiliariis, procuratoribus, tabellionibus, sive ministris et officialibus, aliisque quibuscumque personis ecclesiasticis et saecularibus, etiamsi quavis praefulgeant dignitate, qui de cetero perpetuis futuris temporibus in tractatis, gestis, statutis et ordinationibus quomodocumque ad praedictum Inquisitionis officium spectantibus interfuerint, ne quibusvis personis tractata, gesta, statuta et ordinationes huiusmodi, tacite vel expresse, per se, vel alium, seu alios, publicare vel revelare auderent seu praesumerent, sub excommunicationis latae sententiae, a qua nemo absolutionis beneficium nisi a nobis seu successoribus nostris praeterquam in mortis articulo constitutus obtinere valeret, aliisque per contraventores ipso facto absque aliâ declaratione incurrendis poenis, districtius, auctoritate apostolicâ, inhibuerimus, ac praeceperimus et mandaverimus; ac aliàs, prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die XXIII iulii anni proxime praeteriti expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habere volumus, plenius continetur:

Per generalem inquisitorem dubitatur, quominus hac iure delinquentes absolutionem obtineant vigore Bullae Cruciatae.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Nunus cardinalis et inquisitor generalis nobis nuper exposuit, ipse litteras praedictas adhuc publicare seu publicari facere praetermiserit, considerans quod, si ministri aliique officiales supradicti tractata, gesta, aliaque ad dictum Inquisitionis Officium spectantia publicaverint seu revelaverint, excommunicationis per eos eâ de causâ incursae absolutionem a quocumque confessario tam saeculari quam cuiusvis Ordinis regulari in vim facultatis per Bullam Cruciatae ab Apostolicâ Sede in eisdem regnis concessae illis ut praefertur attributae reportare et ii concedere respective possint; cupiatque propterea dictus Nunus cardinalis et inquisitor generalis, ne tractata et gesta aliaque praemissa ab eisdem ministris et officialibus in posterum magno cum catholicae ortodoxaeque fidei detrimento, sub spe reportandi ex eorum criminibus absolutionem a dictis confessariis vigore indulti Bullae Cruciatae huiusmodi, revelentur et publicentur, omnes difficultates, quae circa excommunicationis poenam per nos comminatam exoriri possent, auferri:

Hoc idem cavet Pontifex ne fiat.

§ 3. Nos, piis eiusdem Nuni cardinalis et inquisitoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favo-

rabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis modernis et pro tempore existentibus in eisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis et ab eis dependentibus dominiis, praedicto Ioanni regi mediate vel immediate subiectis, confessariis, tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis vel Congregationis aut instituti regularibus, quocumque privilegio seu indulto eis ab hac Sanctâ Sede concesso, seu praetenso, absolutionem impertiendi a casibus reservatis suffultis, ne ipsi ministros et officiales quoscumque eiusdem Inquisitionis Officii, cuiusvis status, gradus et conditionis vel auctoritatis existant, qui tractata, gesta aliaque similia, et in eisdem nostris litteris sicut praemittitur expressa, ad dictum Inquisitionis Officium spectantia et pertinentia, publicaverint seu revelaverint quoquo modo, eâque de causâ poenam excommunicationis latae sententiae huiusmodi per nos inflictam incurrerint, ab excommunicationis huiusmodi poenâ per eos sic incursâ ullo unquam tempore, etiam praetextu indulti seu facultatis in Bullam Cruciatae praedictae comprehensae, et sibi ut praefertur attributae, absolvere possint et valeant, perpetuo, auctoritate apostolicâ, servatâ in reliquis praedictarum nostrorum litterarum formâ et dispositione, tenore praesentium interdicimus et prohibemus; et, quatenus confessarii praefati praedictam absolutionem illis impertiri praesumpserint, ipso facto absque aliâ declaratione sub eâdem excommunicationis poenâ nobis seu successoribus nostris praedictis reservatae comprehensi censeantur; eisdemque confessariis omnem facultatem et auctoritatem, vigore indulti Bullae Cruciatae huiusmodi, eis ut praemittitur attributam, absolvendi supradictos ministros et officiales tractata et acta praedicta revelantes et publicantes, auctoritate et tenore praedictis per praesentes revocamus et annullamus, ac revocatam et annullatam esse volumus et declaramus.

§ 4. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in dictis nostris litteris voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. *Obstantibus derogat.*

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die x aprilis MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

## CCXXVII.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, per quod declaratur, quod generalis Ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum canonice ac rite electus confirmationem et approbationem a Sede Apostolicâ obtinere minime teneatur.*

**Clemens Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii procuratoris generalis Ordinis fratrum B. Mariae Virginis de Mercede Redemptionis Captivorum, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum, iuxta praescriptum constitutionum eiusdem Ordinis auctoritate apostolicâ in formâ specificâ confirmatarum, dilecti quoque filii magister generalis, seu eius vicesgerens, necnon omnes exgenerales, cunctique vicarii provinciales, aut eorum vicarii, ac prior conventûs Barchinonensis, et idem procurator generalis pro tempore existentes, ac insuper ex unâquaque dicti Ordinis provinciâ quatuor vocales, ad domum *A procuratore generali Ordinis proposita Congregationi episcoporum et regularium instantiâ, ut ad formam Ordinum mendicantium magister generalis legitime electus confirmationem ab Apostolicâ Sede petere non teneatur.*

designatam pro capituli generalis celebratione accedere, et inibi interesse tenerentur, et praedicti omnes voto et suffragio in electione magistri generalis eiusdem Ordinis gauderent; secutâ vero rite et canonice electione huiusmodi, de consensu magistri generalis electi et capituli, procurator vel procuratores, qui electionem huiusmodi pro illius approbatione et confirmatione obtinendâ huic Sanctae Sedi exhibeant, constituerentur: et in eâdem expositione subiuncto, quod, cum ex Sedis praedictae benignitate fere omnibus Ordinibus regularibus, et praefertim Mendicantibus, inter quod ex eiusdem Sedis gratiâ Ordo B. Mariae Virginis de Mercede huiusmodi numeratur, indultum fuerit, ut eorumdem Ordinum generales, canonice electi, ipso facto confirmati intelligerentur, nec ulteriori confirmatione indigerent: dictus procurator generalis tam suo quam totius memorati Ordinis nomine cupiebat, quatenus praedictum privilegium, tot religiosis familiis concessum, etiam dicto suo Ordini concedere dignaremur: emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

*Congregatio censuit annuendum.*

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, referente eminentissimo domino cardinali Belluga ponente, censuit, si eidem sanctissimo domino nostro placuerit, oratoris precibus indulgeri posse pro gratiâ ad formam aliarum religionum. — Romae, XIV martii MDCCXXXVIII.

Ex audientiâ sanctissimi habitâ ab infrascripto domino secretario sub die XXIX eiusdem mensis martii MDCCXXXVIII, Sanctitas Sua benigne annuit iuxta votum sacrae Congregationis. — Romae, etc. F. card. BARBERINUS. -- C. archiep. Damiatae, secretarius.

*Decretum praefatae Congregationis apostolicâ auctoritate roboratur.*

§ 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret: nos, ipsum procuratorem generalum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

*Clausulae.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

*Derogatio contrariorum.*

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum

quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes[1], illis aliàs in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv aprilis MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 15 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXVIII.

*Ampliatio litterarum Pauli III, ad favorem presbyterorum confessariorum per custodes et confratres deputatorum confraternitatis hospitalis B. Mariae de Gratiâ, Consolatione, et Porticu nuncupatae almae Urbis concessarum, ad quoscumque presbyteros, qui, audiendarum confessionum causâ, ad archihospitale S. Spiritûs in Saxiâ solent accedere.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Clemens XI facultates a Paulo III concessas confessariis hospitalis B. M. de Consolatione reformat, easque sic reformatas ad confessarios aliorum hospitalium Urbis extendit.

§ 1. Aliàs felicis recordationis Clementi Papae XI praedecessori nostro, pro parte bonae memoriae Fabritii, dum vixit, episcopi Liciensis, et Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae Curiae praelatorum super negotiis visitationis apostolicae ecclesiarum et locorum piorum almae Urbis nostrae institutae deputatorum pro-secretarii, exposito, quod dudum felicis recordationis Paulus PP. III etiam praedecessor noster presbytero et presbyteris per custodes et confratres confraternitatis hospitalis B. Mariae de Gratiâ, Consolatione et Porticu nuncupatae praedictae Urbis pro tempore existentes deputatis et deputandis, etiamsi presbyteri saeculares vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares fuissent, omnium et singulorum utriusque sexus christifidelium personarum tunc et pro tempore ad dictum hospitale pro sanitate recuperandâ confluentium, cuiuscumque qualitatis, etiamsi divites, et etiamsi clerici regulares vel cuiusvis Ordinis etiam Mendicantium regulares fuissent, confessiones, quotiescumque confiteri voluissent, audiendi, et, illis auditis, eos ab omnibus et singulis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quomodolibet latis, et votorum quorumcumque, iuramentorum, et Ecclesiae mandatorum transgressionibus, ieiuniorum, poenitentiarum iniunctarum, ac divinorum officiorum omissionibus, manuum violentarum in quasvis personas iniectionibus, ac periuriorum et homicidii mentalis vel casualis, necnon adulterii, incestus, stupri, fornicationis, ac sacrilegii reatibus, omnibusque aliis et singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus et delictis, quantumcumque gravibus et enormibus, etiam Sedi Apostolicae reservatis, de quibus corde contriti et ore confessi fuissent, etiamsi talia fuissent, propter quae merito Sedes Apostolica esset consulenda, absolvendi, et pro commissis poenitentiam salutarem iniungendi, necnon vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum apostolorum Petri et Pauli, S. Iacobi in Compostella, necnon religionis et castitatis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutandi, iuramenta quaecumque relaxandi, ipsisque infirmis ecclesiastica sacramenta, prout eatenus

1 Vocem *habentes* nos addimus (R. T.)

fecerant, ministrandi, ac eis in articulo mortis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, etiamsi mors non subsequeretur, et quoties mors immineret, vel in dicto mortis articulo constituti viderentur, impendendi, licentiam et facultatem, sub certis modo et formâ tunc expressis, auctoritate apostolicâ concesserat et elargitus fuerat; et in eâdem expositione subiuncto quod facultates a memorato Paulo praedecessore per litteras supradictas dicti hospitalis confessariis concessas, ut praefertur, etiam ad aliorum eiusdem Urbis hospitalium confessarios extendi plurimum desiderabat: idem Clemens praedecessor, ipsius Fabritii episcopi votis hac in re favorabiliter annuere volens, supplicationibus eiusdem Fabritii episcopi nomine sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus, praefatas Pauli praedecessoris litteras, pro dicto hospitali Consolationis sicut praemittitur datas, auctoritate apostolicâ reformavit et declaravit, itaut facultas in eis concessa intelligeretur pro foro conscientiae tantum, exceptis casibus in Bullâ *Coenae Domini*, necnon publicae violationis clausurae monialium ad malum finem, presbytericidii publici, ac casus publici violatae immunitatis ecclesiasticae, imo etiam occulti in terminis constitutionis piae memoriae Gregorii XIV pariter praedecessoris nostri, quae incipit *Cum aliàs nonnullis*, etiamsi eiusmodi violatio auctoritate publicâ secuta fuerit, ac citra ullam facultatem dispensandi super irregularitate; indultumque huiusmodi, sic reformatum et declaratum, etiam aliis praedictae Urbis hospitalibus concessit; et aliàs, prout in Pauli et Clementis praedecessorum praedictorum litteris desuper in simili normâ Brevis diebus XIII iunii MDCLXIV et XI ianuarii MDCCXIV expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur.

Praeceptor archihospitalis S. Spiritus Pontifici supplicat, ut eaedem facultates extendantur quoque ad presbyteros quoscumque, qui confessionum audiendarum causâ ad archihospitale solent accedere.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat venerabilis frater Antonius Maria archiepiscopus Naupactensis, memoratae Congregationis pro-secretarius, ac archihospitalis S. Spiritus in Saxia de eâdem Urbe praeceptor, nobis nuper exponi fecit, ipse acceperit, fratres cuiuscumque Ordinis et Congregationis de Urbe praefatâ, qui quotidie, iuxta ordinem a dilecto filio nostro Ioanne Antonio S. R. E. cardinali Guadagni nuncupato in dictâ Urbe vicario in spiritualibus generali praescriptum, ad archihospitalia et hospitalia praefata accedere debent, aliique presbyteri[1] saeculares, qui devotionis causâ ibidem pro eiusdem pietatis opere exercendo sese conferre solent, dictâ facultate et licentiâ absolvendi infirmos, in eisdem archihospitalibus et hospitalibus exceptos, a casibus reservatis praedictis, minime gaudere, cum facultatem praedictam per Clementem praedecessorem ad omnia archihospitalia et hospitalia huiusmodi extensam confessariis ordinariis per custodes seu administratores hospitalium praedictorum deputatis concessam esse videatur; ipse vero Antonius Maria prosecretarius et praeceptor, ut animarum infirmorum ad praedicta archihospitalia et hospitalia accedentium saluti et conscientiae quieti, quantum fieri potest, opportune consulatur, licentiam et facultatem a memorato Paulo praedecessore confessariis hospitalis de Gratiâ et Consolatione huiusmodi concessam, ut praefertur, ad omnes confessarios ordinarios aliorum archihospitalium et hospitalium de eâdem Urbe, necnon presbyteros saeculares et regulares ad illa, supra expressis de causis,

1 Potius lege *aliosque presbyteros* (R. T.).

accedentes, per nos extendi et ampliari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex concedendo facultates in litteris Pauli III comprehensas.

§ 3. Nos igitur, ipsius Antonii Mariae prosecretarii et praeceptoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, memoratas Pauli praedecessoris litteras, ad favorem presbyterorum confessariorum per custodes eiusdem hospitalis de Gratiâ et Consolatione deputandorum, ut praefertur, cum omnibus et singulis facultatibus absolvendi a quibusvis casibus et excessibus Sedi Apostolicae reservatis in eisdem litteris comprehensis et expressis editas, non obstantibus illarum reformatione et declaratione a memorato Clemente praedecessore factis, ad omnes et singulos confessarios quorumcumque et singulorum archihospitalium et hospitalium in eâdem Urbe existentium, necnon presbyteros saeculares, et cuiusvis Ordinis vel Congregationis, aut instituti a Sede Apostolicâ approbati, regulares, ad sacramentales christifidelium confessiones excipiendas approbatos, qui ad illa tam iuxta ordinem a memorato Ioanne Antonio cardinali et vicario statutum quam devotionis causâ sese conferunt, auctoritate praedictâ extendimus et ampliamus; eisdem confessariis archihospitalium et hospitalium praedictorum deputatis et pro tempore deputandis, necnon aliis presbyteris tam saecularibus quam regularibus praedictis, eisdem de causis ad archihospitalia et hospitalia praedicta accedentibus, ut omnium et singulorum utriusque sexus christifidelium infirmorum nunc et pro tempore in eisdem archihospitalibus et hospitalibus, ac etiam puellarum in conservatorio archihospitali S. Spiritus praedicto annexo et in infirmariâ dicti conservatorii existentium, sacramentales confessiones excipere, illosque et illas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quomodolibet latis, ac aliis casibus reservatis, et in supradictis Pauli praedecessoris litteris expressis, in foro coscientiae tantum, absolvendi, et pro commissis poenitentiam salutarem iniungendi, dictisque infirmis ecclesiastica sacramenta ministrandi, et in articulo mortis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem impendendi, licentiam et facultatem, servatâ tamen memoratarum Pauli praedecessoris litterarum formâ et dispositione, auctoritate et tenore praefatis, concedimus et indulgemus.

Contraria tollit.

§ 4. Non obstantibus praedictis Clementis praedecessoris litteris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis illis quae in praedictis Pauli praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVIII aprilis MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

## CCXXIX.

*Condemnatio Societatis seu conventicularum, vulgo* De' liberi muratori, *aut* Des francs massons, *sub poenâ excommunicationis ipso facto incurrendâ, eius absolutione, excepto mortis articulo, Summo Pontifici reservatâ.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**Universis christifidelibus, salutem**
**et apostolicam benedictionem.**

Prooemium.

In eminenti apostolatus speculâ, meritis licet imparibus, divinâ disponente clementiâ constituti, iuxta creditum nobis pastoralis providentiae debitum iugi, quantum ex alto conceditur, sollicitudinis studio iis intendimus, per quae, erroribus vitiisque aditu intercluso, orthodoxae religionis potissimum servetur integritas, atque ab universo catholico orbe difficillimis hisce temporibus perturbationum pericula propellantur.

Conventiculae, quibus de in rubrica, a principibus saecularibus interdictae.

§ 1. Sane, vel ipso rumore publico nunciante, nobis innotuit longe lateque progredi atque in dies invalescere nonnullas societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula, vulgo *de'liberi muratori*, seu *francs massons*, aut aliâ quavis nomenclaturâ pro idiomatum varietate[1] nuncupata, in quibus cuiuscumque[2] religionis et sectae homines, affectatâ quadam contenti honestatis naturalis specie, arcto aeque ac impervio foedere secundum leges et statuta sibi condita invicem consociantur, quaeque simul clam operantur, tum districto iureiurando ad sacra biblia interposito, tum gravium poenarum exageratione, inviolabili silentio obtegere adstringuntur. Verum, cum ea sit sceleris natura, ut se ipsum prodat et clamorem edat sui indicem: hinc societates seu conventicula praedicta vehementem adeo fidelium mentibus suspicionem ingesserunt, ut iisdem aggregationibus nomen dare apud prudentes et probos idem omnino sit ac pravitatis et perversionis notam incurrere, nisi enim male agerent, tanto nequaquam odio lucem haberent. Qui quidem rumor eo usque percrebuit ut in plurimis regionibus memoratae societates per saeculi potestates tamquam regnorum securitati adversantes proscriptae ac provide eliminatae iampridem extiterint.

Easdem damnat, prohibetque Pontifex.

§ 2. Nos itaque, animo evolventes gravissima damna, quae ut plurimum ex huiusmodi societatibus seu conventiculis, nedum temporalis reipublicae tranquillitati, verum etiam spirituali animarum saluti inferuntur, atque idcirco tum civilibus tum canonicis minime cohaerere sanctionibus; cum divino eloquio doceamur, die noctuque, more servi fidelis et prudentis dominicae familiae praepositi, vigilandum esse, ne huiusmodi hominum genus veluti fures domum perfodiant, atque instar vulpium vineam demoliri nitantur, ne videlicet simplicium corda pervertant, atque innoxios sagittent in occultis; ad latissimam, quae iniquitatibus impune patrandis inde aperiri posset, viam obstruendam, aliisque de iustis ac rationalibus causis nobis notis: easdem societates, coetus, conventus, collectiones, aggregationes, seu conventicula *de' liberi muratori*, seu *francs massons*, aut alio quocumque nomine appellata, de nonnullorum S. R. E. cardinalium consilio, ac etiam motu proprio, et ex certâ scientiâ ac maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, damnanda et prohibenda esse statuimus et decernimus,

1 Edit. Main. legit *varietates* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *in quibuscumque* pro *in quibus cuiuscumque* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *incurrendae* (R. T.).

prout praesenti nostrâ perpetuo valiturâ constitutione damnamus et prohibemus.

Se iis aggregare, dilatare, auxilium quodcumque praestare cavet sub poenâ excommunicationis.

§ 3. Quocirca omnibus et singulis christifidelibus cuiuscumque status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis et praeeminentiae, sive laicis vel clericis, tam saecularibus quam regularibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, districte et in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ne quis sub quovis praetextu aut quaesito colore audeat vel praesumat praedictas societates *de' liberi muratori, seu francs massons*, aut aliàs nuncupatas, inire vel propagare, confovere, ac in suis aedibus seu domibus vel alibi receptare atque occultare, iis adscribi, aggregari, aut interesse, vel potestatem seu commoditatem facere ut alicubi convocentur, iisdem aliquid ministrare, sive aliàs consilium, auxilium vel favorem, palam aut in occulto, directe vel indirecte, per se vel alios, quoquo modo praestare, necnon alios hortari, inducere, provocare, aut suadere ut huiusmodi societatibus adscribantur, annumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet iuvent ac foveant, sed omnino ab iisdem societatibus, coetibus, conventibus, collectionibus, aggregationibus seu conventiculis prorsus abstinere se debeant, sub poenâ excommunicationis per omnes ut supra contrafacientes ipso facto absque ullâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeterquam in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Transgressores puniendi episcopis et contra haereticam pravitatem inquisitoribus dat potestatem.

§ 4. Volumus insuper et mandamus, ut tam episcopi et praelati superiores, aliique locorum Ordinarii, quam haereticae pravitatis ubique locorum deputati inquisitores, adversus transgressores, cuiuscumque sint status, gradus, conditionis, ordinis, dignitatis vel praeeminentiae, procedant et inquirant, eosque tamquam de haeresi vehementer suspectos condignis poenis puniant atque coërceant; iis enim et eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi et inquirendi, ac condignis poenis coërcendi et puniendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii saecularis auxilio, liberam facultatem tribuimus et impartimur.

Fidem transumptis addit.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus litteris adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Clausulae poenales.

§ 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVIII, IV kalendas maii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

A. card. prodatarius.

*Visa de Curiâ.*

N. ANTONELLUS.
I. B. EUGENIUS.

## CCXXX.

*Confirmatio decreti Congregationis particularis a Sanctissimo deputatae, per quod decernitur quod procurator ge-*

*neralis Congregationis Doctrinae Christianae Avenionensis in domo provinciae Romanae residere debeat.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Facti series.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione particulari nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, a nobis in causâ Congregationis Doctrinae Christianae Avenionensis inter dilectos filios presbyteros saeculares provinciae Romanae ex unâ et provincias Galliae dictae Congregationis ex alterâ partibus vertente deputatâ, decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum S. Congregationis.

Die XIV aprilis MDCCXXXVIII. Congregatio particularis a sanctissimo domino nostro deputata eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium Barberini, Spinulae, Portiae, Gentili, subrogati in locum clarae memoriae cardinalis Orighi, et Guadagni, ac mei infrascripti subrogati in locum reverendi patris domini Jachet cum voto, in causâ Congregationis Doctrinae Christianae Avenionensis inter provinciam Romanam et provincias Galliae, auditis quoque partibus super Bullâ unionis provinciae Romanae ecclesiae et domus[1] S. Mariae in Monticelli sanctae memoriae Benedicti XIII, sub datum anni MDCCXXVI, IV kalendas martii, rescripsit ad mentem. Mens est: Consulendum Sanctissimo, quod ibidem residere debeat procurator generalis totius Congregationis Doctrinae Christianae Avenionensis, solutis alimentis.

Factâque etiam super hoc, *die sequenti*, relatione huius resolutionis per me infrascriptum eidem sanctissimo domino nostro, Sanctitas Sua supradictae Congregationis particularis sententiam in hac quoque parte probavit, ac iuxta eam opportunas litteras in formâ Brevis expediri mandavit. — FRANCISCUS episcopus Ostiensis cardinalis BARBERINUS. — NICOLAUS XAVERIUS archiepiscopus Athenarum, secretarius. *Loco † sigilli.*

1 Forsan *domui* (R. T.).

Confirmatio pontificia.

§ 2. Cum autem, sicut presbyteri saeculares provinciarum Galliae Congregationis Doctrinae Christianae huiusmodi nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, memoratarum provinciarum, etiam iuramento, confirmatione aposto-

licâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II maii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri an. VIII.

Dat. die 2 maii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXXI.

*Confirmatio Brevis Urbani VIII confirmatorii aliorum a Pio II, Iulio II et Sixto V editorum, nonnulla privilegia et indulta communitati et hominibus civitatis Beneventanae concessa continentium, praesertim, quod primae et secundae instantiae causarum temporalium vel civilium extra dictam civitatem cognosci non possint.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Paterna, quam de nostris et S. R. E. etiam quoad temporalia subditis gerimus, cura nos urget atque impellit, ut, eorum commodis iugi vigilantiâ studentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro civitatibus, oppidis et terris temporalis eiusdem S. R. E. ditionis in pacis amoenitate conservandis benigne sapienterque concessa et ordinata esse noscuntur, quo perenni firmitate subsistant, apostolici muniminis nostri patrocinio constabiliamus.

Concessum ab Urbano privilegium. § 1. Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus PP. VIII praedecessor noster omnia et singula statuta dilectorum filiorum communitatis et hominum civitatis nostrae, tunc suae, Beneventanae, necnon quaecumque privilegia et indulta eisdem communitati et hominibus per alios Romanos Pontifices praedecessores nostros, tunc suos, et eorum quemlibet, quomodolibet concessa, confirmata et innovata, praesertim a felicis recordationis Pio II et Sixto V (qui etiam, ut ad unguem observarentur, statuit et perpetuo ordinavit) Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tunc suis, approbavit et confirmavit, et, ut in bannimentis generalibus circa Statum Ecclesiasticum editis et edendis civitas Beneventana praedicta non censeretur comprehensa, nisi expresse nominata fuisset, concessit et indulsit; et aliàs, prout uberius continetur in ipsius Urbani praedecessoris litteris desuper in simili formâ Brevis die I iulii MDCXXXIV expeditis, tenoris qui sequitur, videlicet: « *Urbanus PP. VIII, ad perpetuam rei memoriam.* Sincerae fidei et Tenor brevis Urbani. devotionis affectus, quo dilecti filii communitas et homines civitatis nostrae Beneventanae nos et Romanam prosequuntur Ecclesiam, promeretur, ut, eorum votis quantum cum Domino possumus annuentes, specialibus eos in dies favoribus et gratiis prosequamur. Aliàs siquidem felicis recordationis Pius PP. II praedecessor noster civibus et incolis et habitatoribus civitatis praefatae, ne in quibuscumque causis temporalibus seu civilibus in primis, et post deputatum iudicem appellationis secundis instantiis, per quoscumque extra civitatem praedictam, quavis auctoritate vel occasione, trahi seu conveniri possint, et, si forte traherentur vel convenirentur, ipsis se trahentibus, seu quomodolibet conve-

nientibus extra civitatem ipsam de iustitiâ respondere minime tenerentur, concessit; et subinde Iulius PP. II etiam praedecessor noster concessionem praedictam approbavit, quodque ut[1] prima et secunda instantia causarum praedictarum non alibi quam[2] in dictâ civitate cognosci deberent, de novo concessit; Sixtus vero PP. V praedecessor noster statuit et ordinavit quod statuta dictae civitatis, tam civilia quam criminalia, a dilectis filiis Camerae Apostolicae generali et procuratore fiscali per eumdem deputatis revisa, reformata et subscripta, in posterum praesertim a gubernatore et aliis officialibus in eâdem civitate pro tempore existentibus ab unguem observarentur; sicuti[3] per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores et S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, decrevit; praeterea, quia dicti communitas et homines in Sedis Apostolicae et Camerae praedictarum necessitatibus summam scutorum duodecim millium de iuliis decem pro scuto solverunt, eis concessit quod futuris temporibus, in quibus de iure vel aliàs veniant confiscanda bona, per fiscum non posset capi nisi vigesima bonorum omnium, exceptis tamen criminalibus haeresis, laesae maiestatis, falsae monetae et latrocinii ad viam publicam: prout in Sixti V, ac Pii II et Iulii etiam II praedecessorum praedictorum litteris desuper expeditis plenius continetur. Cum autem, sicut dicti communitas et homines nobis nuper exponi fecerunt, ipsi concessionem Pii et Iulii, necnon statutum et ordinationem Sixti praedecessorum huiusmodi, ac ipsius communitatis privilegia et statuta apostolicae nostrae confirmationis robore communiri, et propterea per nos ut infra indulgeri summopere desiderent: nos, dictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas, a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, re prius diligenter et mature de mandato nostro discussâ, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnia et singula statuta civitatis praedictae, necnon omnia et singula privilegia et indulta eisdem exponentibus per praedecessores nostros et eorum quemlibet quomodolibet concessa et confirmata et innovata, illorum tenores, perinde ac si de verbo ad verbum praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis et insertis habentes, quatenus illa in viridi sint observantiâ, et decretis Concilii Tridentini, constitutionibusque apostolicis non repugnent, necnon statutum et ordinationem ac concessionem Sixti supradictam, necnon aliam Pii II et Iulii etiam II praedecessorum concessionem praedictam, qua conceditur quod primae et secundae instantiae causarum temporalium vel civilium extra dictam civitatem cognosci non possent, etiam cum hoc ut tunc inhibitiones, obtentae a quibuscumque almae Urbis iudicibus et causarum curiae Camerae Apostolicae auditores[1] ac sacri

1 Forsan *et* pro *ut* legendum (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quem* pro *quam* (R. T.).
3 Legendum *sicque* pro *sicuti* (R. T.).

1 Legendum *auditore* vel *auditoribus* (R. T).

palatii causarum auditoribus, non afficiant[1], iudicesque civitatis Beneventanae inhibitionibus iudicum Urbis et dictorum curiae Camerae Apostolicae ac palatii apostolici auditorum parere non teneantur, neque censuris et poenis in ipsis inhibitionibus comminatis vel inflictis affici, vel aliquo modo adstringi, vel aliàs, ne in causis coram ipsis pendentibus procedant, impediri vel remorari possint, nisi commissiones essent signatae manu nostrâ vel Romani Pontificis pro tempore existentis, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, ac omnes et singulos tam iuris quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus. Necnon eisdem communitati et hominibus in dictis casibus, in quibus vigesima dumtaxat pars bonorum confiscanda erit, quod, datâ cautione idoneâ ad favorem fisci pro vigesimâ parte huiusmodi, quae ad eum, in eventum condemnationis rei, spectaret, bona descripta et inventariata in domo eiusdem rei per fiscum relinqui debeant; quo vero ad cautiones de non offendendo, ad quas parentes et consanguinei et affines delinquentis usque ad quartum gradum adstringuntur, quod illi consanguinei et affines, qui exceptionis[2] de iure sibi ad dictas cautiones excludendas competere adduxerint, ad ipsas cautiones praestandum adstringi non possint, nisi prout de iure; denique quod in bannimentis generalibus circa Statum Ecclesiasticum dicta communitas non censeatur comprehensa, nisi expresse fuerit nominata, apostolicâ auctoritate et tenore praedictis, concedimus et indulgemus. Decernentes, easdem praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, dictisque exponentibus plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac quibusvis bannimentis et edictis generalibus huiusmodi, omnibusque illis quae in dictis litteris praedictorum nostrorum praedecessorum concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque ».

1 Ni malueris legendum *officiant* (R. T.).
2 Forsan *exceptiones* (R. T.).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die I iulii MDCXXXIV, pontificatus nostri anno XI. — M. A. MARALDUS.

*Communitas Beneventi eadem privilegia confirmari petiit a Clemente.*

§ 2. Cum autem, sicut pro parte dictorum hominum et communitatis nobis nuper expositum fuit, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desiderent: nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas Urbani praedecessoris litteras, omniaque et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus. Et ut statuta huiusmodi ad unguem quoad hanc partem in omnibus observentur, statuimus et perpetuo or-

*Annuit Pontifex.*

dinamus, necnon perpetuis futuris temporibus moderno et pro tempore existentibus dictae civitatis gubernatoribus dictâ auctoritate per praesentes praecipimus et mandamus, ut bannimenta praedicta ac quascumque alias ordinationes et constitutiones generales per Statum nostrum Ecclesiasticum hactenus edita et publicata, seu in posterum edenda et publicanda, in civitate huiusmodi publicari nequeant, minusque illa et illas debitae executioni mandari curent et faciant, nisi eisdem bannimentis, ordinationibus et constitutionibus expresse civitas praedicta Beneventana monita fuerit, ac de illorum observantiâ et publicatione in dictâ civitate expressa fiat mentio, seu iisdem gubernatoribus, officialibus et ministris, aliisque quibuscumque de observantiâ et publicatione praedictis per peculiare mandatum nostrum et Romani Pontificis pro tempore existentis notificetur; itaut quaecumque huiusmodi in contrarium huius nostrae declarationis et sanctionis hactenus proposita, publicata et mandata, sive in posterum proponenda, publicanda et mandanda a quibuscumque quavis auctoritate praeter quam quod praemissum est, omnia et singula nullius roboris ac momenti, irrita, ac nulla, et tamquam non proposita, publicata et mandata esse et fore intelligantur.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 4. Non obstantibus nostrâ et Clementis praedecessoris, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon omnibus et singulis quae in dicti Urbani praedecessoris litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III maii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 maii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXXII.

*Confirmatio duorum Brevium Benedicti XIII, necnon nonnullarum conventionum inter provincias Galliae et Romanam Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Christianae initarum.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, illa, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris pro felici prosperoque christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum statu conservando, illorumque religiosâ quiete firmiter stabiliendâ, pie provideque emanasse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Congregatio particularis consulit sanctissimo pro confirmatione litterarum Benedicti XIII.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione particulari nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, nempe Francisci Barberini, Georgei Spinulae, Leandri Portiae, Antonii Xaverii Gentili, in locum bonae memoriae Curtii,

dum vixit, eiusdem S. R. E. cardinalis Orighi nuncupati, subrogati, ac Ioannis Antonii Guadagni, necnon venerabilis fratris Nicolai Xaverii archiepiscopi Athenarum, uti secretarii, cum voto pariter, in locum venerabilis itidem fratris Petri Aloysii episcopi Gipponensis secretarii, in causâ inter dilectos filios clericos saeculares Congregationis Doctrinae Cristianae Avenoniensis provinciae Romanae, ex unâ, et provinciarum Galliae, ex alterâ partibus, vertente, a nobis deputatâ, auditis partibus verbo et scripto informantibus, in secundâ causae huiusmodi propositione rescriptum: *Ad mentem*. Mens est, ut nobis consuleretur pro confirmatione quarumdam litterarum felicis recordationis Benedicti PP. XIII praedecessoris nostri desuper in simili formâ Brevis super unione et incorporatione praedictae Congregationis Doctrinae Cristianae regni Neapolis alteri Congregationi huiusmodi Avenionensi sub XXVIII septembris MDCCXXV et XVI iunii respective diebus datis annorum MDCCXXVII editarum, quarum tenores[1] praesentibus pro expressis et insertis haberi voluit, plenius continetur[2], ac pro approbatione conventionum datarum a praedictis provinciae Galliae in sexdecim capitulis comprehensarum, ab omnibus clericis saecularibus de provinciâ Romanâ subscriptarum, prout in eorumdem clericorum saecularium utriusque Congregationis nomine supplici libello nobis aliàs porrecto[3] tenoris sequentis, videlicet:

Partes Papae eidem supplicant pro confirmatione capitulorum initae conventionis.

« Beatissime Pater. Exponunt Sanctitati vestrae Hiacynthus De Bénoit, procurator generalis Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Christianae in Galliâ, et Caietanus Cioffi Congregationis Doctrinae Christianae in Neapolis regno consistentis quam[1] praepositus generalis et tunc procurator electus provinciae Romanae seu Neapolitanae itidem Doctrinae Christianae, quod felicis recordationis Benedictus XIII praedecessor vester eidem Congregationi, per litteras apostolicas in formâ Brevis die XXVIII septembris MDCCXXV, Congregationem clericorum pariter saecularium Doctrinae Christianae in regno Neapolis consistentem univit et incorporavit. Ut autem in pontificatu vestro nostrum[2] decus huic unioni accedat maiorque firmitas, humillime deprecantur Sanctitatem vestram iidem oratores, ut eam pro suâ benignitate dignetur novo Brevi confirmare, sanando in primis quod in eâ infirmum esse potest, speciatim ex parte consensûs Congregationis Gallicanae, in qua[3] posthac unanimi voce illarum consensum dedit in duobus ultimis capitulis generalibus Lutetiae Parisiorum celebratis, simulque approbando et apostolicâ auctoritate confirmando eiusmodi unionis conditiones sequentes, quae[4] in eisdem capitulis statutae sunt de consensu concilii provincialis, rectorum et domorum omnium seu collegiorum quibus constat provincia Romana per ipsam unionem erecta.

CAPITULA.

Unio Congregationis Neapolitanae cum Gallicana.

I. Congregatio clericorum saecularium Doctrinae Christianae, quae in regno Neapolis consistit, Congregationi clericorum similiter saecularium Doctrinae Christianae in Galliâ perpetuo manebit unita et incorporata, itaut ex nunc et imposterum unica sit ex duabus unumque corpus, quod simpliciter Congregatio Doctrinae Christianae nuncupetur, venerabilem virum Caesarem De Bus fundatorem et parentem agnoscat, et constitutiones dictae Congregationis in Galliâ consistentis observet.

Provincia Romana erecta,

II. Provincia Romana, per unionem istam erecta, composita manebit e sex domibus,

1 Edit. Main. legit *tenore* (R. T.).
2 Comma *plenius continetur* non cohaeret praecedentibus (R. T.).
3 Male edit. Main. legit *porrectis* (R. T.).

1 Forsan legendum *iam* pro *quam* (R. T.).
2 Videtur legend. *novum* pro *nostrum* (R. T.).
3 Comma istud aliquâ eget correctione (R. T.).
4 Edit. Main. legit *qua* pro *quae* (R. T.).

domusque ei attributae.

quibus tota constabat Neapolitana Congregatio, nempe collegiis Neapolis, Laureti, Laureani, Sorbi, S. Ioannis in Galdo, atque Casertae, et octo domibus in Italiâ ad Congregationem Gallicanam pertinentibus et a provinciâ Avenionensi[1] ac collegiis civitatis Vetulae, Roncilionis, S. Martini, Ferentilli, Sospitelli, et Ipporegiae, quae quidem a provinciâ Avenionensi manebunt in perpetuum dismembrata, ac dictae provinciae Romanae attributa, sicuti et domus seu collegium Romae nuper erectum.

Provincia Romana neminem mittit ad capitulum generale etc.

III. Provincia Romana ad evitanda tot longorum itinerum incommoda et pericula, et ne totius Congregationis expensas pro aequali parte sustinere cogatur, neminem mittet ad capitulum generale, nec assistentem habebit apud generalem, nullumque officialem in definitorio generali, derogando quibuscumque contrariis. Quibus omnibus et singulis eadem Romana provincia sponte et libenter renunciat in perpetuum.

Per generalem visitanda quolibet sexennio.

IV. Vivet haec provincia sub obedientiâ reverendi presbyteri generalis, qui sumptibus quidem totius Congregationis eam semel singulis sexenniis poterit, vel per se vel per alium electum, visitare iuxta constitutiones nostras: qui alius de hac provinciâ sumendus erit.

Penes quos einsdem gubernium esse debeat.

V. Illius provinciae Romanae regimen erit penes vicarium generalem cum suis consiliariis, provincialem cum suis pariter consiliariis, et superiores locales qui rectores nuncupabuntur. Vicarii generalis quatuor erunt consiliarii, duo scilicet assistentes, unus provinciae procurator, et secretarius unus. His quinque munere sexennali functuris componetur concilium, quod Italiae definitorium appellabitur. Provincialis duo erunt consiliarii ordinarii, duobus aliis insuper assumptis de consensu Ordinariorum ubi de iudicio aut electione agendum erit.

De capitulis provincialibus et electione superiorum in eis peragendis.

VI. Singulis trienniis mense maio, incipiendo ab anno MDCCXXXII, quo loco et tempore indictum fuerit a provinciali, vicarii generalis nomine et iussu, capitulum provinciale celebrabitur, in quo eligentur provincialis, eius consiliarii et denique rectores.

1 Forsan deest *separatis* (R. T.).

In capitulo autem provinciali, quod immediate capitulo generali proximum fuerit, eligentur praeterea vicarius generalis eiusque consiliarii, quorum et suae electionis ad sexennium duraturae confirmatio ad capitulum generale vel ad definitorium generale pertinebit, eo modo quo et provincialium et rectorum aliarum omnium provinciarum electionis confirmatio. Provincialis vero, eius consiliariorum, item et rectorum electionum confirmatio[1], ad vicarium generalem eiusque definitorium pertinebit.

Verum si quis adsit vicarius generalis retroproximus, ille vicarii generalis erit primus consiliarius aut assistens natus. Similiter si quis adsit provincialis retroproximus, ille itidem in concilio provinciali erit primus consiliarius natus: quibus in casibus unus vicarii generalis assistens et unus provincialis consiliarius dumtaxat eligentur.

VII. In capitulo provinciali vocem habebunt vicarius generalis, provincialis et rectores, qui tamen, ob maximam diversorum collegiorum inter se distantiam et redditum tenuitatem, voci suae in capitulis provincialibus renunciare poterunt, vel per procuratorem suffragari, ita tamen ut duae tertiae partes vocalium iis intersint capitulis, et nemo quovis titulo vel praetextu plusquam duo suffragia habere et ferre possit.

Vocales capituli provincialis.

VIII. Capitulo provinciali sicut et definitorio Italiae praeerit vicarius generalis, eoque vel absente vel infirmo, vicarius generalis retroproximus, si adsit, istoque vel absente vel infirmo, assistens.

Praeses eiusdem.

IX. Si quem ex definitorii praesentis vocalibus abesse contigerit, deque gravi negotio agendum sit, alium in absentis locum sufficient superstites definitorii vocales.

Quid agendum, unus ex definitorii vocalibus si sit absens.

X. Si vero aliquis ex dicto definitorio vocalis, aut aliquis rector, aut provincialis, aut aliquis eius consiliarius obierit, aut quocumque modo defecerit, unum ex tribus a concilio provinciali extraordinario nominatis in demortui vel quocumque modo deficientis

Quo pacto eligendus vocalis loco deficientis.

1 Male edit. Main. legit *confirmare* (R. T.).

locum eligent superstites definitorii vocales, ita tamen ut in hoc casu semper sit quinarius eligentium numerus, quem per electionem complebunt vocales praedicti.

*Dispensatio a votis a quibus dari possit.*

XI. Dispensatio a votis dari non poterit nisi vel a Summo Pontifice aut a capitulo generali definitorio, iuxta Breve Apostolicum Alexandri VII datum XXVI septembris MDCLIX.

*Provincia Romana nullum Breve ad universam Congregationem pertinens postulare potest inconsulto capitulo generali.*

XII. In reliquis definitorium Italiae ad capitulum vel definitorium generale recurrere non tenebitur; nullum tamen Breve Apostolicum, quod ad universam Congregationem pertineat, postulare poterit, nisi iussu capituli generalis, imo neque aliud spectans ipsam Romanam provinciam, nisi approbante ipso capitulo generali aut generali definitorio.

*Officiales eligendi post obtentum Breve confirmationis, unionis, erectionis etc.*

XIII. Post Brevis impetrationem conveniet praepositus provincialis cum suis consiliariis ordinariis, reverendo patre Caietano Cioffi, nuper vicario generali, tribusque rectoribus Romanae provinciae per eos assumendis; a quibus septem congregatis eligetur vicarius generalis cum suis definitoribus, duobus scilicet assistentibus, uno provinciae procuratore, et uno Italiae secretario. Istae autem electiones a reverendo patre generali eiusque definitorio confirmatae durabunt usque ad provinciale capitulum quod immediate capitulo generali proximum fuerit, in quo provinciali capitulo vicarius generalis ac eius definitores pro alio sexennio eligentur.

*Quid agendum pro erectione novae provinciae.*

XIV. Quod si, benedicente Domino, alia in Italiâ aliquando sit erigenda provincia, non poterit omnino illud fieri nisi consulto et approbante capitulo generali, aut, si res moram non patiatur, neque possit, sine detrimento, praedicti capituli tempus expectari, consulto et approbante generali definitorio cum consensu tamen consilii extraordinarii omnium Congregationis provinciarum et generalis capituli sequentis confirmatione.

Quo adveniente, ut nova scilicet provincia erigatur, eius provincialis cum suis consiliariis et domorum rectores in provinciae Romanae capitulo eligentur. Quod si tunc vicarius generalis eiusque definitores suum sexennium impleverint, alia fiet electio et vicarii generalis et unius assistentis ex utrâque provinciâ et procuratoris et secretarii, quorum alteruter ex novâ provinciâ desumetur, ut sint duo pro qualibet provinciâ vocales.

*In eâ quoque cogenda capitula provincialia singulis trienniis.*

XV. Deinceps tertio quoque anno in novâ illâ provinciâ celebrabitur capitulum provinciale eodem prorsus modo quo de provinciâ Romanâ dictum est. Praeterea mense aprili immediate ante capitulum generale habebitur in Italiâ congregatio seu conventus loco et tempore per vicarium generalem designatis, in qua congregatione seu conventu vocem habebunt idem vicarius generalis cum suis definitoribus, duoque provinciales, cum uno a qualibet provinciâ discreto, qui simul vicarium generalem et definitores eligent, et ea tractabunt quae ad bonum Italarum provinciarum gubernium pertinere dignoscerit, quae praedictae electiones et acta congregationis a capitulo generali vel definitorio generali confirmabuntur.

*Quid agendum quoque pro erectione tertiae provinciae.*

XVI. Si autem decursu temporis provincia tertia erigatur de consensu capituli vel definitorii generalis, ut supra dictum est, in dictâ congregatione mense aprili celebrandâ eligetur novae provinciae provincialis cum suis consiliariis, et Italiae definitorio per electionem adiungetur tertius assistens, et fundationum promotor, itaut in praedicto Italiae definitorio sint duo pro qualibet provinciâ vocales. — G. De Benoit procurator generalis qui supra.

*Eadem apostolica auctoritate roborari petunt.*

§ 2. Cum autem, sicut dilecti etiam filii Paulus Guignard procurator generalis Congregationis clericorum saecularium Doctrinae Cristianae in Galliâ, in locum dilecti etiam filii Hiacynthi de Bénoit suffectus, et Caietanus Cioffi, ad praesens vicarius generalis provinciae Romanae eiusdem Congregationis, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi praemissa, quo firmius subsistant et inviolabilius serventur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Annuit Clemens.

§ 3. Nos, felici Congregationum praedictarum sic unitarum statui et commodis, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes, specialemque eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de memoratorum Congregationis particularis praedictae cardinalium consilio, praedictas memorati Benedicti praedecessoris binas litteras, ac in eis contenta quaecumque, nec non conventiones a provinciis Galliae Congregationis Doctrinae Christianae datas, et a Congregatione huiusmodi provinciae Romanae subscriptas, ut praefertur, hoc modo:

Cum quibusdam modificationibus.

Quoad III: possit provincia Romana praefata mittere ad capitulum generale vicarium generalem vel provincialem, vel assistentem eiusdem provinciae Romanae, aut etiam deputare unum ex provinciis Galliae praedictae;

Quoad IV: praepositus generalis semel singulis sexenniis possit visitare provinciam Romanam per se ipsum vel per alium graduatum, qui tamen sit de dictâ provinciâ Romanâ: haec tamen visitatio durare non possit ultra sex menses;

Quoad VI: electio vicarii generalis et consiliariorum notificanda erit praeposito generali;

Quoad XII: capitula praefatarum conventionum: nil novum postulari possit ab hac Sanctâ Sede quod pertineat vel ad universam provinciam Romanam vel ad universam Congregationem Doctrinae Christianae praedictae, nisi certiorato prius illius praeposito generali, vel definitorio generali, et omnia supradicta servanda erunt, etiamsi in Italiâ novae erigantur provinciae:

Auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici vel praetendi possit, dictâ auctoritate sanamus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 4. Decernentes pariter, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in memoratis Benedicti praedecessoris binis litteris concessa sunt non obstare, necnon, quatenus opus sit, dictarum provinciarum etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhibenda fides.

§ 6. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu[1] impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX aprilis[2] MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 9 aprilis 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXXIII.

*Investitura regni utriusque Siciliae et Hierusalem pro serenissimo Carolo Borbonio Infante Hispaniarum.*

**Clemens Episcopus**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Ad excelsum pastoralis officii culmen, meritis licet imparibus, Eo disponente sublevati, qui cunctis imperat, et cui omnia obediunt, sicuti curis urgemur assiduis ut apostolicae sollicitudinis partes ad tutamen et incrementum dominici gregis nobis caelitus commissi, quantum cum Domino possumus, diligentius intendamus, sic etiam, rebus et temporibus ita postulantibus, saepe adstringimur ad bona temporalia S. R. E. oculos circumspectionis et sollicitudinis nostrae dirigere, ut dominiorum et regnorum temporalia iura Sedis Apostolicae sarcta semper et tecta tueamur, et nobis eidemque Sedi debitam dictorum dominiorum et regnorum subiectionem more praedecessorum nostrorum iustâ et opportunâ ratione semper et perpetuo servare valeamus.

1 Videtur addendum more solito *exemplis, etiam* (R. T.).

2 Ex ordine bullarum leg. foret *maii* (R. T.).

Similis investitura a Iulio II data Ferdinando regi Aragoniae.

§ 1. Dudum siquidem felicis recordationis Iulius Papa II praedecessor noster regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum S. R. E., civitate nostrâ, tunc suâ, Beneventanâ cum eius territorio et pertinentiis dumtaxat exceptâ, ad ius et proprietatem eiusdem Ecclesiae pertinens, et tunc ad ipsum praedecessorem et dictam Ecclesiam devolutum, quovis modo et ex quavis causâ illud ad eamdem Ecclesiam devolutum esset, aut aliàs eius dispositio ad praedictum praedecessorem pertineret, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, clarae memoriae Ferdinando Aragoniae et utriusque Siciliae ac Hierusalem regi, pro se suisque in dicto Aragoniae successoribus et haeredibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectà lineâ descendentibus, certo tunc expresso modo natis et nascituris, in feudum perpetuum, pro annuo censu, et sub diversis conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus etiam tunc expressis, sine tamen praeiudicio iuris ipsi Ferdinando regi aliàs in eodem regno forsan competentis, cui tunc noluit derogari, de fratrum suorum consilio pariter et assensu, et ex certâ scientiâ, ac de apostolicae potestatis plenitudine, concessit et elargitus fuit, dictam civitatem Beneventanam cum eius territorio, districtu et pertinentiis, per ipsum praedecessorem seu Romanum Pontificem distinctis seu distinguendis, cum eorum incolis, prout illam sibi dudum antea praedicta Ecclesia retinuerat et reservaverat, sibi et Sedi Apostolicae specialiter reservando, prout in ipsius praedecessoris desuper confectis litteris, in quibus idem praedecessor inter alia voluit, quod dictus Ferdinandus rex et

sui in dicto regno Siciliae cum terrâ citra Pharum haeredes et successores darent praedecessori et Ecclesiae praedictis eorum privilegium aureâ bullâ bullatum, in quo proprio iuramento faterentur et recognoscerent expresse regnum Siciliae et Hierusalem, et totam eorum terram quae est citra Pharum usque ad confinia eiusdem Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ praedictâ cum territorio, districtu et pertinentiis suis, ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis et praedecessoris praedictorum sibi suisque haeredibus et successoribus fuisse concessum, ac eos recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a praedecessore et Ecclesiâ praedictis, sub pactis, modis et conditionibus tunc ut praefertur expressis, prout in litteris desuper confectis plenius continetur.

Sub eisdem conditionibus a Leone X concessa Carolo V, addita lege consignandi mutuo delinquentes ad alterutram partem confugientes.

§ 2. Et deinde piae memoriae Leo Papa X, etiam praedecessor noster, regnum Siciliae cum terrâ citra Pharum clarae memoriae Carolo Romanorum imperatori semper augusto, tunc Romanorum et Hispaniarum regi catholico, in imperatorem electo, in feudum, eisdem modo et formâ, quibus per praedictum Iulium praedecessorem praedicto Ferdinando regi concessum fuerat, et sub praedictis, quae tunc per eamdem Sedem remissae[1] non apparerent, et certis aliis tunc expressis conditionibus, de novo concessit, et de eo etiam ipsum Carolum imperatorem investivit, et dictus Carolus imperator, per quondam Ioannem Emanuelem aurei velleris equitem tunc in humanis agentem, et ipsius Caroli imperatoris apud Leonem et Sedem praedictam oratorem et procuratorem specialem, promisit, et se et omnes regnum ipsum Siciliae vigore illius concessionum tam per Iulium quam per Leonem praedecessoris huiusmodi factarum pro tempore obtinentes obligavit ad inviolabiliter observandum et adimplendum omnia in litteris Iulii praedecessoris contenta, super quibus de dispensatione aut illorum remissione per camdem Sedem non constaret seu appareret, et solvendum singulis annis in perpetuum Camerae Apostolicae septem mille ducatos auri de Camerâ in festo B. Petri ultra solitum censum parafreni albi pro recognitione veri et directi dominii ipsius regni Siciliae, et ad Leonis praedecessoris et Camerae praedictorum requisitionem delinquentes in terris eidem Ecclesiae mediate vel immediate subiectis, ad dictum regnum et illius civitates, terras et loca confugientes, capi, et ad Urbem vel alium locum remitti faciendum, sub poenis in litteris Iulii praedecessoris huiusmodi contentis, dummodo idem Leo praedecessor et successores sui Romani Pontifices ac praedicta Camera ad ipsius Caroli imperatoris et officialium suorum requisitionem delinquentes in terris et locis dicti regni, ad terras et loca Ecclesiae confugientes, pariter ad eos remitterent, prout in instrumento publico desuper confecto et in certis ipsius Leonis praedecessoris litteris de verbo ad verbum inserto plenius continetur.

A Iulio III data Philippo II regi.

§ 3. Ac successive recolendae memoriae Iulius Papa III praedecessor etiam noster, praeviâ renunciatione dicti Caroli Romanorum imperatoris semper augusti, dictum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia Romanae Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu, ut supra, inclitae memo-

1 Edit. Main. legit *remissa* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *remissa* (R. T.).

riae Philippo II tunc Angliae regi et Hispaniarum principi pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, ac aliis personis in concessionibus Iulii et Leonis comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum, pro solito annuo censu septem mille ducatorum auri de Camerâ et unius parafreni albi solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quae per eamdem Sedem remissae[1] non apparerent, similiter concessit, et de eo ipsum Philippum regem investivit, et dictus Philippus rex per quondam Ferdinandum Franciscum Avalos de Aquino marchionem Piscariae tunc in humanis agentem, et ipsius Philippi regis apud Iulium praedecessorem et Sedem praedictos procuratorem specialem, obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis consuetum praestitit, prout in ipsius Iulii praedecessoris litteris plenius continetur. Quae omnia idem Philippus rex successive per Bullam suam auream sub datum Bruxellis anno Domini MDLV die I octobris manu suâ subscriptam approbando et acceptando confessus fuit et recognovit.

A Clemente VIII data Philippo III.

§ 4. Postea vero felicis recordationis Clemens Papa VIII praedecessor noster, eodem Philippo II viam universae carnis ingresso, regnum ipsum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Romanae Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio, districtu et pertinentiis per se seu eius et nostros praedecessores Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam sibi et eidem Ecclesiae specialiter retinuit, clarae memoriae Philippo III etiam Hispaniarum regi catholico pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nascituris, et aliis personis in concessionibus utriusque Iulii et Leonis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus, in litteris utriusque Iulii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quorum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non appareret, praestitis tamen prius eidem Clementi praedecessori et Sedi et Ecclesiae praedictis nomine ipsius Philippi III regis per bonae memoriae Antonium de Cardona et Corduba, ducem Svessae, Sornae et Vahenae, comitem Labrae et Palamos, vicecomitem de Ibregar, et ipsius Philippi III regis consanguineum et consiliarium, apud eumdem Clementem praedecessorem et Sedem praedictam oratorem et procuratorem ac mandatarium suum specialem, et per eumdem Clementem admissis, obedientiâ atque homagio ac iuramento fidelitatis, sub certâ tunc expressâ formâ pariter concessit et elargitus fuit, et regnum ipsum Philippo III regi, modo et formâ praemissis, infeudavit, prout in praedicti Clementis praedecessoris sub plumbo sub datum Romae apud S. Marcum anno Incarnationis dominicae MDXCIX, V idus septembris, pontificatus sui anno VIII, expeditis litteris plenius continetur.

A Gregorio XV concessa Philippo IV.

§ 5. Subinde autem, defuncto Philippo III, Gregorius XV praedecessor etiam

noster idem regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terra praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae Romanae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio, districtu et pertinentiis per se seu eius et nostros praedecessores Romanos Pontifices distinctis, ac loco Pontiscurvi eiusque territorio, quae sibi et eidem Ecclesiae specialiter retinuit, clarae memoriae Philippo IV etiam Hispaniarum regi catholico pro se suisque successoribus Aragoniae regibus, tam masculis quam feminis, ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nasciturís, ac aliis personis in concessione utriusque Iulii et Leonis, ac Clementis praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi solvendo, ut supra, et sub conditionibus, modis, formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris dictorum Iulii II et III, ac Clementis, quarum remissionem per Sedem Apostolicam factam fuisse non appareret, praestitis tamen prius eidem Gregorio praedecessori et Sedi et Ecclesiae praedictis nomine ipsius Philippi IV regis per quondam Franciscum de la Cueva ducem de Alburquerque, apud eum et Sedem praedictam oratorem et procuratorem ac mandatarium suum specialem, et per eumdem Gregorium admissâ obedientiâ atque homagio et iuramento fidelitatis, sub certâ tunc expressâ formâ concessit et elargitus fuit, ac regnum huiusmodi praedicto Philippo IV regi, modo et formâ praemissis, infeudavit, prout in praedicti Gregorii XV praedecessoris sub plumbo sub datum Romae apud S. Petrum v kalendas decembris MDCXXI sui pontificatus anno I expeditis litteris plenius continetur. Quae omnia idem Philippus IV rex successive per Bullam suam auream sub datum Matriti v novembris MDCXXII manu suâ subscriptam approbando et ampliando confessus fuit et recognovit.

§ 6. Postremo vero, dicto Philippo IV rege ab humanis exempto, piae memoriae Alexander VII praedecessor itidem noster praedictum regnum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae, exceptâ praedictâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu et pertinentiis per se seu Romanos Pontifices distinctis, unâ cum terrâ Pontiscurvi eiusque territorio, quae sibi et eidem Ecclesiae specialiter reservavit, clarae memoriae Carolo II Hispaniarum regi catholico, tunc in minori aetate constituto, pro se suisque haeredibus et successoribus Aragoniae regibus tam masculis quam feminis ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nasciturís, ac aliis personis in concessionibus utriusque Iulii, Leonis, Clementis ac Gregorii praedecessorum huiusmodi comprehensis, et per eos vocatis, in feudum perpetuum, pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis et ordinationibus in litteris utriusque Iulii, Clementis ac Gregorii et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non appareret, concessit et elargitus fuit, ac regnum ipsum eidem Carolo regi infeudavit, cumque de illo investivit; et dictus Carolus rex, mediante clarae memoriae Mariannâ ab Austriâ reginâ Hispaniarum eius matre, tutrice atque gubernatrice, per bonae memoriae

Ab Alexandro VII data Carolo II regi.

Fridericum, dum viveret, tituli S. Petri ad Vincula cardinalem Sfortia procuratorem et mandatarium suum specialem, eidem Alexandro praedecessori ac Sedi et Ecclesiae praedictis obedientiam, homagium et iuramentum fidelitatis praestitit, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris pariter sub plumbo apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae MDCLXVI, XIII kalendas iunii, pontificatus sui anno XII emanatis uberius continetur. Quae omnia idem Carolus II rex postmodum tam per suam Bullam auream sub datum Matriti XXIX martii MDCLXVII a memoratâ Mariannâ reginâ eius matre, tutrice et gubernatrice subscriptam, quam per aliam similem Bullam sub datum pariter Matriti VII aprilis MDCLXVI, propriâ ipsius Caroli regis interim maioris ac sui iuris effecti manu signatam, approbando et ampliando confessus fuit et recognovit.

Defuncto Carolo II iustis de causis Clemens XI abstinuit a concedenda investiturâ.

§ 7. Anno autem MDCC, dicto Carolo II rege sine liberis e vivis erepto, Europa ferme tota inde in partes divisa diuturno bello conflagravit, ac felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor etiam noster, iustis et gravissimis causis adductus, ab infeudatione atque investiturâ dicti regni Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum concedendâ, tametsi pluries oblato etiam censu praedicto ad id requisitus fuisset, inter saevientis belli eiusmodi motus supersedendum esse duxit, salvis tamen et illaesis remanentibus iuribus sibi et dictae Sedi super eodem regno competentibus, quae per plura chirographa propriâ eius manu signata, in quibus itidem cautum fuit tempus et tempora non currere, luculenter praeservavit.

Innocentius vero XIII eam dedit Carolo VI romano imperatori.

§ 8. Postmodum vero piae memoriae Innocentius XIII pariter praedecessor noster praedictum regnum[1] Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu et pertinentiis, per se seu Romanos Pontifices distinctis, unà cum terrâ Pontiscurvi eiusque territorio, quae sibi et eidem Ecclesiae specialiter reservavit, carissimo in Christo filio nostro Carolo VI Hispaniarum catholico et Romanorum regi in imperatorem electo, qui in eodem regno Siciliae et Hierusalem ac totâ terrâ citra Pharum successerat et pacifice possidebat, pro se suique haeredibus et successoribus tam masculis quam feminis ex eo rectâ lineâ descendentibus, natis et nasciturís, servatâ inter ipsos descendentes praerogativâ sexus, ita quod masculi ex masculis, omnibus feminis earumque descendentibus maribus et feminis, cuiuscumque lineae essent aut gradus, semper praeferrentur, in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et ceteroquin in omnibus et per omnia sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, cautelis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii, Clementis, Gregorii ac Alexandri et concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per Sedem praedictam factam fuisse non appareret, concessit et elargitus fuit, ac regnum ipsum eidem Carolo regi infeudavit, ipsumque de illo investivit, praestitis tamen prius eidem Innocentio praedecessori et Sedi et Ecclesiae praedictis nomine ipsius Caroli regis per bonae memoriae Michaëlem Fridericum, dum viveret, tituli S. Sabinae cardinalem de Althann, procuratorem et mandatarium suum specialem, et per eumdem Inno-

1 Edit. Main. legit *regum* (R. T.).

centium admissâ obedientiâ atque homagio et iuramento fidelitatis, prout in ipsius Innocentii litteris sub plumbo, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXII, v idus iunii, pontificatus sui anno II expeditis plenius continetur. Quae omnia idem Carolus rex deinde per Bullam suam auream sub datum Luxemburgii die XXVI mensis maii anno a Nativitate Domini MDCCXXIII manu suâ subscriptam approbando et ampliando confessus fuit et recognovit.

Cardinalis de Acquavivâ nomine Caroli Infantis Hispaniarum regnum Neapolitanum iam pacifice obtinentis iuramentum fidelitatis Sanctae Sedi praestat, investituramque petit.

§ 9. Verum, cum annis proxime elapsis inter catholicos principes non sine gravi animi nostri dolore repentinum et luctuosum in Italiâ iterum insurrexerit bellum longe lateque etiam in aliis Europae partibus diffusum, adeout inter acerbissimos belli motus Italia pene tota misere exarserit, cumque per hoc bellum, et inde subsequuta, dilectus in Christo filius noster Carolus Borbonius Hispaniarum Infans, praedicti regni nostri Siciliae cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae, armis a patre Philippo Hispaniarum rege sibi traditis et donatis, integram et pacificam possessionem superioribus annis obtinuerit, et etiam nunc, nemine contradicente, retineat, volens modo dictus Carolus debitam obedientiam ac fidelitatis et homagii iuramentum in manibus nostris praestare, et ea quae ratione ipsius feudi tenetur adimplere, dilectum filium nostrum Troianum tituli S. Caeciliae cardinalem de Acquaviva procuratorem et mandatarium suum specialem fecit, constituit et deputavit specialiter et expresse ad se, nomine praedicti Caroli, quoties opus fuerit, coram nobis humiliter et cum omni reverentiâ praesentandum, ac a nobis investituram regni huiusmodi petendam, eamque acceptandam, necnon nobis nomine eiusdem Caroli pro praedicto regno Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum debitam obedientiam exhibendam ac etiam fidelitatis et homagii iuramentum ratione feudi dicti regni praestandum, quod requisitum necessarium et opportunum foret ex ipsius feudi naturâ, et quemadmodum illud praestitum fuerat a Carolo Hispaniarum et Romanorum rege in imperatorem electo, atque ab aliis praedecessoribus suis in eodem regno solitum fuerat praestari, et dictus Troianus cardinalis de Acquaviva, procurator, in vim constitutionis et deputationis huiusmodi, ad praemissa omnia et singula nomine praedicti Caroli peragenda et exequenda, coram nobis humiliter et cum omni reverentiâ sub die IV mensis maii currentis anni se praesentavit, et in generali venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Congregatione, quae sub hac die XII eiusdem mensis maii coram nobis in palatio nostro apostolico Montis Quirinalis ad hoc specialiter convocata et habita fuit cum pluribus archiepiscopis, episcopis, aliisque praelatis ibi assistentibus, nomine ipsius Caroli, nobis et Sedi Apostolicae ac Romanae Ecclesiae praedictis obedientiam atque homagium et iuramentum fidelitatis sub formâ inferius adnotatâ praestiterit:

Concedit Clemens Pontifex de consilio cardinalium.

§ 10. Nos, eiusdem regni Siciliae quieti ac securitati providere volentes, considerantesque ipsius Caroli erga nos et Romanam Sedem devotionem eiusque haereditariam pietatem et regnandi consuetudinem, quod populos sibi commissos sciet et volet pacis felicitate et iustitiae cultu confovere, ac nos et Romanam Ecclesiam ipsius regni proprietarios ac directos dominos gratâ devotione et fide sincerâ recognoscere; nec diutius volentes a concessione in-

vestiturae et infeudationis praedictae ac directi dominii nostri usu et exercitio abstinere, sed potius, novis ac iustis causis ita suadentibus, praesentique rerum et temporum statu accurate perpenso, Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerendo, nostra et eiusdem Sanctae Sedis iura per novam concessionem huiusmodi asserere et conservare intendentes, habitâ super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus prius in consistorio, et deinde etiam in aliâ simili congregatione generali ad hoc nominatim habitâ sub die IX praedicti mensis maii in eodem palatio nostro, ibique mandato procurationis ipsius Caroli publice et altâ voce perlecto et diligenter inspecto,deliberatione maturâ, de ipsorum fratrum consilio pariter et assensu, et ex certâ nostrâ scientiâ et de apostolicae potestatis plenitudine, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti obedientiam ab eodem cardinali de Acquaviva procuratore nomine ipsius Caroli nobis et Sedi et Camerae praedictis ut praemittitur praestitam, itemque homagium et iuramentum fidelitatis huiusmodi laeto atque hilari animo admittimus, ac regnum ipsum Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ praedictâ citra Pharum usque ad confinia terrarum eiusdem Ecclesiae Romanae, exceptâ civitate Beneventanâ cum eius territorio et districtu et pertinentiis per nos seu Romanos Pontifices distinctis, ac eorum incolis, quam nobis, prout illam sibi dudum praedicta Ecclesia specialiter retinuit et reservavit, harum serie, unâ cum terrâ Pontiscurvi eiusque territorio, nobis et eidem Ecclesiae specialiter reservamus, eidem Carolo Borbonio Hispaniarum Infanti pro se suisque haeredibus et successoribus masculis per lineam masculinam descendentibus, in perpetuum, cum hoc quod inter dictos descendentes masculos servetur semper primogeniturae ratio, et praevaleat praerogativa lineae, iisque deficientibus, et eiusdem Caroli lineis masculis extinctis, succedant ceteri eiusdem Caroli fratres ex carissimis in Christo filiis Philippo et Elisabetha Hispaniarum rege et reginâ catholicis utrinque coniunctis nati et nascituri, eorumque descendentes masculi per lineam masculinam, servatâ itidem inter ipsos fratres eorumque descendentes masculos semper lege primogeniturae et lineae praerogativâ, quibus etiam deficientibus lineis masculis, praedicti Caroli suorumque fratrum utrinque coniunctorum, iuxta ordinem et dispositionem iuris, veniant et succedant feminae superstites, servatâ etiam inter ipsarum descendentes et lineas praerogativâ sexus et lineae cum ordine primogeniturae, in feudum perpetuum, pro solito annuo censu septem mille ducatorum similium et unius parafreni albi ut praefertur solvendo, et ceteroquin in omnibus et per omnia sub conditionibus, modis et formis, adiectionibus, promissionibus, clausulis, voluntatibus et ordinationibus in litteris utriusque Iulii, Clementis, Gregorii, Alexandri et Innocentii atque concessione Leonis praedecessorum huiusmodi contentis, quarum remissionem per nos et Sedem praedictam factam fuisse non apparebit, omni meliori quo possumus modo concedimus et elargimur, ac regnum ipsum dicto Carolo, modo et formâ praemissis, infeudamus, eumque de illo per ipsius Troiani cardinalis de Acquaviva procuratoris ad osculum pedum nostrorum admissionem investimus.

Carolo regi iniuncta lex declarandi, se regnum huiusmodi obtinere ex

§ 11. Volentes et intendentes, ut infra annum a datâ praesentium computandum idem Carolus rex privilegium

mera liberalitate Sedis Apostolicae. suum bullâ aureâ bullatum, in quo proprio iuramento fateatur et recognoscat expresse regnum Siciliae et Hierusalem, ac totam terram eorum quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae Romanae, exceptis civitate Beneventanâ et loco Pontiscurvi cum illius territoriis, districtibus et pertinentiis, quae eidem Ecclesiae remaneant, praedicto Carolo regi suisque haeredibus et successoribus dicti regni Siciliae regibus ex solâ gratiâ et merâ liberalitate Sedis Apostolicae et nostrâ fuisse concessa, eosque recepisse et tenere regnum Siciliae et terram huiusmodi a nobis et dictâ Romanâ Ecclesiâ sub pactis, modis et conditionibus supradictis, nobis seu Romano Pontifici pro tempore existenti dare et tradere teneatur.

Reservatio iurium quorumcumque.

§ 12. Per praemissa autem non intendimus iuribus quibuscumque in aliquo praeiudicare.

Condonantur Carolo regi census decursi et non soluti.

§ 13. Demum, ut idem Carolus rex eo magis ad sincerae illius quam in nos et hanc Sanctam Sedem profitetur devotionis et observantiae debita argumenta nobis et eidem Sedi exhibenda excitetur, quo nos et Romana Ecclesia in eum propensiores et munificentiores invenerit, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, ipsi Carolo regi omnes et singulos census ratione supradicti regni hactenus decursos, et non solutos, ex speciali dono gratiae liberaliter remittimus et condonamus, ipsumque de illis absolvimus, quietamus et plenarie liberamus, et ex causâ dictorum censuum hucusque decursorum a quocumque nullatenus molestari posse decernimus, dummodo tamen in proximo festo S. Petri, et sic successive, perpetuis futuris temporibus, singulis annis ipse Carolus rex, eiusque haeredes et successores, aliique vocati, praedictum censum nobis et successoribus nostris cum solitis solemnitatibus integre persolvere omnino debeant.

Forma iuramenti praestiti a cardinale de Acquavivâ.

§ 14. Forma autem iuramenti per dictum cardinalem praestiti talis est: « Ego Troianus cardinalis de Acquavivâ, serenissimi domini Caroli Hispaniarum Infantis et Dei gratiâ regis Siciliae et Hierusalem cum totâ terrâ citra Pharum procurator ad haec omnia specialiter constitutus speciali mandato per dictum Carolum regem sub die III mensis maii currentis anni subscripto, plenum homagium, ligium et vassallagium nomine dicti Caroli regis faciendum vobis beatissimo domino nostro domino Clementi XII et Ecclesiae Romanae pro regno Siciliae et Hierusalem ac totâ terrâ quae est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius Ecclesiae, exceptâ civitate Beneventanâ et toto territorio et omnibus districtibus et pertinentiis secundum antiquos fines territorii et pertinentiarum et districtus civitatis eiusdem per Romanos Pontifices distinctos, et in posterum distinguendos, in animâ dicti serenissimi regis principalis mei iuro, quod idem serenissimus dominus Carolus ab hac horâ in antea fidelis et obediens erit B. Petro, et vobis domino Clementi XII, vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonice intrantibus, sanctaeque R. E. Apostolicae; non erit in consilio, consensu vel facto ut vitam perdatis seu perdant, aut membrum, seu capiamini vel capiantur malâ captione; consilium vero, quod sibi credituri estis per vos aut nuncios vestros vel per litteras, ad vestrum vel eorum damnum scienter nemini pandet; et si sciverit fieri vel tractari seu procurari aliquid quod in vestrum vel eorum damnum cedat, illud pro posse impediet, et si hoc impedire non poterit, illud vobis vel eis significare curabit; Papatum

Romanum, et regalia S. Petri tam in regno Siciliae praedicto quam alibi consistentia, adiutor vobis vel eis erit ad defendendum vel retinendum, ac recuperandum et recuperata manutenendum contra omnem hominem; universas et singulas conditiones supradictas, et quascumque alias in litteris felicis recordationis Iulii Papae II super ipsius regni et terrarum infeudatione sive investiturâ confectis contentas, ac omnia et singula quae in eis continentur, plenarie adimplebit et inviolabiliter observabit, et nullo unquam tempore veniet contra ea, nec procurabit per se, vel alium, seu alios, quoquomodo, ut eligatur vel nominetur in regem et imperatorem Romanum, seu regem Theutoniae, aut dominum Lombardiae, seu Thusciae; et si electionem vel nominationem ad imperium vel regnum Romanum, seu regnum Theutoniae, vel dominium Lombardiae et Thusciae, aut maioris partis eorumdem, de eo celebrari continget, nullum huiusmodi electioni seu nominationi assensum praestabit, nec intromittet se modo aliquo de eorum vel alicuius eorum regimine; nec de civitate Beneventanâ, et suis territoriis, districtibus et pertinentiis, seu Campaniâ, neque de Maritimâ, ducatu Spoletano, ducatu Urbini, neque Marchiâ Anconitanâ, Patrimonio B. Petri in Thusciâ, Massâ Trebariâ, Romandiolâ, almâ Urbe, civitatibus Perusinâ, civitatibus Castelli, Bononiensi, Ferrariensi, Avenionensi et comitatu Venaissino, seu aliis terris quibuscumque vestris et feudis ipsius Ecclesiae ubilibet constitutis, ex successione vel legato, seu donatione aut venditione, seu alio quovis titulo vel contractu, nihil unquam sibi acquiret seu vindicabit, vel poterit acquirere seu quomodolibet vindicare, et nihil unquam recipiet vel habebit seu retinebit, vel poterit recipere, habere vel etiam retinere in illis, nec ullam potestariam, capitaniam vel rectoriam nullumque aliud officium recipiet seu recipere poterit in eisdem, seu ipsorum aliquo, nec etiam occupabit vel occupari permittet seu faciet praemissa vel parte aliqua eorumdem, neque illam offendet aut molestabit, neque etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo, sub censuris poenisque spiritualibus et temporalibus in conditionibus et infeudatione praedictis contentis, quas hîc haberi volo in singulis suis partibus aliàs pro specifice expressis et repetitis, schismatico aut haeretico cuicumque vel a fide devio ab ipsâ Ecclesiâ praeciso, eiusque sequacibus et dantibus eis auxilium, consilium vel favorem, non dabit quovis modo, per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte, publice vel occulte, auxilium, consilium vel favorem, nec ab aliis, quantum in eo erit, si impediri poterit, dari permittet, sed eos, iuxta posse suum, donec convertant[1], persequetur et impugnabit. Et ulterius promitto quod ipse Carolus rex infra annum omnia et singula mediante aureâ Bullâ ratificabit. Sic dictum Carolum regem Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia. — Iuravit[2], ut supra. — Ego Troianus card. de Acquaviva ».

§ 15. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae reservationis, admissionis, concessionis, elargitionis, infeudationis, investiturae, voluntatis vel intentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Clausulae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae

1 Forsan *convertantur* (R. T.).
2 Forsan legendum *Iuravi* (R. T.).

MDCCXXXVIII, IV idus maii, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 10 maii 1738, pontif. anno VIII.

✠ EGO CLEMENS

CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.




† Ego Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Barberinus decanus.

† Ego Petrus episcopus Portuensis cardinalis Ottobonus S. R. E. vicecancellarius.

†

† Ego episcopus Sabinensis cardinalis S. Clementis S. R. E. camerarius.

† Ego Ludovicus episcopus Albanensis cardinalis Picus.

† Ego Petrus episcopus Tusculanus cardinalis Corradinus.

† Ego I. A. tituli S. Laurentii in Luciná cardinalis de Viâ.

†

†

†

†

†

†

†

†

† Ego Georgius tituli S. Praxedis presbyter cardinalis Spinula.

†

† Ego Ludovicus tituli S. Mariae in Transtyberim cardinalis Belluga.

†

† Ego Alvarus tituli S. Bartholomaei in Insulâ cardinalis Cienfuegos.

† Ego I. B. tituli S. Matthaei in Merulanâ cardinalis de Alteriis.

† Ego Vincentius tituli S. Petri ad Vincula cardinalis Petra, maior poenitentiarius.

†

†

†

†

†

† Ego Franciscus Antonius tituli S. Sixti S. R. E. presbyter cardinalis Finus.

†

†

†

† Ego frater Vincentius tituli S. Pancratii cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.

† Ego D. Leander tituli S. Callixti cardinalis de Porzia.

† Ego P. Aloysius tituli S. Priscae cardinalis Carafa.

†

†

† Ego Franciscus tituli S. Sylvestri in Capite cardinalis Burghesius.

†

†

† Ego Vincentius tituli S. Laurentii in Pane et Perna cardinalis Bichius.

† Ego Ioseph tituli S. Thomae in Parione cardinalis Firrao.

† Ego Antonius tituli S. Stephani in Monte Celio cardinalis Gentili.

† Ego frater I. A. tituli S. Sylvestri et Martini in Montibus cardinalis Guadagni.

† Ego Troianus tituli S. Caeciliae cardinalis de Acquaviva.

† Ego Dominicus tituli Ss. Quirici et Iulittae cardinalis de Rivera.

† Ego Marcellus tituli S. Mariae in Arâcaeli cardinalis Passari.

†

†

† Ego frater P. M. tituli S. Ioannis ante Portam Latinam cardinalis Pieri.

† Ego Ioannes tituli S. Pudentianae cardinalis Spinula.

†

†

†

†

†

† Ego Laurentius S. Mariae in Vialatâ prior diaconus cardinalis de Alteriis.

† Ego Carolus S. Agathae in Suburrâ diaconus cardinalis Columna.

† Ego Carolus S. Mariae in Aquiro diaconus cardinalis de Marinis.

† Ego Alexander S. Mariae in Cosmedin diaconus cardinalis Albanus.

†

† Ego Nerius S. Eustachii diaconus cardinalis Corsinus.

† Ego B. Ss. Cosmae et Damiani diaconus cardinalis Ruspulus.

†

†

†

†

† Ego Carolus S. Nicolai in Carcere diaconus cardinalis Rezzonicus.

†

†

†

†

*Loco † plumbi.*

A. card. prodatarius.

*Visa de Curiâ:*

N. Antonellus.
I. B. Eugenius.

---

## CCXXXIV.

*Ut quatuor dumtaxat antiquiores doctrinarii seu parochi provinciae SS. Nominis Iesu in regno Mexicano Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, omnibus privilegiis et indultis, quibus illi, qui priores provinciales provinciae et Ordinis praedictorum fuerunt, fruuntur et gaudent, frui et gaudere valeant.*

**Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.**

Causae novum huiusmodi praemium dandi fratribus, qui Mexico parochias administrant.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas et Cabrera, assistens generalis Hispaniarum ac provinciae SS. Nominis Iesu in regno Mexicano Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini procurator, in sacrâ theologiâ magister, quod, cum ex septuaginta sex conventibus in dictâ provinciâ existentibus sexaginta sex doctrinae, seu parochiae, annexam habentes sacramentorum administrationem et curam animarum, in totidem ferme numerosis populis christiano antiquorum dictae provinciae fratrum zelo ad fidem catholicam conversis reperiantur, quibus sane doctrinis seu parochiis in ministerio parochiali, praeviâ canonicâ Ordinarii collatione, dictae provinciae fratres ministerio huiusmodi parochorum perpetuo addicti, et non sine ingentibus laboribus et gravi incommodo inservientes, intra Ordinem et provinciam huiusmodi dignitatibus et officiis principalioribus, nempe magistrorum, definitorum, visitatorum et priorum conventuum praecipuorum, orbati usque modo fuerunt et sunt; ac proinde dictus Didacus assistens et procurator, ne deinceps fratres huiusmodi condignâ mercede privati maneant, et simul aliis incitamento sint ut apostolicum onus substinendo parochi ministerium obire satagant, et intuitu praemii ad illud amplectendum fratres fortius alacriusque alliciantur, quatuor dictarum doctrinarum seu parochialium[1] antiquioribus rectoribus omnia iura, privilegia, gratias et exemptiones dictae provinciae ex-provincialium, nempe provincialium absolutorum, ut iidem[2] pariformiter potiantur et gaudeant ac si ex-provinciales po-

1 Forsan *parochiarum* (R. T.).

2 Forsan *iisdem . . . quibus alii,* etc. (R. T.).

tiuntur et gaudent (sequentibus tamen conditionibus: I, quod sexdecim annis completis in unâ aut diversis doctrinis seu parochiis huiusmodi ab Ordinario canonicâ collatione traditis animarum curae et sacramentorum administrationi laudabiliter inservierint: II, quod si doctrinarius seu parochus post completos sexdecim administrationis annos, sed ante sexagesimum aetatis annum completum, ministerio renunciaverit, eiusque renunciatio acceptata fuerit, enunciatis privilegiis ex-provincialium minime frui et gaudere possit; secus vero si completis sexdecim administrationis annis[1] etiam sexagenario maior, causâ adversae valetudinis, ministerio huiusmodi renunciaverit, tunc, etiamsi renunciatio acceptetur, dictis privilegiis frui et gaudere debeat: III, quod ex dictis doctrinariis, seu parochis, quatuor dumtaxat in ministerio parochiali antiquiores dictis ex-provincialium privilegiis gaudeant[2] et potiantur, minime vero reliqui, etiamsi recensitas conditiones habeant, quousque per alicuius ex dictis quatuor antiquioribus cessum vel decessum eis locus fiat secundum ordinem antiquitatis ministerii parochialis, cui solum attendendum erit, non vero professionis in religione, nisi concurrente omnimodâ aequalitate in dicto ministerio: IV, quod dicti quatuor doctrinarii, seu parochi, relatis privilegiis nequaquam gaudere incipiant, quin a definitorio pleno provinciae in capitulo provinciali aut congregatione intermediâ eorum requisita et merita fuerint recognita et approbata, et hac recognitione et approbatione sic factis, statim absque aliâ diligentiâ huiusmodi privilegiis frui et gaudere incipiant, et quoad locum semper immediate sequantur post patres ex-provinciales, qui revera provinciam gubernarunt, aut deinceps gubernaturi sint) a nobis concedi plurimum desideret: nobis propterea dictus Didacus assistens et procurator eiusdem provinciae nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

1 Edit. Main. legit *annos* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *gaudent* (R. T.).

*Concessio privilegii, de quo in rubrica.*

§ 2. Nos igitur, eiusdem Didaci assistentis et procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut quatuor dumtaxat antiquiores doctrinarii seu parochi provinciae et Ordinis praedictorum, qui[1], post adimpletas conditiones et declarationes supradictas, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, honoribus, gratiis et indultis, quibus illi qui priores provinciales[2] provinciae et Ordinis praedictorum munere perfuncti, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus.

*Praesentium litterarum firmitas.*

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et

1 Vox *qui* praeter rem esse videtur (R. T.).
2 Potius lege *prioris provincialis* (R. T.).

illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII maii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 28 maii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXXV.

*Variae ordinationes pro restituendâ et conservandâ in hospitali S. Ioannis Hierosolymitani consuetudine armandi naves contra piratas.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Praecipuas apostolicae auctoritatis charitatisque partes, quibus, pro debito pastoralis officii nostri ministerio a misericordiarum patre nobis iniuncto, sine personarum acceptione ad omnium christiani nominis nationum profectum, commodum utilitatemque, prout temporum, rerum et personarum qualitate pensatâ in Domino perspicimus expedire, solliciti advigilare tenemur, hilari libentique animo suscipere ac peragere gestimus.

Ad augendum navium Melitensium numerum sequentes latae leges.

§ 1. Cum autem nobis innotuerit paucas sub vexillo hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani in insulâ Melitensi armari naves, ex quo non leve praeiudicium inferri videbatur nedum pauperibus Graecis christianis, qui a piraticis navibus sub exteris vexillis armatis facillime depraedantur, verum ipsi etiam hospitali, quod ad christifidelium tuitionem expertis nautis in opportunitatibus provideri minime potuisset: hinc est quod nos, qui[1] tam hospitale praedictum illiusque magnum magistrum et fratres adversus quoscumque orthodoxae religionis hostes assiduis laboribus et periculis dimicantes paterno complectimur affectu, quam eosdem Graecos christianos in visceribus Iesu Christi diligimus, ut inordinatae huic rei salutares leges atque opportuna remedia adhiberentur, diuturnâ maturâque, sicut negotii gravitas flagitabat, consultatione adhibitâ, auditisque desuper nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sententiis, pro facili, rectâ et ordinatâ praedictarum navium directione sequentem normam perpetuis futuris temporibus valituram praescribere ac sancire

1 Vocem *qui* nos addimus (R. T.).

decrevimus, quam de cetero ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit, inconcusse et inviolabiliter observari volumus et mandamus.

Decretum anni MDCCXXIX servandum cum infrascriptis declarationibus.

§ 2. Auctoritate igitur apostolicâ statuimus decretum in Congregatione particulari a felicis recordationis Benedicto PP. XIII praedecessore nostro specialiter deputatâ sub die XXII aprilis MDCCXXIX editum observandum esse, cum infrascriptis declarationibus et ordinationibus, videlicet:

Mercium Graecorum praedatio quando sit licita.

§ 3. Licitam esse depraedationem mercium dilectorum filiorum christifidelium Graecorum repertarum in turcicis, sive piraticis, sive bellicis, non vero in aliis navibus onerariis, quamvis turcicis, legitime tamen probato, ut infra, mercium dominio; et tam in hoc quam in aliis quibuscumque casibus, in quibus Graeci praedicti praetendant depraedationem non esse legitime factam, depraedantes, statim, secutâ depraedatione, portum viciniorem appellere teneantur, ibique depraedati debeant omnino conficere consolatum[1], vel per se vel per alios, denunciando merces quas proprias praetendunt, cum suis qualitatibus et quantitatibus, et in termino unius anni a die portus appulsionis proponere instantiam cum legitimis documentis et probationibus, quo elapso, non amplius audiantur, dummodo non probetur legitimum impedimentum, probandum tamen in loco, ubi dictum impedimentum evenerit, cum testimonio consulis sive viceconsulis, si ibi adsit, vel, in eorum defectu, cum testimonio personae fide dignae, quae in eodem loco reperiatur; quo probato, possit iudex dictum terminum prorogare ad alium annum, vel amplius pro suo arbitrio.

Quid de interesse agendum.

§ 4. Quo vero ad interesse, iudex procedat in illius taxatione, vel a die motae litis,[1] a die depraedationis, prout de iure, ad rationem tamen scutorum duodecim monetae romanae pro quolibet centenario et anno.

Descriptio mercium quomodo facienda ad fraudes impediendas.

§ 5. Ad arcendas autem fraudes et collusiones, quas Graeci cum Turcis admittere possent, occultando Turcarum merces, easque uti proprias describendo et obsignando, dictâ auctoritate statuimus, ut dominorum[2] earumdem mercium probandum sit, nec aliter probari possit, quam per denunciationem iuratam et descriptionem aut navigationem factam coram aliquo consule seu viceconsule catholico, si haberi possit, sin minus, coram quocumque consule sive viceconsule, vel, iis deficientibus, coram personâ fide dignâ, designatâ navi, et illius institore seu capitaneo, relictâ penes ipsum consulem seu viceconsulem, vel aliam fide dignam personam huiusmodi, descriptionis et denunciationis copiâ legali; similis etiam descriptio fieri debeat in cartulario navis; si vero in eo loco, ubi oneratur navis, nullius consulis sive viceconsulis copia sit, descriptio facta coram personâ fide dignâ iterari debeat omnino coram consule sive viceconsule primi portus quem navis appulerit.

Quid agendum si depraedatio eveniat, priusquam navis portum aliquem appellat.

§ 6. Quod si depraedatio secuta sit, antequam potuerit navis appellere aliquem portum, ubi sit aliquis ex consulibus sive viceconsulibus praedictis, sufficiat descriptio mercium facta, ut supra, coram praedictâ personâ.

Iuramentum a procuratore rerum depraedatarum emittendum.

§ 7. Ultra praedicta, depraedatus, sive eius legitimus procurator, iurare debeat in principio iudicii in manibus sacerdotis graeco-catholici, si causa sit Melitae cognoscenda; alibi autem, iuxta ritum cuiuscumque regionis, easdem merces ad se ipsum vel eius principalem

1 Forsan *adire consulatum* (R. T.).

1 Videtur legendum *vel* (R. T.).

2 Videtur legendum *dominium* (R. T.).

pertinere, nullamque fraudem vel simulationem subesse, ut inde iudex cognoscere possit, an iuramentam consonum sit vel dissonum a denunciatione iuratâ ut supra factâ in loco onerationis mercium.

Aliud iuramentum ab armatore praestandum.

§ 8. Causae vero in primâ instantiâ a dilectis quoque filiis magistratu armamentorum privative ad quodcumque aliud tribunal insulae Melitensis examinentur, ordinationesque et statuta ad eam rem pertinentia observentur, et praecipue, quod armator navigationem non ineat, nisi prius iusiurandum de non depraedandis christianorum bonis, ac idoneam fideiussionem praestiterit; quae fideiussio priusquam a notario magistratus praefati iuxta morem approbetur, omnibus illis officialibus, qui cetera armatorum requisita solent examinare, proponi debeat, ut eam veluti unum ex requisitis valde necessariis dignoscant et approbent, non tamen eorum periculo, verum iuxta conscientiae dictamen ob maiorem christianorum indemnitatem securitatemque in casu iniustae depraedationis.

Duae sententiae transeant in rem iudicatam.

§ 9. Ac insuper dictâ auctoritate declaramus in praedictis depraedationum causis, secundum hospitalis praedicti statuta et privilegia auctoritate praedictâ concessa, duas sententias conformes omnino sufficere pro efformandâ re iudicatâ; quo in casu, ac in quocumque alio ubi duae adsint sententiae, sive emanatae ambae in insulâ praedictâ, una a supradicto magistratu et altera a dilectis itidem filiis tribunali audientiae, sive prolatae una in dicto tribunali, cetera in almâ Urbe nostrâ, quoties a succumbente gravamen evidens producatur ob quod ulteriori appellationi locum esse contendat, auditor noster citationem pro signandâ commissione non expediet, nisi cum vehemens de iniustitiâ suspicio haberi possit; qua habitâ, citationem et compulsoriales expediat, ac deinde transmissis ad Urbem praedictam actis, perpendet an ulterior appellatio admittenda vel quibus clausulis commissio signanda videatur.

Causae non excedentes praetium trecentorum scutorum iudici in insula Melitensi remittendae.

§ 10. In causis tamen parvi momenti, in quibus petitio pretium scutorum trecentorum monetae romanae non excedat, si auditor noster praedictus commissioni locum esse censuerit, eas semper iudici in insulâ Melitensi commoranti et partibus minime suspecto committet, interposito decreto quod litterarum apostolicarum huiusmodi vim habeant; in iis autem causis, de quibus quaestio sit an petitio scutorum trecentorum summam excedat nec ne, ipse auditor noster, prout iustitiae ratio exposcere videbitur, iudicabit.

Praesentium litterarum perpetua observantia.

§ 11. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari et adimpleri, sicque et non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et dictae Sedis nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 12. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, nostrâ et Cancellariae

Apostolicae regulâ de iure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Bonifacii Papae VIII praedecessoris nostri de unâ, et concilii generalis de duabus dietis, itaut vigore praesentium etiam ultra duas pluresque dietas quilibet in iudicium trahi possit, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti hospitalis et magistratus, ac tribunalium praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, ac ordinationibus capitularibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides danda transumptis. § 13. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVI iunii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 16 iunii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXXVI.

*Indultum, ut tres dumtaxat fratres Ordinis eremitarum S. Augustini provinciae SS. Nominis Iesu antiquiores doctores graduati in universitate Mexicanâ, qui conditiones ad praemissum effectum praescriptas adimpleverint, privilegiis magistrorum dicti Ordinis uti valeant.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Causae novi concedendi privilegii. § 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Didacus Salinas et Cabrera, assistens generalis Hispaniae a provinciâ SS. Nominis Iesu in regno Mexicano Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini procurator specialiter deputatus in sacrâ theologiâ magister, quod in civitate Mexicanâ publicâ auctoritate et privilegio regio studii generalis universitas omnibus numeris celeberrima erecta existit, in qua plures cathedrae sumptibus carissimi in Christo filii nostri Philippi, seu bonae memoriae, dum vixerunt, Hispaniarum regum, institutae et fundatae reperiuntur, quae per publicam oppositionem seu concursum, ut vocant, obtinentur. Etsi autem plurimum splendoris et ornamenti tam Ordini quam provinciae huiusmodi inde allatum iri constat, quod illius religiosi doctoratus laureâ in universitate praedictâ decorentur, et ad concursus publicos pro adipiscendis lecturis idonei reddantur; nullus tamen eorum religiosorum viginti ab hinc circiter annis invenitur, qui tam laudabili exercitio oppositionum seu concursuum praedictorum ad cathedras earumque lectionum assidue applicatus cathedram aliquam aut lectoriam huiusmodi obtinuerit. Enim vero, praeter plura incommoda quibus subiacere debent similia numerum[1] extra consecuturi, intra vero provinciam[2] huiusmodi etiam honoris gradum propterea promereantur, sed tamquam alii qui-

1 Forsan *munera* (R. T.).
2 Syntaxim seq. reordinare et corrigere dimittimus lectori scio (R. T.).

cumque Ordinis praedicti lectores et habentur et existimantur.

Procurator provinciae Papao supplicat super hoc.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Didacus assistens et procurator, ut deinceps eiusdem provinciae alumni intuitu praemii avidius alacriusque tam ad doctoratus lauream assumendam, quam ad substinendam talem oppositionem seu concursum pro huiusmodi publicis lecturis capessendis excitentur, tribus antiquioribus doctoribus dictae universitatis, qui publicis argumentis, assidueque lectionum et oppositionum exercitationi, quoties cathedra aliqua[1] in dictâ universitate vacare contigerit, fuerint adstricti et addicti, omnia iura, indulta et privilegia, quibus ceteri in sacrâ theologiâ magistri provinciae et Ordinis praedictorum de iure, usu et consuetudine potiuntur et gaudent, ac ut[2] revera tamquam magistri eorumdem Ordinis et provinciae sint et habeantur (sequentibus tamen praeviis conditionibus, nempe: I. Quod nullus ex dictae provinciae fratribus ad gradum doctoratus in dictâ universitate promoveri valeat, nisi de licentiâ moderni et pro tempore existentis prioris generalis dicti Ordinis, prout per constitutiones Ordinis praedicti auctoritate apostolicâ confirmatas, parte V, cap. V et VIII, praescriptum reperitur: II. Quod nullus doctor in dictâ universitate Mexicanâ magistri privilegia obtinere incipiat, nisi postquam laudabiliter suae lecturae philosophiae et sacrae theologiae praedictae tempus compleverit, et a pleno definitorio provinciae huiusmodi, sive in capitulo provinciali, sive in congregatione intermediâ, lector iubilatus declaretur, et tunc, absque novo examine, cum iam in susceptione doctoratus in eâdem universitate praecesserit, et aliâ gradus susceptione istiusmodi, doctores privilegiis magistrorum gaudere incipiant, et tamquam magistri a pariter moderno et pro tempore existente priore provinciali recognoscantur et declarentur, ac in libro, in quo ceteri eiusdem Ordinis magistri describuntur, adnotentur, et ex tunc demum, non autem secundum tempus suscepti doctoratus, eorum antiquitas inter magistros Ordinis computetur: III. Quod ex dictis doctoribus universitatis, qui, ut supra, assiduae lectionum et oppositionum exercitationi fuerint adstricti et addicti, tres dumtaxat antiquiores, qui gradu magisterii Ordinis praedicti non sint aliunde decorati, magistrorum privilegiis fruantur, reliqui autem, si qui fuerint, quamvis ceteris qualitatibus supra expressis praediti reperiantur, illa minime obtineant, quousque per alicuius ex dictis tribus doctoribus antiquioribus cessum vel decessum eis locus fiat secundum ordinem suae antiquitatis, nempe doctoratus in eâdem universitate, non autem antiquitatis professionis seu lecturae) a nobis concedi plurimum desideret, prout ab hac Sanctâ Sede et a nobis aliis earumdem Hispaniarum provinciis Ordinis praedicti concessum fuisse asserit: nobis propterea dictus Didacus assistens et procurator eiusdem provinciae nomine humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Conditiones necessariae ad huiusmodi consequendum.

Procuratoris petitioni annuit Clemens.

§ 3. Nos igitur, eiusdem Didaci assistentis et procuratoris votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt,

1 Rectius *cathedram aliquam* (R. T.).
2 Coniunct. *ut* nos addimus (R. T.).

ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut tres dumtaxat antiquiores doctores dictae universitatis Mexicanae, in quibus supradictae conditiones et declarationes concurrerint, inter magistros provinciae et Ordinis praedictorum adnumerentur, et uti tales habeantur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, statuimus et ordinamus, eisdemque tribus antiquioribus doctoribus, ut omnibus et singulis privilegiis, favoribus, praerogativis, praeeminentiis, gratiis et indultis, ac honoribus et oneribus, quibus ceteri provinciae et Ordinis huiusmodi magistri tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti et frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, dictâ auctoritate concedimus et indulgemus.

Hanc concessionem ubique suum plenum vigorem habere statuit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Harum litterarum transumptis fidem addit.

§ 6. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicuius personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae, seu secretarii generalis eiusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die III iulii MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno VIII.

Dat. die 3 iulii 1738, pontif. anno VIII.

---

## CCXXVII.

*Confirmatio constitutionum fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniae.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Huiusce Ordinis praeclara merita enarrantur.

Inter religiosorum Ordinum instituta, in militantis Ecclesiae procuratione a pastorum principe Iesu Christo infirmitati [1] nostrae demandatâ, magno cum christianae reipublicae commodo, divini cultus incremento et animarum salute per assidua pietatis charitatisque officia in opus apostolici ministerii nostri alia aliis temporibus altissimo divinae providentiae consilio adscita, sa-

1 Edit. Main. legit. *infirmitatis* (R. T.).

lutaribus Apostoli monitis, memores vinctorum, tamquam simul vincti, et laborantium, tamquam in eodem corpore morantes, Ordinem dilectorum filiorum fratrum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Excalceatorum nuncupatorum, qui pro lucrandis redimendisque fratribus suis, sub catenis barbarorum in aperto aut catholicae fidei eiurandae aut vitam misere finiendi discrimine versantibus, animas ponere alacres non verentur, praecipuis paternae pontificiaequae benevolentiae studiis semper complexi sumus. Eapropter illa, quae pro felici prosperoque eorumdem regimine debitàque tam arctioris disciplinae observantià aliàs disposita et ordinata, nonnullis evidentissimà utilitate correctionibus et emendationibus indigentia, pie prudenterque emendanda et corrigenda esse dignoscuntur, cum emendata et correcta atque maturo examine in melius digesta et comprobata, ut firma semper atque illibata persistant, apostolici muniminis praesidio corroborari a nobis petitur, libenter confirmare et perpetuâ stabilitate communire satagimus.

Procurator generalis hac de causà Congregationi episcoporum et regularium supplicat.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis praefati Ordinis, quod ipse aliàs de mandato nostro ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam supplicem obtulit libellum tenoris qui sequitur, videlicet:

*Eminentissimi et reverendissimi domini.* — Religio Excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, ut constat ex decretis capitulorum generalium, necnon definitorii generalis, vehementer desiderat sub uno diplomate a Sanctâ Sede confirmari, et ad vitandam confusionem sub uno codice imprimendas uniendasque esse suas constitutiones: quarum nonnullae diu observantur et confirmatae sunt a felicis recordationis Clemente X, ceterae autem, quas definitorium generale, crebro studio et quotidianâ meditatione praemissis, integroque quotidianis sessionibus anno statuit, vi Brevis piae memoriae Benedicti XIII qui die XXVI februarii anno MDCCXXVIII per suas litteras concessit capitulo generali proxime celebrando, et deinde definitorio generali facultatem condendi leges seu constitutiones ad uniforme gubernium generale Ordinis et provinciarum spectantes. Istarum autem aliae sunt pro gubernio provinciarum confirmatae die XI septembris anni MDCCXXX a sanctissimo domino nostro Clemente XII feliciter regnante, et aliae ad gubernium totius religionis ab eodem sanctissimo domino nostro sub die X decembris MDCCXXXIII. Ceterum, quia ex determinatis ab illo definitorio paucae remanent quae adhuc non sunt propositae ad confirmationem illarum consequendam, quas capitulum generale celebratum Compluti anno MDCCXXXIV approbavit, et ex decreto illius novum definitorium subsequens revidit et approbavit etiam, et utrumque per sua decreta curavit, et confimationem petendam esse a Sanctâ Sede praecepit procuratori generali: quare ipse procurator generalis humiliter supplicat EE. VV. quatenus dignentur deputare eminentissimum ponentem huius causae ad hoc ut referat huic sacrae Congregationi iustitiam huius causae. Et de gratiâ, etc. Quam Deus, etc.

Constitutiones, de quibus agitur[1] sunt quae sequuntur, videlicet: Constitutiones referuntur.

## CONSTITUTIONES
## *Fratrum Discalceatorum Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Congregationis Hispaniae.*

### REGULAE CAPUT I.

**Fratres Discalceati Ordinis SS Trinitatis, etc.**

CAPUT I. — *De tribus votis essentialibus obedientiae, castitatis et paupertatis, ac de quarto non ambiendi.*

I. Sine obedientiâ nulla gubernatio, nullumque regimen potest stare, quia integra § 1. De voto obedientiae.

1 Edit. Main. legit *agiter* (R. T.).

potestas et auctoritas superiorum a subditorum submissâ voluntate dependet. Sed nostrae Congregationis fratres intelligant, quod obedientia tunc erit hominibus dulcis Deoque acceptabilis, si non trepide, non tarde, neque tepide, aut cum murmure vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia, cum maioribus praebetur, ipsi exhibetur Deo dicenti: *Qui vos audit, me audit.*

II. Ceterum volumus et declaramus ut constitutiones nostrae non obligent nos ad culpam lactalem aut venialem, sed ad poenam, nisi propter praeceptum vel contemptum.

III. Praeceptum autem nullum intelligi volumus, nisi quod spectat ad tria vota essentialia, et quartum non ambiendi in clericis, et non transeundi ad statum clericalem et sacros ordines in laicis, vel quod in his constitutionibus vel a superioribus praecipitur sub poenâ excommunicationis, vel in virtute sanctae obedientiae. Transgressionem vero vel omissionem aliorum, secluso contemptu, nolumus obligare, nisi ad poenam impositam, vel a superioribus pro eorum prudenti arbitrio imponendam.

IV. Quod si aliquis (quod Deus avertat) quoad reverentiam superiori debitam in re gravi deliquerit, ceteri religiosi diligenter sub poenâ gravis culpae curent ut reus severe puniatur, nullaque culpa irreverentiae erga superiorem, quantumvis levis, impunita maneat.

V. Si aliquis religiosus coram superiore alicui praecepto quantumvis simplici (praecepta enim simplicia pertinent ad vitam monasticam, cuius gubernium impossibile est solum per praecepta formalia) non obedierit, et suam inobedientiam mordicus et pertinaciter defenderit, continuo incarceretur tamquam comtumax et rebellis, et voce activâ ac loco privatus sit pro tempore culpae proportionato ab arbitrium ministri. Et eâdem poenâ mulctentur, qui contra superiores insurrexerint, istorum officia usurpantes, vel eorum executionem impedientes.

VI. Ille vero, qui murmurando vel dissentiendo, gestu, voce aut scripto, praelatorum ordinationes cum spretu non adimplevit, pro primâ vice ieiunet in pane et aquâ tantum; pro secundâ eadem poena duplicetur; pro tertiâ, in qua iam aliqua consuetudo vel illius suboritur aliqua suspicio, incarceretur, usque dum resipiscens coram communitate reum agat, et ad praelati pedes petendo veniam, emendationem Deo ac ipsi communitati promittat.

VII. Religiosi nihil omnino agant sine licentiâ superioris; praesertim absque illâ cum extraneis non loquantur, nec scribant, nec recipiant litteras, quin prius illas manifestent superiori, qui eas legat, et curet ne scribantur nec recipiantur quae convenientes non fuerint. Poterunt tamen sine licentiâ ad suos praelatos superiores et ad quoscumque definitores scribere, atque illorum litteras accipere.

VIII. Si subditus aliquis aperuerit vel non tradiderit litteras superioris generalis, cuiuscumque definitoris generalis vel provincialis, vel suorum ministrorum provincialium vel conventualium, vel illas quae ad ipsos mittuntur, sit incarceratus, et voce ac loco privatus pro tempore culpae proportionato. Si vero delinquens praelatus fuerit, sit suspensus a suo officio per quatuor menses. Quod si aliquis inferior aperuerit vel non tradiderit litteras, quas quilibet religiosus alteri mittat, poenâ culpae gravis puniatur; et eâdem poenâ mulctetur etiam quilibet praelatus, qui litteras sibi non subditorum aperuerit.

§ 2. De voto castitatis.

I. Castitatis virtus angelorum est aemula, et religiosorum quoque propriissima. Ad quam perfectissime custodiendam, prae oculis habere debent illud monitum regulae praecipientis, quod omnis status, gestus, vita, actio, et omnia alia honesta in eis reperiantur. Ceterum si (quod Deus avertat) aliquis religiosus contra castitatem deliquerit, et de eo convictus fuerit, incarceretur per sex menses, ieiunet, et flagelletur arbitrio superioris, attentâ gravitate delicti, et per spatium unius anni privatus sit officio, voce et loco. Quod si delictum publicum fuerit apud saeculares, disciplinâ conventuali flagelletur, ac per integrum annum in carcere

sit, et voce ac loco per triennium careat. Si autem in simile peccatum relabatur, praedicta poena duplicetur.

II. Quoniam autem de huiusmodi delictis plena probatio raro fieri valeat, praecipimus praelatis, ut religioso de praedictis diffamato, nisi famam suam prius ita purgaverit ut nullum sinistrae de se opinioni locum reliquisse videatur (quod quidem pro timoratâ eorum conscientiâ atque prudentiâ iudicabunt), honores denegent et gratias quae aliis concedi solent, videlicet officia, studia, ordines, lecturas, facultates concionandi et confessiones audiendi et e conventu exeundi, etc. Patrumque provincialium ac ministrorum conscientias oneramus ut specialem curam similium religiosorum habeant.

§ 3. De voto paupertatis.

I. Ad paupertatis votum spectat, nil tamquam proprium, aut etiam nomine conventus, possidere vel tenere. Quare, si secus fecerit, vel aliquid custodiendo, intra vel extra domum praelato celaverit, tamquam gravissime delinquens, et poenâ proprietarii ac aliis ad arbitrium superiorum puniatur. Poterunt tamen religiosi uti rebus necessariis sibi a religione medio superiore impertitis. De his autem, sive eorum usu, renunciationem ante receptionem sacrae Eucharistiae pro casu infirmitatis coram suo praelato facient infirmi, alioquin si aliter malitiose fecerint, tamquam proprietarii reputentur post mortem. Nullus praeterea, quamvis sit praelatus, extra conventum reservet aliquid, sub eâdem proprietarii poenâ. Quod si aliquis inventus fuerit habere pecunias sine licentiâ, etiamsi illas habeat ad emendum aliquid sibi commissum, vel ad faciendam aliquam restitutionem, vel per modum depositi, sive alio quovis praetextu, poenâ gravi afficiatur. Religiosus vero qui sine licentiâ praelati, aut expressâ permissione utentis, sibi sumpserit rem aliquam ex illis quas sibi ad usum habuerit alter, severe puniatur a praelato. Sciant enim religiosi, quod cuncta nostra sunt, sed non semper et quandocumque, et cum quisque voluerit, sed tunc nostra, cum a praelato conceduntur ad usum.

II. Quilibet religiosus poterit in cellâ habere mensam parvam, et scabellum ex pino, ac imaginem Crucifixi, et B. M. V. in pariete depictam, seu in papyro, absque aliquâ tamen illuminatione; nec auro, nec argento, bombice, et similibus aliquis utatur, etiamsi sit in parvâ quantitate, et in ornatum reliquiarum seu imaginum. Dum autem ex rebus sibi ad usum concessis aliquâ non utatur, eam reponat in officinâ comuni, ad quam pertinet, et nullus unquam utatur verbis istis: *meum*, *tuum*, *etc.*

III. Omnia, quae et quocumque titulo obvenerint religioso, sive in communi, sive in particulari, tradantur statim praelato, ut de illis disponat tamquam de bonis propriis communitatis, et in officinâ communi reponantur.

IV. Pecunia semper sit in arcâ, quae tres habeat distinctas claves. Nec superior illam habere, nec expendere, nec licentiam alicui religioso dare poterit ut illam habeat vel expendat, quin prius in dictam arcam fuerit intromissa; ab illâ autem educetur ut ab officialibus conventus expendatur cum expressâ praelati licentiâ.

V. Quando definitorium generale, cui solum competit, concesserit alicui facultatem accipiendi pecuniam aliquam, sive a parentibus vel propinquis specialiter relictam pro religiosis suis usibus et necessitatibus, intelligatur huiusmodi licentia cum expressâ conditione de eo quod singulis annis tempore actualis visitationis rationem reddat suo provinciali de expensis a se factis, et quantitate pecuniae extractae, et sibi redditae ex arcâ trium clavium, in qua custodiri debet, sub poenâ privationis ab officio in perpetuum, casu quo a ministro aliter expendatur quam in usus pro quibus religiosus praefatam licentiam reportavit.

VI. Nullus religiosus habeat clavem cellae, arcae, capsulae vel alterius similis rei, exceptis superioribus generalibus et eorum secretariis: patres vero definitores generales et provinciales, atque ministri provinciales, procuratores generales, redemptores, atque provinciae procuratores ad custodienda scripta et suorum officiorum sigilla poterunt habere clavem alicuius capsulae seu scrinii.

Patres quoque ministri conventuales clavem habere poterunt capsulae sub mensâ cellae, cuius altitudo digitorum quatuor, longitudo vero duorum sit palmorum: ac etiam habeant claves magistras pro clausurà. Religiosi item officiales habebunt claves suarum officinarum. Huiusmodi capsulam habere poterunt chronistae, scriptores generales, et alii omnes quibus definitorium concesserit facultatem, iuxta n. VII, aliàs VI: architecti, fabri lignarii, caementariique habere poterunt clavem alicuius dictae officinae vel arcae ad custodienda instrumenta suorum officiorum. Officinae tamen sint extra dormitorium, neque in eis habitent neque dormiant officiales aliive religiosi. Claves omnium officinarum sint duplicatae, et alteram ex eis habeat minister, qui aliquoties officinas visitabit, et ab eis removebit quae vel ad munera praedictorum officialium vel usum religiosorum necessaria non fuerint.

VII. Definitorium generale in casu necessario concedere poterit alicui religioso clavem alicuius arcae vel capsulae, necnon, praeviâ informatione patrum ministrorum, poterit definitorium provinciale concedere lectoribus et praedicatoribus manticas cum serulis, in quibus conciones et alia scripta custodiant.

VIII. Et ne saeculares ultro possint ingredi religiosorum cellas, sit communis et uniformis clausura omnium illarum, dummodo huiusmodi clausura non sit clavium, nec per instrumentum simile clavibus, iuxta decretum et normam capituli generalis Compluti celebrati anno MDCCXXXIII.

IX. Patres ministri de trimestri in trimestre visitent manticas lectorum et praedicatorum, necnon arcas, capsulas, scrinia et omnia alia quae quomodolibet fuerint clausa, et cuncta visitent in suorum subditorum praesentiâ, sub poenâ suspensionis pro tempore, ad arbitrium patrum provincialium. Ab hac tamen visitatione excipiuntur quicumque habuerint mandatum procurae a superiore vel definitorio generali concessum. Similiter, sub poenâ suspensionis per quindecim dies, bis saltem in anno visitabunt cellas, scripta, habitus, ceteraque alia quae religiosi ad suum habuerint usum, superfluaque et inutilia auferent, quamvis illa habeant cum praelati superioris licentiâ, ac de necessariis absque morâ providebunt fratribus indigentibus. Ad hanc autem visitationem exequendam, praecepto imposito, subditos obligabunt, ut omnia absque aliâ exceptione patefaciant.

X. In conventibus et collegiis nostris permittimus in solemnioribus festis, et funeribus personarum gravium usum dalmaticarum pro diaconis et subdiaconis, necnon collarium pro acolytis, neutiquam vero manicarum in crucibus processionalibus, nec in inferioribus partibus albarum et rochetorum ornatum, qui apud Hispanos dicitur *faldon*.

§ 4. De voto non ambiendi.

I. Omnes nostri religiosi ad chorum deputati, tempore suae professionis, immediate post tria vota essentialia, quartum emittant non praetendendi in nostrâ religione officia vel praelaturas, videlicet ministri, nec vicarii generalis, commissarii, vicecommissarii, vel definitoris generalis, item nec ministri, vicarii provincialis, aut definitoris provinciae; praeterea nec ministri conventualis, visitatoris ac praesidentis, necnon socii ad capitulum procuratoris generalis curiae Romanae vel regiae, Ordinis vel familiae, sive procuratoris provinciae; similiter non praetendendi, nec admittendi aliquam praelationem extra nostram religionem, iuxta formam dispositam a felicis recordationis Paulo Papa V. Si quis autem inventus fuerit praetendisse aliquam praelationem seu officium ex praedictis, incarceretur per mensem, et officio, voce et loco per triennium privatus sit.

II. Praeterea omnes fratres laici in suâ professione, post tria vota essentialia, quartum emittant, et de non transeundo ad statum clericalem et ordines sacros, et de non praetendendo directe vel indirecte dictum transitum, iuxta Breve felicis recordationis Alexandri Papae VII: qui vero secus fecerit, loco sit privatus per triennium, et ad arbitrium patris provincialis mulctetur graviter ad formam quarti voti. Non ambiendi formula invenitur cap. XLIII. § 1, n. 1.

REGULAE CAPUT II.

**Omnes res undecumque licite veniant, etc.**

Caput II. — *De redemptione captivorum.*

§ 1. De ratione et curâ, qua separandum et custodiendum est, quod pertinet ad redemptionem captivorum.

I. De rebus omnibus, quae ad nos licite veniant, quid faciendum, praecipit regula dicens: quod, in quantum duae partes sufficient, id est non plus nec minus, sed in tantum exequantur opera misericordiae cum sui ipsorum et eis necessario famulantium moderatâ sustentatione, ut unica et tota tertia pars reservetur ad redemptionem captivorum. Vi autem praedictae dispositionis praecipimus stricte omnibus praelatis nostrae religionis, ut omni curâ adimpleant obligationem quam habent separandi pro redemptione captivorum tertiam partem omnium rerum quae iuxta sanctam regulam nostram separari debet. Et oneramus conscientias patrum visitatorum ut invigilent huius legis observantiae.

II. Separatio ista in quolibet conventu et collegio per ministrum seu praesidentem et consiliarios fiat, statim ac receptum fuerit quodlibet genus fructuum aliarumve rerum, et separatim conservetur in propriâ specie quod ad redemptionem pertinuerit, et in libro redemptionis scribatur. Et post quamlibet visitationem, dictus minister seu praeses mittat redemptori suae provinciae declarationem ab ipso et consiliariis subscriptam omnium rerum quae secundum hanc constitutionem pertinent ad redemptionem.

III. Quotiescumque determinate pro redemptione captivorum recepta fuerit aliqua considerabilis seu magni momenti quantitas cuiuscumque generis sit, similis fiat declaratio a praefatis tribus subscripta, et redemtori quamprimum mittatur. De parvis autem quantitatibus pro redemptione determinate receptis haec fiet declaratio post quamlibet visitationem, et tunc redemptori mittetur. Patres vero redemptores librum habeant, in quo distincte scribant omnia quae ex praedictis declarationibus constiterit spectare ad redemptionem in omnibus conventibus et collegiis, unusquisque videlicet pro suâ provinciâ.

IV. Nullus minister seu praeses etiam cum consiliariis, neque adhuc consentiente communitate, audeat titulo aliquo sive praetextu vendere, emere vel alienare dictas species, sive ex separatis pro tertiâ parte iuxta tenorem regulae, sive ex datis determinate ad redemptionem, sine licentiâ sui provincialis. Quem tamen tam ipse quam consiliarii monere teneantur tempore apto de periculo quod potest esse in conservatione rerum vel fructuum in propriâ specie, ut de illis disponat in maiorem redemptionis utilitatem.

V. Insuper integra pars tertia separetur pro redemptione captivorum ex mobilibus haereditatis et bonorum a parentibus relictorum; similiter etiam separabitur, medietate deductâ iuxta regulam pro expensis in culturâ, ex fructibus et proventibus possessionum provenientibus ex bonis sive ratione legitimae [1], sive haereditatis, sive donationis acquisitis. Quando autem definitorium vel conventus aliquis seu collegium cessionem [2] fecerit alicuius legitimae, ad quam ius habet, nunquam cedat partem legitimae illius ad redemptionem spectantem.

VI. Praecipimus omnibus superioribus, quod in conventibus sive collegiis, in quibus non fuerit designata particularis arca pro custodiendâ pecuniâ pertinente ad redemptionem captivorum, illa reponatur et custodiatur in arcâ trium clavium communi conventus vel collegii, in loco tamen eius separato.

VII. In qualibet provinciâ unus sit conventus seu collegium per capitulum generale assignatus, in quo erit particularis arca trium clavium, deserviens dumtaxat pro custodiendis pecuniis pertinentibus ad redemptionem, quae et erit communis pro pecuniis totius provinciae. Ex dictis autem clavibus altera sit apud ministrum, altera apud redemptorem illius provinciae, vel, ad eius defectum, apud procuratorem illius conventus seu collegii, et altera apud consiliarium antiquiorem. Quod si in aliquo alio conventu vel collegio evenerit quod sit arca particularis pro custodiendis tantum pecuniis

1 Edit. Main. legit *legitime* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *sessionem* (R. T.).

ad redemptionem pertinentibus, illius claves habeant praedicti minister, consiliarius antiquior, et procurator conventus vel collegii; nunquam autem praefatae arcae aperiantur sine assistentiâ trium clavariorum, qui distincte ac perspicue scribant omnia quae recipiuntur et in negotiis redemptionis expenduntur.

VIII. Redemptores captivorum bis quotannis patri provinciali rationem reddant in scriptis omnium ingressuum, expensarum, causarum, litium, etc., pertinentium ad bona redemptionis. Finito autem triennio praecedentium rationum, atque (si forte fuerint) debitorum alicuius conventus vel collegii, tum pater provincialis, tum etiam et aliunde ex loco ubi deget pater redemptor, ad suum superiorem generalem transumpta mittat ante celebrationem sui capituli provincialis.

IX. Superior et consiliarii cuiuscumque conventus et collegii ad finem singulorum mensium conferant et summam conficiant omnium quantitatum ad redemptionem pertinentium, tam ex separatis pro tertiâ parte, quam ex donatis determinate ad ipsam redemptionem, et in libro eiusdem redemptionis illa scribant ac propriis nominibus subscribant.

X. Ad hoc ut pecunia captivorum integra et in fideli ac securâ custodiâ perseveret, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto, omnibus religiosis tam praelatis quam subditis, et unicuique in singulari, ne extrahant, nec expendant (quamvis sit ratione mutui vel commodati, aliove titulo non spectante ad redemptionem) ipsam redemptionem captivorum, sine licentiâ in scriptis sui definitorii generalis: definitorium autem eam concedere non poterit, nisi omnibus consentientibus suffragiis, et ad tempus determinatum pro solutione. Superior autem qui constitutioni isti contravenerit, suo officio sit privatus, et inhabilis ad ulteriora Ordinis officia praelati, ac similiter quilibet alius religiosus voce et loco sit privatus per triennium et ad officia praelati maneat inhabilis.

XI. Insuper praecipimus quod quilibet praelatus expendens vel in toto vel in parte res in specie propriâ vini, tritici, ordei, ac similes iam destinatas et separatas pro captivis, suspensus sit a suo officio per mensem unum, vel amplius, iuxta qualitatem culpae; et visitator curet ut absque morâ reintegretur et restituatur quod expensum vel alienatum fuisse constiterit.

XII. Patres provinciales seu visitatores in suis visitationibus colligant ex arcis captivorum quod pro ipsorum redemptione invenerint separatum iuxta rationem in libro conventus seu collegii factam, et schedulam extractae et receptae pecuniae suis nominibus subscriptam relinquant; quod idem fiat quando redemptor vel alius religiosus de consensu et dispositione dicti redemptoris vel definitorii extraxerit ex arcis aliquid ad redemptionem spectans. Quilibet autem visitator librum habeat, in quo scribat quod colligit et recipit in unoquoque conventu seu collegio ex pertinentibus ad redemptionem, in quo et subscribant minister et consiliarii vel clavarii arcae redemptionis respective.

XIII. Praefati autem provinciales seu visitatores praedictas pecunias pro captivis, ut dictum est, ab ipsis collectas, reponant in arcâ generali suae provinciae antequam discedant a conventu, ubi talis est arca, sub poenâ suspensionis ab officio per tres menses.

XIV. Praecipimus patribus redemptoribus captivorum, ne pro redemptionibus aes alienum sine licentiâ sui definitorii generalis contrahant, sed observent instructionem ab ipso definitorio illis iniunctam, sub poenâ privationis vocis activae et passivae per triennium.

XV. Patres provinciales ad capitulum generale deferant testimonium subscriptum a clavariis arcae generalis redemptionis captivorum, in quo scripta sint omnia tunc temporis existentia pro captivis in omnibus conventibus et collegiis suarum provinciarum respective: superiores autem generales etiam deferre debent ad capitulum generale transumpta ad ipsos missa toto illo sexennio antecedenti, ut ex his omnibus

iustum et rigorosum fiat examen tum observantiae tum fidelitatis circa ea quae ad institutum pertinent religionis.

§ 2. De modo petendi eleemosynas pro captivis.

I. Pro maiori curâ et diligentiâ colligendi eleemosynas et omnia ad captivos spectantia, in qualibet provinciâ sint duo vel tres religiosi procuratores redemptionis ad arbitrium patris provincialis, qui designabit eis terminos ad petendas et colligendas dictas eleemosynas; id tamen totum fiat consulto redemptore provinciae; qui eos tenetur dirigere, itaut nunquam sint extra conventum seu suum collegium per maiorem partem anni. Insuper praecipimus patribus redemptoribus captivorum, quod designent in civitatibus et oppidis syndicos et collectores saeculares cum facultate sufficienti ad exigenda, recipienda et custodienda legata testamentorum, operum piorum, monstrencorum (ut vocant), et omnium aliarum rerum pertinentium ad redemptionem; quae omnia, tempore apto, redemptores ipsi colligent vel per se vel per religiosos procuratores. Et quando in proximo sint pro redemptione exequendâ postulent pro illâ eleemosynas a principibus ecclesiasticis et saecularibus, capitulis, communitatibus, aliisque personis gravibus.

II. Praeterea praecipimus procuratoribus redemptionis, imo etiam generalibus et conventualibus omnibus nostri Ordinis, ut sint valde solliciti in procurandis eleeemosynis pro captivis. Et omnes similiter religiosi, tam praelati quam subditi; in districtu suarum domorum diligenter procurent eleemosynas pro redemptione; et superiores inquirant ab inferioribus quid in hac re actum receptumve sit.

§ 3. De electione et qualitate redemptorum.

I. Capitulum provinciale, finitîs electionibus canonicis, albis nigrisque lapillis eligat redemptorem captivorum pro suâ provinciâ. Redemptores autem erunt vitâ, merito, doctrinâ et sapientiâ praediti, et qui officio provincialium vel definitorum saltem provincialium vel ministrorum conventualium aliquando potiti, vel saltem capaces ut talibus muneribus potiantur.

II. Pro singulis provinciis singuli eligantur redemptores. Si autem intra aliquam provinciam fuerint plurium principum curiae, poterunt eligere plures redemptores ad arbitrium ipsius capituli provincialis; sed ita subordinati intra se, ut unus tantum reputetur redemptor principalis provinciae, ad quem alter vel alteri omnium rationes ad suum officium pertinentium mittere tenentur. Si vero plures provinciae insimul redemptionem fecerint, mutua redemptorum subordinatio a suo definitorio generali designabitur. In qualibet domo nostrâ et suae provinciae in qua fuerint vel per quam transierint redemptores, et, si fuerint ad redemptionem, etiam extra suam provinciam, conventualitatem habeant, et praecedant omnes non praelatos (excepto procuratore generali Ordinis Romae aut curiae regiae) etiam vicarios. In regimine vero et administratione domus non se intromittant. Ad egrediendum tamen e domo, socium postulabunt a vicario in absentiâ ministri, sine deosculatione tamen scapularii, nisi forte praeses fuerit, propter absentiam ministri ultra viginti quatuor horas.

III. Stricte praecipimus redemptoribus captivorum, ac aliis eorum sociis proficiscentibus ad redemptionem, ne comportent aliquas res non conducentes ad illius effectum, nec sibi, nec aliis ex infidelium regionibus in reditu similia trahant; aliâs gravissimae et irremissibili punitioni ad arbitrium sui definitorii generalis subiacebunt.

IV. Redemptores captivorum intra tres menses post reditum ab executione redemptionis, expensarum istius, et aliarum rerum, ad munus istud aptius in futurum perficiendum, rationem reddant suo definitorio generali. Quod si omiserint, graviter puniantur iuxta culpae qualitatem.

### REGULAE CAPUT III.

**Omnes Ecclesiae istius Ordinis, etc.**

Caput III. — *De divisione familiarum, provinciarum, et earum nominibus, ac de conventuum differentiâ et eorum aedificiis.*

§ 1. De nomine ecclesiarum, familiarum, provinciarum et

I. Ut constat ex Brevi et dispositione sanctissimi domini nostri Clementis XII, ad melius regimen, in duas familias venit universus Ordo divisus; quarum una nomina-

domorum differentia.

bitur intra-Hispana, et extra-Hispana altera; et utraque erit sub titulari sibi electo. Quapropter titulus familiae intra-Hispanae erit *Iesus Redemptoris*, et alterius familiae erit *Matris Redemptoris*. Ex decreto ultimi capituli generalis, similiter provinciae debent intitulari nominibus iam electis, quibus uti consuevit utraque familia usque adhuc. Omnes tamen ecclesiae istius Ordinis intitulentur nomine *Sanctissimae Trinitatis*, quamvis habeant secundum titularem in patronum.

II. In Ordine nostro quatuor sint differentiae conventuum. Prima novitiorum et professorum, ubi a magistris in caeremoniis, mortificatione, vitâque spirituali instruantur. Secunda collegiorum, ubi iam professi philosophiam sacramque theologiam edocentur, et ubi postea conferendo perficiantur in eisdem. Tertia conventuum, in quibus religiosi spirituali profectui tam proprio quam proximorum incumbant. Quarta demum domorum in desertis ubi soli Deo vacent.

III. Statuimus ne fiat nova conventus fundatio, nisi in eo numerus religiosorum, a regulâ nostrâ stabilitus, commode, cum observantiâ, et sine distractione sustentari queat.

IV. Situs conventus (si fieri possit) eligatur intra civitatem vel oppidum, in loco tamen ad religiosorum quietem opportuno, et in quo permansurus sit. Nec in eo assistant ultra tres vel quatuor religiosos, qui de fabricâ curent donec ecclesia et habitatio cum sufficienti clausurâ constructa sit.

V. Pro novâ conventus seu collegii fundatione minister eligi non possit, quin tresdecim sint fratres, quos regula exposcit. Interim tamen gubernetur per praesidentem a superiore generali seu provinciali nominatum.

§ 2. De constructione et fabrica conventuum.

I. Statuimus ne alicuius conventus seu collegii fabrica incipiatur quin praecedat illius descriptio seu exemplar delineatum ab architecto aliquo nostri Ordinis, examinatum a superiore generali, qui reformabit excessus, si qui contra constitutiones infra ponendas inventi fuerint. Semel autem a superiore generali examinato, nihil sine illius licentiâ contra illud fiat, sive per additionem, sive per diminutionem. Qui vero in toto vel in parte huic constitutioni contravenerit vel contravenire permiserit, suspensus sit ab officio suo, iuxta gravitatem culpae.

II. Ecclesiae latitudo sit saltem viginti quatuor pedum, et ad summum viginti septem; cui latitudini correspondeat longitudo et altitudo, iuxta regulas architecturae; pinnaculum item sive extremitas capellae maioris humilis sit; nec extra ecclesiam opera affabre elaborata et curiosis crustis ornata fiant. In sacrario vero aliquam permittimus faciem, ut vocant.

III. De pariete ad parietem claustri in longitudine sit saltem spatium quinquaginta et quinque pedum, non tamen ultra sexaginta. Transitus autem pro latitudine novem vel decem pedes capiat.

IV. Cellae habeant undecim pedes in quadrato, illarum fenestrae, ad summum, altitudinis tres pedes et digitos quatuor, latitudinis pedes duos et quinque digitos. Transitus autem dormitorii sex pedes latitudinis ne excedat. Cellae vero infirmariae poterunt habere sexdecim pedes in quadro.

V. Officinae, quae sunt in terrâ, duodecim tantum pedes altitudinis habeant, itaut parietes conventus a pavimento claustri usque ad tectum non excedant altitudinem viginti et sex pedum, nisi id exigat angustia situs, vel ne religiosi de foris videantur. Solaria autem et prospectus plani sint operis, et parvis expensis fabricentur.

VI. Observatâ subscriptâ aedificiorum proportione, interiores officinae et mansiones disponantur iuxta arbitrium prudentis architecti. In praedictis autem mensuris, per pedem intelligimus tertiam partem ulnae castellanae. Praecipimusque dictas mensuras immutari non posse nisi per capitulum generale.

VII. In civitatibus magnisque oppidis, ecclesiae et claustra excedere poterunt[1] longitudinem latitudinemque, modestiâ tamen in omnibus servatâ. In minoribus vero oppidis nunquam excedant minorem mensu-

1 Deesse videtur *minorem* vel *dictam* (R. T.).

ram designatam, nec sint infra illam. Idemque volumus, proportione servatâ, de curiositate ecclesiarum, quae semper iuxta regulam nostram debent esse plani operis. Maior autem cellarum et officinarum numerus in unoquoque conventu disponatur iuxta maiorem vel minorem religiosorum numerum, qui ibidem sustentari valeat.

REGULAE CAPUT IV.

**Fratres debent esse in unâ cohabitatione, etc.**

Caput iv. — *De numero religiosorum qui debet esse in quolibet conventu.*

In nostris conventibus et collegiis sit competens numerus fratrum iuxta prudentem patris provincialis dispositionem. Nunquam tamen sint infra tresdecim continuo habitantium intra claustra, sicut praecipit regula, praeterquam in aliquâ novâ fundatione, ut supra dictum est.

REGULAE CAPUT V.

**Omnibus fratribus suis sicut sibimet, etc.**

Caput v. — *De curâ quam praelati tenentur habere erga subditos suos.*

In omnibus nostris conventibus et collegiis sint officinae communes, ex quibus omnia necessaria tam de victu quam de vestitu, tam pro salute quam pro infirmitate, aequaliter ministrentur religiosis omnibus tam praelatis quam subditis, sub poenâ suspensionis ab officio superiori erga hoc negligenti. Curet tamen quod res, quae religiosis conceduntur ad usum, sint prout decet discalceatos.

REGULAE CAPUT VI.

**Vestimenta sint lanea et alba, etc.**

Caput vi. — *De vestitu nostrorum religiosorum.*

i. Exterior vestis seu habitus fratrum nostrorum sit ex sago albo, nec per tres digitos ad terram perveniat, nec latitudo infima in circuitu tres ulnas excedat, eiusque manicae strictae sint, et versus manum unius palmi latitudinem pertingant, sed non excedant. Interior vestis etiam erit ex sago albo, brevior tamen exteriori tribus digitis. Scapularium similiter sit ex sago albo latum ad palmum et dimidium palmi, altum vero a terrâ per palmum et duos digitos. Capitium interius sit etiam ex eodem sago albo, et strictum, nec illius acuta extremitas ad cinctorium per quatuor digitos accedat.

ii. Cappa sit ex rudi sago fusci coloris, stricta, sine plicaturis, alta a terrâ per dimidiam ulnam et quatuor digitos. Capitium exterius sit etiam fusci coloris, et aequale interiori. Mensurae autem praefatae accipiendae sunt de ulnâ castellanâ.

iii. Corrigiae sint nigrae, et absque aliquâ curiositate, et tribus digitis longiores scapulario. Sandalia sint ex canabe seu sparto, unius solae, et ex omni parte aperta; zocholi ex ligno, et cum corrigiis angustis.

iv. Tunicae immediatae corpori sint ex stameniâ albâ et rudi. Femoralia vero ex lino rudi et communi. Nullusque religiosus tam illas, quam ista, mundandas tradat externae personae privatae, et distinctae ab eâ quae similia vestimenta communitatis totius abstergit.

v. Linteola pro emungendis naribus minime sint alba sive serica, sed honesta prorsus et rudia ; et galeri pro itineribus faciendis nigri vel fusci coloris.

vi. Novitii eisdem vestibus utantur, excepto quod quatuor extremitates scapularii erunt circumcissae vel retortae. Oblati, seu donati, eisdem vestibus utantur ac professi; ceterum non habebunt capitium ullum, et illorum scapularia ad genua non pertingent, nec longiora poterunt esse a tergo.

vii. Quicumque contra statuta in hoc capitulo in toto vel in parte fecerit, puniatur poenâ gravi per unum aut plures dies iuxta qualitatem culpae.

REGULAE CAPUT VII.

**Iaceant in laneis, etc.**

Caput vii. — *De lectulis pro cubitu fratrum nostrorum.*

i. Lectulus sit ex tabulis; eius latitudo trium palmorum cum dimidio, altitudo vero tertiae partis ulnae castellanae; cum duobus tantum stragulis sive lodicibus laneis, et cervicali uno etiam ex lanâ.

ii. Ne autem religiosum aliquem sine

habitu mori contingat, praecipimus quod omnes dormiant cum scapulario parvo laneo, quod quidem infirmi in lecto cubantes nunquam dimittant.

REGULAE CAPUT VIII.

**In cappis et scapulariis fratrum, etc.**

CAPUT VIII. — *De cruce portandâ in cappâ et scapulario.*

Crux rubei et caerulei coloris, quam iuxta regulam portare debent religiosi nostri in cappâ et scapulario, sit absque curiosâ suturâ, longitudinis unius palmi, et latitudinis unius pollicis.

REGULAE CAPUT IX.

**In rasurâ Ordinem S. Victoris sequantur clerici, etc.**

CAPUT IX. — *De rasurâ nostrorum religiosorum.*

I. Fratres deputati ad chorum tonsuras clericales amplas habeant, ita ut circulus capillorum trium digitorum latitudinem non excedat, neque ad radices aurium per duos digitos pertingat. Ad uniformitatem autem servandam in qualibet domo sit mensura qua in die rasurae dicti circuli latitudo mensuretur.

II. Laici barbas crescere modeste permittant ad praescriptum regulae, itaut temporum capilli uniantur cum barbâ. Nec illis unquam clericalis corona concedatur.

REGULAE CAPUT X.

**Asinos sive mulos liceat eis ascendere, etc.**

CAPUT X. — *De his quae fratres debent observare quando iter faciunt, et de modo petendi eleemosynas.*

I. Muli sive mulae[1], quas fratres nostros ascendere regula permittit, mediocris sint staturae; exhortamurque religiosos ut curent observare laudabilem Ordinis consuetudinem asinos ascendendi.

II. Quando religiosi iter faciunt in mulis propriis religionis non utantur ephippiis, sive sellis, sed clitellis non fraeno cum habenis corrigatis, sed ex canabo, nec stapedibus ferreis, sed ligneis. Qui secus fecerit, subiaceat poenae ad arbitrium superioris.

1 Edit. Main. legit *mula* (R. T.).

III. Nullus iter faciat absque licentiâ in scriptis superioris, cui competit illam concedere, in qua iste designabit tempus pro itinere, statione et reversione. Et superior ac consiliarii conventus, a quo egredietur, dictam facultatem subscribant notando diem mensem et annum per verba et non per numeros. Qui autem ultra tempus determinatum remoratus fuerit, a superiore conventus puniatur attentâ morâ.

IV. Itinerans, ad locum dumtaxat et oppidum in licentiâ designatum, et viâ rectâ, pergat. Curiam regiam adhuc intra suam familiam nullus ingrediatur, nec illius ambitum per spatium unius leucae, sine sui superioris generalis facultate; neque praetextu conventualitatis, sine illius consensu praestito[1] provinciali illius provinciae, sub poenâ privationis vocis et loci per unum annum tum ingredienti tum eum mittenti statim applicandâ. Ceterorum autem principum curias intra suas provincias existentes ex licentiâ sui provincialis ingredi poterunt. At vero, ut unius provinciae religiosi ingrediantur curiam intra ambitum alterius, a superiore generali erit expectanda facultas: quo vero ad accessum ad Curiam Pontificiam, serventur exacte constitutiones et decreta summorum Pontificum, et signanter felicis recordationis Clementis VIII.

V. In locis, in quibus sunt conventus nostri, nullus religiosus iter faciens, sive pergat, sive veniat, saecularium domos ingrediatur absque licentiâ praelati, sub poenâ gravis culpae per tres dies.

VI. Ad quemlibet Ordinis conventum religiosus pervenerit, licentiam patentem faciat, alioquin superior illam postulet absque exceptione alicuius personae. Quae licentia, si frater pro conventuali venerit, custodiatur in arcâ trium clavium conventus, subscripta a ministro et consiliariis post adnotationem diei in quo praedictus frater pervenit. Qui vero litteras patentes non ostenderit, ipso facto careat voce et loco.

VII. Nullus religiosus de unâ familiâ egrediatur in aliam sine licentiâ in scriptis

1 Videtur deesse praeposit. *a* (R. T.).

ministri generalis, sub poenâ apostasiae et privationis officii, vocis et loci in perpetuum. Quod si laicus fuerit, portet habitum fusci coloris per triennium; praelatus vero, qui sine praedictis requisitis et facultatibus miserit aliquem religiosum extra suam familiam, privatus sit a suo officio, et inhabilis in perpetuum existat ad ulteriora Ordinis officia.

viii. Pater minister generalis mittere poterit quemlibet religiosum, etiam definitorem generalem, quocumque expedire viderit; commissarius vero generalis intra ambitum familiae suae; provincialis intra ambitum provinciae suae; ministri vero conventuales per spatium leucarum duodecim a suis conventibus, non ultra.

ix. Provinciales autem a conventibus sub suâ iurisdictione existentibus poterunt sibi subditos amovere. Ceterum ad negotia aut lites non mittant ad curias principum sine consilio et assensu sui superioris generalis. Neque similiter ministri conventuum aut collegiorum adhuc existentium intra ambitum duodecim leucarum ingredi, aut sibi subditos mittere poterunt ad huiusmodi curias, sine praedictâ facultate. Si autem sine eâ aliquis religiosus ingredi praesumat, a ministro domus consistentis in curiâ statim recludatur, et superior generalis, iuxta gravitatem culpae, eum puniat; ipseque et superior, qui eum misit, poenam privationis incurrant, ut dictum est num. iv.

x. Attento spiritu paupertatis et clausurae religionis nostrae, statuimus ut sine gravi et urgente necessitate non detur religiosis facultas itinerandi, nec mutandi conventualitatem, neque ad hoc ut sint extra conventus a Paschate usque ad festum SS. Trinitatis eo anno quo celebratur capitulum generale vel suae provinciae, nisi occurrat negotium speciale Ordinis quod differri non valeat.

xi. Ad patriam suam nullus pergat absque provincialis licentiâ, nec sine socio absque superioris generalis concessione, vel nisi in oppido illo sit coenobium nostrum: praelatus autem, qui secum [1] quemquam miserit, poenae suspensionis ab officio per mensem unum subiaceat.

xii. Iter facientibus permittimus usum caligarum sive tibialium ex sago albo, vel simili materiâ, absque aliquâ curiositate, et in urgenti necessitate usum pedalium ex eâdem materiâ; et superiores omnia itineri necessaria eis praestent. Itinerantes autem tenues et moderatos sumptus faciant, et in omnibus se ipsos exemplar virtutum praebeant. Quod si excessus commiserint, a praelato vicinioris conventus mulctentur, iuxta gravitatem culpae.

§ 2. De modo postulandi eleemosynas.

i. Religiosi nostri per areas non postulent nec quaerant eleemosynas, nec pro illis petendis ultra duodecim leucas a conventibus se extendant, absque superioris generalis seu provincialis licentiâ. Nec item frater aliquis cuiuslibet conventus vel collegii quaerat sive postulet eleemosynam aliquam (cuiuscumque rationis haec sint) in oppido, villâ, seu districtu, vel termino designato a provinciali pro altero conventu seu collegio etiam intra praedictum spatium duodecim leucarum. Quod si nihilominus ita quaerens aliquam receperit eleemosynam, provincialis eam conferri faciat domui illi, in cuius districtu quaesita fuit; et praeterea tam subditum, quam superiorem, in toto vel in parte contravenientes contentis in istâ constitutione, arbitratu suo puniat [1] iuxta qualitatem culpae ipsorum; limitatio autem praefata duodecim leucarum, non comprehendit procuratores redemptionis; exhortamurque praelatos, ut ad postulandam ostiatim eleemosynam non alios mittant quam fratres laicos, et semper cum sociis.

ii Nullus religiosus postulet aut recipiat eleemosynam aliquam pro suis parentibus, cognatis aut aliis personis extra religionem, absque superioris generalis licentiâ, sub poenâ reclusionis iuxta gravitatem culpae. Si autem aliquis parentes pauperes et egenos habeat, moneat provincialem, qui, cognitâ necessitate, sine interventu dicti religiosi, ac consideratis circumstantiis, opem ferat iuxta possibilitatem et paupertatem Ordinis.

1 Forsan *secus* (R. T.).

1 Nempe *ipse provincialis* (R. T.).

REGULAE CAPUT XI.

**In regularibus horis morem S. R. E. observent.**

Caput xi. — *De officio divino, missâ et communione fratrum, et de his qui sacris initiandi sunt.*

§ 1. De diligentiâ et sedulitate, qua convenire debent religiosi ad recitandum et concinendum officium divinum.

i. Omnes religiosi, audito primo signo ad chorum, expediantur et se praeparent, considerantes se pergere ad angelorum officium exercendum; et, antequam secundum cymbali signum finiatur, sint in choro, sub poenâ culpae levis, vel gravis, si de more habuerint.

ii. In omnibus conventibus nostris matutinum inviolabiliter dicatur mediâ nocte, nisi urgens obstet necessitas, vel rationabilis causa vere excusans, de qua provincialis in visitatione rigorose inquirat, vel in Ordinis instructione fuerit statuta recreatio: idque praecipimus patribus ministris et praesidentibus in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali. At vero matutinum feriae v in Coenâ Domini, Parasceves et Sabbati Sancti, necnon Pentecostes, SS. Trinitatis, festi Corporis Christi, si venerationi expositum fuerit per totam eius octavam, ac in festivitatibus sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, dicatur horâ quintâ post meridiem. Matutinum primae diei Paschae et per eius octavam usque ad sabbatum in Albis dicatur ad auroram, sive circa horam quartam diei. Omnes aliae Horae canonicae, atque defunctorum officia, recitentur tempore constituto in caeremoniali Ordinis.

iii. Integrum matutinum cum laudibus cantetur in die Nativitatis Domini, in primâ die Paschae, et primo Pentecostes, in festo SS. Trinitatis et SS. Sacramenti, ac feriâ quintâ, sextâ et sabbato maioris hebdomadae, necnon festivitatibus sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis. In aliis vero festivitatibus primae et secundae classis, in quibus primae et secundae vesperae cani debeant, ac in die octavâ SS. Trinitatis et Corporis Christi, et (si istud venerationi patenter expositum fuerit) per totam eius octavam, in matutino cantetur invitatorium cum hymno sequenti, et hymnus quoque *Te Deum laudamus;* et in Laudibus, a capitulo usque ad ℣ *Benedicamus Domino* et eius ℟ *Deo gratias* inclusive. In die vero Epiphaniae (cum non sit invitatorium) in tertio nocturno cantabitur psalmus *Venite exultemus*, cum suâ antiphonâ. In reliquis vero duplicibus solus hymnus *Te Deum*.

iv. In cantando integre matutino cum laudibus expendantur saltem duae horae; hora vero cum dimidiâ, quando solum canitur invitatorium, hymnus et *Te Deum laudamus*, et in laudibus a capitulo, et quando officium est de dominicâ, et quando, licet sit aliud, cum eo tamen recitatur officium parvum B. Virginis Mariae vel defunctorum; in reliquis vero matutinis et laudibus hora una cum quadrante.

v. Prima canatur tantum in vigiliâ Nativitatis Domini, tertia in festis in quibus vel integrum matutinum vel saltem cani debet invitatorium modo dicto num. iii, excepto die Ascensionis, in quo cantabitur nona. In cantando autem qualibet minori horâ canonicâ consumatur dimidia hora; quartum vero horae istius in illâ recitandâ, et aliquid amplius quando coniungitur cum officio parvo B. Mariae Virginis.

vi. Missa conventualis canatur omnibus diebus, quibus tertia, et omnibus dominicis et diebus feriatis, et in omnibus festivitatibus Ordinis et B. Virginis Mariae, atque in feriâ iv Cinerum, feriâ v in Coenâ Domini, feriâ vi in Parasceve, sabbato sancto, vigiliâ Pentecostes, et in die Commemorationis defunctorum, necnon quando fit officium de aliquo sancto martyre in conventu illo ubi corpus vel insignis reliquia asservatur. Insuper in die unâ infra octavam Omnium Sanctorum cantabitur vigilia, missa et solemne responsorium pro captivis defunctis, et in die immediato post festum omnium sanctorum Ordinis, et similiter canatur vigilia, missa, solemneque responsorium pro nostris religiosis defunctis. In cantandâ autem qualibet missâ tres partes horae consumantur; in recitandâ vero, dimidia hora: quod si quis celerior fuerit, a superiore puniatur poenâ culpae mediae, imo et gravis, si de more habuerit.

VII. Primae et secundae vesperae canantur in omnibus festivitatibus primae et secundae classis, quae ad colendum pronunciantur, et eiusdem ritus, quamvis non colantur, in his quae fuerint Christi domini eiusque sanctissimae Matris, sanctorum patriarcharum nostrorum, titularis alicuius familiae, provinciae, conventus vel collegii, atque S. Agnetis secundo; in reliquis vero festivitatibus Ordinis primae tantum vesperae canantur, vesperae autem secundae sanctorum omnium dicantur sine cantu, et eis finitis canantur vesperae defunctorum. Si tamen festum Omnium Sanctorum celebretur in sabbato, eorum secundae vesperae tunc cantentur, in die dominicâ sequenti vesperae defunctorum. In omnibus autem vesperis cantandis tres quadrantes horae consumentur; in recitandis vero, fere dimidia hora. Superior qui supradicta celerius cantari vel recitari permiserit, severe puniatur.

VIII. Praedicta, quae in festivitatibus cani debent, non concionantur quando dictae festivitates transferuntur, sed tantum quando in propriis diebus ab Ecclesiâ designatis celebrentur; non tamen propterea omittenda, sed cantanda est missa in quocumque die feriato, quamvis de festo illius diei officium non fiat; nec cantanda sunt supradicta quando in choro non sint saltem sex religiosi qui canere possint. Missa vero et alia quae ratione donationis vel eleemosynae essent canenda cum paucioribus, et etiam si sint solemnitates translatae, cani debent.

IX. Totum, quod in officio divino et missâ cantatur, sit tono plano, aequali, gravi et devoto, absque modulatione et armoniâ, sub poenâ culpae gravis contravenienti, et suspensionis ab officio superiori permittenti. Quae autem recitantur, cum devotione dicantur et pausatione competenti pro insumendo spatio temporis designato.

X. Officium parvum B. Virginis Mariae in omnibus conventibus recitetur diebus in breviario assignatis, et quamvis non tantâ pausatione, quantâ maius, non tamen minori devotione.

XI. Fratres laici assistant officiis divinis, iuxta prudentem superioris dispositionem, attento uniuscuiusque labore et occupatione, et loco officii divini, singuli recitent quinquagies orationem dominicam, et totidem vicibus salutationem angelicam, nempe pro Matutino quindecies, pro Laudibus quinquies, et pro unâquaque Horâ etiam quinquies.

XII. Religiosus, qui Matutino abfuerit sine licentiâ, vescatur in terrâ sine capitio id quod ceteris ministratur, praeter piscem, vel quod eius loco praestatur. Si vero alteri cuicumque Horae canonicae non adstiterit, arbitrio superioris puniatur.

XIII. Tempore divinorum officiorum nullus sine urgenti necessitate praesidenti exprimendâ, et cum illius licentiâ, a choro exeat, nisi ad rem ipsi choro et officio pertinentem. Eademque causa et licentia praecedat, quotiescumque aliquis religiosus a quolibet actu communi egressurus fuerit.

§ 2 De missa et communione religiosorum.

I. Omnes nostri sacerdotes singulis diebus sacra faciant, exceptis feriâ V, VI et sabbato maioris hebdomadae, et quando urgenti causâ impediti fuerint: in hoc tamen casu cum licentiâ omittent superioris. Qui autem absque istis circumstantiis rem sacram facere omiserit, pane tantum et aquâ die unâ vescatur.

II. Sacrificium missae peragere debent in propriis conventibus, nisi superior, urgenti causâ, et raro, licentiam concedat, ut nonnullus extra propriam ecclesiam sacrificet.

III. Feriâ V in Coenâ Domini omnes religiosi recipiant sacram Eucharistiam de manu sui praelati. Qui sacerdotes non sunt, caelesti se pane reficiant omnibus dominicis diebus et feriis V totius anni. Potest tamen functio ista anteponi vel postponi propter aliquod solemne festum. Praecipimus insuper praefatis omnibus fratribus non sacerdotibus, quod quotidie missae sacrificio intersint, sub poenâ ieiunii in pane tantum et aquâ.

IV. Magistri novitiorum et professorum in diebus feriatis sacra faciant in ecclesiâ; in aliis diebus in oratorio suo celebrare poterunt.

V. Societates et confraternitates saecularium absque definitorii licentiâ non admit-

tantur in nostris conventibus et collegiis. Qui secus fecerit, ad arbitrium dicti definitorii puniatur.

§ 3. De eleemosynâ missarum.

i. Nullus religiosus recipiet eleemosynam missarum, nisi tantum pro suo conventu; quod si itinerans pro mutatione conventualitatis aliquam acceperit, pro illo sit conventu in quem tendit conventualis futurus. Superiores vero etiam generales, et alii qui ministri non subsunt, eam quam acceperint eleemosynam ad arbitrium sui immediati, cui illico exactam rationem reddere teneantur, in promptu habeant: nulli enim libera eleemosyna relinquitur, nec intentio ulla, nisi raro ex concessione sui praelati pro unâ aliâve celebrandâ missâ.

ii. Pro unâ missâ, etsi cantatâ, unicum dumtaxat stipendium accipiatur, sub poenâ suspensionis ab officio per tres menses praelato contravenienti.

iii. In nostris conventibus et collegiis non recipiantur eleemosynae pro capellaniis et missis perpetuis, sine superioris generalis licentiâ in scriptis, nec pro patronatu conventus, ecclesiae, vel capellae maioris vel minoris, vel pro oratione, disciplinâ, aliove communitatis exercitio, absque sui definitorii generalis licentiâ in scriptis, quam concedet consulto provinciali provinciae illius cuius est conventus vel collegium cui conceditur.

iv. Eleemosynae receptae pro missis perpetuis, memoriis, capellaniis, patronatibus dictis, et sepulturis perpetuis, nullatenus in totum vel in partem (etiam consentiente conventu) expendantur, sed ad censum annuosque redditus imponantur. Ex licentiâ tamen sui definitorii generalis (omnibus consentientibus suffragiis) dictae eleemosynae iam investitae converti poterunt in redditus indemniores et utiliores conventui, nunquam tamen pro eis subrogari bona aliàs antea monasterio acquisita. Ad hoc autem ut sedulo custodiatur pecunia impertita pro missis et reliquis in hac constitutione enumeratis, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub praecepto, omnibus religiosis, tam praelatis quam subditis, et cuilibet in particulari, quod, dum dicta pecunia non investitur, nihil ex eâ expendant, etiam titulo mutui alioque quocumque. Superior autem contravenieus, privatus sit officio suo, aliusque vero quicumque frater voce et loco per triennium.

v. Pecuniae receptae pro supradictis rebus, dum non investiuntur, seu in annuos redditus conferuntur, in propriâ conserventur specie. Si incrementum habuerit, cedat in favorem memoriae, si vero decrementum (absque culpâ tamen conventus vel collegii) cedat contra memoriam.

vi. Ut constet de memoriis ac missis perpetuis, quae sunt in quolibet conventu et collegio, iusteque adimpleantur, praeterquam quod adnotatae erunt in libro magno, cui titulus *protocollo*, scribantur in tabulâ publico in loco.

§ 4. De his, qui ordinandi sunt.

i. Fratres nostri sacris initiandi examinentur prius de sufficientiâ suâ a ministro conventus et aliis duobus religiosis a provinciali designatis, et postea de vitâ et moribus per secreta suffragia capituli conventualis approbentur. Nec praelati superiores suas litteras concedant, donec illis constet de sufficientiâ, vitâ, moribus et aetate. Nullus diaconatus aut subdiaconatus gradum recipiat, quin duos annos integros professionis habeat, nec presbyteratum ante elapsum integrum triennium a professione.

ii. In dioecesi propriâ, ubi est conventus, recipiant ordines religiosi nostri; si ibi non conferantur, poterunt aliam adire dioecesim, non distantem tamen a monasterio ultra vigintiquatuor leucas. Qui secus fecerit vel permiserit, poenâ gravi per tres dies puniatur.

iii. Sacerdos primam missam non celebret, quin prius praelato constet tum de ordine recepto per litteras testimoniales ei patefactas, tum etiam de sufficienti novi sacerdotis scientiâ, sacrarum caeremoniarum ad iudicium ipsius praelati et aliorum duorum religiosorum ab eodem designatorum, et quin ulterius per decem dies in exercitiis spiritualibus se se praeparaverit dictus novus sacerdos, qui neutiquam primum sacrum extra proprium coenobium faciat sub poenâ gravis culpae per tres dies.

REGULAE CAPUT XII.

**Omnibus secundis feriis, etc.**

CAPUT XII. — *De suffragiis faciendis pro defunctis.*

§ 1. De suffragiis defunctorum in communi. I. Omnibus secundis feriis ad praescriptum regulae nostrae dicatur missa defunctorum. In conventibus quidem cum cantu, nullumque pro eâ stipendium recipiatur. Missâ autem finitâ, fiat per claustrum processio, prout in manuali. Ubi vero claustrum non fuerit, absolutio canatur in choro.

II. In omnibus conventibus, temporibus a nostro manuali designatis, quatuor fiant anniversaria pro defunctis religiosis, pro captivis, benefactoribus, parentibus, cognatis, confratribus, amicis, pro sepultis in nostris coenobiis, ac denique pro omnibus fidelibus defunctis. In quolibet anniversario dicatur integrum officium defunctorum, et canatur solemniter missa de requiem, fiatque processio per claustrum, et ubi non fuerit, cantetur absolutio in ecclesiâ: idemque prorsus fiat in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum.

§ 2. De suffragiis pro nostris religiosis defunctis et pro aliis. I. Quando aliquis religiosus e vitâ decesserit, devote ac solemniter sepeliatur, servato officio sepulturae in nostro manuali assignato; et superior conventus, seu collegii, in quo frater obiit, scribat suo superiori generali, provincialibus et ministris totius suae familiae, atque chronistis, generali atque provinciali provinciae suae, referens domum, in qua mortuus fuit, tempus, et causam mortis, nomen, patriam, aetatem, professionis tempus, et exercitia, seu officia, quae defunctus habuerit, et virtutes, in quibus specialiter respleuduerit. Et de defunctis, qui professi fuerant ante confirmationem constitutionum factam die x decembris anni MDCCXXXIII, superior generalis statim illius mortem denunciet superiori generali alterius familiae, ut iste ceteris provincialibus notam faciat, ut et illi intra suam familiam, et unusquisque intra provinciam suam omnibus conventibus et collegiis idem denuntient, ut iusta sine morâ persolvant, et ministri de receptione istarum litterarum provinciales suos moneant. Et in archivio nostrorum Matritensis Romanique S. Caroli conventuum una ex dictis litteris cuiuslibet defuncti servetur, ut, si forte dignus sit, de illo in chronicis commemoratio fiat.

II. In collegio seu conventu, in quo obiit religiosus, praeter vigiliam, quae cantatur in officio sepulturae, integrum officium defunctorum recitetur, et tres missae de requiem cum suis responsoriis in ecclesiâ canantur, et praeterea novem sine cantu dicantur. Cum illae tres cantantur, in medio capellae maioris sit tumulus altitudinis palmorum quinque panno nigro coopertus, et supra ipsum habitus Ordinis.

III. Singuli sacerdotes conventus seu collegii pro religioso ibidem defuncto tres missas privatas celebrent, et post quamlibet recitent responsorium in tumulo. Singuli quoque fratres ad chorum deputati tria integra defunctorum officia, et laici tria integra rosaria recitent, et in ipsâ die mortis vel sequenti Eucharistiam sacram recipiant pro defuncti animâ, ac insuper pro illâ duas alia offerant communiones.

IV. Et quia futuris temporibus suffragia pro nostris religiosis defunctis solum fieri debent intra familiam eorum, et non in toto Ordine, nisi pro illis, qui ante constitutionum confirmationem professi fuerant, ut supra dictum est: quilibet conventus et collegium illius familiae pro animâ cuiuslibet religiosi defuncti integrum officium defunctorum recitet et missam unam cantet, ac responsorium circa tumulum, ut dictum est. Praeterea singuli sacerdotes duas missas privatas dicant cum responsoriis. Fratres ad chorum deputati, duo integra officia defunctorum, et laici duo integra rosaria, et in die, quo notitia mortis pervenerit, vel in sequenti, omnes praedicti fratres simul sacram communionem pro defuncti animâ recipiant, illamque pro illâ offerant.

V. Si vitâ functus fuerit minister generalis vel vicarius generalis Ordinis, in toto Ordine; si vero commissarius generalis vel vicecommissarius generalis, solum intra familiam suam; si provincialis vel vicarius

provincialis, solum in suâ provinciâ; si minister, in suo conventu sive collegio duplicentur missarum sacrificia, officia choristarum et rosaria laicorum. Si autem fuerit definitor generalis actualis Ordinis, vel qui antea munus ministri generalis vel vicarii generalis expleverat, in toto Ordine; si definitor generalis actualis familiae, vel qui munus commissarii generalis vel vicecommissarii generalis ante expleverat, solum intra suam familiam; si vero fuerit definitor provincialis actualis, vel munus ministri provincialis vel vicarii provincialis expleverat antea, solum intra suam provinciam omnes sacerdotes missam unam, fratres ad chorum deputati unum officium, et laici unum rosarium recitent, ultra id quod pro particulari religioso recitare tenentur. Praeterea si defunctus fuerat aliquando definitor generalis Ordinis, vel familiae, vel actualis procurator generalis Ordinis vel familiae in Curiâ Romanâ, sive Hispaniae in curiâ regiâ, vel redemptor captivorum, vel procurator provinciae, tunc respective, vel in toto Ordine, si pro eo, si pro eâ, in suâ tantum familiâ, vel solum in provinciâ suâ, quando pro illâ ultimo officium exercuit: pro his omnibus et animabus eorum quilibet conventus seu collegium in communi recitet integrum officium defunctorum et unam missam de requiem cantet, atque qui non fuerint sacerdotes, unam communionem efferant, ultra praefata pro aliis.

vi. Si defunctus fuerit novitius vel donatus, recitetur pro eo integrum officium defunctorum, et cantetur una missa in conventu in quo obiit, et quilibet illius sacerdos unam missam privatam, choristae unum integrum officium, et laici unum rosarium integrum pro eius animâ recitent.

vii. Ad hoc ut de istarum constitutionum adimplemento constet, sit ante chorum tabula, in qua scribantur religiosi, qui decedunt in quolibet triennio, et notetur in illâ dies, in quo iusta illis soluta sunt.

viii. Religiosi nostri semper sepeliantur in claustro, vel alio in loco illis dumtaxat deputato, ac segregato a saecularium sepulturis, et scribantur et signentur fratrum praedictorum[1] sepulturae, maxime illorum qui sanctitatis famâ decesserunt.

ix. Insuper statuimus quod in omnibus conventibus et collegiis nostris, cum notitia sit de obitu Summi Pontificis et domini cardinalis protectoris Ordinis nostri, solemnes fiant exequiae pro illis. Similiter fiant exequiae solemnes pro principe dominanti, et eius consorte, in conventibus et collegiis ditionis suae.

x. Praeterea, dum fuerit notitia de morte parentum vel fratrum alicuius religiosi in eo conventu vel collegio, ubi iste conventualis fuerit, una missa dicatur pro defuncto. Idemque fiat pro habente epistolam nostram confraternitatis in eo conventu vel collegio, cuius religiosos frequentius hospitio excipiebat.

### REGULAE CAPUT XIII.

**Singulis diebus si fieri possit, etc.**

Caput xiii. — *De oratione mentali, lectione, examine conscientiae, et communi flagellatione, et exercitiis spiritualibus.*

i. Singulis diebus in qualibet domo communis fiat ad Deum mentalis oratio per duas horas; una diluculo, in conventibus quidem, a die primâ martii usque ad ultimam septembris, ab horâ quintâ usque ad horam sextam, et a die primâ octobris usque ad ultimam februarii, ab horâ sextâ usque ad septimam; altera vero tempore vespertino, semper a quintâ usque ad sextam horam. Insuper post finitum matutinum et coronam Virginis Mariae, quae post illud immediate recitatur, reliquum temporis usque ad secundam noctis horam in orationem impendatur. Quod si quis absque licentiâ ab oratione mentali abfuerit, comedat in terrâ, sine capitio, idem quod ceteri, excepto pisce, vel quod eius vice ministratur.

ii. Ne autem fervor spiritus tepescat, imo exercitium orationis augeatur, praecipimus nostros religiosos singulis diebus saltem per dimidiam horam immediatam ante orationem vespertinam librorum spiritualium incumbere lectioni.

1 Videtur deesse *nomina* (R. T.).

III. Omnes in communi bis in die, nempe immediate ante prandium et post antiphonam *Benedicta*, conscientiae faciant examen per spatium fere octavae partis horae. Qui autem communitati tunc adesse nequivit, ubicumque fuerit, eâdem horâ faciat examen.

IV. Omnibus feriis secundis, quartis et sextis totius anni post Completorium, vel post examen nocturnum, communis fiat flagellatio, et tamdiu duret, quamdiu cantetur psalmus *Miserere* cum antiphonae versibus et orationibus in nostro caeremoniali assignatis. Excipiuntur vigilia et dies Nativitatis Domini cum tribus immediate sequentibus, dies enim [1] vespertinus et dies ipse Circumcisionis, necnon vigilia et dies ipsa Epiphaniae, dies vespertini et dies ipsi sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, ac denique feria secunda Paschae, feria secunda Pentecostes, et utraque feria quarta ante Ascensionem scilicet et festum Corporis Christi. Si autem in supradictis feriis venerit solemne festum, poterit in antecedenti, vel sequenti die, vel in ipso festo post matutinum fieri flagellatio. Quae quidem fiat in omnibus feriis maioris hebdomadae, itaut feriâ IV, V et VI psalmus *Miserere* ter cantetur in qualibet disciplinâ, cum ℣. *Christus factus est pro nobis, etc.*, et oratione *Respice*, ut in officio illorum dierum, fiatque post matutinum.

V. Praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, omnibus religiosis tam praelatis quam subditis, quod singulis annis faciant per decem dies exercitia spiritualia in cellis suis, vel in alio loco separato ad id destinato, modo et formâ in Ordinis instructione praescriptis. Quo tempore cum communitate solum intersint matutino, primae, completorio, orationi mentali, examini conscientiae, disciplinae et refectorio, iuxta prudentem instructionis dispositionem. Huiusmodi autem exercitia ita fieri debent ut medietas totius communitatis insimul et primo faciat, et postea immediate altera medietas, nisi, attento religiosorum numero, minister in tres partes suam communitatem iudicet dividendam. Tempus vero, in quo fieri debent exercitia, erit ab instructione praescriptum.

1 Videtur legendum *etiam* (R. T.).

REGULAE CAPUT XIV.

**Singulis quoque noctibus pro statu et pace S. R. E, etc.**

CAPUT XIV. — *De sacrificiis et orationibus faciendis pro exaltatione sanctae catholicae fidei, pace inter principes christianos, captivis, benefactoribus et reliquis Ecclesiae necessitatibus.*

I. Stricte praecipimus omnibus nostris religiosis, quod in suis sacrificiis, orationibus, communionibus et aliis bonis operibus, tam in communi quam in particulari exercendis, Deum orent pro exaltatione sanctae catholicae fidei et pace S. R. E., pro Summo Pontifice, nostris regibus et principibus, pro domino cardinali protectore nostri Ordinis, pro eiusdem Ordinis conservatione et augmento spirituali, pro benefactoribus et captivis christianis, et his pro quibus universalis Ecclesia consuevit orare. Specialiter autem pro fine isto sequentia fiant.

II. Singulis noctibus, antequam ad somnum capiendum religiosi se conferant, omnes simul in ecclesiâ vel in choro magnâ devotione recitent antiphonam SS. Trinitatis *Benedicta sit sancta, etc.*, cum ℣ et oratione, prout in nostro manuali; et finito conscientiae examine, recitent similiter litaniam lauretanam sanctissimae Dei Parentis, prout in eodem manuali: et qui legitimâ impeditus causâ interesse ei non potuerit, illam privatim recitet.

III. In omnibus domibus, non collegiis, sabbatis totius anni cantetur missa B. Virginis Mariae, illis exceptis in quibus occurrerit alia missa canenda ex designatis cap. XI, § 1, num. VI, necnon vigiliâ Nativitatis Domini, octavis privilegiatis, sabbato infra octavam Corporis Christi, et sabbato in quo celebrari incipit capitulum nostrum generale vel provinciale. Si autem in alio aliquo sabbato occurrerit obligatio canendi alias missas pro dotatione, aliove titulo, sive gratuito, sive oneroso, non ideo omittenda est praedicta missa SS. Virginis, pro qua (nisi fuerit dotata) stipendium non recipiatur. Praeterea in omnibus conventibus et

collegiis cantetur solemniter *Salve Regina* sabbatis totius anni, et diebus vespertinis festivitatum B. Mariae Virginis et Ordinis simul. Qui vero sine licentiâ dictae missae vel antiphonae non interfuerit, semel in terrâ comedat sine capitio.

REGULAE CAPUT XV.

**Ieiunent ab idibus septembris, etc**

CAPUT XV. — *De ieiuniis.*

I. Praeter ieiunia in regulâ nostrâ praecepta, ieiunent etiam religiosi nostri omnibus feriis sextis totius anni, necnon in diebus vespertinis SS. Sacramenti, B. Mariae Virginis, et sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, ac in die S. Marci Evangelistae, et feriâ II, III, IV immediatâ ad festum Ascensionis Domini, nisi solemnis festivitas intervenerit. Per solemnes autem intelligimus festivitates nostri Ordinis (inter quae festum titularis familiae in familiâ, provinciae in provinciâ, et domûs in domo), festa B. Virginis Mariae, et quae ad colendum pronunciantur. Ieiunium vero feriae sextae maioris hebdomadae erit in pane et aquâ tantum.

II. In ieiuniis Ecclesiae pro serotinâ refetiunculâ ministretur frustulum panis et pomum aliquod, vel quid simile. In ieiuniis vero Ordinis cum pane nonnulla praebeantur, ut moris est, ita ut forma ieiunii non excedatur.

REGULAE CAPUT XVI.

**Carnibus vesci liceat tantum in dominicis diebus, etc.**

CAPUT XVI. — *De abstinentiâ a carnibus.*

I. Si quis religiosus, absque licentiâ et causâ, in diebus per regulam nostram prohibitis id ederit [1] quod Ecclesia in die veneris manducari prohibet, pro primâ vice ieiunet semel in pane et aquâ tantum, pro secundâ vero circularem recipiat flagellationem. Quod si fuerit praelatus, severe puniatur ad arbitrium sui superioris; et si comederit coram saecularibus, per decem dies exercitia faciat spiritualia. Superior item, qui sine necessitate praebuerit darive permiserit carnes toti magnaeve parti communitatis, suspendatur ab officio per duos menses.

II. Ad maiorem vero observantiam sanctae nostrae regulae, praecipimus in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis nostris religiosis, ne comedant extra domos nostrae religionis in locis prohibitis per regulam, nec carnes comedant extra domos nostrae religionis in diebus prohibitis per illam, absque licentiâ praelati sui, iuxta tenorem regulae ipsius. Quod autem dicitur in regulâ, cap. XIX incipiente *In civitatibus, in villis, sive castellis*, intelligatur domus in oppido, villâve aut civitate, quando per mille passus non distat ab eis; si autem sit extra praedefinitum spatium, non erit contra praeceptum nec adhuc vesci carnibus in diebus prohibitis per regulam, praehabitâ licentiâ praelati. Si aliquis in morbum inciderit sufficientem ut carnibus vesci liceat ei in die veneris, distansque fuerit a conventu, itaut non possit facile obtinere licentiam a praelato, eis vesci poterit virtute huius constitutionis.

III. Nullus religiosus, quamvis imbecillem habeat valetudinem et frequentes indispositiones, carnem comedat, vel linteo utatur, absque licentiâ sui ministri, qui eam concedet, mature perpensâ necessitate, et pro tempore durationis illius.

IV. Ministri curent et charitate hortentur religiosos, qui pro infirmâ valetudine carnibus vescuntur, ut ab his pro aliquo tempore se abstineant. Experientiâ namque compertum est, quamplures fere a salute desperatos, recuperasse illam, vitae communi se conformantes, et in Domino fiducialiter sperantes.

REGULAE CAPUT XVII.

**Possint emere ad suum victum, etc.**

CAPUT XVII. — *De cibo et honestâ fratrum recreatione.*

I. Superiores suppeditent necessaria de victu religiosis iuxta indigentiam ipsorum; quod si propter negligentiam, vel domus paupertatem, non provideant, fratres tamquam veri Christi discipuli patienter ferant; § 1. De cibo nostrorum religiosorum.

1 Edit. Main. legit *edideril* pro *ederit* (R.T.).

attamen, si necessitas postulaverit, humiliter illos moneant; quod si adhuc non subvenerit [1], liceat eis provinciali denunciare, qui praelatos convictos puniat.

II. Omnes in refectorium ad primam mensam conveniant. In illo mantilia non sint, sed pro singulis fratribus singulae parvae mappae: patinae, scutellae, paterae, et similia alba non sint, nisi tantum pro infirmis.

III. Omni tempore in quantitate cibi servetur uniformitas, nec superior unquam variationem quoad hoc permittat, exceptis magnis festivitatibus, in quibus extraordinaria, prout moris est, ministrabuntur; mos enim et consuetudo in instructione reperitur expressa.

IV. In refectorio semper meridie et sero lectio habeatur spiritualis, servatâ ceremonialis nostri dispositione.

V. In omnibns conventibus et collegiis prandium fiat post undecimam horam; quando vero ieiunatur ex Ecclesiae praecepto, post undecimam et dimidiam fiat. Coena sive refectiuncula nunquam sit ante completorium.

VI. Extra communitatem nemo comedat vel bibat absque expressâ superioris licentiâ.

VII. In refectoriis nostris non admittantur saeculares, nisi raro benefactores vel personae graves. Idque praesertim vitari debet in festis solemnibus, professionibus et primis sacris.

§ 2. De honestâ fratrum recreatione.

I. In conventibus nostris omnes fratres simul in loco uno semper post prandium per unam horam recreationem habeant, exceptis feriis maioris hebdomadae, et insuper aliam horam post coenam seu vespertinam refectionem, a Paschate usque ad ultimam diem septembris, ac in festivitatibus solemnibus totius anni, et a vigiliâ Nativitatis usque ad Epiphaniam, atque in feriâ secundâ et tertiâ post dominicam Quinquagesimae, necnon quando ex instructione fuerit statuta recreatio. Attamen novitii et recens professi, qua die sacrâ communione refecti fuerint, post prandium non recreentur. Et tam ipsi quam philophiae scholastici cum suis magistris semper habeant recreationem disiunctim a conventualibus.

1 Videtur legendum *subvenerint* (R. T.).

II. In recreationibus omnes cum modestiâ et honestâ gravitate se gerant; legatur ibi res aliqua spiritualis, vel de illâ agatur, et saltem de rebus indifferentibus; non vero de genealogiis, stirpibus, nationibus, patriis, nuntiis et rumoribus inutilibus ad aedificationem et profectum animarum; verbaque iocosa, faceta, detractoria non dicant, nec contentiones habeant. Ut autem supradicta observentur, superior recreationibus adesse curet, et huic constitutioni contraveniens flagellatione puniatur.

III. Quando recreationis gratiâ religiosi e conventu exierint, maneant intra illum qui eius obligationibus satisfacere valeant. Si recreationes extraordinariae extra conventum fuerint, in aliquâ villâ seu suburbanâ domo, vel praedio, praelatus designet terminum, ad quem religiosi accedere possint, et quem non trasgrediantur absque expressâ ibidem praesidentis licentiâ.

IV. Nullo tempore religiosi nostri comoedias, aliosve actus, tametsi spirituales, agant, nec praelati ab eis agi permittant, nec pro quovis alio ludo et oblectatione vestes saecularium de foris portent, nec propriis non dentur. Qui autem contravenerit vel contravenire permiserit, a provinciali severe puniatur. A vigiliâ vero Nativitatis usque ad Epiphaniam dumtaxat poterunt nostri musicis uti instrumentis.

V. Nullus unquam procuret nec permittat quod in nostris ecclesiis repraesentationes etiam omnino spirituales fiant; qui secus fecerit, gravi poenâ ad arbitrium provincialis puniatur.

### REGULAE CAPUT XVIII.

**Vinum sumendum a fratribus, etc.**

CAPUT XVIII. — *De sobrietate servandâ.*

I. A religiosis, praesertim discalceatis, valde aliena est intemperantia et ebrietas: propterea que quilibet in hac materiâ defectus magnopere reprehendi et puniri debet. Quare si quis (quod Deus avertat) ebrius aliquando deprehensus fuerit, si acciderit sine scandalo, poenâ culpae gravis puniatur per sex dies; si cum scandalo, sit incarceratus per tres menses, et privatus loco et

voce per unum annum. Quod si fuerit laicus, habito fusci coloris induatur, si cum scandalo, per unum annum, si absque illo, per quatuor menses.

REGULAE CAPUT XIX.

**In civitatibus, in villis, sive castellis, etc.**

Caput xix. — *De abstinentiâ a cibo et a potu servandâ a religiosis extra conventum, in oppidis ubi illum habemus.*

i. Qui in loco, ubi est coenobium nostri Ordinis, extra illud comederit vel hospitatus fuerit, incarceretur per quindecim dies: si pernoctaverit, suspensus sit ab officio, voce et loco per sex menses; si biduo pernoctaverit, ultra dictam poenam, incarceratus existat per dies viginti; quod si amplius perduraverit, augeatur poena, attentâ gravitate culpae et transgressione regulae.

REGULAE CAPUT XX.

**Nunquam in tabernis, etc.**

Captt xx. — *De locis in quibus religiosi hospites non esse tenentur.*

i. Regula dirigit omnes nostras actiones ad honestatem maioremque perfectionem; ideo maximo iure praecipit, ne habitemus, comedamus vel bibamus in tabernis, cauponibus et huiusmodi locis minus honestis, et contravenientes subiicit poenae culpae gravis ad arbitrium ministri. Quod praecipimus stricte observari.

REGULAE CAPUT XXI.

**Talis sit charitas inter fratres clericos et laicos, etc,**

Caput xxi. — *De vitâ aequali et de communi, ac de consensu fratrum.*

§ 1. De vitâ communi et aequali.

i. Æqualitas est parium et imparium ordo; ordo enim horum est aequalitas: nec contrarium praecipit regula, quippe solum praescribit aequalitatem inter clericos et laicos, et hanc circa victum, mensam et vestitum. Scire enim debent religiosi, quod non erit ordo, sed confusio, quando inferiores eriguntur animo ut sint sicut superiores, et iuvenes sicut senes, quia hoc est superbiae vitium, loco virtutis humilitatis, qua superiores deprimi debent, ut et ipsi videantur inferiores. Observent enim omnes aequalitatem praeceptam a nostrâ regulâ, et non illâ abutantur. Qui vero absque superioris licentiâ dederit aut receperit cibum alium et diversum in quantitate, qualitate et condimento ab eo qui in communi ceteris ministratur, puniatur iuxta qualitatem culpae.

ii. Nullus religiosus alium ex nostris etiam ministrum generalem titulo appellet reverendissimi aut paternitatis, sed sacerdotes omnes nominentur patres et reverentiae, et non sacerdotes fratres et charitates. Ratione tamen submissionis et reverentiae debitae superioribus, omnes religiosi in toto Ordine cum sermonem[1] agunt de patre ministro generali vicarioque generali Ordinis, necnon de praedecessoribus in eodem munere, aut de definitoribus generalibus Ordinis, dicant noster pater, eodemque pronomine *noster* decorentur intra suam familiam commissarius aut vicecommissarius actualis, eorum praedecessores, atque etiam definitores generales actuales eiusdem, similiter provincialis actualis et actuales definitores provinciales ab omnibus suae provinciae, et minister a subditis sui conventus seu collegii. Nec ideo aliquis eo pronomine utatur si loquatur de tertio cum superiore utriusque.

iii. Titulus doctoris, magistri et huiusmodi nulli nostrorum praestetur, tametsi ante ingressum in religionem illo gradu et titulo frueretur, nec, illius intuitu, aliquis immunitate libertateque in Ordine nostro gaudeat.

iv. Nullus inter nostros conservet aliquod cognomen, aut eo utatur, sui generis quod habebat in saeculo, nec a loco suae nativitatis accipiat pronomen: omnes enim a suâ professione eligere debent mysterium[2] aut sancti alicuius cognomen, sub cuius tutelâ et patrocinio recipiantur in Ordine, et postea sub eo cognomine dignoscantur.

§ 2. De consessu inter fratres servando.

i. Decernimus quod pater minister generalis vel vicarius generalis habeat primum locum et sedem in totâ religione: superior generalis familiae, absente superiore gene-

1 Ed. M. legit *sermone* pro *sermonem* (R. T.).
2 Forsan *mysterii* (R. T.).

rali Ordinis, in totâ suâ familiâ: pater minister vel vicarius provincialis in suâ provinciâ, absentibus his duobus superioribus generalibus: et his tribus absentibus, minister in suo conventu vel collegio. Deinde volumus quod observetur hic ordo: Pater commissarius vel vicecommissarius generalis, intra suam familiam, post ministrum vel vicarium generalem; et extra illam, post definitores generales Ordinis: postea definitores generales Ordinis in toto Ordine post ministrum domus, extra suum definitorium, et sicut[1] intra illud, quamvis aliud definitorium, sive generale familiae, sive provinciale, actu celebretur in domo: definitores generales familiae extra actualem definitorii celebrationem intra suam familiam sedeant post ministrum sicut definitores generales Ordinis, et extra suam familiam omnes alios hospites tam ministros quam provinciales praecedant: definitores provinciales in suâ provinciâ, deinde definitores generales familiae hospites, provinciales hospites intra suam familiam, et similiter definitores provinciales hospites, iuxta antiquitatem suarum provinciarum, praecedant provinciales et definitores provinciales alterius familiae, qui extra propriam familiam[2] antiquitatem suarum provinciarum servabunt, ministri hospites intra et extra suam provinciam iuxta antiquitatem suarum domorum, procurator generalis Ordinis in Romanâ Curiâ et Hispaniae in regiâ, redemptor provinciae, procurator generalis familiae, redemptores hospites iuxta antiquitatem suarum provinciarum, nisi inter illos fuerit statuta subordinatio: procurator provinciae, procurator generalis familiae, hospites patres vicarii in domibus suis, patres vicarii hospites, iuxta antiquitatem suarum: domorum patres procuratores provinciae hospites iuxta antiquitatem suarum provinciarum, et qui fuerit plurium provinciarum praecedat alios: patres sacerdotes professi, qui fuerint confessarii, sive conventuales, sive hospites sint, praecedere debent, intra et extra familiam, provinciam aut domum suam, omnes alios non confessores, si professi fuerint a die XXXI martii anni MDCCXXXIV, ut decretum fuit post constitutionem anno praecedenti confirmatam a capitulo generali: post praedictos confessarios sequuntur sacerdotes simplices professi, iuxta antiquitatem suarum professionum; fratres diaconi professi, iuxta antiquitatem professionis; fratres subdiaconi professi, iuxta antiquitatem professionis; fratres professi choristae, iuxta antiquitatem professionis; novitii sacerdotes, iuxta antiquitatem habitus; fratres laici professi, iuxta antiquitatem professionis; novitii choristae, iuxta antiquitatem habitus; novitii laici, iuxta antiquitatem habitus.

II. Tempore capituli vel definitorii patres definitores et capitulares locum habebunt et sedem infra[1] designatam cap. XXXIX, § 3, num. III; ac similiter in domibus, in quibus adfuerit superior immediatus illorum. Patres visitatores, dum tali munere funguntur, praesideant, et praecedant omnes alios ab ipsis visitandos.

III. Nullus praesidentiam vel loci praecedentiam habeat, eo quod in religione functus fuerit aliquo officio, etiam generalatu.

IV. Quando in itinere fuerint, praesidentiam et graduationem num. I assignatam observent, nisi iustâ[2] de causâ praelatus aliquem minus antiquum in praesidentem designet.

REGULAE CAPUT XXII.

**Infirmi seorsum dormiant et comedant, etc**

CAPUT XXII. — *De charitate erga infirmos.*

I. Superior conventus praesto sit infirmis, provideatque de omnibus necessariis pro ipsorum medelâ et curatione, quin paupertate conventus excusari velit, quamvis vera sit paupertas, [3] renunciare debeat officium; alioquin, facto a provinciali processu, privatus sit a definitorio generali suo, ut sollicitior alius, loco illius, subrogetur. Superior vero non permittat, quod extra conventum cibus condiatur, nisi in aliquâ gravi infir-

1 Forsan *sive;* ceterum haec et sequentia dimittimus lectori scio (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *familiae* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *intra* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *iuxta* (R. T.).

3 Aliquid deesse videtur ex. g. *vel* (R. T.).

mitate, et aliquo condimento a nostris ignoto. Quod si defectus in aliquâ re acciderit, hortamur aegrotos, ut tamquam pauperes patienter ferant.

II. Quotidie superior visitet infirmos, et curet tempore apto illis sacramenta ministrari. Quod si suâ negligentiâ absque Poenitentiâ, Viatico, vel Extremâ Unctione aliquis decesserit, suspensus sit ab officio per unum annum, vel augeatur poena arbitrio provincialis iuxta culpam ; et infirmarii, si quam culpam habuerint, iuxta illius gravitatem mulctentur. Curet insuper praelatus quod aegroti semel saltem in hebdomadâ (dum infirmitatis accidentia non impedierint) caelesti reficiantur pane, et quod in Paschate pro adimpletione praecepti ecclesiastici sacra Eucharistia solemniter ministretur non valentibus surgere a lecto, prout in nostro manuali.

III. In quocumque conventu vel collegio quis aegrotaverit, quamvis sit hospes, curetur, donec salutem recuperet, nisi iustâ [1] de causâ provincialis illum mittat in aliam domum, et conventuales illum cum charitate recipiant, ac de necessariis provideant sicut ceteris conventualibus.

IV. Si propter infirmorum frequentiam conventus aliquis in egestatem devenerit, factâ, cum licentiâ superioris generalis, aliquâ per conventus contributione [2].

V. Nullus aegrotus ex nostris curetur extra conventum, etiam in domo parentum suorum, nisi casu quo morbus ita sit gravis quod ab illo aliter [3] non posse evadere prudenter iudicetur, et tunc quidem fiat cum licentiâ in scriptis patris provincialis, et in oppido in quibus coenobium nostrum non est.

VI. Balnea medicinalia nullus intret aegrotus absque patris provincialis licentiâ in scriptis, sub poenâ privationis vocis et loci.

VII. Sine expressâ licentiâ sui praelati nemo medicum consulat, nec medicinis utatur sub poenâ gravis culpae.

1 Edit. Main. legit *iuxta* (R. T.).

2 Aliquod deest, exempli gratiâ *adiuvetur* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *alter* pro *aliter* (R. T.).

VIII. Liceat infirmis cum praelati benedictione uti tibialibus et pedalibus, vel aliquâ aliâ re ex sago albo, vel simili materiâ, ut se protegant et foveant, dummodo nisi in agrum de domo non exeant, nec saecularium domos antea vel postea ingredi praesumant, sub poenâ reclusionis intra conventum per integrum annum.

REGULAE CAPUT XXIII.

**Si qui religiosi ad hospitandum devenerint, etc.**

CAPUT XXIII. — *De charitate exercendâ cum hospitibus religiosis ac saecularibus.*

§ 1. De hospitibus religiosis.

I. Superiores benevole recipiant hospites nostri Ordinis, et necessaria illis suppeditent, sub poenâ culpae gravis. Ceteri religiosi familiariter cum illis agant, a primâque nocte ipsorum pedes laventur; ac simili charitate et benevolentiâ recipiatur quilibet alterius Ordinis religiosus, qui ad hospitandum in domos nostras advenerit.

II. Hospites nostri Ordinis, transactâ primâ die, choro et aliis functionibus communitatis assistant, nisi forte, propter prolixitatem itineris, superior longiorem illis requiem concedat.

III. Si ultra quatuor dies in conventu remorentur, pecunias, si quas habent, superiori tradant, ut in trium clavium arcâ custodiantur, alioquin poenae culpae gravis per tres dies subiaceant ; et superior illas integre restituat, sub poenâ suspensionis ab officio per mensem unum.

IV. Statim ac hospites ad conventum accesserint, ministro declarent quid curae et negocii habeant, et absque illius licentiâ (quamvis conventuales vel provinciales vel definitores alicuius provinciae sint) non egrediantur e conventu, obediantque, sicut conventuales, ordinationibus et praeceptis ipsius praelati, nisi hospes sit superior generalis vel definitor generalis alterius familiae, qui tamquam definitores generales Ordinis habendi sunt circa haec.

V. Transactis duobus diebus, hospites missas celebrent pro intentione et obligatione conventus vel collegii illius in quo hospitantur. Si tamen venerint ut conventuales, a primo die pro illo sacra faciant.

§ 2. De hospitibus saecularibus.

I. Etiam saeculares benevole et charitative recipiantur; non tamen in communi dormitorio, sed in loco separato hospitentur.

II. Non permittantur saeculares intrare cellas et officinas conventus, quamvis illius famuli sint; bene tamen aliqua persona gravis, sed rarò, et cum superioris licentiâ et religioso comitante. Delinquentes autem, qui ad nos confugerint, solum permittantur per tres dies.

REGULAE CAPUT XXIV.

**Nullus frater laicus sive clericus, etc.**

Caput XXIV. — *De otiositate a nostris fugiendâ.*

I. Nullus religiosus (sicut praecipit regula) sit sine proprio officio, iuxta prudentem praelati dispositionem.

II. Officia in communi tabulâ singulis hebdomadis aequaliter distribuantur, et imponantur omnibus religiosis tam praelatis quam subditis, et iuxta vires et occupationes uniuscuiusque, prout in nostro caeremoniali disponitur; et sacerdotibus, qui iam triginta et octo annos ab habitu recepto expleverint, solum imponatur humilitatis officium; nec insuper fratres laici, qui eosdem triginta octo annos habitus compleverunt, vel si coquinae, vel pulsatoris ad matutinum et mane ad orationem aurorae officia laudabiliter exercuerint, unumquodque per duodecim annos integros et continuos aut saltem per breve tempus discontinuatos, immediatos tamen post professionem, cogantur pulsare mediâ nocte ad matutinum, nec mane ad orationem aurorae, nec ad coquinam destinentur. Et praecipimus patribus ministris, quod solis his hoc modo exemptis, et aliàs aptis, onus committant postulandi eleemosynas ostiatim. Et similiter praecipimus patribus provincialibus quod tantum hos iam sic exemptos, et non alios, licet aptiores, ad procurationem redemptionis, sacristiae officium, administrationem laborum agri, vel alia huiusmodi, eligant aut designent, nec eligere permittant. Praeterea fratres laici, qui per sex annos, post illos duodecim, officiorum administratoris, procuratoris redemptionis, eleemosynarii, aut sacristae exercitium laudabiliter compleverint, praeter humilitatis officium aliud illis in communi tabulâ non imponatur ulterius.

III. Praedictae tabulae officia cum magnâ curâ fratres adimpleant. Quod si quis urgenti causâ adimplere quandoque non valuerit, superiorem tempore apto moneat ut alium substituat, sub poenâ disciplinae non monenti.

REGULAE CAPUT XXV.

**Silentium observent semper in ecclesiâ suâ, etc**

Caput XXV. — *De silentio, clausurâ, et modo servando in exitu a conventu.*

I. Praeter loca in quibus regula nostra praecipit semper observare silentium, etiam inviolabiliter servetur in sacristiâ et claustro, et insuper in omni loco servetur facto signo post prandium ut religiosi ad cellas se conferant usque ad vesperas, vel aliud simile signum, necnon ab examine conscientiae nocturno usque ad Primam diei sequentis. Licebit tamen eis cum superiore his temporibus loqui super aliquo quod differri non possit. § 1. De silentio.

II. Praecipimus singulis religiosis nostris, quod nec inter se, nec cum saecularibus unquam deambulent, nec confabulentur in claustro. Si cui opus fuerit alterum alloqui, id faciat in aulâ, sive loco ad id destinato a superiore, cum illius licentiâ.

III. Omnes religiosi mutuo se honore afficiant; non tamen hoc fiat urbanitatibus alienis ab humilitate discalceatorum.

I. Singuli religiosi in singulis seorsim habitent cellis, a quibus non exeant sine urgenti necessitate, vel ad chorum, idque praesertim observetur temporibus silentii. § 2. De clausurâ.

II. Nullus alterius cellam (etiam superioris, absente ipso) ingrediatur, sub poenâ comedendi semel super terram. Quod si privatim cellam de nocte intraverit, privatus sit voce et loco per mensem; si autem in aliquo conventu defectus erga hoc reperiatur, superior, ad illum vitandum, praeceptum imponat et maiorem poenam.

III. Nullus ab alterius cellâ extrahat codi-

ces, libros vel rem aliam, sine licentiâ superioris, qui contravenientem severe puniatur [1].

IV. Laudabilis nostri Ordinis consuetudo observetur, nempe in nocte post litaniam lauretanam pulsentur tabellae in dormitoriis, et dicatur sententia spiritualis, cuius meditatione religiosi in cellas lectulosque se conferant, ac intra quadrantem horae lucem extinguant; qui intra illud spatium non extinxerit, pronus in terram die sequenti comedat.

V. Superiores, per se, vel per suum vicarium, quando expedire viderint, cellas nocturno tempore visitent; clausuram vero singulis noctibus, portas iterum obserando magistrâ clavi, quam semper apud se retineant. Qui autem negligens in debitâ clausurâ observandâ fuerit, suspensus sit ab officio per tres menses.

VI. Quando solitae processiones per nostra fiunt claustra, non permittatur ingressus mulierum in illa. Qui secus fecerit, graviter ad arbitrium provincialis puniatur.

§ 3. De egressu fratrum e conventu.

I. Superiores, redemptores captivorum, procuratores, eleemosynarum quaestores, vel loco procuratoris conventûs alius religiosus, cum suis sociis, poterunt dumtaxat ad oppidum exire; et praedicatores similiter ad concionandum, et confessarii ad audiendas confessiones. Quod si in aliquo conventu fuerint plures hospites et negotia, poterunt alii egredi cum licentiâ definitorii. Superior autem huiusmodi constitutioni contraveniens poenâ culpae gravis puniatur. Ipseque ita sit assiduus in domo, quod subditi eius exemplo libenter ferant inclusionem suam. Nec uno eodemque tempore minister et eius vicarius extra coenobium unquam sint.

II. Nullus superior, in locis in quibus sunt conventus nostri, religiosum aliquem, etiam eleemosynae quaestorem, sine socio ad oppidum mittat, sub poenâ culpae gravis, prudenterque se gerat in assignatione sociorum; quos autem designaverit, recipiant subditi absque excusatione, sub poenâ etiam culpae gravis. Qua etiam poenâ afficiantur socii, qui extra monasterium ita separantur, ut mutuo se non videant, praesertim dictae eleemosynae quaestores.

III. Ante horam orationis matutinae a domo nullus exeat absque urgenti necessitate, redeantque omnes ante noctem; contraveniens autem pronus in terram panem et aquam die sequenti comedat. Nec exeant in diebus feriatis, et in illis, quibus saeculares habeant ludos et publicas laetitias, spectacula et similia, exceptâ causâ gravis et ita urgentis negotii, quod differri non valeat. Qui vero absque illâ licentiam diebus praedictis petierit vel concesserit, poenae culpae gravis subiaceat.

IV. Quando religiosi nostri ad oppidum exeunt, in illas tantummodo ingrediantur domos, ad quas expressam licentiam habent, nec negotia suscipiant, nisi a superiore commissa; quod si aliquod occurrerit, in regressu ad conventum praelato exponant. Qui vero parti alicui huius constitutionis contravenerit, poenâ culpae gravis afficiatur, vel maiori, si ratione alicuius circumstantiae culpa augeatur.

V. Egressurus a conventu, obtentâ licentiâ, indutus cappâ, simul cum socio, benedictionem accipiat a praelato, et sanctissimo sacramento breviter orans, idemque faciat in regressu. Tempore autem visitationis actualis, a visitatore benedictionem accipient. Semperque eamdem accipient praelati ab aliis sibi superioribus in eâdem domo existentibus.

VI. Nunquam religiosi nostri simul in communi egrediantur ad funera vel cantanda responsoria, nisi in eis locis in quibus unicus fuerit conventus vel collegium nostri Ordinis, vel ad funera et exequias regum, episcoporum, praelatorum et similium gravium personarum, quando aliae religiones concurrant. In his autem et quibusvis aliis functionibus, singulari modestiâ nostri resplendeant, nec a communitate aliquis unquam separetur, sub poenâ culpae gravis per tres dies.

VII. Hortamur patres ministros, ne permittant ut religiosi, qui pro suâ infirmâ valetudine carnibus vescuntur, lino, sive

1 Potius lege *puniat* (R. T.).

aliâ re nostrae austeritati oppositâ utantur[1], iter faciant, vel a conventu exeant, nisi raro, et iustâ de causâ, vel in agrum, iuxta dicta de charitate erga infirmos num. VIII.

VIII. Nullus religiosus, sub poenâ gravis culpae, e domo egrediatur ad agenda negotia saecularium, etiam suorum parentum; si tamen commode excusari non possit, id liceat ei, obtentâ prius alicuius praelati superioris licentiâ.

REGULAE CAPUT XXVI.

**Iuramenta non faciant, nisi magna necessitas, etc**

CAPUT XXVI. — *De circumstantiis quae concurrere debent pro iuramentis a nostris religiosis faciendis.*

Iuramenta non faciant, nisi magna occurrerit necessitas in causis iustis et honestis, cum licentiâ sui praelati, vel iussi ab aliquo qui id praecipere eis possit. Qui autem absque istis circumstantiis iuraverint, disciplinâ conventuali plectantur.

REGULAE CAPUT XXVII.

**Pignora non accipiant, depositum auri, etc.**

CAPUT XXVII. — *Prohibetur nostris religiosis acceptio pignorum et depositorum.*

Praecipit nostra regula capite isto, ne pignora vel deposita auri, argenti, vel pecuniae a nostris suscipiantur. Quare qui contravenerit, tamquam violator regulae puniatur.

REGULAE CAPUT XXVIII.

**Si quod vitium in re quae venditur, etc.**

CAPUT XXVIII. — *Praecipitur quod defectus rei vendendae manifestetur emptori.*

Religiosi nostri veritatis et iustitiae amatores esse debent; ideo manifestent emptori vitium, si aliquod notum ipsis fuerit, in re quam vendere volunt, sub poenâ gravis culpae infligendae non indicanti.

REGULAE CAPUT XXIX.

**Capitulum si fieri possit singulis dominicis diebus, etc.**

CAPUT XXIX. — *De capitulo conventuali et consiliaris conventus.*

§ 1. De capitulo conventuali.

I. Nullus nisi sacerdos, et post tres annos a professione, votum habeat in capitulo conventuali.

1 Edit. Main. legit *utuntur* (R. T.).

II. Quando, iuxta nostram regulam et constitutiones, res aliqua a capitulo conventuali decerni debet, superior illam proponat communitati die antecedenti, et in sequenti definiatur per secreta suffragia a praelato et consiliariis regulanda.

III. Ut semper constet quaenam res definitae et determinatae sunt a capitulo conventuali, in quolibet conventu et collegio sit secretarius electus de corpore ipsius capituli, et ab eodem capitulo cum consilio et assensu provincialis; qui quidem secretarius in libro ad id destinato scribat omnia decreta praedicti capituli, approbationes Ordinariorum, et similia; et postquam ea legerit ipsi capitulo, minister et consiliarii subscribant, et ipse quoque secretarius tamquam attestans.

IV. De omnibus actis et determinatis in capitulo semper custodiatur secretum. Si quis vero aliquid revelaverit aliis religiosis non capitularibus vel saecularibus, maxime quando praelatus secretum commendavit, ad arbitrium provincialis privetur voce activâ in capitulo conventuali, iuxta inconvenientia ex revelatione subsequuta.

§ 2. De consiliariis conventuum et eorum officio.

I. In quolibet conventu seu collegio pater provincialis designet quatuor consiliarios, ex quibus duo primi officium exerceant, et in eorum absentiâ alii duo. Et cum actu exercentibus consulat praelatus omnes res ad conventus administrationem pertinentes, exceptis gravioribus maiorisque ponderis: istae enim per maiorem partem capituli conventualis decerni debent.

II. In singulis conventibus et collegiis singulae sint pro custodiendis pecuniis arcae trium clavium, quarum alteram superior, et duas alias consiliarii officium exercentes habeant. Et sine assistentiâ cunctorum trium, neutiquam arca ista aperiatur.

III. In dictâ arcâ sit liber, in quo scribatur omnis pecunia quae recipitur et expenditur, et ex quo procedit. Sit etiam alter liber, in quo clare et distincte scribatur quomodo satisfactum est oneribus missarum, suffragiorum, ceterarumque obligationum perpetuarum et temporalium, quae conventus habet, et qualiter etiam sit satisfactum mis-

sis et suffragiis pro nostris religiosis defunctis. Sit quoque liber alter, in quo scribantur quantitates tritici, ordei, vini, olei, et similium, quae quocumque titulo recipiuntur et in conventu expenduntur. Ac denique sit liber alius pro redemptione captivorum, ut dictum est cap. II, § 1, n. IX, in quo scribantur non solum quae conventus separat pro dictâ redemptione, sed etiam omnia, quae quoquo modo et titulo pro eâ[1] recipiuntur. Et de omnibus in hoc numero dictis, superior et consiliarii in fine cuiusvis mensis rationem conficiant, et in praedictis libris scribant et subscribant. Quod si in hoc fuerint negligentes, severe puniantur ad arbitrium provincialis.

IV. Etiam in quolibet conventu et collegio sit in arcâ trium clavium, seu in archivio, liber magnus nomine *protocollo*, in quo clare et cum distinctione scripta sint et scribantur fundatio et status conventus, obligationes perpetuae missarum, suffragiorum, bona stabilia et immobilia, et census tam in favorem quam contra. Et in eodem protocollo sit quoque index et inventarium omnium scripturarum in favorem conventus, cum notatione loci, temporis et scribae a quo signatae sunt, ac denique in dictâ arcâ vel archivio custodiantur omnes et quaecumque scripturae, instrumenta et inventaria pertinentia ad conventus vel collegii bona.

### REGULAE CAPUT XXX.

**Non solum fratribus, sed et familiae domus, etc.**

CAPUT XXX. — *De capitulo, collatione spirituali, ac exhortatione in diebus dominicis.*

I. Singulis dominicis diebus ante Primam in omnibus conventibus et collegiis capitulum iuxta tenorem regulae in aulâ capitulari fiat, in quo praelatus hortetur religiosos ad observantiam, maioremque perfectionem illorum, culpas corrigat, agatque de receptis ac separatis et separandis pro redemptione captivorum, de statu domus et eius substantiâ, audiatque subditos capitulares quae ad perfectius ipsius conventus vel collegii regimen in ipso capitulo propo-

[1] Vocem *eâ* nos addimus (R. T.).

suerint, et quod expediens videatur, exequi curet. Quibus finitis, si adhuc non sit hora recitandi Primam, reliquo tempore usque ad illam omnes in communi mentaliter orent.

II. Primâ cuiuslibet mensis dominicâ, ante correctionem culparum et ante omnia praedicta num. I, habeant fratres per spatium dimidiae horae collationem spiritualem de aliquo vitio extirpando, seu virtute adipiscendâ, vel de puncto aliquo orationis, et omnes suam sententiam et iudicium pronuncient: ac denique superior brevem erga eamdem rem concionem agat; minister vero, qui per integrum annum praedictam collationem omiserit, inhabilis declaretur, imo vi huius constitutionis tamquam declaratus habeatur, et a provinciali privetur.

III. Insuper, praeter dominicos dies, bis etiam in hebdomadâ advertentiae culparumque correctio in eâdem aulâ capitulari fiat, a Paschate quidem usque ad primam diem octobris, immediate post vesperas; reliquo vero tempore anni post Completorium.

IV. Omnia praedicta tam videlicet collationes et exhortationes, quam culparum correctiones solum fieri possunt a superioribus generalibus, provinciali, ministro, praesidenti vel vicario.

### REGULAE CAPUT XXXI.

**De omnibus rebus et clamoribus, etc.**

CAPUT XXXI. — *De correctione culparum, de earum gravitate et poenis.*

I. Singulis hebdomadis designetur sacerdos, cuius officium sit zelare observantiam, et charitative ac simpliciter proponere in capitulo culpas religiosorum, infra hebdomadam quidem leviores, die vero dominicâ, quae maioris sint ponderis; idemque faciat capituli praeses. Hortamurque zelatorem, quod fideliter et sine personarum acceptione suum adimpleat officium. Ne autem ausui alicui imputetur, sine praeviâ consultatione sui ministri, gravium, seniumque religiosorum culpas, quantumvis leves, non proponat in publico. § 1. De modo animadvertendi culpas in capitulo.

II. Ut sanctae nostri Ordinis consuetudines observentur, superiores, pro culpis levibus,

flagris caedant religiosos, imponantque mortificationes ordinarias et extraordinarias per refectorium in publicâ mensâ faciendas, in quarum exercitio ipsi voluntarie praecedant, ut eorum vestigia subditi libenter sequantur.

III. Hortamur religiosos, quibus in capitulo nulla fuit adscripta culpa, quod ipsimet se accusent pro humilitatis exercitio.

IV. Animadversus aequo animo ferat, et humiliter poenitentiam accipiat absque satisfactione, nisi de aliquo fuerit a praeside interrogatus, et tunc submisse et breviter satisfaciat. Sit tamen iustitia et lenitas in corrigente, et in correcto submissio.

V. Si quis in capitulo suas vel alienas culpas, absque licentiâ excusare et defendere voluerit, statim severe puniatur ad arbitrium praesidis capituli, nisi, prudentiâ dictante, melius videatur punitionem in commodius tempore differre. Nemoque de culpis animadversis conqueratur, sub poenâ ieiunii in pane et aquâ tantum.

§ 2. De gravitate culparum et earum poenis.

I. Non solum generalibus gratiae Dei auxiliis, verum et specialibus religiosi muniuntur; attamen talis est humana fragilitas, ut timere possint lapsus etiam graves, cum in caelo, paradiso et collegio apostolico nonnulli defecerint. Quare prudenter praevidentes designamus omni generi culparum (nempe laevi, mediae, gravi, graviori et gravissimae) sequentes poenas.

II. Culpa levis est errantem in choro, in recitatione vel cantu non statim terram osculari; praesto item non esse actibus communitatis; manducare et bibere absque licentiâ, et his similia. Pro culpis istis infligatur poena nonnihil recitandi, vel faciendi in refectorio aliquam mortificationem ordinariam.

III. Culpa media est minus decenter divinis officiis interesse, frangere aliquod capitulum praeceptivum regulae, de more habere negligenter, et tarde interesse actibus et functionibus communitatis, negligentem quoque esse in adimplendo officio de communi tabulâ, vel in exequendis simplicibus mandatis superiorum, contendere immoderate cum saecularibus, vagari per conventum, res ad ecclesiam pertinentes irreverenter tractare, libros et alia huiusmodi communia negligenter curare. His culpis arbitrio superioris poenae correspondeant.

IV. Culpa gravis est committere quodcumque peccatum mortale absque scandalo. Si alicui ex istis non fuerit in constitutionibus nostris peculiaris poena designata, minister (cui competit gravem culpam iudicare) delinquentem poterit in carcerem coniicere, vel aliam poenam ad arbitrium imponere, attentis qualitatibus culpae.

V. Etiam reducitur ad culpam gravem ludere absque scandalo cartis pictis, taxillis et similibus, sumere absque licentiâ aliquas res communes ab officinis, vel eas quas fratres habent ad usum, dicere aut scribere alteri aliquod opprobrium aut malitiosum verbum, verba quoque inhonesta proferre, aut cum mulieribus immodeste et inverecunde colloqui. Pro his et similibus plectantur rei flagellis in capitulo, et ieiunio in pane et aquâ tantum, vel recludantur in cellis per aliquot dies, post asperam reprehensionem.

VI. Culpa gravior est committere quodcumque peccatum mortale cum scandalo, vel quodcumque peccatum incontinentiae, contumaciae, inobedientiae vel apostasiae etiam sine scandalo. Pro his culpis et unâquaque illarum reus incarcerabitur per tres menses, et privabitur voce et loco per annum, vel in capitulo flagellabitur a praeside et a totâ communitate, et semel ieiunabit in pane et aquâ tantum, ac in cellâ recludetur pro tempore culpae proportionato. Qua poenitentiâ durante nullus reus exerceat officium. Quod si sacerdos fuerit, missam non celebret; si frater ad chorum deputatus, poterit circulus coronae pro tempore carceris ei radi; si vero laicus, indui poterit vestimento fusci coloris. Quas et similes poenas adhibere valebit provincialis pro arbitratu suo, semper tamen proportionatas cum qualitatibus culpae.

VII. Culpa gravissima est committere delictum, cui in iure poena mortis vel triremium inflicta est, v. g. ponere libellos infamatorios, fingere et adulterare subscriptiones vel sigilla superiorum, patrare fa-

cinus aliquod, propter quod delinquens expelli debeat; propter haec a definitorio generali suo gravissime puniantur rei, attentâ delicti qualitate, vel deponantur, ut[1], si iudicibus visum fuerit ex meritis causae, expellantur a religione, servatâ formâ infrascriptâ cap. XXXIII, § 2. Gravissimas enim culpas iudicare definitorio competit.

§ 3 De nonnullis animadvertendis erga dictas poenas.

I. Quando in nostris constitutionibus ponitur poena suspensionis vel privationis (etiamsi inibi dicatur *ipso facto*) non intelligatur ante, sed post sententiam iudicis super facto. Et quando absolute dicitur, quod aliquis careat voce, intelligatur de utrâque, activâ nimirum et passivâ.

II. Si in capitulo dominicali praesens fuerit aliquis sacerdos privatus voce, postquam egressi sint ab illo omnes fratres laici et choristae, praeses corrigat eum, si vel ipse vel zelator aliquam notavit culpam, et statim praefatus e capitulo exeat. Privatus sede seu loco, si sacerdos sit, sedeat post omnes alios sacerdotes, nisi iudex alium inferiorem locum illi designaverit; et, proportione servatâ, similiter fiat cum non sacerdotibus.

III. Quando in nostris constitutionibus designatur poena privationis officii et vocis, si delinquens officium et vocem non habeat, infligatur illi alia proportionata poenitentia.

IV. Suspensi ab officio remaneant in suis propriis domibus, nisi suspendens vel superior generalis alios conventus illis assignet pro tempore suspensionis.

V. Quando pro poenitentiâ imponitur ieiunium in pane et aquâ, poenitens adimpleat in refectorio ad primam mensam pronus in terram, absque mapulâ et capitio.

VI. Volumus quod illi, qui de more habuerint committere culpas leves, puniantur augendo poenam proportionatam culpae, iuxta continuationem in eâ, itaut, dum non resipiscant, semper poena augeatur: et contra vero superior, qui poenitentiam imposuit, poterit prudenter, et attentis circumstantiis, minuere illam eis qui humiliter adimplent et signa emendationis ostendunt.

VII. Culpis illis, quibus constitutiones nostrae poenas non statuunt, superiores pro suo arbitrio imponant proportionatas semper cum delictis et circumstantiis, et ad similitudinem hic designatarum.

VIII. Ad puniendum delicta semper attendantur personae et circumstantiae, ut sic vel augeatur vel minuatur poena.

IX. Praelatus inferior obligatus sit fidem facere superiori, qualiter poenitentia ab ipso imposita executioni mandetur.

§ 4. De carcere nostrorum conventuum.

I. In omnibus nostris conventibus et collegiis sit locus securus ac deputatus ad custodiam reorum, non tamen adeo rigorosus ut in discrimen veniat salus religiosorum inibi inclusorum, et sint in eo compedes, vincula, aliaque necessaria ad poenam et maiorem custodiam delinquentium.

II. Si aliquis, propter sufficientem alicuius gravis delicti probationem, iussus fuerit a iudice incarcerari, exuatur in ipso carcere habitu albo, et induatur vestimento fusci coloris; poteritque, si reus fuerit ad chorum deputatus, in eodem carcere coronae circulus ei radi.

III. Si propter negligentiam vel malitiam custodis carceris reus aufugerit, custos in carcere coniiciatur, et iuxta gravitatem culpae puniatur.

IV. Si quis quoquo modo opem tulerit incarcerato ut aufugiat, si effectus non fuerit secutus, incarceretur per viginti dies; si effectus secutus, sit in carcere toto tempore quod delinquens debebat esse. Carcerem autem confringentibus, tempus incarcerationis duplicetur.

V. Si quis sine licentiâ superioris visitaverit vel alloqutus fuerit incarceratos, poenae culpae gravis per unum diem subiaceat.

VI. Praelatus per se vel per alium curet de solatio incarceratorum et de exhortatione ad tolerantiam. Libros spirituales illis concedat, sed non atramentum nec alia ad scribendum requisita, nisi raro, pensatis circumstantiis, et cum scientiâ eorum quae scribunt.

1 Videtur legendum *et* pro *ut* (R. T.).

REGULAE CAPUT XXXII.

**Nullus fratrum fratrem suum in publico accuset, etc.**

CAPUT XXXII. — *De poenâ contra laedentes famam aliorum.*

I. Si quis alterius famam apud religiosos nostri Ordinis laeserit, et convictus fuerit, poenâ talionis puniatur, sicut praecipit regula, et ante omnia famam restituat. Si vero nostrae religionis decorem et suorum religiosorum existimationem infamiae labe denigraverit apud saeculares vel religiosos alterius Ordinis, praeter poenam supradictam, careat voce activâ per triennium, et inhabilis sit ad omnia Ordinis officia.

II. Si quis falsum testimonium in re gravi contra alium dixerit, et convictus fuerit, praeter poenam talionis, nunquam in testem produci valeat.

REGULAE CAPUT XXXIII.

**Si quis scandalum vel aliquid huiusmodi fecerit, etc.**

CAPUT XXXIII. — *De apostatis et fugitivis, incorrigibilibus, et manus violentas in alios iniicientibus.*

§ 1. De apostatis et fugitivis.

I. Ille reputandus habendusque est ut apostata (quantum ad poenam), qui absque licentiâ superiorum vagatur extra conventum sine habitu, habeat, vel non, intentionem redeundi ad claustra, aut etiam cum habitu, si per octo dies extra claustra permanserit. Iste ergo ipso facto sit excommunicatus, et pro tali promulgetur a superiore coram communitate. Item qui de nocte sine licentiâ e conventu exierit, eodem modo sit excommunicatus, et velut apostata puniatur.

II. Si quis absque licentiâ exierit e suo conventu, vel a confinio et iurisdictione sui praelati immediati, statim ac domum redeat, incarceretur; et[1] si constiterit confugisse ad superiorem praelatum, non habeatur pro excommunicato: poterit tamen arbitrio superioris puniri, si iustam causam recursus non reddiderit. Si vero aliorsum divertit, et viâ rectâ superiorem non adivit, severe puniatur.

III. Statim ac sit notitia de alicuius religiosi exitu a conventu sine licentiâ, quamvis recurrat ad superiores, praelatus illius processum formet de fugâ, et certiores faciat superiores generalem et provincialem de illâ, et de die et causâ ipsius fugae. Superior vero generalis fugam denuntiet procuratori generali pro suâ familiâ existenti in Curiâ Romanâ.

IV. Et quia felicis recordationis Urbanus VIII per suas litteras in formâ Brevis sub die aprilis MDCXXXVII incipientes *Aliàs a nobis* (post alteras quoque ab eodem et a felicis recordationis Paulo Papa V emanatas[1]) praecipit ut nullus nostri Ordinis religiosus ad alium quemquam Ordinem, religionem sive congregationem (excepto Ordine Carthusianorum, petitâ et obtentâ licentiâ a superioribus nostri Ordinis), sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ, atque excommunicationis latae sententiae poenâ, etiam emissionis quarti voti seu perfectioris et humilioris vitae praesumptione, aut strictioris regulae seu observantiae praetextu vel contemplatione, vel quavis iustâ, probabili aut legitimâ causâ se transferre audeat; ideo litterae praefatae inviolabiliter serventur.

V. Apostatae et fugitivi pro primâ vice et fugâ puniantur iuxta qualitatem culpae, et ipso facto amittant antiquitatem sedis et loci, et in futurum illorum antiquitas incipiat a die regressus ad Ordinem post dictam primam fugam, nisi capitulum generale illis antiquitatem restituat. Qui secundam fecerit, eâdem poenâ afficiatur, et insuper per unum annum incarceretur. Pro tertiâ vero fugâ (vel per unum annum, si per annum duraverit), si tales non expelluntur, poenis impositis pro primâ et secundâ fugâ plectantur, et praeterea inhabiles sint ad praelaturas Ordinis, et voce activâ careant, nisi a capitulo generale restituatur eis. Si quis vero apostasiae ratione excommunicatus celebraverit, gravioribus poenis severiusque mulctetur.

VI. Denique non solum patribus ministris, verum etiam omnibus religiosis facultatem

1 Videtur potius legendum *at* pro *et* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *emanata* (R. T.).

et auctoritatem concedimus, ut in casu necessitatis possint capere et comprehendere apostatas et fugitivos, cuiuscumque provinciae aut domus sint. Hortamurque in Domino superiores et eorum conscientias oneramus, ut curent diligenter et caute compellere et revocare fugitivos, sub poenâ gravis culpae per tres dies.

§ 2. De incorrigibilibus et eorum expulsione.

I. Ille religiosus iudicandus est incorrigibilis, qui, audens committere et repetere graves culpas, admittere non vult poenitentiam legitime a superiore pro illis impositam. Similiter ille qui tribus diversis vicibus punitus pro culpis gravibus, ad meliorem vitae rationem non reddit. Etiam ille cuius emendatio desperatur propter ipsius obstinationem et pravos mores.

II. Incorrigibiles, vel ergastulo sunt mancipandi, vel a religione expellendi, observando in omnibus decreta sacrae Congregationis Concilii publicata de mandato felicis recordationis Urbani VIII anno MDCXXIV die XXI septembris, et Innocentii XII die XXIV iunii anno MDCXCIV. Quando autem expulsio alicuius fuerit executioni mandanda, prius in capitulo conventuali sententia legatur, et flagris caesus, a communitate coram ipsâ expolietur habitu.

III. Nullus superior nec pater minister generalis expulsis litteras testimoniales concedat, illos ad Sedem Apostolicam reiiciens, vel iubens aliam ingredi religionem, sed tantum tradat litteras fidem facientes de expulsione factâ, iuxta dicta decreta sacrae Congregationis, et in quibus etiam exprimantur poenae expulso impositae a iudicibus in sententiâ expulsionis.

IV. Sententiae in causis criminalibus prolatae, et reis intimatae, non statim executioni mandentur, quin prius revideantur, et iterum examinentur causae, si rei ipsi erga hoc supplicationem fecerint, et humiliter id postulaverint.

V. Appellare a correctione et poenitentiâ regulari ad externum iudicem prohibitum est per felicis recordationis Sixtum V, Gregorium XIII et Clementem VIII. Quare si quis ab illâ appellaverit, severe puniatur ad arbitrium definitoris sui.

§ 3. De iniicientibus manus violentas in alios.

I. Si quis minatus fuerit, vel manus violentas in aliquem iniecerit, vel eum percusserit, arbitrio ministri puniatur, attentâ gravitate culpae; quod si ea commiserit contra aliquem praelatum inferiorem provinciali, incarceretur, et aliis poenis afficiatur ab ipso provinciali, consideratâ prudenter qualitate delicti; si vero contra provincialem vel definitorem generalem, a suo priore generali delinquens puniatur, attentâ semper qualitate culpae; si autem contra superiorem generalem, a suo definitorio generali. At si irâ ductus aliquis praelatus in subditum suum violenter manus iniecerit, praedictis poenis afficiatur a suo immediato superiore.

### REGULAE CAPUT XXXIV.

**Si quis frater in fratrem peccaverit, etc.**

CAPUT XXXIV. — *De inferentibus iniuriam aliis, ac de correctione fraternâ.*

I. Religiosus, qui alteri iniuriam fecerit, sive praesenti sive absenti, iuxta arbitrium ministri puniatur, attentâ culpae gravitate.

II. Si quis scit alium commisisse aliquod peccatum, si occultum est et speratur emendatio, corripiat eum secreto, iuxta Evangelium, et nulli, neque superiori per praeceptum adhuc intra visitationem inquirenti, id revelet, sub poenâ carceris per tres menses, si ex tali revelatione scandalum sequatur; si vero non sequatur, afficiatur poenâ culpae gravis per sex dies, et semper ante omnia honorem restituat: mens enim religionis non est scrutari occulta ante correctionem fraternam. Si vero correctio facta non prodesset, vel si, antequam illam faciat, prudenter iudicet quod nihil proderit, revelet superiori pio et cordato, ut suo consilio et efficaciori documento, vel aliis convenientibus mediis, reus ad meliorem se frugem recipiat.

III. Si quis contra bonum commune et honorem nostrae religionis aliquod delictum patraverit, qui de illo notitiam habuerit, denuntiet superiori, ut patri; et, si culpae qualitas et circumstantiae exigunt, etiam ut iudici deferat, qui lapsi salutem procuret, et decorem religionis recuperet.

REGULAE CAPUT XXXV.

**Si pro necessitate domus debitum aliquod fuerit contrahendum, etc.**

Caput xxxv. — *De modo contrahendi debita et de curâ in eis solvendis.*

i. Nullus, sive minister, sive praeses, sive procurator, sive particularis quilibet religiosus, audeat, imo nec valeat debitum aliquod contrahere, sine consilio et assensu capituli conventualis, ut praecipit regula.

ii. Nullus minister in fine sui officii relinquat domum suam oneratam debitis excedentibus quantitatem centum ducatorum, absque licentiâ sui provincialis, sub poenâ inhabilitatis perpetuae ad ulteriora Ordinis officia: definitorium autem provinciale, attentis rationibus statuum, conventuum et collegiorum, quae ante suum capitulum mitti debent ad ipsum, praedictam inhabilitatem declarare tenebitur, eamdemque declarationem et merita ipsius tradere praesidi capituli ante primam eius sessionem, ut praeses ipse curet quod in archivio generali custodiatur in futurum. Si autem aliquâ viâ nobis authenticâ constiterit, ministrum et consiliarios subscripsisse huiusmodi rationem status suae domus subticendo debita, consiliarii priventur officio, et voce careant deinceps in capitulo conventuali, minister vero renuntiare debeat officium tamquam qui antea fuerat inhabilis, nisi attento rerum statu per ministrum generalem dispensetur. Et praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, ministro successori, ut curet solvere confestim debita sui antecessoris, et ante illorum solutionem nullas expénsas faciat, nisi praecise pro victu et vestitu religiosorum, sub poenâ suspensionis ab officio et [1] infligendâ a definitorio post puram informationem de non solutione debitorum et expensis factis in fabricâ aliisve praeter dicta.

iii. Inhibemus conventibus omnibus et collegiis nostris ne accipiant pecuniam ad censum sine requisitis solemnitatibus ac licentiâ in scriptis sui definitorii provincialis.

1 Videtur legendum *ei* pro *et* (R. T.).

REGULAE CAPUT XXXVI.

**Si quisquam de substantiâ domus violentiam fecerit, etc.**

Caput xxxvi. — *De modo servando in litibus et negotiis.*

i. Nullus, sive praelatus sive procurator, incipiat causam et litem, quin observet circumstantias, quas regula nostra disponit, et praeterea a suo provinciali vel immediato superiore prius obtineat licentiam. Quod si hoc facile haberi non possit, et causa urgeat, lis inchoari poterit de consensu capituli conventualis, et statim provincialis vel superior certior fiat.

ii. Stricte praecipimus omnibus religiosis, ne ipsimet, nequidem extraiudicialiter, adeant tribunalia saecularia pro negociis mere temporalibus agendis, nisi urgente causâ nostrae religionis; neque inconsulto suo immediato superiore iudices alloquantur, intercedendo vel instando, sub poenâ reclusionis intra claustra, vel suspensionis a suo officio per annum.

iii. Nullus ex nostris, sine sui praelati superioris facultate, officium exerceat testamentarii, sub poenâ suspensionis a suo officio, voce et loco per tres menses. Si vero aliquis executor testamenti fuerit nominatus, et commode absque morâ praedictâ licentia haberi non possit, et iudicio ministri et consiliariorum expediens videatur statim exercere dictum officium, illud exerceat, ita tamen ut ad prosecutionem et perfectionem illius obtineat intra duos primos menses praefatam facultatem. Copia item testamenti subscripta a ministro et consiliariis mittatur suo superiori immediato, ut iudicet, an expediat, vel non, et pro quo tempore ac quibus circumstantiis, concedere facultatem.

iv. Nulli superiori liceat iudicis conservatoris munus exercere absque speciali Summi Pontificis licentiâ.

v. Nullus item religiosus sit patronus piae alicuius memoriae, vel administrator bonorum quae non sint nostrae religionis, sine expressâ licentiâ sui definitoris generalis, nisi casu quo patronatus et administratio annexa sint officio quo quis fungitur in religione.

REGULAE CAPUT XXXVII.

**Sollicite vero minister provideat, etc.**

CAPUT XXXVII. — *De diligentiâ adhibendâ a praelatis erga observantiam regulae.*

I. Hortamur in Domino omnes praelatos, sint valde solliciti in observantiâ sanctae nostrae regulae, sicut ipsa disponit, ut ipsorum exempti[1] subditi perfectius adimpleant illius praecepta. Ipsosque praelatos de docendo monemus, ne se iudicent legum arbitros quando poenae non reservantur arbitrio illorum; et ut penitus sublato praetextu pietatis in matrem religionem exutiles[2] ipsi vigiles et pastores pro viribus tueantur observantiam, praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, omnibus et singulis quantumvis superioribus nostrae religionis praelatis, quibus per has constitutiones nulla fuerit commissa facultas, quod minime dispensare praesumant, nec audeant dissimulare, quando culpis in eisdem statuitur poena suspensionis, privationis, aut inhabilitatis. Quod quidem praecipimus sub eâdem poenâ, reo non applicatâ, quam solum minister generalis poterit dispensare, attentis circumstantiis quae occurrant.

II. Nullus praelatus ita se occupet in negotiis, etiam causarum piarum, quod a[3] gubernio domus et vitâ communi sequendâ impediatur. Nec subditis id ipsum ullo modo permitti debeat.

III. Ministri a suis conventibus seu collegiis absentiam ultra octo dies non faciant sine licentiâ sui provincialis.

REGULAE CAPUT XXXVIII.

**Non liceat superioribus subditorum confessiones audire, etc.**

CAPUT XXXVIII. — *De confessariis, praedicatoribus, lectoribus, studentibus, collegiis et bibliothecis.*

§ 1. De confessariis religiosorum.

I. Visitatores in qualibet visitatione deputent in scriptis confessarios pro religiosis; illorumque facultas durabit usque ad sequentem visitationem, in qua, factâ designatione, cesset praeterita, etiamsi concessa fuerit a praelato superiori illi qui tunc visitat. Et nullus, sive hospes, sive conventualis, nisi antea fuerit praelatus superior illius domus, vel definitor generalis, vel minister illius, audeat confessiones religiosorum audire sine praedictâ designatione pro illo conventu vel collegio, in quo existit, quamvis ad munus istud deputatus sit pro alio conventu vel collegio etiam eiusdem provinciae.

II. Patres tamen definitores generales actuales Ordinis in toto Ordine, familiae in suâ familiâ, et definitores provinciales actuales intra suam provinciam poterunt absque limitatione audire confessiones cuiuslibet religiosi nostri Ordinis, et similiter cuicumque sacerdoti idoneo peccata sua confiteri. Eodem modo patres ministri absque limitatione excipere possunt confessiones suorum subditorum, in casibus a regulâ dispositis, et ipsemet[1] confiteri peccata sua cuilibet subdito suo idoneo.

III. Magister novitiorum confessiones eorum audiat: semel tamen in quolibet mense (die a patre ministro assignandâ) permittatur illis confiteri alteri confessario approbato pro religiosis, designando etiam ab eodem ministro. Recenter professi semper confiteantur suo magistro, et alteri confessario ex approbatis, deputando etiam a ministro. Idemque intelligatur de collegis artibus studentibus.

IV. Si in aliquo conventu vel collegio deficiant sacerdotes approbati a superioribus pro excipiendis confessionibus religiosorum, minister deputet idoneos et ad id necessarios, donec sit copia approbatorum. Poteritque tam istis quam illis (quando expedire iudicaverit) impedire ne audiant confessiones. Et cuilibet ex sibi subditis poterit dare facultatem confitendi cuicumque sacerdoti idoneo sui conventus, etiam non deputato a superiori praelato, tametsi sit copia approbatorum: id tamen raro fiat.

V. Quando religiosi nostri iter faciunt vel sunt in aliquo oppido ubi monasterium nostrum non est, nec habeant confessarium

1 Forsan *exemplo* vel *exemplis* (R. T.).
2 An recta lectio iudicet quisque scius (R. T.).
3 Praeposit. *a* redundat (R. T.).

1 Videtur legendum *ipsimet* (R. T.).

nostri Ordinis approbatum, poterunt confiteri peccata sua sacerdoti simplici idoneo nostrae religionis, vel cuilibet confessario approbato religioso vel saeculari.

vi. Decernimus quod sacerdotes nostri non habentes facultatem audiendi confessiones religiosorum nostrorum concessam vel per constitutiones nostras vel per superiores qui illas concedere possunt, non valeant accipere confessiones etiam sacerdotum nostrorum.

§ 2. De confessariis saecularium.

i. Nulli ex nostris liceat audire confessiones virorum saecularium, sine eo quod habeat tres annos completos sui sacerdotii, et sine facultate Ordinarii ac sui provincialis. Qui quidem prius, simul cum ministro conventus et alio religioso docto ac virtute praedito ab ipso provinciali designato, illum examinet de scientiâ morali, per secreta suffragia approbent vel reprobent. Si autem provincialis non potuerit interesse examini, alium pro illo deputet religiosum loco ipsius.

ii. Ad audiendas confessiones feminarum quilibet ex nostris debet habere licentiam sui definitorii generalis, petitam a patre provinciali, consulto ministro domus; ac insuper debet prius audiisse confessiones virorum saecularium laudabiliter et per duos integros annos.

iii. Qui sine requisitis et facultatibus expressis in duobus numeris antecedentibus ausus fuerit confessiones audire, vel examini Ordinarii sine licentiâ Ordinis se exponere, privatus sit ministerio excipiendi confessiones, neque ad illud ei unquam licentia concedatur, nisi per capitulum generale.

iv. Ad hoc autem ut confessarii, post obtentam facultatem excipiendi confessiones, negligentes non sint in studio, nec doctrinam moralem pro derelictâ habeant, praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali patribus ministris, quod inviolabiliter curent, et ad id obligent omnes confessarios tam virorum quam feminarum (exceptis qui sint vel fuerint praelati vel ministri vel sacrae theologiae lectores), ut semel in hebdomadâ habeant inter se conferentiam moralem, nullo eorum deficiente, nisi propter infirmitatem: dies autem tempusque designabitur a ministro. Praeterea omnes, qui interesse debent conferentiae, examinentur indispensabiliter in secundâ visitatione cuiuslibet triennii a visitatore et a duobus religiosis designatis num. i huius §, qui per secreta suffragia approbent vel reprobent, et a reprobato licentiam auferat visitator. Hoc autem examen semper fiat, donec confessarii expleverint viginti annos laudabilis exercitii audiendi confessiones, et post viginti annos non amplius examinentur.

v. In ecclesiis nostris sint confessionaria amovibilia ex decente ligno fabricata. Nullus autem confessarius feminarum audiat confessiones, nisi in aliquo ex praedictis confessionariis, neque earum confessiones excipiat, nisi qui actualiter sit vel aliquando fuerit praelatus, vel qui aetatis annos quinquaginta habeat, vel licentiam a suo praelato pro casu raro, et expressam pro qualibet vice. Ad confessiones autem virorum poterunt esse confessionaria in claustri parietibus elaborata, dummodo cum ecclesiâ nec parvam communicationem habeant.

vi. In nullo ex dictis confessionariis religiosus aliquis sedeat, qui feminarum confessarius sit, nisi tunc ecclesia sit clausa. Qui secus fecerit, poenâ culpae gravis puniatur; quod si iteraverit, inhabilis maneat ad obtinendam facultatem audiendi mulierum confessiones, vel aliâ aequivalenti poenâ afficiatur, iuxta statum suum.

vii. Licentiae excipiendi confessiones virorum sive feminarum non intelligantur absolute et in perpetuum concessae, sed dependenter a voluntate religionis, quae illas poterit limitare, abolere et tollere sine obligatione reddendi causam. Quod non intelligatur cum illis religiosis qui sunt vel fuerint praelati, vel qui habeant quinquaginta aetatis annos: aliorum autem licentiae tantum iudicentur continuari et permanere, quas subscriptas relinquat visitator in suâ visitatione, vel superior generalis quando conventus perambulet; et ita non subscriptae eo ipso cessent.

viii. In oppidis, in quibus sunt conventus nostri, non concedatur licentia ad exitum de

domo pro audiendis continuò in diebus determinatis confessionibus saecularium, nisi raro et cum licentiâ in scriptis superioris generalis.

IX. Nullus religiosus in loco aliquo officium parochi exerceat, etiam pro parte, sub poenâ culpae gravis per tres dies, nisi domui nostrae sit annexa cura animarum, aliàs nec definitorium generale valeat dispensare in constitutione istâ; nec fratres, qui feminarum confessarii non sunt, mittant praelati pro audiendis virorum confessionibus ad oppida illa, in quibus non est conventus noster.

§ 3. De praedicatoribus.

I. Nullus religiosus audeat concionari, quin prius per triennium philosophiae, et per aliud triennium theologiae scholasticae vacaverit, et obtentâ in scriptis licentiâ patris provincialis, et cum examinatoribus, sub § 2, num. I, assignatis, experietur quid scientiae et virtutis habeat, et praesertim eum sedulo examinabit de praecipuis sanctae nostrae fidei mysteriis, et de sensibus sacrae Scripturae, et per secreta suffragia approbatio vel reprobatio fiat; et insuper, ut de eius genio ac ingenio constet, disponet intra tempus illi assignandum, et habebit concionem coram communitate, et si fieri possit, coram patre provinciali.

II. Nullus publice concionetur, quin prius praesentetur Ordinario, sub poenâ privationis vocis et loci per sex menses.

III. Praedicatores in suis concionibus solum intendant morum reformationem ac virtutum augmentum. Qui vero in hoc defectuosus fuerit, et a superiore aliquoties admonitus non se emendaverit, officio concionatoris privetur.

IV. In civitatibus vel locis in quibus non est conventus noster non admittantur sermones Quadragesimae, itaut totâ vel maiori parte illius religiosus sit extra claustra absque licentiâ superioris generalis. Praedicatores autem conventuales designentur a provinciali pro qualibet domo, iique teneantur praedicare quidquid vel ex obligatione conventus vel ex dispositione ministri praedicandum fuerit pro eâ domo, et gaudeant privilegiis lectorum philosophiae, excepto examine. Capitulum vero provinciale, attentis circumstantiis domorum nostrarum, facere debet earum graduationem, quam provincialis immutare non poterit, nisi consentiente capitulo, ut iuxta eam assignentur praedicatores, et mutentur de domo in domum, postquam in qualibet exerceantur per triennium, ut sic ad civitates et curias seligantur dextriores.

V. Praedicatores solo titulo concionandi, etiamsi pro totâ Quadragesimâ sermones habeant, carnibus non vescantur. Qui vero, nisi illis vescatur Quadragesimae tempore, concionari non valeat, cesset a concionibus, excepto casu, quo aliquis, independenter a praedicatione, pro suâ infirmâ et aegrâ valetudine carnibus vescatur. Talis enim praedicando in Quadragesimâ illas edere poterit cum licentiâ provincialis, caute tamen, frugaliter et exemplariter.

VI. Si superiori expediens visum fuerit, disponat quod in loco, in quo est conventus Ordinis, religiosus aliquis dominicis diebus exeat ad docendum populum doctrinam christianam.

VII. Liceat praedicatori non interesse choro, excepto tempore orationis mentalis, tribus aut quatuor diebus ante concionem. Disponentibus vero sermones pro Quadragesimâ plus temporis indulgeat superior.

VIII. Pater provincialis in secundâ visitatione cuiuslibet triennii examinet praedicatores (his exceptis qui sunt vel fuerint praelati aut lectores, vel qui per duodecim annos laudabiliter munus concionandi exercuerunt), et auferat facultatem ab illis qui in virtute et scientiâ fuerint defectuosi vel inutiles ad animarum profectum, et ab illis qui titulo praedicationis a choro et vitâ communi se eximunt, et faveat foveatque eos qui in concionibus suis doctrinam, zelum et spiritum ostendunt.

§ 4. De lectoribus.

I. Superior generalis, praeviâ informatione ministri et lectorum biennii, deputet duos vel tres studentes seu collegas, qui ad capitulum provinciale, finitis electionibus, concurrant, ut coram communitate ipsoque capitulo per conclusiones et argumenta invicem examinentur, et postea per

secreta suffragia a praeside capituli provincialis, qui spirat, et duobus prioribus vocalibus praeteritis approbentur vel reprobentur, ut ex conlectoribus vel huiusmodi approbatis superior generalis libere eligat lectores philosophiae et conlectores eorum, prout opus fuerit. Similiter superior generalis libere eligat lectores theologiae scholasticae, expositivae et moralis, eorumque conlectores, ex illis qui philosophiam docuerint [1], praeviâ informatione ad eum missâ per definitorium provinciale circa mores, applicationem et intelligentiam, vel etiam ex illis qui in collegio nostro romano per triennium studuerit[2], et a sacrâ Propagandae fidei Congregatione ministroque et lectoribus fuerint approbati. Si autem nec huiusmodi collegae, neque philosophiae lectores, qui triennium peregerint, fuerint in provinciâ, eligat superior generalis quem voluerit in lectorem theologiae ex conlectoribus, previâ semper informatione praedictâ. Ipse superior generalis eos, quos elegerit in lectores, praeveniat sex mensibus ante cursum, ut se praeparent, semperque deputet personas doctas, observantes, amantes docere doctrinam S. Thomae, non quaestiones inutiles et periculosas; quod si secus fecerint, priventur lecturâ, et, si fieri possit, lectores sint ex provinciâ in qua sunt collegia. Et omnes semper in scriptis dictabunt, nisi a superiore generali aliud disponatur in casu raro. Praeterea provincialis eligere debet lectores theologiae moralis practicae pro domibus, in quibus, vel ex donatione, vel ex alio titulo, huiusmodi facultatem docere tenemur, eosque, consulto suo definitorio, et non aliter, eligat. His vero lectoribus, sub poenâ privationis ab officio, prohibetur tractare quaestiones scholasticas, sive scholastico modo, easque, quas practice tractare debent, in scriptis dictare; nec huiusmodi lectores quoad graduationem et privilegia inter ceteros ex iam dictis computandi sunt, sufficiunt enim illis infra dicenda.

II. Assistant semper lectores duabus integris horis orationi mentali, integroque matutino et laudibus Nativitatis Domini, Paschae et Pentecostes, festis SS. Trinitatis, SS. Sacramenti (si fuerit expositum), in diebus infra octavam, necnon matutino omnium festivitatum Christi domini et eius sanctissimae Matris, quae fuerint primae classis, et nostrorum sanctorum patriarcharum. Assistant etiam choro et ecclesiae omnibus functionibus maioris hebdomadae, necnon assistant omnibus vesperis quae cantu celebrantur, ac in festivitatibus quae ad colendum pronunciantur, et B. Mariae et Ordinis nostri, etiamsi non canuntur, nisi in aliquo ex istis diebus habeant conclusiones. Et etiam (si non habeant conclusiones in ipsâ die) assistant missae solemni, quae in praedictis festivitatibus celebratur, necnon Primae in vigiliâ Nativitatis, Nonae in die Ascensionis Domini, et Tertiae quando canitur. Insuper assistant processionibus generalibus et Ordinis nostri, antiphonae *Salve regina*, officiis et exequiis et missis quae cantantur et fiunt pro nostris religiosis defunctis, sive pro Papa, protectore religionis, vel principibus territorii, et in Commemoratione omnium fidelium defunctorum. Assistant denique examini conscientiae, flagellationi communi, ceteris actibus et functionibus communitatis extra chorum ecclesiamve. Illis tamen in communi tabulâ tantum imponatur humilitatis officium.

III. Tempore cursus seu lectionum suarum non exeant lectores ad praedicandum, neque ad audiendas confessiones extra locum in quo est collegium; id tamen eis licebit in maiori hebdomadâ.

IV. Religiosus, qui habuerit licentiam in scriptis a definitorio generali pro scribendo libro qui typis mandandus est, exemptionibus fruatur, quibus gaudent lectores, dum illum scripserit, vel etiam dum excudatur, si ipse correctioni assistat. Et similiter scriptores teneantur quotannis praesentare ante suum definitorium elucubrationes suas, ut ab ipso iudicetur an digni sint pro illis praefato privilegio et exemptione.

V. Nullus religiosus percipiat redditus ex cathedrâ in aliquâ universitate, nec illam

1 Edit. Main. legit *docuerit* (R. T.).
2 Edit. Main legit *studuerit* (R. T.).

petat aut praetendat, nec pro alio substituatur, neque, ut alius eam adipiscatur, suffragium ferat. Poterunt autem nostri docere intra claustra, si ex dotationis aut fundationis gravamine teneamur ad id, dummodo studentes nostri nihil cum saecularibus habeant commune. Conlectores autem, vulgo passantes, non cognominentur lectores, sed cognomine respondente hispano vocabulo (in suâ quisque provinciâ distinguatur[1] linguâ vernaculâ): illorum enim officium est praeesse conferentiis in praesentiâ lectoris, cuius materia in conferentiâ est disputanda, legere, explicare lectiones, et conclusionibus praeesse ob lectoris infirmitatem, arguere in omnibus conclusionibus; item in actibus litterariis ad extra praesidere collegiis, ut moris est. Conlectores theologiae, qui iam philosophiam docuerunt, philosophiae vero conlectores hac eâdem exceptione potiri debent, quando casus occurrerit, quo lecturam ob lectoris infirmitatem ex integro agant suppleantque, et pro illo tantum tempore.

§ 5. De studentibus et collegis.

I. Patres provinciales designent religiosos (unum saltem annum completum post professionem habentes), qui philosophiae, theologiae scholasticae, expositivae et moralis studiis vacaturi sunt; illosque eligant virtute ac genio praeditos, viribusque robustos, pro iungendo studio cum austeritate vitae nostrae; et antequam in collegium pergant, eos inviolabiliter examinari faciant de sufficientiâ grammaticae a religiosis ab ipsis assignatis: nec nisi approbatis studia concedant, alioquin a superiore generali priventur studiis, et in domo professorum usque ad praefixum tempus mittantur. Collegas autem pro collegio nostro romano Propagandae Fidei solus minister generalis poterit designare, iuxta Breve sanctissimi domini nostri Innocentii XIII. Eos autem designare tenebitur, consulto superiore generali alterius familiae, si ex illâ fuerint; eligatque semper eos, qui saltem per biennium theologiae scholasticae studuerint, et in eâ, iudicio provincialis, ministri et lectorum, non mediocriter profecerint. Si autem aliquis sic electus excusationem sibi simulet aut praetendat, inhabilis reddatur perpetuo ad Ordinis lecturas et studia biennii. Sciant praeterea omnes nostri religiosi dissuadentes, et male consulentes ne qui designanter[1] in praedictum pergant collegium, se incurrere poenam privationis vocis activae et passivae, ac aliàs iuxta praedictum Breve.

II. Collegae nostri per triennium philosophiae, et per aliud triennium theologiae scholasticae, ac denique per biennium expositivae et morali theologiae operam dabunt, vel saltem per biennium theologiae scholasticae, per triennium in collegio nostro de Propagandâ Fide linguarum atque dogmatum studiis vacare debent. Omnes autem tempore vacationum in suis collegiis maneant, nisi superior, qui illos designaverit collegas, aliud disposuerit. Dum autem artium et theologiae studio incumbunt, non audiant confessiones, nec concionentur: in ultimo tamen anno huiusmodi theologiae scholasticae liceat eis in munere concionatorio se instruere, praedicando coram communitate et in refectorio vel aulâ capitulari.

III. Collegae philosophi vel theologi scholastici tempore cursus ordines sacros non recipiant, nisi isti conferantur in loco ubi est collegium, vel in oppido a collegio non distante ultra sex leucas. Nec collegae isti, dum tales sunt, in patriam suam adibunt, nec alia itinera agent, nec a domo exibunt (etiamsi sint in aliquo conventu extra collegium), nisi cum communitate, vel cum suo ministro, vel cum patribus definitoribus. Ad exercitia tamen litterarum poterunt exire cum suis lectoribus; sed solum illi, qui a visitatore designentur ad hoc. Collegis biennii, vel eis qui in collegio Propagandae Fidei actualiter fuerint, aeque, et non alia officia distribuantur in tabulâ, nisi quae conventualibus distribuuntur.

IV. Nullus collega ingrediatur cellas patrum lectorum.

V. Omnes studentes diligenter examinentur in singulis visitationibus a visitatore, ministro et lectoribus, et qui in facultate,

1 Forsan *distinguantur* (R. T.).

1 Videtur legendum *designantur* (R. T.).

cui vacat, culpabiliter aut inculpabiliter non profecerit, seu progressum non facturus iudicetur, a collegio excludatur per secreta examinatorum suffragia. Si tamen collegae fuerint minus observantes, vel fractae valetudinis, ut simul cum studio communem vitam sequi non valeant, tales visitator solus excludere poterit a collegio. Exclusus autem, vel quia culpabiliter non proficiebat, vel propter alias culpas, non egrediatur a conventu in quem missus fuerit, per spatium temporis arbitrio superioris; nec concedatur ei facultas ut sacris initietur, nisi transactis duobus annis, ultra permissos a nostris constitutionibus. Si vero iam fuerit sacerdos, facultas audiendi confessiones ei non concedatur, nisi transactis etiam duobus annis ultra requisitos pro reliquis sacerdotibus a nostrâ constitutione. Semel autem exclusus, ad studia non redeat, quin prius constet cessasse causam, propter quam fuit studiis privatus vel a collegio eiectus.

vi. Stricte praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali omnibus nostris religiosis, quod nullus petat nec sibi procuret mediis intercessionibus extra Ordinem nostrum studia, ordines, licentias audiendi confessiones, concionandi, pergendi in patriam suam, conventualitates, et alia huiusmodi, sub poenâ inhabilitatis ad id quod petit et per talia media procurat; superioribusque sub eodem praecepto praecipimus, quod hanc constitutionem diligenter observent, non solum negando quod pro ipsis petitur, sed etiam severe reprehendendo illum, contra quem vehemens inveniatur suspicio de influxu in saeculares ad id.

§ 6. De collegiis.

i. In singulis provinciis nostri Ordinis tria ad minus sint collegia, unum pro philosophiâ, alterum pro theologiâ scholasticâ docendâ, tertium vero, in quo theologiae expositivae et morali vacent per biennium collegae, qui iam cursus suos scholasticae theologiae peregerunt. Ad hoc autem collegium biennii studentium simulque conferentium anteacta studia selectiores, quorum sit spes in futurum, solum adire debent, ad arbitrium provincialis, qui tantum approbatos a se et lectoribus theologiae scholasticae poterit designare. Collegium tamen Propagandae Fidei erit semper pro omnibus provinciis religionis; pro omnibus enim concessum est. Omnia autem et singula collegia definitorium generale designet.

ii. Ministri collegiorum docti sint et observantes, et, si fieri possit, qui aliquando fuerint lectores, ut sedulo curent, conlectores et collegae causâ studiorum non omittant orationis et mortificationis exercitia, nec observantiam nostrarum constitutionum tam particularium pro collegiis quam communium quae illis non opponuntur.

iii. In collegiis philosophiae sint magistri spirituales, sub quorum disciplinâ in habitatione separatâ vivant studentes qui sacerdotes non sint. In collegiis vero theologiae scholasticae magistrorum vices obtineant vicarii.

iv. Conventuales aliquot sint in collegiis ad officia eorum agenda, ad conciones habendas, et audiendas confessiones, ut sic satis temporis maneat collegiis[1] ad studium, et quando tempore vespertino, ut moris est, conclusiones defendantur, si conventuales tempore orationis mentalis ei non assistunt, orent in choro. Monemusque ministros, ne permittant quod aliquis conventualis nec conclusionibus nec choro intersit.

v. Cursus litterarius incipiat a die S. Lucae evangelistae, et duret usque ad vigiliam Pentecostes exclusive. Huius temporis decursu singulis diebus non feriatis singuli lectores philosophiae duas dictent lectiones; singuli vero theologiae unam. Et quaelibet cuiuslibet lectoris lectio per unam duret horam. Similiter, singulis diebus lectivis, vespere expendatur una hora in conferentiâ litterariâ, cui praesit conlector, et in eius defectu lector, cuius materiae conferentia habetur, qui semper interesse debet ei conferentiae quam docet. Hortamur tamen lectores quod intersint conferentiis aliorum lectorum, et tres horae expendantur in conclusionibus defendendis singulis dominicis diebus, ab horâ videlicet tertiâ post meridiem usque ad sextam. Post cursum vero, tempore vacationum, bis in heb-

[1] Forsan *collegis* legendum (R. T.).

domadâ conferentiae per spatium unius horae sint, et semel singulis mensibus conclusiones per duas horas tantum. Patres autem ministri, lectores, prout illis melius expedire visum fuerit, designabunt tempora pro dictis exercitiis litterariis, exceptis conclusionibus tempore cursus, quae in iam designato defenduntur.

VI. Communis mentalis oratio, tam matutina quam vespertina, semper sit a quintâ horâ usque ad sextam. Et finitâ matutinâ, recitentur simul Prima, Tertia, Sexta et Nona, in spatio aliquantulum longiori dimidiâ horâ, et quandoque prolixiori, iuxta maiorem earum quantitatem. Et ad initum[1] Primae, et non antea, incipiat missarum celebratio.

VII. In vigiliâ Nativitatis Domini cantetur Prima, et in die Ascensionis Nona, eo modo et tempore ac in conventibus. Tertia quoque canatur immediate ante missam conventualem in die Nativitatis Domini, primâ die Paschae, ac primâ Pentecostes, necnon in festivitatibus SS. Trinitatis, Epiphaniae, Assumptionis B. Mariae, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, natalitii sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, nisi horum festa cum aliarum religionum celebretur concursu et assistentiâ, ac in festo Omnium Sanctorum, in quibus diebus Sexta et Nona dicentur eodem tempore et pausatione ac in conventibus.

VIII. Missa conventualis canatur omnibus dominicis et diebus feriatis, ac in festivitatibus B. Mariae Virginis et Ordinis nostri, atque etiam in die Cinerum, in feriâ V, VI et sabbato maioris hebdomadae, in vigiliâ Pentecostes, in die Commemorationis omnium defunctorum, atque etiam in die immediato post festum omnium sanctorum Ordinis, in quo fieri debent exequiae pro nostris religiosis defunctis, cum vigiliâ et responso in ecclesiâ, sicut in conventibus, aut in quatuor anni anniversariis, necnon quando fit officium de aliquo sancto martyre in collegio illo ubi corpus vel insignis eius reliquia asservatur. Praeterea in omnibus collegiis debet cantari missa in exequiis nostrorum religiosorum defunctorum, et quando ex dotatione vel aliâ obligatione perpetuâ aut temporali ad id tenetur. Secundis vero feriis a regulâ designatis dicatur missa sine cantu pro defunctis, et eâ finitâ, fiat a communitate absolutio fidelium defunctorum cum cantu. In quatuor autem praedictis anniversariis et in commemoratione fidelium defunctorum post missam fiat processio per claustrum, et ubi hoc non fuerit, cantetur absolutio in ecclesiâ.

IX. Vesperae canantur tam primae quam secundae (eo tempore et solemnitate ac in conventibus) tribus primis diebus Nativitatis Domini, tribus Paschatis, ac tribus Pentecostes; necnon in festivitatibus SS. Trinitatis, Corporis Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis Domini, Purificationis et Assumptionis B. Mariae, in Nativitate S. Ioannis Baptistae, natalitio sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac beatorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis, et in secundo festo S. Agnetis virginis et martyris, nostri Ordinis patronae, ac in festo titulari familiae, provinciae aut domus, in quo et missa solemnis canenda est. In festivitate autem Omnium Sanctorum semper canantur primae vesperae; quoad secundas vero observetur, sicut et quoad vesperas defunctorum, quod dictum est de conventibus, cap. XI, § 1, n. VIII. In reliquis vero festivitatibus primae et secundae classis, quae ad colendum pronunciantur, solum vesperae secundae canantur, nisi eodem die defendendae sint conclusiones, quae semper praeferri debent vesperis secundis festivitatum in quibus hae solum cani debeant. In recitandis autem quarta pars horae expendatur.

X. Immediate post mentalem orationem vespertinam dicatur Completorium, quod fere per quadrantem horae durabit; et eo finito, cellas petant ad studendum usque ad horam octavam cum dimidiâ, nisi quies et recreatio ex instructione sit habenda. Si autem fuerit nox communis flagellationis, flagellentur tempore hyemis post Completorium ante studium: reliquis vero anni temporibus post nocturnum conscientiae examen.

1 Videtur legendum *initium* (R. T.).

xi. Matutinum recitetur inviolabiliter horâ noctis octavâ cum dimidiâ, nisi ex instructione fuerit nox recreationis; tunc enim immediate post Completorium recitetur, et recitatio eius duret fere per horam. Cantetur autem cum laudibus (tempore, et solemnitate, ac in conventibus) in die Nativitatis et Resurrectionis Domini, ac in triduo maioris hebdomadae, et in festo Corporis Christi (si istud venerationi expositum fuerit) per totam eius octavam, id eâdem solemnitate canatur, quod cani debet in conventibus. At vero in festo SS. Trinitatis et primae diei Pentecostes, et sanctorum patriarcharum nostrorum Ioannis et Felicis cantetur etiam matutinum cum laudibus horâ quintâ post meridiem.

xii. Circa religiosorum numerum qui requiritur ad canendum omnia praedicta in solemnitatibus, et quid quando celebrantur non in propriis diebus, observetur quod dictum est de conventibus, cap. xi, § 1, n. viii.

xiii. Insuper praecipimus quod in quatuor anni anniversariis recitetur in omnibus nostris collegiis integrum officium defunctorum, sicut in conventibus. Collegae philosophiae recitare tenentur coram B. V. M. in suo oratorio cum suo magistro post antiphonam *Benedicta*; scholasticae theologiae studentes in choro, et omnes collegiorum religiosi sive collegae biennii, sive Propagandae sive conventuales sint, qui eamdem non recitaverint in communi, illam recitent privatim.

xiv. In recreationibus nocturnis, a Paschate usque ad Pentecostem, solum poterunt perseverare usque ad Nonam, et in residuo tempore aestivo ad summum usque ad dimidiam post Nonam. Semper tamen studentes in communitate cum conventualibus congregentur ad minus per unam horam; nisi fuerint collegae philosophiae, qui congregari debent cum suo magistro.

xv. Non admittantur in collegiis nostris universitatum externae personae ad lectiones, conclusiones vel alia litteraria exercitia. Nec religiosi nostri extra proprias domos publice arguant vel defendant. At vero in regionibus[1] illis, in quibus apud alias religiones similiter excalceatas consuetudo oleverit in contrarium, idem licebit nostris. Vitandum tamen erit, quantum possibile sit, commercium saecularium cum nostris studentibus, praesertim ad lectiones. Qui autem constitutioni isti omnino vel partim contravenerit, privatus sit voce et loco, iuxta gravitatem culpae.

§ 7. De bibliothecâ.

i. In quocumque conventu ac collegio nostro sit communis bibliotheca, cuius incrementum ac in dies augmentum ministri procurent. In eâ sint libri ad studia religiosorum, spiritualem ipsorum profectum, et proximorum salutem. Sit deputatus a provinciali religiosus qui illam mundatam clausamque habeat, et libros suo ordine iuxta ipsorum diversas facultates dispositos. Qui et etiam necessarios religiosis ad lectionem studiumque distribuat cum licentiâ praelati, et sit quoque in ipsâ bibliothecâ inventarium recto ordine alphabetico dispositum omnium librorum conventus vel collegii.

ii. Ut autem libri non diminuantur nec deficiant, praecipimus in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis religiosis, ne praebeant, nec alienent, nec ad alium conventum nec collegium portent vel mittant librum aliquem, quinternum, codicem aut codices, aliave manuscripta existentia in bibliothecâ alterius conventus vel collegii sive ad illa pertinentia, etiam illa, vel ex illis libris, quinternis, codicibus seu manuscriptis, quae religiosi habent in cellis, vel alio in loco ad studium, lectionem vel usum suum, nec similiter commodent praedictos libros, codices, quinterna, manuscripta, aut portent extra conventum vel collegium, ad quod pertinent. Minister vero poterit libellum aliquem spiritualem praebere alicui personae devotae seu benefactori. Poterit etiam aliquos libros sui conventus vel collegii commodare aliquibus personis, prout expedire viderit. Semper tamen in bibliothecâ remaneant scripti a bibliothecario[2] libri, qui, et personae, quibus com-

1 Pessime edit. Main. legit *religionibus* pro *regionibus* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *bibliothecarii* (R. T.).

modantur, cum annotatione diei, mensis et anni. Non poterit tamen minister, etiam capitulo conventuali consentiente, alienare aliquem vel aliquos libros, nisi sint inutiles et pro utilibus permutentur. Quod si secus fecerit, poenae culpae gravis subiaceat.

III. Pater provincialis, quando illi conveniens visum fuerit, potest concedere licentiam religioso ut secum habeat et portet ad usum librum aliquem spiritualem, bibliam parvam, et compendium casuum conscientiae. Nec libros alios poterit quisquam secum portare, nisi de licentiâ definitoris provincialis vel sui superioris generalis.

IV. Codices aliaque manuscripta religiosorum defunctorum in bibliothecâ domus illius, in qua decedunt, vel in archivio generali Ordinis reponantur.

V. Denique, sub eodem praecepto ut supra num. II, praecipimus ut nullus extrahat a bibliothecâ aliquem vel aliquos libros, quinterna, codices, vel manuscripta, absque licentiâ praelati. Similiter omnibus praelatis praecipimus, sub eodem praecepto, quod neque sibi reservare, neque alteri audeant concedere manuscripta religiosorum defunctorum. Religiosus autem extrahens, notitiam praebeat bibliothecario, et similiter illum praemoneat ut colligat et in bibliothecâ reponat libros et cetera ad illam spectantia, quando ipse religiosus longam absentiam a conventu facere intendit vel in alium migrat.

### REGULAE CAPUT XXXIX.

**Generale capitulum de triennio in triennium, etc.**

CAPUT XXXIX. — *De familiis, earum capitulis generalibus, et congregationibus.*

§ 1. De familiis. I. In nostrâ religione excalceatâ erunt duae familiae, in quas totus veniat universalis Ordo divisus: quarum una denominabitur intra-Hispana, et extra-Hispana altera: utraque erit sub titulari sibi electo.

II. Ex his duabus familiis unus minister generalis in caput et earum superior eligendus est, et postea commissarius generalis in superiorem generalem familiae de qua minister generalis non fuerit assumptus, itaut ministro generali, tamquam superiori omnium, commissarius generalis et ceteri omnes humiliter pareant et obediant, quin, sub poenâ transgressionis obedientiae, ulli ceterorum nec toti definitorio alterius familiae liceat resistere illius mandatis, praesertim post secundam iussionem, in qua expressa sit clausula: « non obstantibus his, quae nobis exposita [1] sunt », quando exposita referantur ad litteram.

III. Similiter sua familia obedire tenebitur suo commissario generali qui vel iurisdictione ordinariâ vel delegatâ in aliquo casu gubernium totius familiae tenet, quin impediri nec retardari possit ab aliquo, quam ab omnium superiore ministro generali Ordinis.

IV. Ut semper ac futuris temporibus, sine alicuius familiae sive religionis murmure aut querelâ, unitas [2] religionis sub uno capite permanere possit et debeat, in proximâ futurâ electione ministri generalis faciendâ iuxta sanctam regulam eligendus et assumendus est in hoc munus filius familiae Hispanae, et in commissarium generalem alterius familiae, scilicet extra-Hispanae, assumendus est filius eius.

V. Finito sexennio post praedictam primam electionem futuram eligendus est in ministrum generalem Ordinis filius extra-Hispanae familiae, et in commissarium generalem pro suâ familiâ filius familiae Hispanae.

VI. Hac semper vicissitudine imposterum fiat electio ministri generalis Ordinis in capitulo generali.

VII. Si durante sexennio ministrum generalem Ordinis mori contingat, vel aliâ quavis causâ eius officium vacaverit, ex eâdem familiâ eligendus est vicarius generalis Ordinis; qui, excepto nomine ministri, in omnibus et per omnia eamdem iurisdictionem et praeeminentiam habere debet ac minister generalis habuerat. Et eius officium durabit dumtaxat usque in finem illius sexennii, ne privetur familia superiore gene-

1 Edit. Main. legit *expositae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *unitatis* (R. T.).

rali Ordinis adhuc per breve tempus ante capitulum, nec inter familias alteretur vicissitudo.

VIII. Si contingat commissarium generalem deficere in aliâ familiâ, mortis, renunciationis, aut aliâ quavis causâ, tunc minister generalis ex eâdem eius qui defecerit familiâ eligat vice-commissarium, qui, auctoritate delegatâ et nomine delegantis expresso, omnes illi commissas facultates usque ad proximum capitulum exerceat.

§ 2. De tempore et loco, in quo celebrandum est capitulum generale.

I. Generale capitulum de triennio in triennium celebretur sabbato ante quartam dominicam post Pascha, nisi iustâ de causâ, iudicio definitorii generalis Ordinis, omnibus votis praeter unum concurrentibus, differatur; et tunc die assignandâ ab ipso definitorio celebretur: si vero, instante tempore quo iuxta regulam capitulum generale celebrari debet, praeses capituli infirmetur, itaut assistere non valeat, tunc ipsemet poterit capitulum differre per mensem tantum.

II. Capitulum generale ad praescriptum regulae celebretur de triennio in triennium sabbato ante quartam dominicam post Pascha extra curias principum in domo assignandâ a ministro generali Ordinis quatenus ipse praesideat, consulto definitorio generali ipsius, vel a commissario generali consultis definitoribus suae familiae, ministro generali non praesidente.

III. Tempore capituli non admittantur hospites, nec domum capitularem ingrediantur vocales per duos menses ante celebrationem capituli, nisi fuerit pater provincialis illius provinciae, exceptis socio, si minister fuerit, et vocale illo qui ante annum habeat in eâdem domo suam illi designatam residentiam continuam.

IV. Minister generalis et eius definitorium praeexistere debent ante capitulum in eâdem domo capitulari, et ceteri vocales ingredi teneantur feria quintâ ante praedictam dominicam quartam post Pascha.

V. Pater minister generalis, tempore apto ut omnes qui vocandi sunt ad capitulum congregentur, mittat litteras vocatorias omnibus vocalibus qui teneantur concurrere, et invitatorias quibus licitum sit concurrere, easque omnes mittat cum expressione temporis et loci celebrationis imminentis capituli generalis; et si huiusmodi litterae ad aliquem capitularem non pervenerint, nihilominus ipse concurrat et vocatus intelligatur, dummodo constet de promulgatione capituli generalis factâ et in suâ provinciâ aliis notâ.

§ 3. De praeside et lectoribus in capitulo generali.

I. In capitulo generali Ordinis semper praesideat superior generalis illius, sive minister, sive, causâ[1] ministri defectus, vicarius generalis cognominetur; et si congregato iam capitulo ipse aegrotaverit, vel propter aliam causam non accesserit ad capitulum, tunc commissarius generalis alterius familiae erit praeses capituli, eiusque praesidentia durabit usque ad finem dicti capituli, nisi praesens fuerit noviter electus in ministrum generalem, quia tunc praesidentiam habere debet. Et si etiam contingat, congregato capitulo, ministrum generalem et commissarium generalem alterius familiae simul deficere, tunc praeses capituli eligatur ab omnibus vocalibus simul, et usque in finem capituli praesidentiam habeat, nisi noviter electus in ministrum generalem sit praesens.

II. In capitulo generali suffragium tantum habeant sequentes: praeses capituli, sive sit minister generalis, sive vicarius generalis, sive commissarius alterius familiae, sive praeses electus a capitulo; deinceps commissarius generalis vel vice-commissarius familiae ex qua minister generalis assumendus est; item definitores generales Ordinis, et postea definitores generales familiae; omnes ministri vel vicarii provinciales; singuli loci primi pro singulis provinciis Ordinis; procurator generalis Ordinis, itaut quoties in Hispaniâ celebretur capitulum generale, suffragium habeat procurator generalis Hispaniae, et quoties celebretur capitulum extra Hispaniam, suffragium habeat procurator generalis Curiae Romanae; atque etiam suffragium habebit secretarius generalis ministri generalis qui spirat; et propterea[2] suffragium habere poterit qui

1 Potius lege *casu* pro *causâ* (R. T.).

2 Videtur legendum *praeterea* (R. T.).

aliquando fuerat superior generalis Ordinis vel familiae minister, scilicet vicarius commissarius, vel vice-commissarius. Et sub poenâ privationis ad ulteriora Ordinis officia, nullus, ne ad capitulum adeat, nisi propter infirmitatem excusari possit; illis exceptis qui antea superiores generales fuerunt, quibus, dummodo actu non sint vocales, liberum erit adire vel non adire ad capitulum propter aetatem et labores antea susceptos. Nullusque poterit suffragium suum compromittere.

III. Primo loco sedeat in capitulo praeses, et ad eius dexteram tota familia ipsius ministri generalis qui spirat; secundo loco, et ad sinistram praesidis, superior generalis alterius familiae cum totâ suâ familiâ; itaut superiores generales[1] caput agant ad latera; et post quamlibet, intra propriam eius, ceteri sequantur hoc ordine: definitores generales, ministri aut vicarii provinciales, socii primi et etiam secundi, quando subrogantur pro vocali aliquo, quamvis subrogetur pro illo qui superiorem sedem haberet, praeterea actualis procurator generalis qui habeat suffragium, deinde secretarius generalis, et denique, post vocales suae familiae, qui aliquando fuerat superior generalis pro eâ, et, si plures fuerint, qui aliquando munus superioris generalis habuerint: qui fuit superior generalis Ordinis, praecedat eum qui fuerat superior generalis familiae: et si eodem munere plures functi fuerint pro eâdem familiâ, antiquior in professione praecedat: qui quidem ordo intra et extra aulam capitularem servandus erit, quando sive in refectorio sive in choro ad latera sedeant: post ministrum generalem sedebit commissarius generalis familiae, postea definitores generales[1] Ordinis, deinde definitores generales familiae, postea patres provinciales, iuxta antiquitatem earumdem, praeterea procurator generalis, et post eum secretarius generalis, ac denique qui fuerant superiores generales, itaut qui minister generalis fuerat praecedat eum qui solum fuerat commissarius generalis, et, si plures fuerint ministri, antiquior praecedentiam habeat, cuiuscumque familiae fuerint.

IV. Si quis ex capitularibus aliquâ ex causâ fuerit inhabilis, vel activâ voce privatus, seu dubium super hoc fuerit, ad definitorium generale Ordinis spectet id determinare vel declarare. Cui determinationi vel declarationi omnes stent sub poenâ privationis vocis activae vel passivae in illo capitulo.

V. Quando contigerit praelatum aliquem superiorem proferre sententiam suspensionis ab officio vel privationis vocis contra praelatum sibi inferiorem suffragium habentem in capitulo generali vel in definitorio, effectum non habeat, quin prius consulatur idem definitorium, casu quo in vim dictae sententiae impediatur dictum suffragium praefato reo. Quod intelligatur etiam quando sententia tantum est declarativa dictae poenae impositae videlicet ipso facto a iure, vel a Bullis seu Brevibus Pontificiis, vel a nostris constitutionibus.

VI. Nullus sive in capitulo generali sive in definitorio audeat subornare electores directe vel indirecte, vel precibus, pollicitationibus, minis, aliove modo illos inducere ut alteri praestent vel denegent suffragium. Et contraveniens, tamquam pacis perturbator, puniatur poenâ privationis officii et loci per triennium.

§ 4. De sociis ad capitulum generale, eorumque officio, qualitatibus et electione.

I. Cum in capitulo generali suffragium habere debeat socius uniuscuiusque provinciae, et nominandus sit ab ipso capitulo pro futuro, in quo alii erunt ministri, et alii non statutum est[1] quod capitulum generale (cui impossibile est scire neque intelligere personas, qua[2] post sexennium sint ministri) designet socios qui ratione officii concurrere debeant ad capitulum; ideoque quaelibet familia seorsim ex qualibet provinciâ suae familiae designare debet duas domos, quae capitulares cognominentur, ut, qui fuerint earum ministri immediate ante capitulum generale Ordinis aut familiae suae, vi solius electionis in ministros earum domo-

1 Edit. Main. legit *generalis* (R. T.).
1 Edit. Main. legit *generalis* (R. T.).

1 Intelligat vel corrigat quisque scius (R.T.).
2 Fors. *qui*, vel *quae*, pro *qua* legend. (R.T.).

rum, socii sint ad capitulum generale futurum: ita ut minister domus prius in hoc capitulo designatae sit primus socius, et in capitulo futuro suffragium habeat; et minister alter, scilicet domus posterius designatae pro eâdem provinciâ, sit socius secundus, et in defectum alicuius capitularis, quatenus illius munus solum sit concurrere extra domum capitularem in loco proximo ad illam, ut praesto et in promptu sit ad hoc, ut, si opus fuerit, ob defectum alicuius vocalis provinciae suae, suffragium habeat, supplendo pro eo, nisi vocali, qui deficiat, liberum fuerit abesse capitulo, quippe eorum suffragia suppleri non debent.

II. Et quia socius debet esse praeditus doctrinâ, observantiâ et experientiâ in regimine, monemus patres capitulares provinciarum, quod in suis capitulis provincialibus immediatis capitulo generali eos eligant in ministros domorum capitularium qui digni sint ut concurrant tamquam socii suae provinciae ad capitulum generale; et quod etiam caveant ne eligatur in ministrum alicuius domus capitularis pro triennio immediate capitulo generali, qui iam socius fuerat in antecedenti capitulo.

III. Si per mortem, infirmitatem aut aliam iustam causam minister alicuius domus capitularis non possit interesse capitulo, tunc definitorium generale suae respectivae familiae seligere possit domum alteram, cuius minister actualis concurrat ad capitulum semper ut socius secundus. Si autem contingat utrumque socium pro aliquâ provinciâ simul deficere, minister domus prius electae a definitorio in illo casu erit socius primus.

IV. Si quis minister vel alter religiosus aliquid animadvertendum vel notatione dignum habeat remittendum ad capitulum, tradat socio suae provinciae, vel suo provinciali, ut unus vel alter portet.

§ 5. De formâ celebrandi capitulum generale Ordinis.

I. Feriâ quintâ ante dominicam quartam post Pascha congregentur omnes capitulares utriusque familiae ante meridiem, in domo designatâ ad capitulum celebrandum, ut ad vesperas praeses capituli congreget omnes illos. Vespere autem idem praeses imponat illis praeceptum in scriptis iubendo, quod, si quis scierit alicuius capitularis impedimentum propter quod non debeat admitti ad capitulum, illud manifestet statim ante ipsum. Quod si, factâ sufficienti probatione, impedimentum aliquod inventum fuerit, ad definitorium generale Ordinis pertinebit declarare, inhabilem esse habentem tale impedimentum, et illum a capitulo excludere.

II. Die vero sequenti, scilicet feriâ sextâ, congregentur familiae, unaquaeque [1] seorsim ab aliâ. Praeses cuiuscumque vocalibus suae familiae notos faciat catalogos omnium religiosorum ipsi designatos a provincialibus suae familiae et a suis definitoribus provincialibus approbatos, in quibus contineantur religiosi omnes, qui, intra provincias, inspectis solum graduatione et interstitiis, apti reperiantur, iuxta nostras constitutiones, ad munera et officia suae familiae in eo capitulo pertinentia, ut nullus postea conqueri possit et [2] quod sua aptitudo non fuerit praesens omnibus vocalibus suae familiae. Illa autem aptitudo ex purâ graduatione et interstitiis iudicanda erit, quin ad mores et observantiam aliquo modo referatur, ut alii includantur, excludantur alii, aliàs daretur dissensionum et causa litium.

III. Deinde postea eodem die, aliâ tamen sessione, iterum congregentur familiae seorsim, ut eligibilitatis scrutinium fiat ab unâquaque sequenti modo. Quod familia quaevis iuxta suam conscientiam faciat seligibilitatis scrutinium toti familiae suae proponendum, et id faciat ita, ut unusquisque vocalium in schedulâ unâ seligat quinque ad electionem capitis pro suâ familiâ, sive pertinentis ad illam; et illos quinque eligat ex aptioribus positis in catalogis, eos tamen, quos suo iudicio iudicaverit aptiores. Schedulas vero omnes tradere debent suo superiori. Superior autem, facto antea iuramento fidelitatis coram totâ suâ congregatione, ab ipso et duobus sibi immediate vocalibus eiusdem [3] regulabit schedu-

1 Edit. Main. legit *unaquaque* (R. T.).
2 Coniunctio *et* delenda (R. T.).
3 Forsan *easdem* (R. T.).

las, et quinque illos eligibiles, qui plures voces habuerint in praedictis vocalium schedulis, eligibiles declarare, et omnibus gremialibus suae familiae manifestare tenebitur, ostendendo illis schedulam, manu unius scrutatoris scriptam, subscriptam ab alio scrutatore, et signatam a se ipso praeside familiae; et statim hanc suae regulationis schedulam totius capituli praesidi tradere tenebitur: praeses familiae, ex qua assumendus est minister generalis, ut praeses capituli, toto capitulo manifestet eam ante electionem.

IV. Eâdem feriâ VI simile fiet scrutinium, in quo unusquisque vocalium scribat, seligendo ex catalogo inter aptos ad definitoris officium pro suâ familiâ duodecim, ut ex omnibus schedulis, duodecim continentibus, a scrutatoribus et praeside familiae regulatis vocibus, duodecim, qui plures voces quam ceteri habeant, scribantur in aliâ schedulâ modo dicto, et similiter publicata postrema schedula ut de proxime eligibilibus constet, tradatur praesidi. Si autem contigerit quod in eligibilitatis scrutinio duo vel tres aequalem numerum suffragiorum seu vocum habeant, illi omnes reputentur eligibiles. Si vero huiusmodi aequalitas reperiatur, quando iam ad numerum eligibilium solum deficiant unus, duo vel tres, tunc antiquiores in professione eligibiles reputentur. Ceterum, si fere omnes voces singulorum vocalium pro duobus, tribus aut quatuor eligibilibus reperiantur, et singularis [1] pro aliis fiat secundum scrutinium ad eligibilitatem illorum qui usque ad numerum proxime eligibilium defuerint. Si quis autem inventus fuerit, se ipsum nominasse in schedulâ selectionis ad eligibilitatis scrutinium, eo ipso ineligibilis sit, quamvis, seclusâ voce illius, ceteras omnes habeat pro se. Caveatur stricte ne scrutatores ulli vocalium revelare audeant numerum vocum, quas habuerat aliquis, qui eligibilis publicatur.

V. Factis ab unâquaque familiâ praedictis scrutiniis, traditâque praesidi capituli schedulâ eligibilium, modo dicto efformatâ pro eligibilibus suae familiae, praeses totius capituli familiam generalis, qui spirat, certiorem faciat de eligibilitate sibi notâ ad electiones proxime futuras a toto capitulo faciendas.

VI. Si in aliquo scrutinio eligibilitatis, vel supra eo, aliquae difficultates occurrant, determinandae sunt a definitorio generali eiusdem familiae, cuius resolutioni standum erit sub poenâ ad arbitrium ipsius definitorii.

VII. His omnibus eâdem feriâ VI expeditis, sequenti die, sabbato nempe, et prima [1] diluculo cantetur, assistentibus omnibus religiosis, missa solemnis de Spiritu Sancto cum commemoratione B. Virginis Mariae et sanctorum nostrorum patriarcharum. Idemque etiam fiat in omnibus conventibus et collegiis Ordinis pro felici capituli eventu. Ac praeterea in omnibus domibus, toto tempore capituli, communis et particularis fiat oratio ut Deus illuminet capitulares ad hoc ut conformiter omnia faciant et operentur ad maiorem Domini gloriam et religionis utilitatem et incrementum.

VIII. Finitâ missâ, praeses capituli (etiamsi forte aliquis vel aliqui ex vocalibus non pervenerint) iubeat fieri signum cum cymbalo ad capitulum generale; et postquam omnes gremiales congregentur in aulâ capitulari, illico coram omnibus praeses capituli concionem habeat spiritualem idiomate omnibus communi, hortando vocales ut in omnibus actionibus et electionibus prae oculis habeant maiorem Dei gloriam et religionis incrementum.

IX. Exhortatione finitâ, ut sine scrupulo ad electiones procedatur, genuflexis omnibus, praeses ad cautelam illos absolvat ab omnibus et quibuscumque censuris, formâ sequenti. Omnes dicent confessionem generalem, et praeses capituli prosequatur dicens: *Misereatur vestri*, etc. *Indulgentiam*, etc. *Si tenemini aliquo vel aliquibus vinculis excommunicationis, suspensionis aut interdicti, in quantum se extendunt gratiae* [2] *et privilegia Ordini nostro indulta mihi commissa et nobis*

1 An recta lectio iudicet scius (R. T.).

1 Forsan *primo* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *gratia* (R. T.).

*concessa, ego absolvo vos ad effectum electionum faciendarum, et restituo vos sacramentis Ecclesiae, communioni et unitati fidelium. In nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Item eâdem auctoritate ego vos absolvo ab omnibus aliis, de quibus fieri consuevit absolutio in consimilibus capitulis, ut sitis absoluti hîc et in tribunali domini nostri Iesu Christi, ut habeatis vitam aeternam, et vivatis in saecula saeculorum. Amen.*

x. Capitularibus sic absolutis et adhuc genuflexis ante imaginem Crucifixi (quae debet esse supra primam et principalem mensam aulae capitularis), gratiam Spiritus Sancti invocabunt devote dicentes hymnum *Veni Creator Spiritus*, etc. Quo finito, praeses capituli, ceteris respondentibus, prosequitur: ℣. *Emitte spiritum tuum et creabuntur.* ℟. *Et renovabis faciem terrae.* ℣. *Benedicamus Patrem et Filium cum Sancto Spiritu.* ℟. *Laudemus et superexaltemus eum in saecula.* ℣. *Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto.* ℟. *Et de Sion tuere eos.* ℣. *Ora pro nobis, sancta Dei genitrix.* ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.* ℣. *Exultent iusti in conspectu Dei.* ℟. *Et delectentur in laetitiâ.* ℣. *Domine, exaudi orationem meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.* ℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

*Mentes nostras, quaesumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit filius, veritatem.*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione verae fidei aeternae Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentiâ maiestatis adorare unitatem, quaesumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis.*

*Defende, quaesumus, Domine, beatâ Mariâ semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis.*

*Deus, qui, per sanctos patres nostros Ioannem et Felicem, Ordinem SS. Trinitatis ad redimendum de potestate Saracenorum captivos caelitus instituere dignatus es; praesta, quaesumus, ut eorum suffragantibus meritis a captivitate corporis et animae, te adiuvante, liberemur,*

*Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super congregationes illis commissas spiritum gratiae salutaris, et, ut in veritate tibi complaceant, perpetuum eis rorem tuae benedictionis infunde.*

*Deus, largitor pacis et amator charitatis, da famulis tuis veram cum tuâ voluntate concordiam, ut ab omnibus, quae nos pulsant, tentationibus liberemur. Per Christum*, etc.

xi. Rogatione finitâ, electores omnes ante supradictam imaginem Crucifixi faciant iuramentum, quo se obligent ad eligendum digniores et aptiores respectu officiorum, quae proponuntur, et quod[1] prae oculis habeant in omnibus electionibus maiorem Dei gloriam et progressum religionis, iuxta tenorem nostrae regulae. Idem quoque iuramentum faciant electores sociorum, et definitores in definitorio, vel in qualibet aliâ congregatione, quando facienda est aliqua electio alicuius praelati vel socii.

Forma iuramenti talis est: *Ego frater N. de N. iuro et promitto Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, et beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me electurum illos, quos iuxta meam conscientiam credam digniores et aptiores futuros esse Ordini nostro, provinciis et conventibus, quoad spiritualia et temporalia.*

xii. Facto iuramento, capitulares sedentes eligant per secreta suffragia secretarium capituli de eius corpore, et per maiorem suffragiorum partem electus pronunciabitur a praeside capituli, in cuius manus secretarius electus faciat iuramentum fidelitatis et servandi secretum, sequenti formâ:

*Ego frater N. de N. iuro et promitto Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, et beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me in omnibus ad meum officium spectantibus fidelitatem et secretum servaturum.*

xiii. Confestim capitulum eligat per secreta suffragia tres capitulares in scrutatores ad regulandum suffragia in electionibus. Isti autem (si aliud visum non fuerit capi-

1 Edit. Main. legit *quae* pro *quod* (R. T.).

tulo, quod per secreta suffragia determinabit) semper erunt[2] praeses capituli et duo immediate sedentes ad dexteram et ad sinistram illius; qui quidem scrutatores statim faciant coram capitulo iuramentum fidelitatis et secreti, sequenti formâ:

*Ego frater N. de N. iuro et promitto Deo omnipotenti, B. Mariae semper Virgini, et beatis patribus nostris Ioanni et Felici, me scrutatatoris officium fideliter facturum, et secretum semper servaturum, non revelando personas quae suffragia praestiterunt vel negaverunt huic vel alteri.*

xiv. Deinde capitulum per secreta quoque suffragia eligat ex scrutatoribus unum qui officium faciat secretarii praecise in scrutiniis, et electus faciat, statim ac pronuntietur a praeside, iuramentum in manus istius eâ formâ quae posita manet num. xii pro secretario capituli.

xv. Rursus capitulum eligat per secreta suffragia unum ex vocalibus, qui post regulata suffragia in electionibus nomine ipsius capituli faciat et pronunciet electiones formâ signandâ sequenti §, num. iv, et pro casu quo suffragia concurrant pro aliquo officio in ipsum electorem seu pronunciatorem, capitulum eligat alterum qui eius electionem pronunciet. Quod si aliter visum non fuerit capitulo (quod per secreta suffragia determinabit), semper primus scrutator erit elector seu pronunciator, et pro casu electionis suae, secundus scrutator.

xvi. Eadem forma, idemque totum quod tribus numeris antecedentibus dictum est erga scrutatores, secretarium scrutinii et electores seu pronunciatores electionum, servatur[1] omnino, quotiescumque in definitorio, sive in aliâ quacumque congregatione, extra vel intra capitulum generale, facienda sit aliqua electio canonica praelati vel socii.

xvii. Praedictis igitur praeambulis finitis, procedat capitulum ad electiones, et praecedat omnes, fiatque ante prandium electio patris ministri generalis, et, si praesens sit, sedeat immediate post patrem ministrum generalem qui spirat, sive post praesidem capituli; non tamen praesideat, nec officium exerceat usquequo finiatur capitulum. Nihilominus omnes tam capitulares quam ceteri religiosi conventus, statim ac electio facta sit, pergant processionaliter cum electo in ecclesiam cantantes hymnum *Te Deum laudamus*, et ibi accipiant ab eo benedictionem, et omnia fiant iuxta formam dispositam in nostro manuali. Tamen si pater minister generalis electus praesens non fuerit, illum non expectet capitulum, sed prosequatur.

xviii. Post vesperas eiusdem diei congregentur in aulâ capitulari vocales omnes illius familiae, pro qua minister generalis spirat, et praeside eodem qui totius capituli praeses fuerit, atque sibi electis secretario, scrutatoribus, modo dicto, omnes simul canonice eligant commissarium generalem ad triennium immediate futurum pro suâ et ex suâ familiâ assumptum, eodem modo et ritu quibus minister generalis Ordinis ante prandium electus fuerat.

xix. Sequenti die, videlicet dominicâ, congregentur omnes utriusque familiae vocales, et similiter per secreta suffragia eligant ad futurum sexennium sex definitores generales Ordinis iuxta Breve sanctissimi domini nostri Clementis Papae XII, quod incipit *Pastoralis officii*, expeditum mense septembris, die x, anno MDCCXXX, qui quidem definitores semper assumendi erunt ex familiâ ministri generalis noviter electi.

xx. Similiter post vesperas huius diei congregentur omnes qui commissarii generales fuerant pridie electores, et ex suâ familiâ, et pro eâ, sex alios definitores generales familiae eligant ad futurum triennium, qui nec vocari possint nec reipsâ erunt definitores generales Ordinis.

xxi. Definitoribus omnibus electis, congregetur tota solaque familia intra-Hispana, et praeside eodem capituli generalis, canonice et ad triennium ex suâ familiâ eligat ministrum nostri conventus romani S. Caroli. Et postea familia, ex qua minister generalis spirat, similiter canonice et ad triennium eligat ex suâ familiâ ministrum nostri collegii romani de Propagandâ Fide.

1 Edit. Main legit *erant* (R. T.).

2 Forsan legendum *servetur* (R. T.).

XXII. Immediate feriâ II, familia ministri generalis qui spirat, albis nigrisque globulis aut lapillis assumptis, eligat ad sexennium procuratorem generalem Ordinis pro Romanâ Curiâ ex suâ familiâ assumptum, cui totum capitulum, antequam finiatur, dare tenebitur Ordinis mandatum generalis procurae, et similiter eligat chronistam generalem pro suâ familiâ. Deinde familia ministri generalis electi, praeside superiore qui spirat, similiter et ex suâ familiâ eligat procuratorem generalem familiae suae pro illius negociis in Romanâ Curiâ exequendis, qui etiam ante finem capituli dabit suum mandatum procurae, cum expressâ prohibitione, sub praecepto formali, ne in communibus negociis religionis se immisceat, nec verbo aut scripto a se aut ab aliis suae familiae cognominetur procurator generalis Ordinis; et postremo eligat chronistam generalem pro familiâ suâ.

XXIII. Si fuerit aliqua domus extra provinciam, praeter dictas S. Caroli et de Propagandâ, et minister illius maiorem partem triennii post suam electionem expleverit, familia illa, ad quam domus pertineat, ministrum eligat in eodem capitulo generali ad triennium, quia postea, finito triennio (nisi sit capitulum intermedium) ad definitorium familiae pro alio triennio usque ad capitulum generale pertinebit electio omnium qui per capitulum generale electi fuerant ad triennium. Quod si familia intra-Hispana quando ei competit, capitulum generale intermedium, illud celebrare non possit, illius definitorium generale eligat ministrum nostri conventus romani S. Caroli ad sequens triennium. Et similiter familia, quae praedictum capitulum celebrare iam instante tempore nequeat per suum definitorium generale, eligat ministrum collegii nostri de Propagandâ Fide ad immediatum triennium.

XXIV. Electiones ministrorum horum in capitulo generali poterunt fieri sine scrutinio ex omnibus aptis, quia, propositis quinque ex aptis a definitorio provinciae, ex qua eligendus assumi debeat, familia in eo capitulo eligere poterit quem iudicaverit eligendum.

XXV. Finitis electionibus, prosequantur sessiones necessariae ad agendum de observantiâ, progressu, bonoque communi nostrae religionis, et ante omnia ac praecipue de eius instituto, redemptione nimirum captivorum; et ab ipso toto capitulo confirmentur praecepta in his constitutionibus imposita. Quibus conclusis, capitulum per secreta suffragia eligat octo ex ministris provincialibus actualibus et ministris ex domibus capitularibus, ad hoc ut priores quatuor vel quinque concurrant simul cum definitoribus generalibus Ordinis et familiae (sicut praecipit regula) ad correctionem vel depositionem superioris generalis Ordinis, si in illo sexennio opus fuerit. Reliqui vero ad hoc deputati, iuxta ordinem suae electionis, succedant primis, si ex istis aliquis defecerit, mortis, aut renunciationis, aut aliâ quavis causâ.

XXVI. Insuper idem capitulum eligat sex patres ex gravioribus religionis, quorum consilio et assensu superior generalis (quando casus occurrerit) eiiciat ab Ordine aliquem vel aliquos, instructo processu, et plene probatis causis expulsionis, iuxta decretum sacrae Congregationis Concilii. Et praeterea eligat quoque capitulum ad eumdem effectum alios quatuor vel sex patres subrogandos ordine suae electionis in defectum alicuius vel aliquorum ex sex prius electis.

XXVII. Deinde quaelibet familia seorsim designet ex qualibet provinciâ suâ duas domos capitulares, [ut dictum est § 4 huius capitis, num. I, ut ministri illarum socii sint ad capitulum futurum generale Ordinis vel familiae iuxta dicta.

XXVIII. Quibus electionibus factis, legantur coram capitulo decreta sanctae romanae et generalis Inquisitionis, et praeses capituli hortetur ad illorum strictam obedientiam et observantiam. Postea legantur coram suo definitorio epistolae missae ad capitulum, ut, si definitorio visum fuerit, coram toto capitulo notae fiant: decernimus autem quod nec praeses capituli nec capitularis alius praeter assignatos possit legere aut aperire huiusmodi epistolas.

XXIX. His omnibus peractis, continuo im-

ponat praeses praeceptum omnibus et singulis vocalibus, ut inter spatium viginti quatuor horarum revelent ante ipsum et manifestent impedimentum, si quod forsan fuerit, ratione cuius aliquis ex praelatis noviter electis non possit nec debeat confirmari in suo officio. Quod si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad definitorium generale Ordinis spectat iudicium de illo; nullo autem invento, capitulum totum confirmet electionem ministri generalis Ordinis iuxta Breve felicis recordationis Urbani Papae VIII. Deinde omnes vocales ad illius electionem confirment electionem commissarii generalis familiae: et postea duo definitoria simul cum praeside confirment electiones definitorum generalium Ordinis: ac demum, ordine servato electionum, quaelibet familia cum praeside confirmet electiones quas canonice fecit.

xxx. His expeditis, socius provinciae modernioris cuiusvis familiae surgat, et coram capitulo legat catalogum religiosorum qui in illo triennio in totâ suâ familiâ decesserunt, quem illi tradere tenentur eiusdem familiae provinciales. Deinde surgat secretarius capituli, et coram toto etiam capitulo legat electiones omnes, statuta, decreta et cetera omnia acta et disposita ab utrâque familiâ in ipso capitulo. Quae cuncta debent esse scripta in libro capituli generalis, cum annotatione in qualibet praelatorum electione numeri suffragiorum concurrentium ad illam; et his lectis subscribant in eodem libro omnes vocales, qui usque ad hanc diem et sessionem debent esse aequales inter se, et omnes a solo praeside licentiam, socium, benedictionem, signumque recipere, quamvis, quoad precedentiam inter se et actuum praesidentiam, servandus sit ordo supradictus. Quo facto dissolvitur capitulum.

xxxi. Semper capituli generalis tres erunt publicae conciones missaeque solemnes, duae ex festivitatibus Ordinis ad arbitrium praesidis, qui tempore apto monere debet provinciales suae familiae ut praedicatores eligant, quos voluerint, pro determinatâ ab ipso praeside concione faciendâ in capitulo illo. Monemus tamen provinciales, ut, si concionatores vel concionator aliquis satirice ad murmur populi excitandum vel complacendum praedicaverint, illico et perpetuo praedicandi et concionandi licentias auferant vel licentiam, itaut, nisi de consensu capituli generalis futuri, minime, qui defecerit, possit intra nec extra domos nostras Spiritus Sancti ascendere cathedram. Iam perfecto dissolutoque capitulo, novum definitorium generale Ordinis visitet superiorem generalem et definitores generales Ordinis, qui iam functi suo munere fuerint. Item novus minister generalis et idem [1] novum definitorium generale visitet superiorem generalem et definitores generales familiae qui in illo capitulo spirarunt. Huiusmodi autem visitatio fiat iuxta dicenda cap. XLI, § 1, num. IV. Et receptis depositionibus capitularium contra illos, visitationeque conclusâ (nisi forte insinuentur culpae quae maiorem inquisitionem atque examen requirant, nam tunc fiet quod citato capitulo et paragrapho disponitur), missa solemnis de Requiem pro defunctis religiosis et benefactoribus Ordinis, et concio habeatur (quae erit tertia), facienda ab aliquo illius provinciae, in qua capitulum celebratur, iuxta provincialis electionem. Qua functione peractâ, capitulares se mutuo charitate fraternâ amplexentur, et in suos conventus proficiscantur.

§ 6. De modo servando in electionibus faciendis.

I. Nec pater minister generalis, nec alius superior nostri Ordinis habeat ius nominandi vel proponendi aliquam personam determinatam ut eligatur. Poterit tamen quandoque definitorium, si illi expedire visum fuerit, aliquas personas proponere ex eligibilibus, relinquendo tamen electores liberos ut suffragia sua illis vel aliis praestent ex eisdem.

II. Postquam omnes sua suffragia dederunt in qualibet electione, scrutatores illa ante omnia numerent, attendendo an correspondeant et aequalia sint numero vocalium. Quod si ita est, primus scrutator illa reponat in urnâ, et postea singillatim extrahat et legat, et legenda praebeat duobus aliis scrutatoribus, et secretarius scrutinii illa singillatim scribat et numeret. Si vero, quando schedulae numerantur, non accedunt ad nu-

1 Forsan *item* pro *idem* legendum (R. T.).

merum vocalium, vel illum excedunt, comburantur statim, sine eo quod legantur, et iterum de novo suffragia ferantur. Ceterum si aliqua schedula vacua seu alba inventa fuerit, vel cum suffragio cum conditione, vel alternative, vel praestito personae incapaci secundum ius, vel subiecto antea scrutinium eligibilitatis non eligibili, tunc casus scrutatores, suppresso nomine habentis suffragium, vitium, quod notaverint, declarent, et talis schedula pro nullâ et pro non suffragio reputanda est; ideoque separetur, et regulatio ac numeratio aliorum suffragiorum fiat, et illis solum attendatur [1] ad videndum, an sit electio vel non. Et praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali scrutatoribus, quod, si tempore electionis aliquod reperiatur suffragium pro subiecto qui ex eligibilibus non fuerit, vitium declaret electoribus ne procedant ulterius.

III. Si in primo vel secundo scrutinio non fuerit electio, scrutatores consulant definitorium generale Ordinis, et istud (si illi expediens visum fuerit) iubeat quod suffragia declarentur, et, quae quisque habeat, manifestentur, ut ita vocales facilius ad electionem conformentur. Si autem facto postea tertio scrutinio, adhuc non sit electio canonica, omissis scrutiniis, ille intelligatur electus vi huius constitutionis, pro quo fuerit maior numerus suffragiorum, quam pro alio aut aliis; [2] tunc antiquior in professione reputabitur canonice electus.

IV. Scrutinio facto, pronunciator ad id a capitulo electus, iuxta dicta paragrapho antecedenti, num. XV, faciat et pronunciet electionem pro illo qui habet omnia suffragia vel plusquam medietatem, vel, in casu discordiae, pro eo qui electus deputari debet iuxta immediate dicta, declarando numerum determinatum sequenti formâ, quamvis ipse suffragium electo non dederit.

*Ego frater N. de N. nomine meo et omnium electorum praesentium per decem suffragia*, v. g., vel (si casus fuerit) *in casu discordiae et aequalitatis, eligo in maiorem ac generalem ministrum nostrae sacrae religionis*, vel *in definitorem generalem*, vel *in ministrum provincialem provinciae N.*, vel *in ministrum conventus*, vel *collegii*, *N. P. fratrem N de N. In nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

V. Forma ista faciendi seu pronunciandi quamlibet electionem semper observetur, tam in capitulo, quam in definitorio, vel aliâ quavis congregatione. Schedulae autem esse poterunt scriptae propriâ suffragantis manu vel alienâ. Quae igne comburantur in ipso capitulo, vel definitorio, vel congregatione, antequam vocales surgant.

VI. Omnes controversiae et difficultates ortae in vel super electionibus, etiam patris ministri generalis, in capitulo, vel aliâ quacumque congregatione, determinentur per definitorium generale, cuius resolutioni nemo contradicat, sub poenâ ad arbitrium ipsius definitorii infligendâ.

§ 7. De modo aliquid proponendi et decernendi in capitulo generali.

I. Ut maturiori consilio determinetur quod in capitulo generali v. g. propositum fuerit, liceat ipsi capitulo (si illi expedire videbitur) decisionem differre usque in sequentem diem.

II. Quotiescumque iudicio trium capitularium conveniens sit proponi vel determinari rem aliquam in capitulo, praeses teneatur illam proponere ut decidatur, dum tamen non sit novam condere constitutionem; ad hoc enim proponendum et conferendum maior capituli generalis Ordinis pars debet petere et instare: praeses autem huiusmodi capituli poterit in eo toto proponere quidquid ipsi expedire videatur, et unica familia, consentientibus antea omnibus suffragiis illius, proponere potuerit toti capitulo ut fiat constitutio pro suâ tantum determinatâ familiâ.

III. Praecipimus quod nullo praetextu a Summo Pontifice postuletur innovatio seu immutatio in re aliquâ sanctae nostrae regulae, nisi hoc fiat per capitulum generale Ordinis, concurrentibus omnibus votis, et nemine discrepante; et contraveniens huic constitutioni, ipso facto privatus sit officio suo, et inhabilis perpetuo ad quaecumque alia. Similiter non postuletur a Sede Apostolicâ, nisi per idem capitulum generale,

1 Edit. Main. legit *attendantur* (R. T.).
2 Videtur deesse *si par numerus* (R. T.).

et consentientibus tribus ex quatuor partibus suffragiorum, innovatio, alteratio seu abrogatio, quoad totum vel quoad partem alicuius ex constitutionibus confirmatis ab ipsâ Sede Apostolicâ.

IV. Ut aliqua constitutio de novo condatur, eius convenientia in duobus vel tribus capitulis generalibus Ordinis sedulo ac diligenter expendi et agitari debet hoc ordine. Postquam in primo capitulo actum est de re aliquâ, si a maiori parte suffragiorum approbata fuerit, statim vim habeat ordinationis, et executioni mandari incipiat usque ad sequens capitulum, in quo mature examinata, si consentientibus omnibus praeter unum fuerit approbata, habeat deinceps vim constitutionis. Si vero a duabus tantum partibus suffragiorum approbata fuerit, perseveret eius executio, ut ordinatio, usque ad tertium capitulum generale. Et si in hoc tertio, expensis convenientibus vel inconvenientibus expertis in eius executione, si[1] adhuc approbetur a tribus ex quatuor partibus suffragiorum, habeat deinceps vim constitutionis; aliàs non concurrentibus dictis tribus suffragiorum partibus, eo ipso revocata et penitus extincta maneat praefata ordinatio, nec imposterum de eâ fiat in capitulo mentio, nisi, mutatis circumstantiis, illi de eâ agere videatur, incipiendo examen tamquam de re, de qua nunquam actum fuerat in capitulo. Declaramus autem quod, quando tres vel quatuor partes suffragiorum aequales esse non possunt, non attendatur nec ratio habeatur de votis superabundantibus ad tres vel quatuor partes aequales.

V. Ad hoc autem ut aliqua constitutio, ex non confirmatis in specie a Sede Apostolicâ, quovis modo alteretur, innovetur vel abrogetur, et ad hoc ut fiat constitutio contraria alicui ex eis, eodem modo in capitulis generalibus examinanda est eius convenientia vel inconvenientia; ita tamen ut si in aliquo ex tribus capitulis omnium omnino concurrant suffragia, aboleatur antiqua constitutio, et executioni mandetur ordinatio nova. Ceterum quamvis in primo capitulo consentiat maior pars suffragiorum, non statim executioni mandetur, nec suspendatur per illud sexennium constitutio antiqua. Quod si in sequenti capitulo consentiant duae partes ex tribus suffragiorum, tunc suspendatur per triennium antiqua constitutio, et executioni mandetur nova ordinatio, alioquin ista prorsus extincta maneat. Quod si in tertio capitulo, re diligenter perpensâ, consentiant tres partes ex quatuor suffragiorum, aboleatur antiqua constitutio, quoad id in quo per novam alteratur, innovatur, mutatur, seu in contrarium disponitur, nec unquam agatur de eâ, nisi, ob rerum vicissitudinem, tamquam de re novâ, de qua nunquam fuerat actum. Si vero in hoc capitulo non consentiant dictae tres partes suffragiorum, praefata ordinatio eo ipso nulla sit, et omnino maneat extincta. Poterit vero capitulum generale Ordinis dispensare in constitutionibus, dummodo non sint ex confirmatis a Sede Apostolicâ, ita tamen quod, si non pertineant ad universalem Ordinis regimen, sufficiat maior pars vocalium; si autem pertineant ad praefatum regimen, fieri debet consentientibus duabus ex tribus capîtuli partibus. Omnino tamen dispensatio fiat ad tempus, scilicet usque in sequens capitulum, in quo, nisi confirmetur, pro nullâ habeatur. Quod etiam intelligatur de dispensationibus, quae, iuxta dicenda, ab aliis congregationibus fieri possunt, demptis quae a solo definitorio fuerint, quae protrahi poterunt usque ad capitulum, cuius definitorium fuerit caput.

VI. Ad facienda quaecumque statuta (nullatenus tamen nostris constitutionibus contradicentia), quae vim habeant decretorum capituli generalis Ordinis, sufficiat maior pars suffragiorum, et ex tunc executioni mandentur. Si autem in capitulo immediate sequenti expresse non confirmentur, eo ipso extincta maneant. Si vero approbentur nedum a maiori sed etiam a duabus partibus suffragiorum, non ideo censeantur extinctae, sed perseverent ut ordinationes iuxta dicta n. IV.

VII. Omnia, quae in capitulo decidentur[1],

[1] Repetitum *si* redundat (R. T.).

[1] Edit. Main. legit *decidenter* (R. T.).

per secreta suffragia determinentur calculis albis et nigris.

§ 8. De capitulo generali intermedio.

i. Cum, favente Deo, plures sint extra Hispaniam institutae provinciae, et ad felicius faciliusque Ordinis regimen sub unitate unius capitis bipartitio facta fuerit et instituta, ut in omnibus utraque familia dignoscatur aequalis et ad praescriptum regulae de triennio in triennium celebretur capitulum generale, quod quidem iuxta illius tenorem semper celebratum fuit, itaut solum de sexennio in sexennium[1], et post triennium huius capituli electivi aliud capitulum generale, quod ab initio vocatur intermedium: ita etiam servetur imposterum, hoc solo discrimine, quod capitulum electivum, de sexennio in sexennium celebrandum, capitulum generale Ordinis vocetur, et capitulum intermedium solum celebretur in eâ familiâ, ex qua in capitulo generalis Ordinis commissarius generalis electus fuerat; sicque verificabitur quod semper de triennio in triennium aliquod capitulum generale celebretur in Ordine.

ii. Capitulum ministri generalis electivum semper celebrari debet intra familiam ex qua minister generalis spirat, cui familiae correspondet celebratio futuri capituli generalis intermedii, ut sic supremum caput religionis nunquam munus suum finiat extra familiam suam.

iii. Capitulum generale intermedium celebrari debet iuxta regulam sabbato ante quartam dominicam post Pascha, et post triennium a die celebrationis capituli generalis Ordinis intra propriam familiam extra curias principum in domo designandâ a praeside capituli, qui semper erit commissarius generalis familiae, nisi intra illam et extra propriam familiam adsit minister generalis Ordinis, et voluerit praesidere in dicto capitulo intermedio.

iv. Si stante[2] tempore capituli praeses infirmetur, potest differre capitulum per unum mensem tantum, quo elapso, si adhuc fuerit impeditus, vel si congregato iam capitulo aegrotaverit, praesideat definitor generalis familiae actu prior inter alios.

v. Ad huiusmodi capituli celebrationem per suas litteras convocatorias convocare debet, et invitare per invitatorias superior generalis familiae omnes qui concurrere debent et possunt, eo modo quo dictum est de capitulo generali Ordinis, in aliquo anno[1] sit futurus praeses capituli intermedii.

vi. In capitulo intermedio suffragium habere debent minister generalis, si adsit superior generalis familiae, definitores generales illius, ministri provinciales, vel vicarii provinciales eiusdem, ministrique actuales domorum vocalium, quae in capitulo generali Ordinis designatae fuerint, ut earum ministri, finito sexennio, socii sint ad capitulum generale Ordinis, quippe ministri huiusmodi domorum ad capitulum intermedium debent concurrere, et eorum successores in eisdem domibus ad capitulum generale Ordinis, quod etiam intelligitur de sociis in defectum. Praeterea suffragium habebit in hoc capitulo intermedio, intra Hispaniam, procurator generalis Hispaniae, et extra Hispaniam, procurator generalis Ordinis in Romanâ Curiâ; deinde secretarius generalis superioris generalis familiae; ac demum qui ex eâdem familiâ assumpti fuerant aliquando superiores generales Ordinis vel familiae; ita ut hi pro libito, ceteri autem sub poenâ perpetuae privationis, concurrere teneantur, sicut dictum est circa capitulum generale Ordinis.

vii. In capitulo intermedio circa praecepta, scrutinia, selectiones eligibilium, ac cetera praeambula, ea omnia observentur quae dictae manent circa capitulum generale Ordinis.

viii. Tempore capituli sedeant ordine quo nominati sunt, et si casu[2] occurrerit, in quo recens electus praesens fuerit, sedeat immediate post commissarium generalem qui spirat, et statim suffragium habeat, quamvis de corpore capituli non sit.

ix. Factâ electione superioris generalis familiae, quae semper fieri debet praedi-

1 Videtur deesse *celebretur capitulum electivum* (R. T.).

2 Potius lege *instante* (R. T.).

1 Intelligat vel corrigat quisque scius (R. T.).

2 Potius lege *casus* (R. T.).

cto sabbato ante prandium, post eam illico omnes religiosi illius domus atque vocales pergant processionaliter cum electo in ecclesiam cantantes hymnum *Te Deum laudamus*, prout in capitulo generali Ordinis Si autem definitorium generale Ordinis, propter bella aut alias urgentissimas causas illi a toto definitorio generali familiae praepositas[1], nemine discrepante, huiusmodi capitulum intermedium differendum iudicet, tunc iuxta ipsius definitoris[2] generalis Ordinis arbitrium celebrabitur die assignandâ ab eodem, vel non celebrabitur absolute, et tunc casus non celebrationis, ipsum definitorium generale Ordinis per litteras patentes a ministro generali efformatas nomine sui definitorii prorogare et confirmare poterit canonice in futurum triennium et commissarium et definitores generales familiae.

x. Ipso autem die electionis commissarii in capitulo intermedio congregentur ipsius vocales, et sex definitores generales familiae ex eàdem eligant; et alterâ die congregentur omnes in aulâ capitulari, et si familia fuerit intra-Hispana, primum eligat ministrum nostri conventus romani S. Caroli, at licet intra-Hispana non sit, eligat ministrum nostri collegii romani de Propagandâ Fide.

xi. Capitulum generale intermedium nullas alias electiones facere poterit: ideo, his finitis, agere debet de redemptione et observantiâ, facereque ordinationes et statuta pro suâ familiâ, quae minime opponantur factis a capitulo generali vel definitorio generali Ordinis, atque sibi eligere chronistam pro totâ suâ familiâ.

xii. Omnibus peractis, commissarius noviter electus cum toto capitulo repromittat obedientiam, eamque promittat specialem tempore sui muneris superiori generali Ordinis; et postea totum capitulum confirmet patris commissarii electionem: deinde confirmet etiam singulas electiones, quas fecit canonice; et fiant leganturque quae facienda et legenda sunt in capitulo generali iuxta ibidem dicta.

1 Potius lege *propositas* (R. T.).

2 Videtur legendum *definitorii* (R. T.).

xiii. Dissoluto capitulo, capitulares se mutuo fraternâ charitate amplexentur, et in suos conventus proficiscantur.

xiv. Illico et quamprimum secretarius qui fuerit definitorii familiae, certiorem faciat ministrum generalem Ordinis de omnibus electionibus et de repromissione obedientiae moderni commissarii generalis, qui omnibus noviter electis tradere debet litteras authenticas suae electionis.

§ 9. De aliis congregationibus generalibus.

i. In casu, quo eligendus sit vicarius generalis Ordinis propter defectum ministri generalis, ut diximus, prior definitor generalis Ordinis, tunc superstes, cui competit in eo casu gubernare totam familiam ut superior generalis Ordinis, usque ad confirmationem novi vicarii generalis, per suas litteras vocatorias congreget omnes vocales suae familiae, qui concurrere tenerentur et possent[1] si in eâ familiâ celebrandum intermedium, designetque domum aptam etiam extra principum curias pro celebratione congregationis, ut in eâ congregentur tempore apto, ad ipsius arbitrium, itaut quamprimum fiat vicarii generalis electio.

ii. Si definitoribus generalibus Ordinis, illo et alio exceptis, constiterit quod per omissionem aut industriam praedicti primi definitoris retardatur congregatio et vicarii generalis electio, liberum sit illis ad Sedem Apostolicam authentice accurrere, ut a Pontifice destinetur vicarius generalis Ordinis.

iii. Praedictus definitor primus erit praeses huius congregationis, in qua imponat praeceptum ad impedimenta detegenda, cunctaque alia exerceantur quae exercere debet praeses cuiuscumque capituli.

iv. In praedictâ congregatione fiant scrutinia eligibilitatis usque ad numerum quinque eligibilium, prout in capitulis generalibus.

v. Post missam solemnem de Spiritu Sancto, et cetera praeambula quae fiunt in capitulis, fiat electio vicarii generalis ante prandium; qua factâ, immediate post electionem pergant processionaliter in ecclesiâ[2] cantantes *Te Deum*, quamvis noviter

1 Edit. Main. legit. *posset* (R. T.).

2 Aptius lege *ecclesiam* (R. T.).

electus non sit in eâdem domo; in qua si fuerit, ab ipso benedictionem accipiant.

VI. Vespere iterum congregentur; et si definitor aliquis electus fuerit in vicarium generalem, congregatio eligat novum definitorem generalem Ordinis; et si occurrat aliquod negocium urgens pro totâ religione aut aliquâ familiâ, determinetur ab omnibus ut moris est.

VII. Postea confirmet electionem vicarii generalis, et deinde, si eam fecit, confirmet etiam electionem definitoris noviter electi.

VIII. Postea congregatio dissolvatur, mutuoque amplexentur vocales, quin aliud fiat, neque concionem aliquam habere debeant in hac congregatione. Qua finitâ, duo primi definitores generales Ordinis et secretarius ministri generalis praeteriti statim mittant attestationem subscriptam ab ipsis tribus, et sigillo definitorii generalis Ordinis munitam, in qua commissario generali alterius familiae et definitorio generali illius fidem faciant electionis factae, ut eam intra eorum familiam nullus simulare audeat aut praesumat. Et postquam superior generalis alterius familiae et definitorium generale illius huiusmodi notitiam habuerit, illico per suas litteras authenticas moderno vicario generali obedientiam promittant; idque facere praecipimus illis sub praecepto formali, in virtute sanctae obedientiae, sub poenâ suspensionis ab officio ipsi superiori generali familiae et cuicumque definitori illius obedientiam non repromittenti, a definitore[1] generali Ordinis declarandâ et applicandâ. Si autem aliquis provincialis vel vocalis alter electus fuisset in vicarium generalem, ad definitorium provinciae pertinebit electio sive provincialis sive alterius officii quod electus habuerat.

IX. Si vero non mortis causâ, sed ob renunciationem vel privationem a suo officio, munus ministri generalis vacaverit, eodem modo et ab eisdem vocalibus facienda et celebranda est congregatio; eodemque modo eligendus vicarius generalis Ordinis. Quippe congregatio, quae ministrum generalem deposuit vel illius admisit renuntiationem, suo iam munere functa debet intelligi, quin eadem congregatio ius eligendi vicarium generalem praetendere possit.

X. Si autem vel unius familiae vel totius Ordinis opus fuerit pro urgentissimo casu congregationem generalem iudicio definitorii generalis Ordinis convocare, id fieri debet concurrentibus omnibus ipsius definitorii generalis praeter unum; et celebranda est in domo ad arbitrium ipsius definitorii eligendâ, tempore ab ipso destinato, praeside et vocalibus seligendis ab ipso, nisi in his constitutionibus iam designati fuerint pro congregatione in ipsis statutâ, ita tamen ut ad congregationem specialem semper concurrat utrumque definitorium, si fuerit Ordinis, semperque definitorium familiae, si unus fuerit familiae tantum:

§ 10. De pertinentibus privative ad capitulum generale.

I. Quoties dicitur in his constitutionibus capitulum vel definitorium generale, et non additur Ordinis, intelligitur de capitulo generali et definitorio generali Ordinis vel familiae. Itaque ad capitulum generale spectat facere omnes electiones praelatorum, et admittere omnes renunciationes eorum, quando fiunt in ipso; condere ordinationes et constitutiones, ut in paragraphis de capitulis dicitur. Sed ad capitulum generale Ordinis spectat impetrare a Sede Apostolicâ, concurrentibus omnibus suffragiis, immutationem nostrae regulae in re aliquâ. Item ad ipsum pertinet dividere provincias, consultâ primo Sede Apostolicâ, dummodo pro novâ saltem sint octo conventus. Atque etiam, eâdem consultâ, relinquere et desertas facere fundationes conventuum iam admissas et possessas.

II. Et demum dispensare in constitutionibus non confirmatis a Sede Apostolicâ, ut dictum est: et ex ipsis non confirmatis abrogare, innovare et alterare quamlibet: ceteraque facere et stabilire, quae secundum regulam et constitutiones ipsi reservantur.

III. Illa autem, quae in capitulo generali Ordinis ab unicâ familiâ fieri debent iuxta regimen eiusdem familiae, ab eâ proponenda sunt toti capitulo generali Ordinis, et nisi

[1] Edit. Main. legit *definitori* (R. T.).

ab isto determinentur, adhuc pro unâ familiâ non poterunt executioni mandari.

§ 11. De definitorio generali.

I. In quolibet anno duo celebrentur definitoria, unum generale in qualibet familiâ die XIII septembris, alterum provinciale pro qualibet provinciâ die III maii. Sed quia anno, in quo definitorium generale Ordinis congregari debeat, secundum constitutiones ad electiones faciendas a triennio post capitulum generale Ordinis non congregabitur mense septembris, definitoria provinciarum illius familiae poterunt prorogari ad mensem septembris, ne illis intra annum deficiat definitorii tribunal proprium, ad quod concurrere debent pro expeditione negotiorum suorum.

II. Huiusmodi definitoria generalia semper congregabuntur in conventu vel collegio iam ab ipso definitorio antecedente deputato. Nec ad istud sit necessaria convocatio, nec admittatur aliqua excusatio, nisi aliquis infirmitate aut aliâ inevitabili sit impeditus. Nec liceat superiori generali aliquem definitorem occupare vel impedire, ita ut dictis temporibus assistere non valeat definitorio.

III. Si superior generalis absens fuerit, infirmus, vel taliter impeditus, ut dictis definitoriis adesse nequeat, congregentur tempore dicto definitores, et, praesidente primo ex eis, celebrent definitoria. Nunquam tamen absente superiore generali aliqua fiat electio, vel admittatur renunciatio, vel nova conventus fundatio.

IV. Congregari etiam poterit definitorium semper ac superiori generali visum fuerit, qui et illud congregare quoque tenebitur quando maior pars definitorum id postulaverit, vel vacaverit aliquod officium per quatuor menses ante celebrationem futuri definitorii.

V. Quotiescumque definitorium celebratur praesente superiore generali, si vacans fuerit aliquod officium definitoris, ante omnia eligatur definitor; idemque fiat casu quo in ipsâ actuali definitorii celebratione tale officium per mortem, renunciationem, aut aliam iustam causam vacaverit; et si electus absens est, prosequatur definitorium; nulla tamen fiat electio, donec novus definitor perveniat, sine illius consensu, si fuerit intra familiam, secus, si extra illam fuerit.

VI. Definitorii tempore congregentur definitores semel saltem in die per spatium unius horae. Durabitque definitorii celebratio diebus necessariis pro expeditione rerum et negociorum ad arbitrium ipsius definitorii.

VII. Semper ac celebratur definitorium generale, teneatur superior generalis proponere officia tunc vacantia, et ad definitorium generale pertinentia, ut eorum electiones fiant, et similiter negocia occurrentia, quae determinationem definitorii generalis expectant, ut per eius secreta et decisiva suffragia iudicentur.

VIII. Quilibet ex definitoribus poterit proponere quamlibet rem ex attinentibus ad suum definitorium, et, si maiori ipsius parti expedire videatur, per secreta suffragia decidetur.

IX. Res graves, quales sunt electiones, renunciationum admissiones, et similia, proponantur pridie ante decisionem.

X. Quando aliquid determinatum est in definitorio, non agatur iterum de illo in eodem definitorio, absente aliquo ex eis qui primo decreto steterunt. Imo etiam omnibus praesentibus non contravertatur iterum, nisi concurrentibus tot suffragiis quot necessaria sunt ad dispensandum.

XI. Epistolae ad definitorium missae non aperiantur nisi coram ipso, et ibi publice legantur, nisi aliter eidem definitorio visum fuerit.

XII. Definitorium generale Ordinis poterit mittere aliquem religiosum ad curias pontificiam et regiam, et quò illi expediens visum fuerit pro aliquo gravi negocio ad bonum commune religionis pertinente, dum tamen in hoc conveniant omnes qui fuerint in definitorio, uno dempto.

XIII. Poterit etiam aliquem ex definitoribus in quolibet gravi negocio occurrente occupare intra vel extra familiam, prout illi conveniens visum fuerit.

XIV. Non poterit definitorium generale vices suas concedere nec patri ministro ge-

nerali seorsim, nisi quando adiret aliquam provinciam vel conventum videndum, vel in simili casu raro: et semper cum limitatione ad ea tantum, quae probabiliter (iudicio ipsius definitorii) occurrere possunt, designando casus speciales, qui et in libro definitorii scripti manebunt.

xv. Deputet definitorium in suum secretarium unum ex patribus definitoribus, qui statim ac electus fuerit iuramentum emittat servandi secretum et fidelitatem formâ praescriptâ pro secretario capituli generalis, cap. xxxix, § 5, n. xi.

xvi. Quod actum decisumque fuit a definitorio, in eius libro scribatur, et in electionibus canonicis in ipso factis annotetur numerus suffragiorum, et antequam finiatur definitorium, legatur coram ipso, et postea subscribatur a superiore generali, primo definitore et secretario. Ea autem, quae sive in capitulo generali Ordinis sive in aliâ congregatione acta, decisa sive determinata fuerint ab utroque definitorio generali, insimul in eodem libro definitorii generalis Ordinis scribantur subscribanturque a praeside, ab immediato definitore Ordinis, a primo definitore alterius familiae, et a secretario definitorii generalis Ordinis.

xvii. Pater minister generalis determinationes et decreta definitorii generalis Ordinis executioni breviter mandari curet. Quod si remisse in hoc se gesserit, et reverenter monitus non se emendaverit, definitores primus et secundus exequi faciant ea, subscribendo simul cum secretario, et signando definitorii generalis Ordinis sigillo. Superior autem atque et definitorium alterius familiae similiter curent executioni mandari quidquid a definitorio generali Ordinis fuerit decisum aut determinatum: et si aliter fieri contigerit, definitorium generale Ordinis committere poterit suas vices alicui religioso probo, atque intra aliam familiam bene viso, qui aliquando functus fuerit officio superioris generalis vel definitoris generalis, vel ministri provincialis, ut, nomine definitorii generalis Ordinis, superiorem generalem familiae et quemlibet definitorem ceterosque religiosos per praecepta cogat ad obedientiam, eosque, si opus fuerit, suspensos declaret, et de inobedientiâ processum faciat et informationem, ut, illis inspectis, definitorium generale Ordinis vel eorum renunciationes admittat vel pro qualitate culpae eosdem afficiat poenis.

xviii. Si (quod Deus avertat) superior generalis Ordinis se gereret cum magno saecularium scandalo, vel religionem regeret notabili relaxatione, et observantiam in rebus gravibus negligeret, tunc primus definitor generalis Ordinis convocet omnes alios definitores generales Ordinis, ut in domo omnibus commodiori die ab ipso assignando congregentur. Qui omnes simul iuncti, et non aliter, ac re mature consideratâ, convocent quatuor vel quinque ministros provinciales per capitulum generale Ordinis deputatos, et simul cum illis humiliter et reverenter vel oretenus bis moneant superiorem generalem Ordinis. Qui si adhuc ab excessibus et culpis non cessaverit, omnes dicti praelati (definitores utique generales Ordinis et ministri provinciales) simul congregati, et maiore illorum parte consentiente, causâ sine figurâ iudicii aut strepitu iudiciali cognitâ, iudicent an mereatur deponi: et ita sentientibus et iudicantibus, moneatur ut sui officii faciat renunciationem; quam si non fecerit, deponatur. Et in tali casu, dum causa examinatur, poterunt omnes simul in toto Ordine, cui vel quibus necessarium fuerit, imponere praecepta et censuras, quae in [1] alia quaecumque mandata subscripta a primo et secundo definitore generali Ordinis, et referendata a secretario, fidem faciant et obligent. Et etiam in eo casu poterunt dicti praelati inhibere etiam patri ministro generali praeceptis vel censuris aliisve mediis opportunis, ne, dum causa ipsius agitur et concluditur, officium suum exerceat, nec in alio sit conventu praeter sibi ab eis designato [2].

xix. Huiusmodi congregatio obligari non poterit ad reddendam causam admissionis renunciationis, nisi sacrae Congregationi petenti. Si autem sacra Congregatio id pe-

1 Videtur legendum *uti* pro *in* (R. T.).

2 Aptius lege *designatum* (R. T.).

tierit ad instantiam ipsius superioris generalis, causa et processus instituatur authentice et summarie tantum, ut ipsi Congregationi constent merita causae, et si velit iubeat ipsam ad summarium reduci. Postquam vero minister generalis a suo officio fuerit amotus, primus definitor generalis integram suam familiam convocet, ut quamprimum in domo, in qua fuerat celebratum capitulum generale Ordinis, vicarius generalis electus sit, ut habetur § IX huius capitis.

XX. Si autem superior generalis alterius familiae ob similes causas corrigi meruerit, id fiat a suo definitorio etiam humiliter ac reverenter, et moneatur bis ut emendetur. Si vero non se emendaverit, definitorium ipsum culparum capita et attestationem illarum mittat ad definitorium generale Ordinis, ut instruatur; et, si illi visum fuerit ex meritis causae, vel illi, illius honori consulendo, iubeat officio cedere, vel, si hoc facere noluerit, ipsum deponat; in quo casu minister generalis eligere poterit vice-commissarium, ut dictum est.

XXI. Omnes processus, ut causae criminales, custodiantur in archivio generali Ordinis, et patres provinciales et visitatores remittant dictas causas iam absolutas, ut in archivio reponantur: imo et etiam remittant inceptas et nondum finitas, si ab ipsis absolvendae non sunt; idemque faciant patres ministri de causis ab ipsis inchoatis et formatis, vel illas remittant ad suum provincialem ut de illis iudicet. Quo facto, ipse eas mittat ad praedictum generale archivium, in quo conserventur sub clavi, quae apud superiorem generalem vel eius secretarium sit.

XXII. Et ne decursu temporis libri Ordinis, Bullae, Brevia, privilegia, ceteraeque scripturae deperdantur, decernimus quod in nostro conventu Matritensi sit archivium generale, in cuius parte separatâ omnia praedicta reponantur et custodiantur sub duabus clavibus, quarum altera sit apud patrem superiorem generalem, altera vero apud unum ex definitoribus designandum a definitorio. Et similiter ad eumdem effectum in conventu nostro S. Caroli Curiae Romanae sit aliud archivium, cuius claves habeant pater minister et procurator generalis illius Curiae assumptus ex familiâ intra-Hispanâ, sive sit Ordinis, sive familiae.

XXIII. Deficiente autem superiore generali, et omnibus definitoribus, claves archivii Matritensis erunt apud ministrum conventus et procuratorem generalem Curiae Regiae. Clavis archivii romani, quae erit apud ministrum conventus S. Caroli, si ipse minister fuerit procurator generalis, eam habere debet ex commissione superioris generalis consiliarius antiquior. At vero si procurator generalis Ordinis aut familiae ibi commoretur, et residentiam habeat intra Urbem, ut tamen egeat archivio romano ad sua respective negocia pertractanda, non solum archivium ingredi, sed et clavariis consentientibus extrahere poterit et secum deferre instrumenta aliqua, cum obligatione a se subscriptâ eadem restituendi intra breve tempus; quam obligationem ipsi clavarii servare debent; et praecipimus in virtute sanctae obedientiae et sub praecepto formali tam clavariis consentientibus quam praedictis procuratoribus generalibus extrahentibus instrumenta, ut ea restitui curent, sub poenâ privationis[1] ad ulteriora Ordinis officia non restituenti et clavario omittenti, pro casu non restitutionis, non monenti ministrum generalem ut ea restitui faciat.

§ 12. De spectantibus ad definitorium generale.

I. Privative pertinet ad definitorium generale Ordinis novas conventuum fundationes admittere, declarare dubia erga nostras constitutiones occurrentia, dispensare in eisdem constitutionibus ad universale Ordinis regimen non spectantibus, quod tamen raro fiat et consentientibus omnibus suffragiis praeter unum, dummodo non sint confirmatae a Sede Apostolicâ; atque etiam pertinet ad ipsum dispensare in statutis seu decretis capituli generalis Ordinis. Ad ipsum quoque pertinet admittere renunciationem patris ministri generalis, si actualiter tunc non celebretur capitulum generale Ordinis; sed ad huiusmodi admissionem omnia suffragia concurrere volumus. Prae-

1 Videtur deesse *et inhabilitatis* (R. T.).

terea ipsius definitorii generalis Ordinis est deputare religiosos qui redemptionem captivorum exercere debent, et cetera omnia quae illi reservantur in constitutionibus.

II. Ad quodvis vero definitorium generale, sive solius familiae, sive simul Ordinis sit, pertinet fundationes iam admissas et iam factas uno situ transferre in alterum, conventus unius provinciae alteri designare et adscribere, consulendo tamen in praefatis provinciales illarum provinciarum, de qua et ad quam mutatio fiat. Etiam pertinet ad ipsum punire culpas gravissimas, facere statuta, quae communiter acta dicuntur, pro reformatione totius familiae, destinare tempus et locum in quo celebrandum est definitorium generale immediate futurum, admittere renunciationes officiorum ad quae eligere extra capitulum habeat ius, dispensare ut a capitulo provinciali, inspectâ utilitate domus, pro eodem reeligi possit aliquis minister consentientibus omnibus suffragiis capituli praeter duo.

III. Insuper praebere consensum ut a Summo Pontifice et eius sacris Congregationibus licentiae obtineantur ut aliqui religiosi nostri transitum faciant ad alias religiones, licentiam concedere ut libri typis mandentur, sine qua, vel sui definitorii provincialis licentiâ, nemo id audeat facere, sub poenâ privationis officii vocisque activae et passivae per triennium.

IV. Item facultatem concedere conventibus ut haereditates seu legitimas renuncient, exceptâ tamen parte ad redemptionem captivorum spectante, et cum conditione, quod, si persona, in cuius favorem facta fuerit renunciatio, absque haerede necessario decesserit, ad religionem legitime redeat. Istae autem renunciationes in libro conventus renunciantis scriptae in memoriam maneant. Deinde potest etiam definitorium generale, et ad ipsum spectat, licentiam concedere ut conventus cum partibus componantur, et ut ad censum sive ad damnum pecunias recipiant, obtentâ tamen prius supra praemissis debitâ Sedis Apostolicae licentiâ. Et demum ad definitorium familiae intra-Hispanae pertinet eligere ad triennium procuratorem generalem suae curiae regiae.

V. In electionibus faciendis extra capitulum a definitorio generali quando concurrunt tantum sex electores, si post tres sessiones, in quarum singulis tria scrutinia habita sint, electio canonica non sequatur, servetur id quod dictum est § VI, num. III, huius capitis.

VI. Praecipimus omnibus religiosis tam praelatis quam subditis, ne recurrant ad definitorium generale pro expeditione rerum ad alios superiores pertinentium, nec ad superiorem generalem pro illis quae pertinent ad inferiores praelatos. Qui autem sine debitis circumstantiis recurrerit, iuxta gravitatem culpae puniatur.

VII. Definitorium generale nihil poterit facere ultra concessum a regulâ et nostris constitutionibus, nec negocium aliquod vel causam ad ipsum non pertinentem poterit sibi arrogare, nisi in casu raro, et omnibus suffragiis concurrentibus.

VIII. Superiores generales, et etiam definitorium generale, quando illis expediens visum fuerit, mittant aliquam instructionem patribus provincialibus suae familiae, quae et pro bono regimine ac reformatione provinciarum et proximorum ac subditorum profectu deserviat.

## REGULAE CAPUT XL.

**Electio maioris ac generalis ministri de sexennio in sexennium, etc.**

CAPUT XL. — *De qualitate eligendorum in praelatos, ac de eorum et aliorum officiis, iure et potestate.*

§ I. De officio patris ministri generalis, et his quae ad ipsum pertinent.

I. Pater minister generalis debet esse non mediocriter doctus in theologiâ, sive sacris canonibus instructus, prudensque et zelans regularis disciplinae et splendoris Ordinis, quippe, tamquam caput illius, alios omnes debet excedere, quantum possibile humanae fragilitati permittitur. Ut autem aliquis sit eligibilis in ministrum generalem Ordinis, debet habere viginti et octo annos a professione; et necessarium est quod aliquando fuerit saltem per integrum sexennium lector sacrae theologiae, vel procurator generalis

Ordinis, vel secretarius patris ministri generalis, vel quod concionatus fuerit octo quadragesimas laudabiliter, et cum conditionibus expressis cap. xi, § ix, num. i; ac demum quod fuerit provincialis vel definitor generalis Ordinis vel familiae.

ii. Ministro autem generali omnes in toto Ordine submisse et humiliter obediant tamquam totius nostrae religionis universali patri et pastori, in quo residet potestas et iurisdictio totius Ordinis non minor sed superior ac in commissario respectu suae familiae, et in provinciali respectu suae provinciae, et in ministro respectu sui conventus. Habet enim potestatem et iurisdictionem sibi concessam sive iure communi, sive privilegiis nostrae religioni concessis, exceptis illis quae limitantur per nostras constitutiones. Quare, cum illi competat regimen totius Ordinis, vigilare et curare maxime debet perfectam regularis disciplinae observantiam per instructionem a se missam provincialibus ministris, et designando zelatores et probos viros, ut per illos statum Ordinis facilius agnoscere possit.

iii. Hortamur tamen patrem ministrum generalem ne se in officia aliorum superiorum intromittat, nisi negligentia vel culpa illorum id exigat, aut aliquando ratio et prudentia suadeat; semper vero debent omnes illi obedire; quod si excesserit in dictâ intromissione, a definitorio generali Ordinis, cui interest, submisse et reverenter moneatur, proponendo inconvenientia, ipsumque informando. Ceterum, si adhuc instet, sub formâ superius positâ c. xxxix, § 1, n. ii, etiam definitorium generale Ordinis obediat humiliter secundae illius iussioni, quia convenientius est aliquid durum pati quam resistere superiori.

iv. Nunquam aliquid disponat, determinet aut praecipiat contra id quod a superiore alterius familiae vel ab aliquo provinciali dispositum, determinatum aut praeceptum fuit, quin prius id notum faciat ipsis qui disposuerunt. Superior generalis Ordinis ex familiâ extra-Hispanâ assumptus nullam iurisdictionem exerceat in conventu nostro romano S. Caroli, nisi eam tantum, quam in alios Hispaniae conventus exercere poterit, et in eo conventu residere non possit; quod potiori iure intelligendum est de commissario generali extra-Hispano.

v. Ad patrem ministrum generalem pertinet praesidere in totâ religione, in definitorio generali Ordinis aut familiae si praesens fuerit et voluerit, et similiter in quovis capitulo generali, atque etiam in capitulis provincialibus suae familiae, per se aut per alium, ut dicetur postea de praeside capituli provincialis: ceterum, si fuerit extra suam familiam, praesidere poterit personaliter in quacumque congregatione et capitulo illius, sive generali sive provinciali, et proponere tam in istis quam in aliis, quae in eis agenda vel determinanda sunt, et executioni mandare quod in ipsis decretum est, et facere quod observentur disposita in nostris constitutionibus.

vi. Item ad ipsum spectat semel saltem in suo sexennio videre omnia monasteria totius suae familiae, et inquirere ac visitare quemcumque conventum vel collegium eius, prout ipsi visum fuerit.

vii. Ad ipsum quoque pertinet religiosos ab unâ in aliam transferre familiam, consulto tamen superiore generali alterius familiae, et intra propriam de unâ in aliam etiam provinciam, consultis provincialibus utriusque. Omnes enim religiosi nostri ad eam tantum provinciam spectare debent, in qua professi fuerint, vel quos superior generalis Ordinis incorporaverit in eâ, aut fuerant conventuales ante eius erectionem, iuxta dicenda de capitulo provinciali. Etiam ad ministrum generalem pertinet confraternitates SS. Trinitatis erigere, et aliarum illi aggregationem facere, necnon epistolas fraternitatis, cui voluerit, concedere. Pertinet etiam ad eum intra propriam familiam designare lectores tam philosophiae quam theologiae scholasticae, expositivae et moralis, et lectoribus praestare licentiam ad quaecumque itinera facienda; deputare magistros novitiorum, recens professorum et collegarum philosophiae, cum consilio provincialis provinciae.

viii. Praeterea pertinet ad ipsum nomi-

nare praesidem, illi delegando suas vices, quoties ipse exierit a suâ familiâ, et etiam facultatem concedere vice-commissario alterius familiae, quem elegerit in superiorem eius, ut praesidem designet pro familiâ in casu in quo ipse ad capitulum generale vel ad aliud opportunum negocium exeat ab eâ. Ac demum ad eum pertinent omnia quae nostrae constitutiones ministro generali concedunt, et curae ipsius committunt. Poterit quoque designare visitatorem cuiuscumque provinciae, et totius alterius familiae, sed filium semper familiae ad familiam, provinciae ad provinciam visitandam, nisi omnibus consentientibus definitorium generale familiae alium exigat visitatorem extra familiam, vel definitorium provinciale extra provinciam suam.

§ 2. De commissario generali.

i. Commissarius generalis (tamquam superior alterius familiae, qui iurisdictione ordinariâ eam regere et gubernare debet in omnibus, quae in [1] his constitutionibus vel definitorio generali Ordinis aut ministri generalis obedientiae non sint opposita) oportet ut sit vir nihilo absimilis a superiore generali religionis, quoad doctrinam, prudentiam et ceteras dotes; quoad graduationem vero et aetatem, ut in capitulo generali eligibilis sit, debet esse talis ut assumi possit in ministrum generalem Ordinis, si in eo capitulo assumendus esset ex suâ familiâ.

ii. Ad commissarium generalem pertinent omnia, sed tantum in suâ familiâ, quae ministro generali non reservantur in his constitutionibus, sive definitorio generali Ordinis sive suo definitorio generali familiae non competunt. Poterit etiam intra suam familiam quidquid provinciales ipsius in suis provinciis, et ministri earum in suis conventibus; ceterum servare debet regulam praescriptam ministro generali, § 13, num. iii.

iii. Ad ipsum quoque pertinet omnes nominare lectores, modo, dicto cap. xxxviii, § 4, num. i, ipsisque licentiam concedere ut itinera faciant; atque magistros sive novitiorum, sive recens professorum, sive pro collegiis philosophiae designare et eligere, concedere epistolas confraternitatis benefactoribus intra suam familiam: modo autem non poterit erigere, neque aggregare confraternitates SS. Trinitatis, adhuc intra familiam suam, quia huiusmodi facultas tantum est concessa per Sanctam Sedem ministro generali et procuratori generali Ordinis in Curiâ Romanâ; ceterum minister generalis ex nunc erigit sive aggregat, quas commissarius generalis assignet, dummodo non nomine proprio, sed nomine ipsius ministri generalis pro tempore, et expresso semper in ipso instrumento erectionis vel aggregationis conferat illud. Demum ad commissarium pertinet intra suam familiam quidquid in constitutionibus assignatur superiori generali quin [1] addatur *ministro* vel dicatur *Ordinis*.

iv. Vice-commissarius, quem eligere debet superior generalis Ordinis in casu cuiuscumque defectus commissarii, debet eligi ex quatuor eligibilibus selectis in capitulo generali qui superfuerunt post electionem commissarii generalis. Nec poterit eligere vice-commissarium, nec sic antea eligibilem, nisi casu, quo nullus eorum quatuor superstes sit, vel electio iam fuerit determinata ad unum. Praeterea nunquam eligat in vice-commissarium, qui aliâ praelaturâ fungatur. Hic enim reputabitur tamquam superstes, ut eligatur in vice-commissarium.

v. Vice-commissarius tamen sic electus et delegatus a ministro generali Ordinis ea omnia poterit in totâ familiâ suâ, a die in quo notam fecerit suam commissionem in quocumque conventu, quae illi delegatus [2] designaverit; poteritque vi delegationis designare praesidem suae familiae, pro casu absentiae suae ab illâ; cuius officium duret usque ad possessionem praelati noviter electi, et ad delegantis arbitrium.

§ 3. De patribus definitoribus generalibus.

i. Patres definitores generales Ordinis sex esse debent iuxta Breve felicis recordationis Alexandri Papae VII expeditum die

1 Particulam *in* delenda (R. T.).

1 Pessime ed. M. legit *quam* pro *quin* (R. T.).
2 Forsan *delegans* (R. T.).

xxx ianuarii anno MDCLVIII. Sex etiam debent esse definitores familiae iuxta Breve sanctissimi domini nostri Clementis XII expeditum die x decembris anno MDCCXXXIII. De his omnibus definitoribus, sive Ordinis sive familiae, idem dicendum est: quippe differunt tantum in eo, quod primi sunt definitores totius Ordinis electi ad sexennium, et intra et extra familiam suam praecedere debent omnes alios; secundi vero sunt familiae, et eliguntur ad triennium, et praecedere debent omnes alios intra familiam tantum, post tamen definitores generales Ordinis. Itaque singuli duo definitores pro singulis provinciis suae familiae eligantur, et omnes intra suam familiam sint aequales in potestate et praeeminentiis, ac filii sint provinciarum pro quibus eliguntur actualiter. Horum enim prior electus, primus sit definitor intra suam familiam; secundo electus, secundus; et sic de ceteris, servatâ prioritate electionis.

II. Ceterum nullus religiosus eligibilis sit in definitorem generalem, quin expleverit viginti annos post professionem, et quin fuerit prius ad minus per triennium lector theologiae, aut secretarius generalis, aut procurator generalis in Curiâ Romanâ, vel concionatus fuerit quatuor quadragesimas, aut magister novitiorum per triennium, et quin postea ad minus per triennium fuerit minister conventualis alicuius conventus vel collegii suae provinciae.

III. Superior generalis et definitores generales, dum post suam electionem primo in definitorio congregabuntur, faciant ante omnia in ipso definitorio iuramentum servandi perpetuum secretum de rebus in eo agendis. Quod iuramentum tunc obliget, quando maior pars definitorii declaraverit debere servari secretum in tali vel tali casu. Qui autem illud fregerit, ab eodem definitorio severe puniatur.

IV. Definitores generales habitent in conventibus designatis a suo superiore generali, et aptis ut opportune scribere et recipere epistolas possint ad suum munus spectantes; et in omibus conventibus et collegiis, ubi fuerint, suffragium habeant, sicut ceteri conventuales, sedeantque in toto Ordine iuxta nostras constitutiones, quamvis aliquod definitorium sive provinciale sive generale familiae actu celebretur in eâ domo, in qua aliquis definitor generalis Ordinis inveniatur, quo tempore, iuxta nostras constitutiones, provincialis respectu definitorii generalis, et minister etiam respectu definitorii provincialis, amittit locum.

V. Absente ministro domus, si ibi non fuerit praeses designatus per superiorem generalem vel definitorium generale, semper praesideant in actibus et functionibus communitatis, signumque faciant, ut moris est; nunquam tamen se intromittant in regimen domus, nisi absentibus simul ministro, vicario et definitoribus illius provinciae; tunc enim quoad omnia praesides erunt domus; et omnes religiosi semper et ubique eamdem illis observantiam et reverentiam praestent, ac suis ministris, sub poenâ ad arbitrium definitorii generalis suae familiae illis rigorose applicandâ.

VI. In qualibet domo, ubi fuerint patres definitores generales cum superiore suo generali, ab ipso licentiam, socium et benedictionem accipiant ad exeundum e domo. Si autem superior generalis ibi non fuerit, per se aut per alium dicant ministro, et cum socio ab ipso designato exeant: socius tamen ipse a ministro benedictionem accipiat.

VII. Epistolas quibuscumque religiosis et saecularibus scribere, et ab illis missas recipere liceat definitoribus absque alicuius (etiam patris ministri generalis) impedimento vel examine. Etiam eis liceat alloqui quascumque personas, observando tamen quod regula et constitutiones disponunt quoad loca et tempora loquendi et tacendi.

§ 4. De capitulo provinciali.

I. Capitulum provinciale celebretur, ut moris est, in singulis provinciis de triennio in triennium sabbato (si fieri possit) ante quartam dominicam post Pascha, ita ut in duabus provinciis, vel in tribus, si creverit numerus provinciarum cuiuscumque familiae, celebretur anno praecedenti ad capitulum generale, nisi iustâ de causâ superior generalis familiae aliquod capitulum anteponat vel postponat; quod tantum per tres

menses facere poterit, et tunc celebrabitur tempore et die designato ab ipso superiore generali, semper extra curias principum, in domo ad arbitrium praedicti superioris, consulto tamen definitorio provinciali, destinandâ.

II. In quocumque capitulo provinciali cuiuscumque familiae praeses erit superior generalis Ordinis, si adfuerit intra illam; si vero extra illam fuerit, praeses erit in alterâ familiae superior generalis illius. At si superior generalis Ordinis fuerit extra propriam familiam, praeses erit ille, quem pro tempore suae absentiae elegerit in praesidem totius familiae. Si autem, ob iustas causas, vel quia duo capitula eodem anno concurrant in provinciis longe inter se distantibus, superior generalis nisi magno labore ad aliquod capitulum concurrere nequeat, tunc et eo casu poterit designare praesidem pro capitulo provinciali, cuius praesidentiam pro se non selegerit. Ceterum semper tenebitur eligere praesidem ex provinciâ, intra quam celebrabitur capitulum; et nisi, instante definitorio provinciali, concurrentibus omnibus suffragiis praeter unum, non poterit designare praesidem ex aliâ eiusdem familiae provinciâ assumptum.

III. Ad capitulum provinciale superior provincialis per suas litteras convocet gremiales iuxta instructionem superioris generalis, qui per sex menses ante capitulum tenebitur illi notam facere designationem domus, temporisque et diei, ut ea omnia denunciet, in litteris convocatoriis et vocatoriis, eis qui concurrere debent et possunt. De his autem convocatoriis idem intelligatur quod dictum est circa capitulum generale Ordinis, ut earum vi gremiales reputentur vocati. At vero de illis superior provincialis certiorem faciat praesidem capituli illico ac in domum capitularem accedat praeses.

IV. In capitulo provinciali suffragium habeat post praesidem superior provincialis, duo definitores generales actuales illius provinciae, definitores provinciales, duo ministri socii, redemptor captivorum et procurator provinciae: ceterum, si in aliquâ provinciâ fuerit aliquis procurator plurium provinciarum in alicuius principis curiâ, hic suffragium habere debet in capitulo suae provinciae, et in eo casu, licet sit alius particularis procurator provinciae, hic illud non habeat. Deinde suffragium habere possunt, quin cogantur adesse capitulo, qui aliquando fuerint superiores generales ex eâ provinciâ assumpti, vel qui fuerint provinciales illius. Erit tamen hoc discrimen inter vocales, quod (nisi detenti fuerint infirmitate vel inevitabili impedimento) concurrere debent, sub poenâ privationis vocis activae et passivae in perpetuum, superior provincialis, omnes definitores provinciae, duo socii primi, redemptor captivorum et procurator. Ceteri autem libere possunt adesse vel abesse suo capitulo provinciali. Ac demum ad capitulum et extra domum capitularem sub praedictâ poenâ privationis accedere tenentur duo socii in defectum.

V. In aulâ capitulari et extra illam tempore capituli sedeant, praecedant et praesideant capitulares ordine quo nominati sunt, ut dictum est de capitulo generali intermedio, ita tamen, ut, qui fuerint voluntarii vocales, et aliquando fuerint superiores generales, ceteros voluntarios praecedant, exceptis definitoribus generalibus actualibus, qui semper erunt immediate post praesidem; deinde qui fuerint aliquando definitores generales pro illâ provinciâ, etsi actu non sint, praecedant eos qui fuerint provinciales illius.

VI. Capitulares solum ingredi poterunt domum capitularem feriâ V immediatâ ante celebrationem capituli. Antea vero per duos menses antecedentes ingredi non poterunt, nisi praeses, et definitorium provinciale cum provinciali, exceptis[1] socio, si minister fuerit, vocalis ille qui ante annum habeat in eâdem domo suam illi designatam residentiam continuam. Hortamur tamen patres definitores generales actuales, qui non fuerint filii provinciae, ut tempore capituli provincialis extra domum capitularem in alio commorentur conventu, nisi actuali impediantur infirmitate.

VII. Socii vero secundi, si vocati fuerint,

1 Emendet vel intelligat qui potest (R. T.).

accedere possunt et ingredi eâdem feriâ v; sed si non iubeantur accedere, non ingrediantur domum usque ad feriam III, in qua studentes etiam ingredi possunt, ut coram capitulo examinentur, ut dicetur infra. De cetero autem, circa praeambula ante electiones, observanda sunt quae statuta manent circa capitulum generale. At vero eligibilitatis scrutinia similiter fiant, hoc nimirum modo: eâdem feriâ v, praeses capituli omnibus gremialibus manifestet catalogum a definitorio provinciali ipsi traditum omnium religiosorum, qui intra provinciam iuxta nostras constitutiones, inspectis graduatione et interstitiis, apti sint ut ex illis fiat eligibilitatis scrutinium, et ab scrutatoribus, eodem modo ac dictum est de capitulo generali, regulentur ac publicentur eligibilitatis scrutinia, ut iuxta ea suo tempore eligantur, quos eligere voluerint vocales.

VIII. Deinde fiat secundum scrutinium ad eligendos quatuor definitores provinciae (qui in qualibet provinciâ solum eligi debent, et inter ipsos nulla sit inaequalitas): quisque gremialium in schedulâ suâ octo debet seligere ex aptis, et scrutinium fieri debet ex illis octo, qui plures voces habeant, ut solum nominentur et declarentur proxime eligibiles in definitores octo ex omnibus aptis, et ex his tempore suo eligantur quatuor in definitores provinciae similiter ac dictum est de definitoribus generalibus.

IX. Praeterea tertium fiat scrutinium ad ministrorum electiones, et ad illud ex aptis unusquisque vocalium in suâ schedulâ seligat et scribat talem numerum religiosorum aptorum, ut in medietate excedat numerum domorum provinciae; et postea, regulatis vocibus modo dicto, declarentur eligibiles in ministros, qui plures voces habuerint in schedulis, et illi, qui necessarii fuerint, ad duplicatum numerum ministrorum, qui eligendi sunt pro domibus, quin vocales teneantur eligere, nisi quos voluerint, ex contentis in duplicato numero.

X. Denique ad sociorum electionem, quartum fiat scrutinium, sicuti ad eligibilitatem definitorum. Ceterum hoc discrimine, quod quando regulentur voces, quas habuerint in schedulis electorum, scrutatores debent in schedulâ publicandâ ita regulare selectos, ut quatuor, quos invenerint habuisse maiorem numerum vocum in schedulis, declarent eligibiles in duos socios primos, et alios quatuor in duos socios secundos.

XI. Praeses capituli manifestet vocalibus graduationem domorum a se factam praecise ad eligendos ministros pro illis, et statim separentur vocales a definitorio, quod solum deputare debet duos vocales ad legendas epistolas missas ad capitulum.

XII. Sequenti die, sabbato nempe, factis omnibus quae fieri debent in capitulo generali, congregentur in aulâ capitulari, et factâ à praeside exhortatione linguâ omnibus communi, fiat absolutio, electio secretarii capituli, scrutatorum, secretarii scrutinii, et pronunciatoris, eâdem formâ, eisdemque factis iuramentis, sicut dictum est de capitulo generali, et his omnibus finitis, ad electiones procedant vocales.

XIII. Ante prandium fiat semper, et sola fiat, electio ministri provincialis: qua factâ, omnes vocales, praeter praesidem et superiorem provincialem, cuius officium expirat, pergant processionaliter in ecclesiam cantantes hymnum *Te Deum*, et ibi ab eo benedictionem accipiant eo modo et formâ, quibus iuxta nostras constitutiones fit in electione ministri generalis.

XIV. Vespere autem congregetur capitulum, et si provincialis electus praesens fuerit, sedeat immediate ad praesidis sinistram, non tamen praesideat aliis vocalibus, quamvis eos praecedat, nec officium exerceat usquequo finiatur capitulum: nec si absens sit, illum capitulum expectet, sed prosequatur, et fiant electiones quatuor definitorum provincialium, quorum praecedentia post confirmationem iuxta ordinem electionis regulanda erit.

XV. Sequentibus diebus (qui omnes pro celebratione capituli ad summum erunt novem) fiant electiones ministrorum conventualium, secundum graduationem domorum antea dictam, et post omnium praelatorum electiones, eligantur canonice duo socii ex ministris noviter electis, qui ad capitulum

provinciale futurum concurrere debeant ut socii primi. Praeterea eligantur alii duo, qui fuerint aliquando ministri, quamvis in eo capitulo in ministros non sint electi, ut ad capitulum futurum accedant vocati tamquam socii secundi, quorum primus, deficiente aliquo gremiali, cui concurrere non sit liberum, suffragium habeat pro eo, et secundus suffragium habeat si deficiat alter, quique ambo in loco proximo extra domum capitularem manere debent tempore capituli, ut praesto sint concurrere, si vocentur. Nullus autem eligi poterit in socium primum aut secundum, si in eo capitulo socius fuerit cum exercitio, etiam supplendo pro alio quamvis tunc eligatur in ministrum.

XVI. In casu quo post trinum scrutinium adhuc non fuerit electio canonica secuta, tunc, omissis scrutiniis, eo ipso habeatur tamquam legitime electus, vi huius constitutionis, ille, pro quo fuerit maior numerus suffragiorum quam pro alio aut aliis. Si vero pro duobus fuerit aequalis numerus suffragiorum maior quam pro aliis, tunc antiquior in professione reputabitur, et habebitur tamquam legitime electus.

XVII. Si per mortem aut aliam quamvis causam socius aliquis pro suo munere non possit accedere ad capitulum, tunc definitorium provinciale tempore apto eligat socium loco illius.

XVIII. Si aliquis praelatus vel particularis religiosus aliquid animadvertendum vel notâ dignum habuerit, id credat provinciali suo vel alicui socio ex primis suae provinciae, ut ipse tradat destinatis a definitorio provinciali ad legendum epistolas.

XIX. Factis canonice electionibus, prosequantur sessiones necessariae ad agendum de observantiâ, progressu, bonoque communi provinciae, et ante omnia ac praecipue de eius instituto, redemptione nimirum captivorum. Capitulum provinciale, quamvis non possit novas constitutiones statuere, poterit ordinationes facere ad melius regimen suae provinciae, dummodo nihilo sint contrariae ordinationibus factis a capitulis generalibus vel generalibus definitoriis.

XX. Ordinationibus factis, extra aulam capitularem fiat examen studentium qui concurrere debent ut ex illis eligantur lectores.

XXI. Capitulum eligat sex patres ex gravioribus provinciae, quorum consilio et assensu pater provincialis, quando casus occurrerit, eiiciat ab ordine aliquem, instructo processu, et bene probatis causis expulsionis, servatisque decretis Congregationum et Summorum Pontificum; et praeterea eligat ad eumdem effectum alios quatuor vel sex patres subrogandos ordine suae electionis, in defectum alicuius vel aliquorum ex sex prius electis.

XXII. His factis, legantur coram capitulo decreta sanctae Romanae generalis Inquisitionis, et praeses capituli hortetur gremiales ad strictam observantiam illorum.

XXIII. Decretis lectis, praeses capituli imponat praeceptum, ut dicitur de capitulo generali; et si aliquod impedimentum inventum fuerit, ad praesidem capituli et definitorium cum suo provinciali spectet iudicium: nullo autem invento, vel, si inventum fuerit, iudicio facto a praeside et toto definitorio provinciali, totum capitulum albis nigrisque lapillis eligat redemptorem captivorum pro suâ provinciâ, et procuratorem provinciae pro eâ. Si in aliquâ familiâ fuerit curia communis plurium provinciarum Ordinis, et provinciae alternatim elegerit[1] procuratorem omnium illarum; provincia illa, cui secundum dictam alternativam competit electio huiusmodi procuratoris, prius eligat illum in suo capitulo provinciali, et postea eligat procuratorem particularem eiusdem provinciae.

XXIV. Postea totum capitulum confirmet electionem patris provincialis; praesesque, necnon provincialis, cuius officium expirat ad definitorium provinciale, confirmet omnes alias electiones.

XXV. His omnibus expeditis, socius primus surgat, et coram capitulo legat catalogum religiosorum qui in illo triennio decesserunt in suâ provinciâ. Deinde si aliqui religiosi (non vocales ipsius capituli, hi enim recurrere debent ad capitulum vel

1 Videtur legendum *elegerint* (R. T.).

definitorium generale) petierint aliquod sublevamen propter ipsorum fractam valetudinem, aut aliam iustam ac rationabilem causam, capitulum tale sublevamen indulgeat quatuor vel quinque magis indigentibus. Ac demum surgat secretarius capituli, et legat electiones omnes, statuta, ceteraque omnia alia acta et disposita in ipso capitulo, quae cuncta scribenda et subscribenda sunt, ut dicitur de capitulo generali, et statim dissolvatur capitulum.

xxvi. Postea immediate praeses capituli imponat praeceptum omnibus capitularibus, ut intra viginti quatuor horas coram ipso manifestent quidquid notarunt circa mores, regimen et observantiam durante triennio in patre provinciali praeterito, necnon circa regimen et suorum officiorum executionem in definitoribus provincialibus antecedentibus (definitorum enim visitatio circa mores in quacumque visitatione provinciae facta[1] supponitur, qua a visitatore visitari debent etiam definitores provinciae), visitatione conclusâ, si aliquid dignum poenâ vel reprehensione fuerit inventum, praeses ipse, si superior sit, reos puniat vel reprehendat; si autem non fuerit superior, visitationem mittat superiori generali familiae, ut ipse iudicet reum aut reos.

xxvii. Die sequenti, ultimoque capituli, missa solemnis *de requiem* pro religiosis nostris defunctis et benefactoribus nostris, concioque et solemne responsorium habeatur. Debent autem provinciales curare ne concionator aliquis satirice praedicet sub poenâ impositâ § *De capitulo generali* num. xxxi; qua functione peractâ, capitulares fraternâ charitate amplexentur, et in suos conventus proficiscantur.

xxviii. In casu quo minister generalis designet in praesidem capituli provincialis aliquem ex alio quovis titulo vocalem, tunc minister domus capitularis habeat votum in capitulo provinciali; et si ipse minister fuerit socius actualis, suffragium habeat socius primus in defectum.

§ 5. De definitorio provinciali.

i. Definitorium provinciale congregetur immediate post capitulum provinciale, et postea de semestri in semestre in domo quam designabit de unâ in aliam congregationem; congregetur etiam quoties provinciali visum fuerit; ordinarie autem quotannis celebrari debet in qualibet provinciâ die iii maii: praedictum autem definitorium consurgere debet ex superiore provinciali, uti praesidente, et ex quatuor definitoribus provincialibus, qui omnes decisivum suffragium habeant: et in primo definitorio superior provincialis, et omnes definitores provinciae iuramentum facere debent, sicut definitorium generale.

ii. Definitorium provinciale insimul poterit admittere renunciationes, eligere definitores novosque ministros redemptores suae provinciae, quotiescumque vacaverint eorum officia, quocumque titulo vacent; poterunt etiam eligere chronistam suae provinciae, necnon, ex concessione definitorii generalis, praebere consensum ut libri typis mandentur, et, ex commissione definitorii generalis, concedere facultatem audiendi confessiones feminarum, cum informatione patris provincialis, quae ad generale pertinet definitorium, cap. xxxviii, § 2, num. ii.

iii. Poterit etiam facere ordinationes ad melius esse suae provinciae, dummodo ordinationibus capituli vel definitorii generalis non opponantur. Praeterea, de consensu superioris generalis, poterit seligere studentem theologiae, ut nominetur et fiat collega nostri Collegii Romani.

iv. Si provincialis deficiat, vel illius officium quocumque titulo vacet, definitorium provinciale, praeside designando vel potius designato pro casu a superiore generali, et socii actuales eligant novum superiorem provinciae, qui vicarius provincialis nominetur, et illius officii cum omnibus auctoritatibus, quas haberet si esset provincialis usque ad immediatum capitulum provinciae duret.

v. In casu discordiae suffragiorum servetur in definitorio, quod stabilitum est pro capitulo provinciali num. xvi.

§ 6. De officio patrum provincialium.

i. Nullus sit eligibilis in provincialem, nisi eligibilis esset ratione aetatis a professione et graduationis in definitorem gene-

1 Edit. Main. legit *facto* (R. T.).

ralem Ordinis aut familiae. Electo tamen in provincialem omnes humiliter et prompte obediant tamquam patri et pastori; qui, et ideo magnâ sollicitudine suae provinciae invigilet, et in totâ illâ eamdem habeat potestatem, quam ministri in suis conventibus; in eorum tamen officia non se intromittat, nisi illorum negligentiâ et culpâ exigente, vel necessitate et prudentiâ postulante.

II. Ad patrem provincialem spectat concedere licentiam ut in religione recipiantur qui ad chorum destinantur. Item, ut tam isti, quam laici (existentes in anno probationis seu novitiatus), recipiantur suo tempore ad professionem. Similiter praestare litteras (vulgo *reverendas*) ut religiosi sacris initientur, facultatem ut concionentur. Primo licentiam seu facultatem concedere, ut religiosi se exponant examini Ordinarii, et post illius licentiam, ut confessiones audiant virorum, et petere a definitorio generali, vel proponere suo, quod religiosi confessiones feminarum audiant. Etiam pertinet ad provincialem in qualibet visitatione designare confessarios pro religiosis.

III. Pro his omnibus hortamur patres provinciales, et eorum conscientias oneramus, ut, antequam praedictas facultates concedant, certam et veram notitiam habere curent de virtute illorum, quibus eas concedunt, ac de ipsorum aetate, scientiâ, et ceteris ad eas requisitis tam a iure quam a Bullis Pontificiis et nostris constitutionibus. Et insuper, dum a definitorio postulaverint licentiam ut aliquis religiosus feminarum excipiat confessiones, mittat simul petitionem proprii ministri eiusdem religiosi, in qua tam minister quam consiliarii eiusdem conventus seu collegii testificentur de annis aetatis, habitus, ac presbyteratus talis religiosi, et quanto tempore confessiones virorum laudabiliter et prompte audierit.

IV. Pertinet etiam ad provincialem suspendere et tollere (quando conveniens iudicaverit) facultates et licentias praedicandi et audiendi confessiones tam virorum quam feminarum. Deinde impertire in suâ provinciâ benefactoribus et aliis personis epistolas confraternitatis, quibus participes fiant suffragiorum, ceterorumque bonorum operum suae provinciae, et facultatem praestare conventibus ad perpetuo alienandas sepulturas ecclesiarum, non vero capellae maioris vel minorum.

V. Rursusque singulis annis semel saltem visitare omnes conventus et collegia suae provinciae. Si vero superior generalis aliquam illius provinciae domum visitavit, tunc provincialis non teneatur eam pro illo anno visitare. Quod si contigerit aliquem fratrem germanum provincialis esse ministrum alicuius domus suae provinciae, non visitet domum illam ipse provincialis, sed tunc casu illam visitabit superior generalis vel de illius commissione alter religiosus. Deinde, si pater provincialis infirmitate vel aliâ iustâ causâ impeditus non valeat visitare per se, suumque officium exercere, poterit vices suas alteri religioso provinciae suae committere, nunquam tamen nominare seu instituere vicarium provincialem, sive pro totâ sive parte suae provinciae. Hoc enim ad definitorium generale attinet.

VI. Praeterea ad provincialem spectat suos religiosos ab uno ad alium conventum transferre, et praebere eis (exceptis lectoribus studentibus) licentiam ad itinera facienda, necessitate exigente, et servatis his quae dicta manent supra, cap. X, § 1.

VII. Suspendere quoque ab officio ministrum, qui gubernare nescit, vel qui suâ malitiâ aut negligentiâ, vel defectu capacitatis, permittit, ansam praebet, vel causa est, quod omnes vel plerique subditorum vivant irreligiose, laxe vel sine pace, aliave inconvenientia tam in oppido quam in conventu sequantur. Quaecumque ergo ex istis causis potest provincialis suspendere aliquem ministrum (quantumvis aliàs bonis moribus ornatum) consuletque definitorium generale, ut, si expedierit, praedictus minister deponatur.

VIII. Ad provincialem etiam pertinet nominare et designare simul cum ministro vicarios omnium conventuum et collegiorum suae provinciae, necnon illos suspendere, imo et consulto superiore generali eosdem privare tam in casibus expressis in nostris

constitutionibus, quam si propter alias culpas id mereantur, sine obligatione reddendi causam et rationem, cur ita fiat, nisi sacrae Congregationi aut superiori generali, quando requisitus fuerit. Item admittere renunciationes officiorum, quorum designatio ad ipsum attinet, tametsi cum ministro nominatio facta fuerit.

IX. Ad ipsum etiam spectat culpas punire usque ad graviorem inclusive: absolvere a censuris, ad limites facultatis ei concessae per ius commune vel pontificia privilegia.

X. Habeat provincialis librum, in quo scribat facultates quas concedit ad concionandum, ad virorum confessiones audiendas, et ad ordines recipiendos: et in eo nedum notet diem, mensem, annum et nomen religiosi, sed etiam eius patriam et conventualitatem.

XI. Non liceat provinciali absque expressâ licentiâ superioris generalis contributionem imponere in suâ provinciâ; possit tamen licentiam concedere alicui ministro, ut de consensu maioris partis capituli conventualis opem ferat alteri conventui vel collegio indigenti. Super quo hortamur omnes ministros et conventus, ut mutuo se adiuvent, ut religiosa et fraterna charitas ita exerceatur et conservetur.

XII. Provincialis expirans rationem in capitulo reddat superiori generali de omnibus expensis ab ipso factis in illo triennio, et in quibus eas fecit. Quod si non reddiderit, ipse superior generalis illam exigat.

XIII. Si provincialis obierit, vel aliâ de causâ eius officium cessaverit, praedecessor immediatus sit ipso facto vicarius provincialis, nisi inhabilis vel impeditus sit: nam tunc vicarius provincialis erit definitor generalis primus, filiusque illius provinciae, et in istius defectu secundus, donec, congregatis definitoribus provincialibus, publicetur electio praesidis designati a superiore generali ad provincialis electionem faciendam in domo ab ipso superiore generali illis destinatâ, et cum definitorio eligat provincialem.

XIV. In casu mortis alicuius provincialis, eius secretarius et minister, ac consiliarii conventus in quo obiit, vel viciniores (si forte extra claustra mortuus fuerit), intra arcam trium clavium ponant et custodiant manticas, codices et scripturas, ac alia similia, quae penes defunctum et ad ipsum attinentia inventa fuerint, et claves manticarum apud secretarium sint, qui etiam unam ex tribus clavibus habebit, donec vicarius provincialis vel provincialis de novo electus accedat, cui omnia (simul cum sigillis et formulario officii) tradentur, nisi superior generalis aliter disposuerit. Et praecipimus in virtute sanctae obedientiae praefatis ministro secretario et consiliariis, ac omnibus et singulis aliis religiosis, quod nunquam aperiant, nec aperire permittant dictas manticas, nec videant seu legant scripta, quae apud se provincialis defunctus habebat.

§ 7. De patribus definitoribus provincialibus.

I. Patres definitores provinciales solum debent esse quatuor pro qualibet provinciâ, et unusquisque non mediocriter doctus saltem in morali theologiâ. Nec aliquis eligatur in definitorem provinciae, quin habeat decem et septem annos a professione, et duobus trienniis integris fuerit minister conventualis.

II. Definitores provinciales habitent in conventibus suae provinciae a provincialibus designatis, nunquam tamen poterunt esse plures quam duo in eodem conventu vel collegio, nisi per breve tempus; et ubicumque fuerint, sedeant post ministrum, nisi praesens fuerit definitor generalis, qui eisdem definitoribus provincialibus praesidere debet.

III. Si in conventu non fuerit minister, fuerit tamen praeses designatus per superiorem generalem vel eius definitorium, ipse praeses omnes definitores praecedere debet, sicut minister, neuter tamen praesidere eisdem definitoribus.

IV. Praedicti definitores provinciales nunquam se intromittant in regimine domus, nisi absentibus ministro, praeside iam dicto, et vicario; tunc enim, quamvis ibidem sit aliquis definitor generalis, praesides erunt domus definitores provinciales; sed defini-

torem generalem non praecedent, nec in actibus, quibus ipse adfuerit, illi praesidentiam habebunt.

v. Ubicumque fuerint definitores provinciales, immediate subiiciantur superiori provinciae, seu provinciali; non vero praecedant ministrum[1] domus, nec praesidem iam dictum, nisi tempore actualis definitorii provincialis.

vi. In aliis domibus, in quibus provincialis non fuerit, definitores provinciales licentiam et benedictionem accipiant a definitore generali in eisdem existente ad exeundum a domo, et a patre ministro socium petant: non tamen ipsi, sed socii tantum benedictionem accipiant a ministro aut praeside per superiorem generalem aut definitorium generale designato.

vii. Si definitor generalis non fuerit domi, ipsi definitores provinciales recurrere debent ad ministrum eo modo et formâ, quibus definitores generales recurrere debent, iuxta dicta § 3, num. vi, *De definitoribus generalibus*.

vii. Licet definitoribus provincialibus, sine alicuius etiam superioris impedimento aut examine, scribere aut recipere epistolas ad illos missas, et similiter alloqui quascumque personas, dummodo observent regulam et constitutiones quoad loca et tempora.

ix. Ut possint obtinere officia provinciae, reputentur filii eius omnes in eâ professi, et etiam omnes illi qui ante eius erectionem intra eamdem functi fuerant aliquo officio, aut fuerant conventuales in illâ, necnon illi quos superior generalis incorporaverit iuxta nostras constitutiones. Omnes religiosi semper habere debeant eamdem reverentiam definitoribus suae provinciae in provinciâ, quam praestare tenentur definitoribus generalibus in toto Ordine.

§ 8. De visitatoribus et visitatione conventuum.

i. Hortamur in Domino visitatores, ut scopus ac finis suarum visitationum semper sit conservare in suo vigore et perfectione observantiam nostrae regulae, semotis interpretationibus quae totam observantiam deturbant, et vim regulae, potius quam explicent, infringunt; nullius enim est interpretari, nisi supremi capitis, cuius est condere: ideo tamen magnâ sollicitudine debent visitatores suae vigilantiae aciem dirigere, ut amoveant contrarias intelligentias et abusus, qui contra legem nec usus nec consuetudines possunt dici; maxime circa redemptionem captivorum, quibus iuxta spiritum Ordinis et intelligentiam religiosis semper fit iniustitia, quando vel ex determinate datis ad redemptionem, vel ex tertiâ parte separandâ pro illâ, aliquid subtrahitur vel detrahitur a nostris. Eosdem similiter hortamur ut diligenter curent de observantiâ constitutionum, sanctarum consuetudinum et caeremoniarum, pacem statuere, culpas ac negligentias corrigere et punire.

ii. Pro initio visitationis iubeat signum fieri ad capitulum, et omnibus simul iunctis ac genuflexis incipiat antiphonam: *Veni, Sancte Spiritus*, quam omnes prosequantur; et post eam dicat: ℣. *Emitte Spiritum tuum et creabuntur, etc.*, et orationes: *Deus qui corda fidelium*, *etc. Defende quaesumus, Domine, etc. Deus qui per SS. NN. PP., etc.* Postea omnes sedeant, et visitator faciat brevem concionem spiritualem ad intentum pro suâ visitatione.

iii. Quo facto, imponat praeceptum et censuram sibi reservatam, ut moris est, ut omnes ante ipsum dicant et denuncient quidquid correctione dignum animadverterint tam in praelato quam in subditis, omni affectione, amore vel odio seclusis, atque an in quaerendis et custodiendis eleemosynis pro redemptione captivorum observetur exacte, quae[1] leges nostrae disponunt; et ad hoc ut ante ipsum quoque manifestent omnia quaecumque penes ipsos fuerint, sive pro suo usu, sive pro alio fine quovisve titulo; et insuper sub praedicto praecepto et censurâ iubeat ab omnibus custodiri silentium in pertinentibus ad ipsam visitationem, tam inter se quam scriptis, exceptis duobus viris doctis, quos designare debet, ut religiosi de sibi dubiis occurren-

1 Edit. Main. legit *ministro* (R. T.).

1 Potius lege *quod* (R. T.).

tibus consulant. Durabit autem dictum praeceptum per dies necessarios, sed non pauciores quam quinque.

IV. Ante examen religiosorum visitet SS. Eucharistiae sacramentum, altaria, oleum sanctum, ornamenta, ceteraque alia ad cultum divinum pertinentia.

V. Postea, vocando sigillatim religiosos, visitet, examinet ac diligenter ab eis inquirat: primo, quomodo observentur mandata Dei et praecepta sanctae Ecclesiae, necnon quatuor vota, praecepta Ordinis, eius regula, constitutiones, decreta sui capituli generalis, sui provincialis, sui utriusque definitorii, et sanctae consuetudines Ordinis; item an fuerit vel sit aliquod scandalum, vel quid habens speciem peccati, tam intra quam extra conventum; an sit pax inter religiosos; an observetur regularis disciplina in officio divino, oratione, silentio, vitâ communi, clausurâ, ceterisque obligationibus; an abusus introducatur in vestitu aliisque rebus; an praelatus necessaria religiosis praesertim infirmis suppeditet: si autem alicui religioso infirmo aut non infirmo necessaria desint, antequam visitationem suam finiat, ministrum obliget, ut, antequam finiatur visitatio, defectum suppleat, nisi constet ab alio ministro eum de vestitu provideri debere, quia scilicet per biennium ante visitationem religiosus alteri conventui inservierat: et an ipse regulam ceteraque alia observet.

VI. Ut visitatores haec adimpleant, necesse est calleant ea quae ad correctionem fraternam attinent et ad regulam, constitutiones et consuetudines; ideoque oportet eos habere summarium principalium statutorum quae observari debent, ut iuxta illud facilius interrogent et examinent religiosos.

VII. Cellas visitent, et videant quae ad usum religiosi habent, et quae paupertati observantiaeque nostrae conveniens non fuerit, amoveant, et necessaria subditis ministrari faciant.

VIII. Officinas etiam visitent, et animadvertant si in illis sint necessaria pro religiosis tam valentibus, quam male habentibus, vel aliquid superfluum et indecens nostro statui; carcerem quoque visitent, et notent si in eo sint quae debent iuxta disposita supra cap. XXXI, § 4. Bibliothecam quoque videant, et examinent an iuxta eam et eius libros observentur supradicta cap. XXXVIII, § 7.

IX. Similiter diligenter visitent libros conventus, tam illos in quibus bona stabilia et census continentur, quam illos in quibus notantur recepta et expensa in quacumque specie pecuniae, tritici, ordei, vini, olei, etc., necnon libros redemptionis captivorum et receptionis ad habitum et professionem, ab ultimâ visitatione usque ad illam; et praelatos contra Bullas et decreta pontificia sive in toto sive in parte recipientes ad habitum vel professionem aliquos novitios, poenis impositis in illis et aliis ad suum arbitrium provinciales afficiant.

X. Deinde visitent tabulam seu catalogum religiosorum defunctorum; librum etiam in quo scribuntur missae et alia suffragia obligationesque perpetuae conventus, et videant an illis sit satisfactum. Si autem satisfactum non fuerit, praeceptum imponant ministro, ne eleemosynae missarum ulteriores recipiantur ab eo, usque dum omnes antecedentes adimpleantur a domo taliter ut, si in integrum non fuerit satisfactum, satisfieri possit sequentibus futuris et paucis diebus. Minister vero tali praecepto contraveniens, privatus sit et inhabilis in posterum ad iurisdictionis officia. Quod si invenerint aliquem defectum, statim curent plene satisfieri, et severe puniant superiorem negligentem.

XI. Praeterea examinent confessarios, concionatores et in collegiis studentes, praeter collegas biennii, iuxta supradicta suis locis.

XII. Insuper coram communitate attente videant habitus, scapularia, cappas et capitia religiosorum, et curent quod exacte observentur mensurae dispositae a nostris constitutionibus, severe puniendo praelatum in hac parte remissum et negligentem et religiosos excedentes.

XIII. His peractis, iterum in aulam capitularem religiosos convocari iubeant, et exhortationem spiritualem faciant laudando

virtutes et observantiam, ac corrigendo defectus et culpas omnium in communi et singulorum in particulari. Ac deinde religiosi, quibus nulla culpa imposita est, defectus suos ipsimet, ut moris est, confiteantur.

XIV. Si minister vel definitor provincialis aliquam commiserit culpam maiori parti communitatis ignotam, visitator illum in publico non reprehendat, sed in secreto, coram aliquibus ex observatoribus et notitiam habentibus. Similiter secreto corripiat secretas ceterorum culpas, et publice publicas ac notorias. Et quando gravitas delicti virgam iustitiae exigat, semper visitator simul misericordiâ utatur. Hortamurque illum in Domino, ne impunitas relinquat culpas, ita ut exinde maioribus excessibus occasio et ansa praebeatur. Visitator autem, quamvis sit ipse provincialis, visitare non debet patres definitores provinciales circa adimpletionem sui officii; haec enim visitatio ad definitorium provinciale pertinet post capitulum; ipsos tamen visitare debet circa cetera ut sibi subditos.

XV. Correctione culparum finitâ, praeceptum imponat visitator, ut pro tempore, iuxta prudens eius iudicium, necessario omnes et singuli de actis in illâ visitatione ad eam pertinentibus strictum silentium observent, tam inter se quam inter alios quoscumque, et tam verbis quam scriptis; quod intelligitur etiam quoad silentium cum superioribus, nisi ab his interrogentur expresse. Deinde omnes in communi leviter flagellis cedat, et postea sequenti absolvat formâ, videlicet omnes prostrati dicant confessionem generalem: postea visitator: *Misereatur vestri, etc. Indulgentiam absolutionem, etc.;* et confestim: *auctoritate, qua fungor in hac parte, in quantum possum, absolvo vos ab omni sententiâ excommunicationis maioris vel minoris, suspensionis et interdicti. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Amen.*

XVI. Si visitatori expediens visum fuerit, aliqua facere statuta (vulgo acta), rebus exigentibus et maturo consilio perpensis, illa in scriptis faciat, et in arcâ trium clavium custodiantur. Durabunt autem tantum usque ad sequentem visitationem, sin ea denuo approbata non fuerint. Omniaque praecepta et censurae cessent, cessante officio provincialis, qui ea imposuit, et solum maneant tamquam simplicia mandata usque ad sequentem visitationem. Monemusque provinciales, ut in primis suis visitationibus scire curent praecepta, censuras, acta et mandata suorum praedecessorum, ut denuo illa approbent, si expedire viderint.

XVII. Si in aliquo conventu visitatores aliquam invenerint culpam excedentem suam iurisdictionem, statim suo definitorio generali notitiam praebeant, mittentes processum (si factum fuerit) vel informantes de delicto. Quod si hoc tale fuerit quod remedium praesentaneum exigat, apponant [1] necessarium, quamvis delictum (ut dictum manet) iurisdictioni suae non subsit.

XVIII. Decernimus, quod quilibet praelatus possit punire et puniat quaslibet culpas ad suam iurisdictionem pertinentes, procedendo in earum cognitione sine strepitu et figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, iuxta concessionem motu proprio factam Ordini nostro a felicis recordationis Paulo Papa V die XVII augusti anno MDCXI, qui [2] incipit *Circumspecta Sedis Apostolicae;* et ideo quoties in ministro vel definitore ex visitatione deprehendant reatum privationis, visitationem suam non finiant, et suo definitorio denuntient, ut ab eo definitorio generali proponatur causa, ut, si expediens visum fuerit, ab isto deponatur delinquens.

XIX. Visitatores, et alii quicumque iudices, in causis quas formaverint, non manifestent reis nomina testium, nec circumstantias aliquas, per quas in illorum cognitionem venire possint.

XX. Denique visitatores, post finitas singulis annis visitationes, rationem reddant suo definitorio generali de statu conventuum et collegiorum.

XXI. Qui per delegationem patris ministri generalis vel definitorii generalis Ordinis totam nostram religionem, vel per delegationem superioris generalis aliquam fami-

1 Edit. Main. legit *opponant* (R. T.).
2 Vocem *qui* nos addimus (R. T.).

liam, vel aliquam illius provinciam vel conventum aut collegium visitaverint, teneantur visitando manifestare commissionem quam portant; itaut visitator electus pro familiâ, eam manifestet in primo conventu familiae a se visitando[1], visitator provinciae, in primo provinciae, et qui solum fuerit visitator unius aut plurium, sed non omnium provinciarum, aut aliquorum conventuum intra provinciam, eam manifestare tenetur in qualibet provinciâ, vel in quolibet[2] conventu suae visitationis. Obedientia tamen ei praestabitur statim ac primo illam in aliquo conventu patefecerit, et possessionem acceperit.

XXII. Visitatores praedicti praesideant in omnibus conventibus, ad quos iurisdictio sua se extendit, omnibus aliis religiosis, tam praelatis quam subditis, eâdem auctoritate, potestate et praeeminentiâ, qua fungitur qui eos delegavit.

XXIII. Quando vero aliquis pro conventu Curiae Romanae visitando designatus fuerit, tantum praesidebit religiosis illius a die qua illis per se ipsum notoriam fecerit suam commissionem, quae solum durabit usque ad finem visitationis, et hac peractâ cessabit officium, subditusque remanebit ministri dicti conventus, et eo absente, procuratori generali, nisi forte visitator aliàs superior sit. Idemque omnino intelligatur respective de visitatore delegato alterius vel aliorum conventuum in particulari.

XXIV. In reliquis omnibus visitator delegatus servet formam visitandi supradictam (nisi aliquid ei in commissione limitetur) et instructionem etiam sibi datam a delegante, sub poenâ, iuxta gravitatem culpae, ei infligendâ.

§ 9. De officio ministrorum.

I. Nullus sit eligibilis in ministrum, quin expleverit decem et septem annos a professione, et prius fuerit per triennium lector theologiae, vel secretarius superioris generalis, vel provincialis aut procurator generalis in Romanâ vel Regiâ Curiâ, vel praedicatus fuerit sex integras quadragesimas, ita ut in qualibet hebdomadâ uniuscuiusque tres habuerit conciones, et, titulo praedicationis, nec carnes comederit, nec lineis usus fuerit, vel per sexennium fuerit procurator provinciae vel redemptionis, vel fuerit vicarius duorum conventuum vel collegiorum, vel magister novitiorum, aut superioris generalis amanuensis.

II. Qui tamen aliquam graduationem habuerint, nonnisi nimio adhuc delectu seligendi sunt inter omnes; quippe strictius quam praelatis[1] aliis ministro commissa est observantia et regularis disciplina, quae, si praelatus immediatus non fuerit eximio zelo praeditus, et prudentiâ summâ dotatus, necessario ruet in conventibus, immo et in totâ provinciâ suâ; quia per praecisam mutationem conventualium de uno in alium conventum, in dies grassabitur, ut pestis, ita ut in brevi veniat tota relaxanda provincia.

III. Ideoque monemus electores, ut ante oculos habeant, tamquam electionis scopum, dotes personales eorum, quos elegerint in ministros, quod non ducantur solâ graduationis specie; quia multa[2] sunt lecturâ, officio magistri aut praedicatoris approbati, et in ministro deficiunt, quia non omnes sunt ad omnia nati, et in ministerio religioni causant praeiudicium, et bonum nomen iam ademptum (?) ex novo suo deperdunt officio. Caveant ergo electores ne in ministros eligant qui per suam anxietatem animi, vel libertatis quam habent defectum, aut aliam causam, sint inhabiles ad spirituales exhortationes suis communitatibus faciendas; quippe turpius eiiciuntur a suo ministerio, si in hac obligatione deficiant, quam si, quia illam adimplere non possunt, ad officium non eligantur.

IV. Minister noviter electus, statim ac sui officii litteras patentes acceperit, possessionem accipiat: si autem per ipsum steterit, et per tres menses adhuc non acceperit possessionem, ministerium vi huius constitutionis reputetur vacans, et ad definitorium provinciale devolvatur alterius subiecti electio nova.

1 Aptius lege *visitandae* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *qualibet* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *praelatus* (R. T.).
2 Videtur legendum *multi* (R. T.).

v. Patri ministro humiliter et reverenter sui obediant subditi. Ad ipsum spectat immediate conventus vel collegii regimen; et principalis cura scopusque illius sit spiritualis subditorum profectus, praeeunte semper ipso, doctrinâ et exemplo. Quapropter nec minister generalis poterit ministrum aliquem eximere a vitâ communi.

vi. Ad ipsum etiam pertinet hortari frequenter subditos ad observantiam regulae, constitutionum, sanctarum consuetudinum et caeremoniarum, applicando contravenientibus, sine exceptione personarum, poenas per constitutiones nostras impositas. Nec permittat subditos se intromittere in negotia secularium; ministrum autem in executione huius constitutionis remissum pater provincialis ad arbitrium suum puniat.

vii. Disponat et praecipiat minister in suo conventu, quidquid illi conveniens visum fuerit ad maiorem observantiam et subditorum reformationem et correctionem. Quod ut melius ac plenius exequi valeat, decernimus quod faciat et substantiet processum et informationes culparum ac delictorum [1] commissorum a religiosis in suo conventu, vel alio in loco sui confinii, quamvis delicta excedant suam iurisdictionem, puniatque usque ad culpam gravem inclusive; nam graviores, et quibus annexum est scandalum, provinciali eius et definitorio servantur. Ceterum si contigerit quod aliqua culpa suam excedens iurisdictionem brevi indigeat remedio, opportunum adhibeat, illamque puniat, ac statim, sub poenâ suspensionis ab officio per mensem unum, moneat superiorem, ad quem causa spectat; et ceteras informationes culparum, quas ipse non punierit, mittat praelato, cui competat sententiam proferre. Nullus autem minister poterit sui conventus visitationem generalem facere, imponendo praecepta, et censuras: hoc enim proprium est provincialis.

viii. Sit etiam minister in temporalibus valde providus, ut in omnibus suis subditis nihil de necessariis de victu et vestitu deficiat. Ad quae distribuenda non expectet religiosorum petitiones quando necessitas patuerit, sed eas pastorali sollicitudine praeveniat, et amore paterno aequaliter omnibus iuxta cuiuslibet indigentiam subveniat, ut sic religiosi, relictâ omnium temporalium curâ, spiritualibus magis intenti sint. Provincialis autem in suâ primâ visitatione corrigat severe reprehendendo ministrum in hoc deficientem; et si in secundâ visitatione ex depositione maioris partis communitatis eum non invenerit emendatum, deponentium testimonia suo definitorio tradat, ut in eo determinetur an causa sufficiens sit depositionis, et si sufficiens fuerit, definitorio generali proponatur ab eo.

ix. Disponat etiam et distribuat in suo conventu officia per se solum, vel simul cum provinciali aut capitulo conventuali (iuxta ea quae in diversis particularibus harum constitutionum statuuntur) constituendo in illis personas idoneas. Officiales autem omnia sibi a principio tradita iuxta eorum inventarium suis successoribus vel consiliariis tradant.

x. Curet minister quod in omnibus officinis sui conventus sint inventaria, seu libri in quibus scripta inveniant [1] omnia quae sunt in dictis officinis. Et bis quotannis cum consiliariis et officialibus respective illas et libros visitet, ut incrementa scribantur, et de necessariis quae defecerint diligenter provideat.

xi. Quando superior praelatus miserit litteras patentes pro transferendo aliquo religioso in alterum conventum, non eas subscribant minister et consiliarii, donec talis religiosus in procinctu sit ad iter arripiendum. Eo autem ipso quod subscribuntur, statim cessat eius conventualitas, et deinde tamquam hospes habeatur. Nec minister alterius domus, ad quam pervenerit vel per quam transierit futurus conventualis alterius, aliam validam refrendationem efficere poterit: computatio enim dierum solum facienda est a primâ refrendatione, usque ad diem ingressus in conventu ad quem.

xii. Si conventus aliquis pecuniam habeat (etiam obligationum seu missarum perpe-

1 Male edit. Main. legit *debitorum* (R. T.).

1 Forsan *inveniantur* (R. T.).

tuarum) conferendam in censum, minister (adhuc suffragante capitulo conventuali) id facere non valeat sine patris provincialis facultate.

xiii. Nullus minister vel particularis religiosus, quamvis sit procurator conventus, seu administrator bonorum seu facultatum ipsius, destruat, diruat, demoliatur aliquam domum vel possessionem, nec radicitus evellat vineas, oliveta, arbusta, imo nec religiosus agricola aut hortolanus arborem (nisi aridam) succidat, sine consensu communitatis et licentiâ in scriptis praelati superioris, qui illam concedet, maiori utilitate inspectâ; nec similiter sine praefato consensu et licentiâ valeat aliquis ex dictis vendere aut alienare aedificiorum dirutorum reliquias et materias, nec etiam emptas aut alio titulo receptas pro novâ fabricâ aut pro reparatione conventuum seu possessionum eorum. Qui autem huic constitutioni contravenerit, ex ipso facto sit privatus in perpetuum actuali et simili officio.

xiv. Nullus item minister aut praeses valeat in toto cuiuslibet anni spatio vendere aut alienare triticum, ordeum, oleum, vinum, similia (sive sint ex propriis praediis collecta, sive empta, sive pie data), ultra quantitatem et valorem quadraginta ducatorum ex unâquaque specie, sine consensu maioris partis capituli conventualis. Et semper in libro expensarum scribantur quantitas et qualitas venditorum seu alienatorum; et etiam notetur in eo dictus consensus capituli conventualis quando intervenerit; contravenientes autem isti constitutioni, severe puniantur ad arbitrium patris provincialis iuxta qualitatem culpae.

xv. Patres ministri simul cum consiliariis (iuxta formularium) faciant rationum summas (vulgo *carta quentas*) status suorum conventuum, collegiorum, incrementi eorum provisionis, debitorum, aliarumque rerum, idque tempore apto disponant, ita ut dictae rationum summae (a ministro utroque et consiliariis subscriptae) mittantur et perveniant (simul cum libro seu rationibus missarum) ad manus secretarii definitorii provincialis quindecim dies ante capitulum provinciale, ut praedictum definitorium tempus habeat ad eas videndas. Istarum autem copia et transumptum de verbo ad verbum subscriptum etiam a ministro et consiliariis maneat in conventu in libro deputato ad hunc effectum tantum. Quod si aliquis minister tempore dicto et determinato non miserit dictam rationem, puniatur ad arbitrium ipsius definitorii. Ut autem sine querelâ constet de relictis ab uno et receptis ab alio, minister, qui spirat, tradat per inventarium ministro novo aut praesidi, ut hic etiam tradat novo ministro omnia quae tunc temporis tradenda fuerint, et novus minister eorum quae receperit inventarium tradentis et recipientis manu subscriptum suo definitorio mittat statim, ut, si aliquâ ratione summa facta inveniatur absque debitâ fidelitate, subscribentes privati sint voce et loco per annum.

xvi. Minister ante finem sui officii provideat conventui seu collegio suo de omnibus rebus necessariis ad sex menses post subscriptum inventarium, quod subscribendum est ante capitulum per unicum tantum mensem et non antea.

xvii. Minister (non socius) in suo conventu vel collegio maneat tempore capituli provincialis, et illum regat et gubernet, ac in eo praesideat etiam post capitulum, donec novus minister accedat possessionemque accipiat, nisi in praelaturâ fuerit electus.

§ 10. De praesidentibus.

i. Pro casu defectus ministri generalis intra sexennium, prior definitor generalis Ordinis, vi huius constitutionis, erit praeses illius et futurae congregationis usque ad electionem vicarii generalis, ut dictum est cap. xl § 9 n. i. At vero casu, quo superior generalis (etiamsi fuerit minister generalis) exierit a suâ familiâ, praeses illius erit quem ipse designaverit pro tempore suae absentiae, et exercere poterit tamquam familiae superior solum vices illas, quas commiserit illi qui eum nominaverit.

ii. Praeses autem, designatus a superiore generali pro alicuius capituli provincialis praesidentiâ, eam omnem facultatem habebit tempore capituli ad electiones et regimen ipsius, quam haberet ipse superior. Cete-

rum, si provincialis deficiat, vel illius officium quomodolibet vacet, praeses designatus a superiore ad electionem superioris provinciae eamdem potestatem habebit ac si esset praeses capituli provincialis; sed in casu absentiae provincialis a suâ provinciâ, praeses illius erit provincialis antecedens; et si impeditus fuerit hic, definitorium provinciale, praeside provinciali ipso, eligat praesidem provinciae pro tempore absentiae; sed nunquam eligat actualem definitorem provinciae, ne definitorum numerus diminuatur. Electus vero vices provincialis, quas ipsi commiserit, exercebit.

III. Quando aliquis praelatus superior deputaverit praesidem alicuius conventus seu collegii, duret eius officium, quamvis cessaverit officium delegantis, usque ad possessionem ministri vel novi praesidis; et idem intelligatur de vicario sive alio praeside deputato pro tempore capituli generalis seu provincialis in conventibus seu collegiis, quorum ministri sunt. Sed solum quando superior generalis vel definitorium generale designaverit praesidem conventus, collegii, seu novae fundationis, eamdem potestatem et praeeminentias habeat praeses, ac si esset minister.

IV. In absentiâ ministri, praeses semper erit vicarius, et in istius defectu, definitor provincialis antiquior, et in absentiâ omnium definitorum provincialium, antiquior definitor generalis, et istis omnibus deficientibus, redemptor captivorum, ac in istius absentiâ, procurator generalis, et isto deficiente, nisi minister iustâ de causâ sacerdotem minus antiquum deputaverit, semper erit praeses sacerdos antiquior in professione: nullus autem ex praefatis aliquid innovet. Si autem minister absens fuerit ab oppido, ubi est eius coenobium, ultra vigintiquatuor horas, poterunt praedicti tunc casus imponere praecepta, et recipere novitios ad habitum et ad possessionem; adhuc tamen vicarius in isto casu non praecedat in sede definitores, nec isti ab illo socium petant ad exitum a domo.

V. Quamvis in aliquo conventu vel collegio sit vicarius actu exercens suum officium, poterit pater provincialis pro absentiâ ministri a domo suâ nominare et eligere praesidem ubi et quando expedire viderint.

§ 11. De gubernio paterno et spirituali praelatorum.

I. Praelati sunt pastores et patres suorum subditorum, ideoque debent spiritualia pascua eis ministrare, ignorantes docendo, remissos fovendo, iacentes erigendo. Haec execere tenentur singulari amore et benevolentiâ erga omnes et singulos eorum. Quod ut aptius faciliusque adimpleant, oportet ipsos agnoscere mores, conscientiam et vires uniuscuiusque, viam et profectum spiritualem, orationem, virtutes, in quibus se exercet, mortificationes, quibus utitur, gratias, quas a Deo accepit, et quid ex his et sacrae communionis frequentiâ utilitatis et fructus percipiat. Hoc est enim pastorem perfecte cognoscere gregem suum.

II. Expedit igitur quod hoc paternum regimen omni curâ teneatur ac diligentius observetur a maioribus superioribus. Quapropter superiores generales, provinciales et definitorium etiam generale et provinciale maximo opere invigilare debet pro spirituali profectu sibi subditorum, mittendo quandoque intra suam iurisdictionem litteras pastorales, exhortationes et instructiones ad maiorem observantiam et extinctionem abusus, si aliquis introducatur, et illius auctores puniendo.

III. Praeterea praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, omnibus religiosis subditis et praelatis, ne investigare audeant zelatores occultos, quos praelati pro bono regimine habere debent aut designare, neque praesumant de his zelatoribus colloquia inter se, neque inter saeculares, quamvis ipsi religiosi zelatores sint, nullo modo, verbo aut scripto habere aut instituere, sub poenâ inhabilitatis perpetuae ad Ordinis officia.

IV. Provincialibus utpote ordinariis visitatoribus specialius competit cura suorum subditorum: quare in visitationibus observabunt quae dicta sunt supra § 8 huius capitis; nec sibi satisfaciant cum correctione exteriori, sed hominem interiorem dirigere praesertim curent. Pro quo epistolas spirituales etiam mittant (quando illis expedire visum fuerit) per totam suam provinciam,

et alias exhortatorias ad progressum et correctionem subditorum.

v. Ministris conventualibus immediate hoc regimen incumbit. Ab illis praecipue subditorum salus spiritualisque utilitas pendet, de qua in extremo iudicio strictissimam rationem reddent. Idcirco, ut suae obligationi satisfaciant, tenentur spiritualem illorum vitam exemplo suo alere, et doctrinâ suâ perficere, illam omnibus et singulis pro uniuscuiusque statu et capacitate proponendo, ac de quadrimestri in quadrimestre affabiliter cum unoquoque in particulari agendo et communicando omnia quae ad directionem animarum suarum spectant. Minister qui in primâ et secundâ visitatione repertus fuerit omissus[1] circa huius constitutionis observantiam, illico suspendatur a ministro.

§ 12. De his qui possunt vel non possunt eligi in praelatos.

i. Nullus religiosus sit eligibilis ad praelaturam aliquam, neque reputetur aptus ad illam, nisi habeat aetatem, graduationem et circumstantias, quae designantur ad illam praelaturam. Qui vero propter fractam aegramque valetudinem alia officia exercere non potuit, si tamen sit persona provectae aetatis, et virtute, doctrinâ, consilio, et aliis dotibus praedita, eligi poterit in definitorem. Ceterum tantum erit unus definitor qui vitae communis austeritatem sequi non valeat.

ii. At vero in ministrum generalem, commissarium generalem, ministrum provincialem et conventualem eligi non poterit, qui propter fractam valetudinem sit omnino impeditus ut choro interesse non valeat, vel carnibus vescitur, lineisque utitur. Attamen si post electionem ita aegrotaverit (quamvis sit minister generalis) ut iudicio medicorum propter paralysim aut similem infirmitatem desperata sit eius salus, non debet deponi, sed eligendus erit vicarius generalis pro regimine religionis ad inhabilitatis tempus solum, ut in capite finali *De clerico aegroto* et in capite *Ex parte* disponitur in simili. Idem suo modo dicendum est de aliis superioribus.

iii. Ceterum decernimus, quod nullus eligatur ad duas praelaturas simul. Nec praelatus aliquis sit simul procurator generalis, exceptis ministris conventus et collegii Curiae Romanae. Nec similiter sit aliquis simul praelatus et redemptor captivorum.

iv. Pater minister generalis in capitulo, in quo spirat, non possit reeligi in ministrum generalem, neque in aliam praelaturam, commissarii videlicet, definitoris generalis vel provincialis, neque ministri provincialis nec conventualis, usque ad definitorium celebrandum post annum cum dimidio. Deinde commissarius generalis eligi non poterit in ministrum generalem, nisi casu, quo ad suam commissionem electus fuerit per solum annum ante capitulum: nec reeligi poterit in commissarium, nisi per triennium integrum non fuerit functus officio suo in quo spirat.

v. Praeterea nullus praelatus superior neque inferior eligi poterit in capitulo, in quo spirat, ad idem officium, neque ad aliam praelaturam, usque ad praedictum definitorium, nisi in superiorem generalem, ministrum scilicet aut commissarium, si per sex annos integros et continuos functus fuerit officio definitoris generalis, vel uno triennio definitoris generalis vel provincialis, et alio ministri provincialis. Nec aliquis minister eligi poterit in ministrum eiusdem domus, nisi dispensante definitorio generali, ut dictum est cap. xxxix, § 12, num. ii. Reelectio ministri conventus nostri romani S. Caroli, sive collegii nostri de Propagandâ Fide, vi huius constitutionis fieri potest, nunquam tamen in favorem eius, qui reeligitur, sed utilitate domus inspectâ.

vi. Similiter, qui per sex annos continuos et integros fuerit minister conventualis, vel uno triennio etiam integro praelatus superior Ordinis vel provinciae, tantum poterit eligi in ministrum alicuius domus, ex duabus matricibus suae provinciae, vel pro primâ vice tantum in provincialem vel definitorem eiusdem. Per officia autem continua et integra intelligimus illa quae non vacarunt per tres menses continuos, sive in principio triennii, sive in medio, sive in fine.

1 Forsan *remissus* (R. T.).

vii. Insuper duo fratres germani non possunt sibi immediate succedere in eodem officio ministri vel commissarii generalis, definitoris generalis, provincialisve, neque ministri provincialis vel socii, iuxta Breve sanctissimi domini nostri Clementis X expeditum die xv decembris annos MDCLX incipiens *Exponi nobis*. Nec possint etiam dicti duo fratres germani simul, seu in eodem tempore et triennio, habere officia, quibus annexum sit votum in capitulo.

### REGULAE CAPUT XLI.

**Postquam vero definitores generales, etc.**

### Caput xli. — *De visitatione et depositione praelatorum.*

§ 1. De formâ visitandi patrem generalem et definitores.

i. Minister generalis, finito capitulo generali, in quo eius officium expirat, visitetur per novum ministrum generalem et novum definitorium: ad quod novus minister generalis imponat praeceptum omnibus capitularibus, ut intra viginti quatuor horas coram ipso manifestent, si quid animadverterunt seu notarunt in patre ministro generali circa mores, regimen observantiamque nostrae regulae et constitutionum, atque sui officii executionem; et si aliquae culpae apparuerint, praedictus minister generalis noviter electus cum toto definitorio generali Ordinis poterit ei applicare poenitentiam proportionatam. Si vero ex depositionibus factis a capitularibus videatur expedire maiorem facere culparum inquisitionem, praecipimus quod, intra tres menses post celebrationem capituli, omni secreto et diligentiâ fiat dicta inquisitio, ut, instructo processu, delinquenti applicetur sententia.

ii. Definitores generales Ordinis, qui expirarunt, visitentur etiam finito ipso capitulo generali per novum definitorium. Inquisitio autem solum fiat circa executionem suorum officiorum; circa mores enim visitatio et inquisitio reservetur patri ministro generali, qui ante praedictum capitulum tenetur facere illam, et simul cum definitorio iudicare, quando in aliquo ex definitoribus culpa aliqua ponderis apparuerit.

iii. Si quis religiosus habuerit aliquid contra superiorem generalem vel definitores, id manifestet illorum visitatoribus respective, certiores illos faciendo, vel per litteras, vel per provincialem, vel per socium, vel alio convenienti modo.

iv. Commissarius generalis alterius familiae et definitores generales eiusdem visitari debent in capitulo generali Ordinis, in quo expirant, per ministrum generalem novum, et definitorium generale Ordinis tunc electum. Ceterum omnes visitari debent, non solum quoad executionem suorum officiorum, sed etiam quoad mores et observantiam regulae et constitutionum, et de culpis, quae apparuerint, corrigi ac puniri debent a praedictis visitatoribus. In capitulo autem intermedio, [1] commissarii et definitorum generalium qui expirarunt in eo, a novo commissario novoque definitorio fiat: et si apparuerint culpae, proportionata applicetur punitio.

v. Pater provincialis, qui expirat in capitulo provinciali, visitari debet ab eius praeside circa mores, legum observantiam, et sui officii executionem, eo modo et formâ quibus dictum est cap. xl, § 4 *De capitulo provinciali*, n. xxvi, ubi de definitoribus provincialibus dicitur etiam.

§ 2. De causis propter quas praelati deponi debent.

i. Definitores generales Ordinis seorsim corrigant et emendent excessus patris generalis, qui coram ipsis humiliter se prosternens veniam petat, et stans de suis excessibus se accuset. Quod si praevaricator Ordinis fuerit aut contemptor, aut adeo negligens et remissus ut Ordinis dissolutionem et destructionem inducat, moneatur a definitoribus ut officio generalatus cedat, alioquin eum deponendi liberam habeant facultatem. Quod utique accipiendum iuxta dicta cap. xxxix, § 11, n. xviii.

ii. Commissarius generalis et definitores generales Ordinis vel familiae, atque ministri provinciales et ministri conventuales a suis superioribus iuxta regulam amoveantur a suis officiis, casu quo commiserint peccatum aliquod contra tria vota essentialia et quartum non ambiendi, vel manifeste de ipsis fuerint vehementer suspecti; item si

1 Videtur deesse *visitatio* (R. T.).

aliis negociis dediti non adimpleant suum munus, et ter moniti negocia non relinquant; vel si inutiles aut ita negligentes fuerint ad gubernandum, ut sequatur grave detrimentum regulari observantiae; vel si minis, pollicitationibus, fraudibus, aut alio simili modo procurent alteri officium intra vel extra religionem; aut si accipiant pecuniam vel rem pretiosam ad hoc ut faciant vel expediant aliquid quod ratione officii expedire tenentur.

III. Ceterum tam contra patrem ministrum generalem, quam contra alios praelatos et officiales, et ad certum tempus canonice electos, definitores ad sententiam depositionis minime procedant, nisi prius ex actis legitime constet respective de causis superius expressis, vel aliis quae ex canonicis sanctionibus et nostris constitutionibus ad depositionem requiruntur.

§ 3. De sigillis in Ordine nostro utendis.

I. Patres superiores generales habebunt tria sigilla. Primum magnum ad signanda negocia gravia et capituli generalis, secundum mediocre ad ordinaria, et tertium parvum pro litteris, hac solâ differentiâ, quod in primo sculpta sit imago SS. Trinitatis; et pater minister generalis habeat in circuitu verba ista: SIGNUM PRIMITIVUM DISCALCEATORUM SS. TRINITATIS ET CAPTIVORUM; pater vero commissarius in circuitu solum habebit haec: SIGNUM DISCALCEATORUM SS. TRINITATIS ET CAPTIVORUM: in duobus aliis pro utroque superiore incisum sit scutum Ordinis, et in circuitu verba haec: PATER MINISTER GENERALIS, vel PATER COMMISSARIUS GENERALIS.

II. Deinde definitoria habeant sua sigilla, in quibus incisum sit scutum Ordinis cum inscriptione istâ per circuitum: DEFINITORIUM GENERALE ORDINIS DISCALCEATORUM SS. TRINITATIS ET CAPTIVORUM, vel pro alio definitorio generali, si familiam nominare non possit, in circuitu sint haec verba: DEFINITORIUM GENERALE UNIUS FAMILLÆ DISCALCEATORUM SS. TRINITATIS CAPTIVORUM. Et cum sigillo sui definitorii signabunt negocia, quae superior generalis expedierit nomine illius, addendo etiam in illorum corpore: *De consensu nostri definitorii generalis.* Per haec enim verba et sigillum distinguenda sunt negocia definitorii ab expeditis a superiore generali solo.

III. Singuli patres definitores singula habeant sigilla parva pro epistolis suis, et in illis sit scutum Ordinis et inscriptio haec per circuitum: DEFINITOR GENERALIS ORDINIS, quin addatur *primus*, *secundus*, nec *tertius*. At vero definitores generales familiae in inscriptione non habeant eadem verba, sed solum habeant haec: DEFINITOR GENERALIS UNIUS FAMILLÆ, vel nominando familiam, si locus fuerit.

IV. Quilibet provincialis tria etiam habeat sigilla: unum magnum pro suo capitulo, in quo incisum sit Ordinis scutum, et per circuitum ista verba, exempli gratiâ: PROVINCIA SPIRITUS SANCTI. In aliis duobus, quorum unum mediocre ad ordinaria negotia sui officii, et alterum parvum pro epistolis suis erunt in circuitu sequentia verba: PROVINCIALIS PROVINCIAE N.

V. Praeterea definitorium provinciae alterum sigillum habere debet, quod sculptum habeat scutum Ordinis, et in circuitu haec verba: DEFINITORIUM PROVINCIALE PROVINCIAE N. Cum hoc enim sigillo pater provincialis signare debet quae expedierit nomine definitorii sui, et etiam addere in corpore: *De consensu nostri definitorii provincialis;* necnon provinciae definitores habeant sua sigilla parva cum hac inscriptione: DEFINITOR PROVINCIAE N.

VI. Quilibet etiam minister conventualis habeat sigillum parvum pro epistolis et negotiis occurrentibus: et in illo scutum sit Ordinis, et per circuitum titulus sui conventus vel collegii, verbi gratiâ MINISTER CONVENTUS MATRITENSIS.

VII. Visitatores delegati habeant etiam sigilla cum scuto Ordinis et ista inscriptio: VISITATOR GENERALIS vel VISITATOR PROVINCIALIS. Sigilla autem ista sint apud patrem generalem et provinciales respective, ut ea suo tempore tradant visitatoribus ab eis delegatis, qui et finitâ suâ commissione reddant illa delegantibus.

VIII. Insuper patres redemptores captivorum et procuratores generales et provinciae,

pro negotiis et epistolis sigilla habeant parva et eum scuto Ordinis insculpto et inscriptione per girum: REDEMPTOR CAPTIVORUM, vel PROCURATOR GENERALIS ORDINIS (vel FAMILIAE) N., et similiter procurator provinciae.

IX. Praecipimus, quod nullatenus excedatur a disposito hoc paragrapho, nec ullus alius extra praedictos (cuiuscumque status et conditionis sit) sigillo utatur, sub poenâ gravis culpae.

§ 4. De patribus secretariis praelatorum superiorum.

I. Pater minister generalis in suos secretarios tantum eligere poterit duos sacerdotes, qui suis consiliis, prudentiâ et viribus illum valeant in sui [1] muneris onere portando adiuvare. Illos in scriptis designet, praebendo eis litteras patentes sui officii et secretarii; statim ac eas recipiant, iuramentum emittant in manibus ipsius patris ministri generalis de servando secretum et fidelitatem, iuxta formam praescriptam pro secretario capituli generalis, sub c. XXXIX, § 5, num. XII. Horum autem unus erit secretarius generalis Ordinis, quem assumet ex suâ familiâ, aliusque secretarius generalis alterius familiae ex alterâ assumendus: et non alios eligere poterit, nisi qui antea fuerint definitores generales vel ministri provinciales, aut saltem apti a lege ut tales fierent. Casu autem, quo minister generalis deficiat, vicarius generalis electus secretarios removere non poterit, nisi consentiente definitorio generali Ordinis per omnium consilia, praeter unum. Nec praedicti secretarii generales poterunt eligi ex definitoribus generalibus actualibus, aliisve habentibus suffragium in capitulo generali futuro.

II. Commissarius generalis eligere debet ex suâ familiâ secretarium generalem simili et non maiori graduatione praeditum, qui aliunde suffragium non habeat in capitulo generali futuro, nec in intermedio suae familiae, si fuerint; illique sui officii litteras patentes praebere debet; et secretarius, statim ac eas recipiat, in manibus sui superioris iuramentum faciat, ut supra; et a vice-commissario, si casus occurrerit, defectu commissarii, secretarius removeri non poterit nisi consentiente superiore generali Ordinis. Si autem post triennium fuerit capitulum intermedium familiae, novus commissarius pro libito poterit eligere novum secretarium, vel antiquum assumere sibi.

III. Praeterea superior generalis Ordinis, et similiter superior generalis familiae, sacerdotem amanuensem per litteras patentes sui officii ex eâdem familiâ eligere poterit et ad suum arbitrium removere: eos tamen eligere oportet eleganti caractere donatos, mediocriterque communi aritmeticâ instructos, habiles aliunde atque expeditos taliter, ut spes aliqua supponatur de eo quod temporis decursu, et officiorum graduatione transactâ, aptiores fiant ut eligantur in secretarios. Praedicti enim amanuenses, post acceptas sui exercitii nominationis litteras, iuramentum facere debent fidelitatis et secreti in manibus superioris eligentis eos, vel, de illius commissione, in manibus secretarii. Si vero, vel quod ad minimum, fregerint iuramentum, removeantur ab exercitio, et ipso remotionis facto ob hanc causam intelligantur inhabiles in perpetuum ad officia Ordinis.

IV. Patres provinciales suum etiam unicum secretarium sacerdotem provinciae suae eligere debent, ut suo similiter consilio et prudentiâ sui muneris pondus portare possint et adiuventur, ut ne ducti zelo observantiae rigidioris, vel pietatis specie ducti, mitiores, quam par est, ipsi fiant. Provincialis autem secretarius eligendus est, qui antea fuerit minister, aptusve ut in ministrum electus fuerit, vel saltem qui per triennium fuerit lector theologiae moralis practicae, vel superioris generalis amanuensis, vel per biennium philosophiae lector, aut magister novitiorum vel recens professorum, vel praedicator conventualis; et statim ac litteras patentes acceperit a suo provinciali, in manibus ipsius praedictum praestet iuramentum.

V. Idem omnino faciat visitator delegatus in electione secretarii, et iste in emissione iuramenti, excepto casu quo delegans in commissione designavit visitatori secreta-

[1] Pessime edit. Main. legit *suis* (R. T.).

rium, vel isti litteras patentes dedit: tamen etiam in isto casu secretarius iuramentum faciet in manibus delegati, si in delegantis prius non emiserit illud.

vi. Praedicti omnes secretarii et amanuenses immediate subiiciantur (etiam tempore visitationis provincialis) tantum suo superiori in domo in qua adsit; et, licet absens sit in omnibus domibus iurisdictionis sui superioris, dum eorum officium duraverit, conventuales sint cum voce et loco. Si autem vel per breve tempus fuerint[1] in aliquo conventu seu collegio sine suo superiore, quoad omnia subsint immediate provinciali provinciae, et in illius absentiâ isti ac secretarii provinciales ministro domus, et ad exeundum a domo a suis tantum praelatis, quorum secretarii aut amanuenses sunt, licentiam, socium ac benedictionem accipiant.

§ 5. De patribus vicariis conventuum et eorum officio.

i. Nullus eligatur in vicarium, quin habeat ad minus quatuordecim annos a professione, et sit confessarius virorum ac mulierum, personaque prudens et capax ascendendi ad ministerium post graduationem, dignusque ut sit secundus a ministro in suo conventu vel collegio, et ut in absentiâ ministri sit praeses ceterorum, etiam senium et nimis graduatorum, quin religiosorum humilitas ex praecedentiâ et praesidentiâ minimum sit exercenda. Debet enim eligi in vicarium solus ille qui per sexennium philosophiae et theologiae studuerit, et ulterius per triennium saltem fuerit magister studentium, vel amanuensis superioris generalis, vel procurator redemptionis, vel praedicator alicuius conventus vel collegii, vel concionatus fuerit duas quadragesimas integras, vel in aliquo alio officio fuerit expertus. Definitorium tamen provinciale poterit dispensare in aetate, non autem in aliis requisitis illius.

ii. Vicarius autem ministrum iuvare debet in onere sui officii, pacemque promovere inter subditos et praelatum, ideoque in suis litteris patentibus dicitur, quod convertat cor patris ad filios, et corda filiorum ad patrem. Munus vicarii non duret ultra mensem unum, postquam accessit ad suum conventum possessionemque accepit minister denuo sive in capitulo provinciali sive in suo definitorio electus, quamvis, si solum per biennium officium exercuerit, poterit reeligi in eodem conventu vel collegio, non vero si ultra biennium, nisi dispensante suo definitorio.

iii. Praecipuum vicarii munus est diligenter curare omnia quae attinent ad officium divinum, et quod exacte observentur sacri ritus et Ordinis caeremoniae, ac cuncta quae disponit nostrum manuale. Quare omnia quae circa chorum, altare, processiones et alia ad officium et cultum divinum pertinentias vicarius ordinaverit, executioni mandentur, nisi aliud minister disponat; est enim vicarius magister caeremoniarum, quas si nesciverit, alios edocere non potest. Unde visitatores qui in aliquo conventu vel collegio earum abusum vel inobservantiam notaverint aut audierint, vicarium corrigant severe, ipsumque moneant; et si in secundâ visitatione cuncta in integrum non fuerint restituta ad debitum cultum, ipsum deponant.

iv. Curet etiam vicarius, quod quilibet religiosus adimpleat ministerium in quod ab obedientiâ est destinatus; et ubi magister novitiorum vel professorum non fuerit, officia tabulae singulis hebdomadibus distribuat vicarius.

v. Singulis dominicis diebus, iuxta praescriptum regulae, familiam sive famulos domus pro capacitate suâ vicarius hortetur divertere a malo, bonumque facere, eosque simpliciter moneat quod credere aut agere debeant pro salute animarum suarum et vitâ aeternâ adipiscendâ.

§ 6. De procuratoribus generalibus, provincialibus et conventualibus ac de eorum officio.

i. Procuratores generales genio et litteris debent esse habiles, ut negociis sine detrimento causarum proindeque religionis incumbere possint, eaque in bonum Ordinis exequantur, neque ideo sint audaces, immodesti, et apud saeculares tribunaliave nimirum reperiantur molesti: debent esse prudentes, et magis iustitiam religiosis vocibus indicare, quam pervicaciâ ducti ipsam vociferando adquirere velle: sint ergo me-

[1] Male edit. Main. legit *fuerit* (R. T.).

mores sanctae regulae nostrae ut omnis gestus, vita, actio et omnia alia honesta in eis reperiantur.

II. Procuratores generales pro Romanâ Curiâ eligendi sunt in capitulo generali Ordinis ad sexennium iuxta dicta c. XXXIX, § 5, num. XXII *De formâ celebrandi capitulum*, et qui aliquando fuerint definitores saltem provinciae, vel apti ut eligerentur ad tale munus definitoris. Eorum autem unus erit procurator generalis Ordinis assumptus ex familiâ, ex qua minister generalis expirat; secundus procurator generalis familiae eligendus ex familiâ ministri generalis electi, iuxta ibidem dicta.

III. Possunt autem eligi non a capitulo, sed a suo definitorio generali, et solum ad triennium, alii procuratores generales eiusdem graduationis pro aliquâ curiâ, in qua tractanda sint omnia provinciarum illius ditionis negocia Ordinis, et hi denominari debent procuratores generales sub nomine illius ditionis in qua fuerit curia, ut modo dicitur procurator generalis Hispaniae, cui vel quibus suum definitorium generale dare debet mandatum procurae. Procuratores, qui non omnium sed plurium provinciarum Ordinis intra aliquam ditionem eligi debent iuxta dicta cap. XL, § 4, num. XXIII, non a definitoribus sed a capitulo provinciali eligendi sunt, nec nominandi procuratores generales, quatenus a suo definitorio provinciali habere debent mandatum procurae.

IV. Quicumque enim ex his procuratoribus confestim ac electi fuerint, faciant iuramentum fidelitatis in manibus superioris generalis, vel alterius de eius commissione. Concurrentibus autem, praecedat et praesideat aliis procurator generalis Ordinis, et post ipsum procurator generalis familiae in Româ, Hispaniae in Hispaniâ, et alterius ditionis in eâ. Eorum officium vacet, quando noviter electi possessionem acceperint. Definitorium autem generale Ordinis eos poterit a suis officiis abdicare sine obligatione reddendi causam cur id faciat, nisi sacrae Congregationi, quando requiratur. Procurator autem generalis, qui ex Hispaniâ non fuerit electus, nunquam in conventu nostro S. Caroli ad Quatuor Fontes Urbis commorari aut residere possit.

V. In provinciis vero a suo capitulo eligi debent ad triennium procuratores provinciarum ad quaecumque negocia suae provinciae, conventuum et collegiorum eius. Hi etiam procuratores eligendi sunt illis prudentiae, modestiae ac genii dotibus ornati, quibus ornari debent procuratores generales, et eligendi non sunt nisi qui duodecim annos post professionem compleverint et studiis per sexennium vacaverint, sintque mulierum confessarii, et apti sint ad minus ut eligantur in vicarios. His definitorium provinciale dabit suum mandatum procurae, et ab illis iuramentum de fidelitate fieri debet in manibus sui provincialis, vel alterius de eius commissione.

VI. Praedicti procuratores poterunt e domo exire semper ac negocia id exigant, socio assignato a praelato, et ab isto benedictione acceptâ. In quocumque conventu suae respective familiae, vel provinciae, ubi fuerint, et pater procurator generalis Ordinis in omnibus conventibus Ordinis, conventuales sint cum voce et loco. Et in actibus et functionibus communitatis praesideant omnibus, quos praecedunt, iuxta supradicta, etiam vicario, a quo in absentiâ ministri socium postulabunt, sed ab eo benedictionem non accipient, nisi forte vicarius sit simul praeses propter absentiam ministri ab oppido ultra viginti quatuor horas; et nunquam se intromittant in regimen conventus, nisi quando illis competat praesidentia per absentiam ministri, vicarii, definitorum et redemptoris captivorum.

VII. Litteras eorum, quas scribunt et quas recipiunt, nullus praelatus aperire, videre, seu impedire audeat, excepto suo superiore generali, cui respective dicti procuratores notitiam omnium negociorum Ordinis praestabunt: et praesertim procurator generalis Hispaniae id faciat singulis semestribus per librum, in quo cunctorum rationem scriptam habeat, et in absentiâ superioris generalis, notitiam illam et rationem praebeat definitori generali antiquiori

existenti in Curiâ Regiâ: et ante finem suorum officiorum rationem accepti et expensi in executione eorum suo superiori generali fideliter reddant.

VIII. Hortamur patres procuratores generales, provinciales, seu etiam conventuales, ut semper ac commode omni curâ et zelo per se, et si id non fieri possit, per saeculares procuratores, negocia expediri faciant, ut sic frequentes illorum egressus e conventu evitentur.

IX. Pater procurator generalis Ordinis Curiae Romanae non valeat sine licentiâ capituli generalis Ordinis impetrare a Sede Apostolicâ litteras pertinentes ad regimen universale Ordinis, nec favorem vel auxilium aliis ad id praestare. Quod si in aliquo modo et viâ ei constiterit, aliquem religiosum id quomodocumque intendere, teneatur sub praestito fidelitatis iuramento patefacere definitorio generali Ordinis. Et in omnibus negociis religionis servet semper instructionem vel dispositionem definitorii generalis Ordinis, et nihil absque eius licentiâ operetur.

X. Quilibet religiosus (nisi fuerit definitor generalis Ordinis) Romam petens vel in Italiâ existens, subdatur superiori generali, et in illius absentiâ, quoad vitam intra claustra, ministro domus, a procuratore generali suo designandae pro illius residentiâ: semperque procuratori generali suae familiae, quamvis sit Ordinis, licentiam manifestet et causam viae suae declaret; illique tamquam superiori, cui in omnibus obedire tenebitur, humiliter pareat quoad negotium et causam suae viae. Quod si aliquis absque debitâ licentiâ illuc profectus fuerit, vel Romae existere conetur, contra praeceptum superioris generalis familiae suae, idem procurator generalis remittat illum in suam familiam ad suum superiorem generalem vel provincialem provinciae illius, nisi attentis circumstantiis videatur propter culpas eum in carcere coniicere, vel alio remedio uti.

XI. Pater procurator generalis Hispaniae sit valde vigilans in expeditione negociorum sibi a praelatis commissorum, quae quidem tenetur agere et expedire. At vero sine consensu patris provincialis provinciae, cuius negocium fuerit, nunquam saecularium negocia, vel propria personalia, vel alicuius particularis religiosi gerat. Super difficultatibus autem, quae in executione sui officii occurrerint, consulat suum superiorem generalem.

XII. In omnibus conventibus et collegiis indispensabiliter eligatur procurator ad lites et negocia communitatis, et ubi fuerint facultates, seu bona, sive culturae in agro, administrator similiter eligi debet. Hi enim conventuales procuratores eligantur a conventibus et collegiis, consulto et approbante patre provinciali, qui solum approbare debet, immo et potest religiosos modestos, prudentes et habiles ad tractanda negocia, reprobando, si qui proponantur illi, audaces, garrulos, et eos qui solum praebendo vultum negocia exponere volunt.

XIII. Officium procuratoris conventualis expirat transacto mense integro post acceptam a ministro denuo electo possessionem illius conventus vel collegii quod mandatum procuratoris dedit. Si vero patri provinciali et communitati visum fuerit, poterit reeligi cum licentiâ sui definitorii generalis. Quod quidem, antequam illam concedat, notitiam curet habere de moribus dicti procuratoris et de sedulitate in executione sui officii. Totum autem in hac constitutione expressum quoad procuratores conventuales, prorsus et in omnibus intelligi volumus de administratoribus quarumcumque facultatum seu bonorum cuiuslibet conventus vel collegii. Hi autem non praecise sacerdotes, sed fratres laici poterunt destinari. Provincialis vero eos tantummodo approbet, qui, iuxta dicta cap. XXIV, n. II, post suae professionis officia eligi possunt.

XIV. Procuratores conventuales in civitatibus seu oppidis, ubi sunt cancellariae regiaque consilia seu audientiae, teneantur suscipere, gerere et expedire lites et negocia Ordinis ad dicta fora regia concurrentia. Et patres ministri huiusmodi conventus non occupent suos procuratores itaut praedicta Ordinis negocia agere non valeant.

xv. Procuratores omnes conventuales et administratores bonorum seu facultatum cuiuslibet conventus seu collegii singulis quadrimestribus rationem reddant suis ministris et consiliariis de executione suorum officiorum, ac de acceptis et expensis pro eorum expeditione: in quem effectum sit liber in arcâ trium clavium, in quo dictae rationes scribantur, et debita pro et contra conventum, cum annotatione diei, mensis et anni, personarum a quibus, et finis in quem contracta sunt. Et librum istum quando et sicut ceteros monasterii visitet provincialis, et procuratorem vel administratorem non reddentem dictam rationem amoveat ab officio; reddentem vero, sed non fideliter, arbitratu suo puniat.

xvi. Sciant enim ministri et consiliarii ipsos non esse procuratores conventuum, nec bonorum administratores; quippe communitates, quorum sunt bona, procuratoribus seu administratoribus per suum authenticum mandatum a se destinatis integram administrationem commiserunt. Ministris vero et consiliariis solum competit rationes receptorum et expensorum sumere, fructusque et redditus, qui[1] bonorum culturam et conservationem atque debitorum solutionem liberi pro conventu seu collegio reperiantur, in arcâ trium clavium et communitatis officinis reponere ad usum et expensas communitatis.

xvii. Ideoque praecipimus in virtute sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, patribus ministris et consiliariis, nec non procuratoribus et administratoribus quibuscumque, quod neque primi supradicti audeant aliquid exigere aut accipere a procuratoribus et administratoribus, praeter ea, quae, solutis solvendis, factisque expensis, libera reperiantur pro conventu; nec hi, videlicet procuratores et administratoros, aliud ipsis petentibus reddant, et quod si cogantur a suo ministro, illico provincialem certiorem faciant de violentiâ, sub poenâ privationis officii similis in perpetuum omnibus contravenientibus huic praecepto.

1 Videtur desse *post* (R. T.).

xviii. Nullus, sive minister, sive procurator, sive administrator bonorum possit, nec ad breve tempus, dare in arrendationem bona fructifera, quae conventus habet in agro, si expensis communitatis elaborata fuerint aliquando, nisi consentientibus omnibus suffragiis, non solum habitantium, sed etiam pertinentium ad domum illam, et de licentiâ patris provincialis, qui, inspectâ utilitate, eam concedet, dummodo non dentur ad vitam alicuius, nec ad magis tempus quam ad triennium ministri actualis.

REGULAE CAPUT XLII.

**Si quis huius Ordinis frater esse voluerit, etc.**

CAP. XLII. — *De novitiatibus, ac receptione, educatione et approbatione novitiorum.*

§ 1. De conventibus, in quibus educandi sunt novitii.

i. Superior generalis cum consensu provincialis in qualibet provinciâ designet domos necessarias pro educatione novitiorum. Et semper sint segregatae[1] a frequentiâ; et semel designatae, non relinquantur sine gravi causâ. Ministri autem dictarum domorum prudentes sint et observantes, et qui iam fuerint (si fieri possit) magistri novitiorum et professorum.

ii. Similiter superior generalis eligat magistrum novitiorum cum consilio provincialis, pro cuius provinciâ eligitur, et sit persona spiritualis, prudens, docta et potens viribus ad rigorem vitae communis sustinendum, atque etiam, qui fuerit aliquando magister recens professorum studentium philosophiae, aut con-magister novitiorum, vel vicarius alicuius collegii theologiae studentium aut domus novitiorum. Poterit etiam superior generalis eligere con-magistros[2], consulto magistro, ut eligat religiosum ipsi benevisum, ac genio et moribus non absimilem, ne forte, si alium eligat, potius discordiam scissurasque inter discipulos introducat, quam magistro iuvamen tribuat.

iii. Superiores curent, quod religiosi conventuales novitiatuum sint valde observantes et exemplares.

1 Edit. Main. legit. *segregata* (R. T.).
2 Aptius lege *con-magistrum* (R. T.).

IV. Omnes novitii debent suscipere habitum, ipsoque vestiri in domo novitiatus, nisi raro et expressâ licentiâ superioris generalis cum aliquo fiat dispensatio ut habitum recipiat in domo aliâ, in qua fuerit approbatus; et statim ac statutum nostrae religionis habitum susceperit, deducatur ad novitiatum, sub poenâ gravis culpae infligendâ superiori qui illum detinuerit, nec provincialis in hoc poterit dispensare. Ut autem in domo novitiatus habitu nostro induatur, statim ac aliquis perveniat, sufficit quod recipiendus ad chorum ministro et magistro novitiorum consignet litteras patentes provincialis, vel recipiendus ad statum laici litteras superioris generalis praecipientis illis eum habitu vestiri. Praelati vero nunquam similes litteras concedere aut elargiri poterunt, quin prius illis constet authentice de approbatione informationum et communitatis circa mores, ceterorumque quae fuerint necessaria.

§ 2. De personis non admittendis ad nostrum sanctum habitum.

I. Non admittantur ad nostrum habitum, qui infirmitatem habeat contagiosam, vel qui sit vel fuerit mancipium, nec qui saeculari veste indutus nostrum habitum petierit, si fuerit professus, sive valide, sive invalide, in[1] aliâ quacumque congregatione etiam nostri Ordinis, v. g. in patribus nostris Calceatis, aut etiam in Discalceatis vel Reformatis eiusdem Ordinis non subiectis nostrae iurisdictioni. Nec etiam admittatur neophytus, nec qui descenderit per lineam rectam in quolibet gradu a iudaeis, haereticis, mauris vel mauriscis, nec ullus, cuius praedecessores per lineam etiam rectam, ac in quolibet etiam gradu, ob haeresis vel iudaismi vel sectae mahometanae crimina puniti fuerint ab haereticae pravitatis inquisitoribus. Quod si aliquis ex dictis in hac constitutione, celans aliquod ex praenarratis impedimentis, professionem fecerit apud nos, statim ac detegatur tale impedimentum, eiiciatur, quia religio non praestat suum consensum ad talem professionem. Quapropter omnes in publico coram communitate moneantur ante receptionem habitus, et etiam ante professionem. Quod si habeant aliquod ex impedimentis in hoc numero enarratis, professio (etiamsi fiat) invalida et nulla est, quamvis pluribus annis in religione sint. Admonemus tamen ad eiectionem professi procedi non posse, nisi infra quinquennium a die professionis, et deductis causis coram superiore suo et Ordinario, ad praescriptum sacri Concilii Tridentini; quod, ex sententiâ sacrae Congregationis, vendicat sibi locum non modo quando subditus vult deducere causas nullitatis suae professionis, sed etiam quando superior vult illum eiicere tamquam nulliter professum.

II. Non admittantur praeterea religiosi professi aliorum Ordinum, religionum, congregationum, vel societatum, absque licentiâ capituli generalis, concurrentibus duabus partibus ex tribus suffragiorum vocalium: et eam non concedat, quin prius perdat[1] privilegia dictorum Ordinum et causam transitus, et concurrant alia requisita sacrorum canonum.

III. Insuper nec recipiatur ad chorum, qui non habeat aetatis quindecim annos; nec ad statum laici, qui non habuerit viginti, vel qui excesserit trigesimumquintum annum; nec aliquis eunuchus, nec uxoratus, si uxor maneat in saeculo; nec irretitus aliquâ irregularitate, qui difficiliter dispensari possit; nec habens notabilem deformitatem, nec religiosus professus apud patres nostros Calceatos, vel apud aliam nostri Ordinis congregationem extra iurisdictionem nostram, nec aliquis ex comprehensis in interrogatorio pro informationibus novitiorum infra posito paragrapho sequenti. Nullus ex praedictis in hoc numero tertio recipiatur absque licentiâ definitorii generalis illius familiae, et in casibus in quibus illam concedere possit iuxta ius commune et nostras constitutiones, et nunquam illam concedat, ut iterum recipiatur qui fuit antea novitius nostrae religionis vel alterius, sine praevio examine causae sui egressus de ipsius definitorii commissione faciendo. Volumus tamen quod si aliquis ex dictis et prohibitis in his duobus numeris (nempe secundo et tertio huius pa-

1 Praeposit. *in* nos addimus (R. T.).

1 Forsan *pendat* (R. T.).

ragraphi) habitum receperit et professionem fecerit sine licentiâ et facultate requisitâ et expressâ in praedictis duobus numeris, talis professio sit firma et valida, dum non sit ex comprehensis in num. I. Si autem sine debitis circumstantiis aliquis receptus fuerit, ad arbitrium ipsius definitorii puniatur minister, qui a praelato licentiam petiit, et religiosus qui fecit informationes: illorum enim quamvis excusari velit ignorantia, inexcusabilis est diligentiae defectus.

IV. Denique praecipimus quod nulla femina admittatur ad nostrum habitum, ut fiat nostri Ordinis mantellata seu trinitaria (vulgo *beata*), absque licentiâ superioris generalis. Nec permittatur sine eâdem licentiâ quod emittat votum in manibus alicuius praelati ex nostris vel alterius religiosi, sub poenâ privationis officii praelato, et vocis ac loci per triennium subdito contravenienti.

§ 3. De formâ faciendi informationes pro admittendis ad nostrum habitum.

I. Antequam ad nostrum supradictum habitum quisquam admittatur, de mandato ministri, extraiudicialiter, et omni possibili sigillo fiat ab aliquo religioso clandestinum examen de officio et qualitatibus parentum et ascendentium praetendentis, ut sic, sine illius nec suorum iacturâ, modeste denegetur assensus praetensioni. Si autem post tale examen nihil notandum repertum fuerit, tunc, de consensu praelati, cui competat licentiam dare, minister poterit praetendentem suae communitati proponere, communitasque ipsum approbare vel reprobare circa mores: postea vero, quando approbatus fuerit, minister a suo provinciali commissionem petat, et religiosus designatus, qui semper sacerdos erit, faciat ex commissione ipsius provincialis informationem iuridicam et plenariam de genere, moribus et vitâ iuxta Bullas summorum Pontificum, recipiendo iuramentum a testibus. Provincialis autem nunquam designet consanguineum, conterraneum, amicumve praetendentis, aut parentum eius, neque eum qui in eorumdem locum frequenter assistentiam habeat aut habuerit.

II. Religiosus, cui commissa fuerit informatio, postquam eam ipsi tradiderit minister, moneat praetendentem ut provideat circa iter et expensas ad informationem faciendam: idque fieri debet religioso et pauperrimo tali modo, ut saeculares nihil possint murmurando reprehendere; et si aliter ab aliquo fiat, a suo provinciali incarceretur per tres menses, et ante omnia de ipsius mandato saecularibus restituatur superfluum.

III. Informationem vero faciat per sequens interrogatorium, et, quando visum fuerit, testibus proponere potest religionem iuramenti, ne credant se posse a periurio, falsum deponendo, excusare, eo praetextu quod causa sit religionis et pia, si autem post hanc declarationem testari velint, eos interroget: Primo: Si est propinquus, si est habilis secundum ius ad testificandum, si movetur amicitiâ, vel odio, vel zelo iustitiae, vel si comprehensus invenitur sub aliquâ ex generalibus interrogationibus, vel quare moveatur ad deponendum, et quot aetatis annos habeat;

IV. Secundo: Si cognoscit illum, qui praetendit nostrum habitum, et eius parentes, avos et ascendentes, et a quanto tempore illos cognoscit;

V. Tertio: Si scit dictum praetendentem descendere a iudaeis, haereticis, mauris vel mauriscis, vel a poenitentiatis per tribunal sanctae Inquisitionis ob crimen haeresis, vel iudaismi, vel sectae mahomettanae, vel si audivit aliquem ex parentibus seu ascendentibus eius habere aliquem ex praedictis defectibus;

VI. Quarto: Si scit praetendentem esse neophytum, sive noviter conversum ad fidem, vel aliquid erga hoc audivit;

VII. Quinto: Si scit quod dictus praetendens, parentes eius, vel avi sint notati aliquâ infamiâ;

VIII. Sexto: Si scit quod sit filius legitimus ex legitimo matrimonio, et ut talis iudicatus et reputatus;

IX. Septimo: Si scit quod sit liber, id est, quod non sit nec fuerit servus nec mancipium;

X. Octavo: Si scit quod dictus praetendens non sit ligatus vinculo matrimonii, vel

fide sponsalium, itaut de suâ personâ disponere non possit;

xi. Nono: Si scit quod habeat aliquam infirmitatem contagiosam;

xii. Decimo: Si scit quod habeat aliqua debita quae solvere non possit, vel si teneatur reddere rationem, ex qua ipsi vel Ordini nostro aliqua lis seu molestia subsequi valeat;

xiii. Undecimo: Si scit quod praetendens fuerit novitius vel professus in nostrâ religione vel in alio quocumque Ordine, congregatione seu societate, etiam in nostris patribus Calceatis, vel Discalceatis, seu Reformatis nostri Ordinis non subiectis nostrae iurisdictioni;

xiv. Duodecimo: Si scit quod praetentendens et petit et vult habitum sponte, et proprio affectu ac voluntate allectus, non vi, metu, fraude, aut alio humano respectu;

xv. Decimotertio: Si scit quod parentes praetendentis sint pauperes, itaut ad sustentationem suam indigeant adiutorio illius vel religionis, si recipiatur ad eam;

xvi. Decimoquarto: Si scit verum esse omne quod deponit, itaut, si aliquid esset in contrarium, sciret vel audivisset.

xvii. Si in aliquâ regione [1] vel provinciâ opus fuerit strictioribus aliquibus interrogationibus, superiores illas apponant in interrogatorio, et informantes adimpleant.

xviii. Insuper stricte praecipimus quod quilibet informans [2] (sub poenâ gravis culpae per tres dies) proferat fidem baptismatis praetendentis, et illam inserat informationi, ut de baptismo et aetate constet, scribaturque [3] in libro in quo eius receptio et professio scribenda est. Praelatus autem qui non fecerit testimonium baptismi scribi in dicto libro, et qui aliquem ad professionem admiserit sine dictâ baptismi fide, severe puniatur.

xix. Factâ informatione et clausâ, ipse informans curet illam quamprimum tradere patri ministro conventus vel collegii, in quo praetendens habitu nostro induendus est; et dictus minister, ac consiliarii, et magister novitiorum vel professorum, vel (si ibi magister non est) vicarius, omnes utique simul, videant informationem, et approbent vel reprobent, et rationem fideliter reddant capitulo conventuali de contentis in eâ. Et oneramus conscientiam examinatorum dictae informationis et religiosorum capitularium super secreto.

xx. Si informatio iuridica fieri commode non possit antequam praetendens recipiat habitum, saltem superior conventus vel collegii, vel, eius nomine, alius religiosus ab eo deputatus, coram examinatoribus destinatis pro informationibus videndis, clare et distincte legat interrogatorium praetendenti, et per ipsum singillatim interroget, accepto ab eo iuramento de veritate dicendâ, et an comprehendatur in aliquo ex ibi contentis. Et postea, quamprimum possibile sit, fiat informatio iuridica et plenaria, quam approbent vel reprobent minister, consiliarii et novitiorum magister.

§ 4. De modo recipiendi novitios.

i. Quicumque recipiendus est ad habitum nostrum, examinetur prius de suâ vocatione a praelato, vel ab aliquo religioso experto, ab ipso designato, non solum oretenus, sed aliqualis fiat experientia; et animadvertat, si est bonae indolis et virium sufficientium ad portandas religionis austeritates.

ii. Ad chorum non recipiatur nisi qui latinitatem sufficientem calleat ad alias scientias adipiscendas. Quod ut constet, pater minister (si voluerit) et quatuor religiosi deputati a patre provinciali (vel aliquo ex istis deficiente, alius loco eius designatus a ministro) examinent praetendentem; per maiorem partem suffragiorum secretorum declaretur eius sufficientia vel insufficientia. Liceat tamen superiori generali, iustâ de causâ, aliquid in defectu grammaticae supplere, maxime quando praetendens ingenii acumine pollet.

iii. Posthaec proponatur suo capitulo conventuali, cui competat probatio, et fideliter illi significentur dotes praetendentis. Postea aperiantur informationes, et cum fuerint approbatae, de omnibus certior fiat provincialis, ut suas litteras concedat praetendenti,

1 Pessime edit. Main. legit *religione* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *iuformantes* (R. T.).

3 Edit. Main. legit *scribanturque* (R. T.).

ut de facto habitum recipiat in domo novitiatus. Solum autem recipiatur, qui maiorem partem suffragiorum capituli conventualis habuerit.

IV. Nullus ad chorum recipiatur, immo nec per approbationem disponatur absque licentiâ in scriptis patris provincialis. Provincialis vero eam concedere poterit quando locus vacaverit iuxta numerum praescribendum in capitulo provinciali, vel pro imminenti futuro triennio; quem numerum, nisi de licentiâ superioris generalis et expressâ pro qualibet vice, provincialis excedere[1] non possit, sub poenâ privationis talis facultatis ad triennii finem: aliàs provincia, ultra conventuum vires, religiosos, quos sustentare non posset, pro arbitrio provincialis haberet, in praeiudicium regularis observantiae, quae paupertati religiosae, non vero necessitati innittitur.

V. Nec fratres laici sine licentiâ superioris generalis, quam concedet consulto prius patre provinciali illius provinciae ubi est domus in qua recipiendi sunt, et isti gaudeant integrâ valetudine et viribus ad laborem corporalem, in quo ratione sui status versari et exerceri debent; ideoque ante receptionem capiatur experientia per aliquot dies de perseverantiâ in vocatione, et de salute ac viribus. Nec recipiantur qui legere nesciant, quippe dissonum videtur, et est, quod religiosi nihil spirituale legere possint; nec admittendi sunt qui saltem mediocriter non scribant, hi enim incapaces erunt officiorum suae professionis quae indigent scripturâ. Praeterea, nisi praeviâ dispensatione superioris generalis petitâ a definitorio provinciae, non recipiatur aliquis qui exercere non possit aliquod officium manuale ex mechanicis ad usum religiosorum vel utilitatem conventuum deservientibus, aut qui saltem non sit agricola. Nec plures laici admittantur, nisi quos[2] prudenter indicaverint superiores necessarios esse pro servitio religionis.

VI. Laici perpetuo conservent nomen, statum et ministerium laicorum, nec ullo tempore ad clericorum statum admittantur. Et superiores contrafacientes, privationis officiorum et vocis activae et passivae poenam incurrant, prout statuit in motuproprio Ordini nostro concesso felicis recordationis Paulus Papa V, die XVII augusti, anno MDCXI, incipit *Circumspecta Sedis Apostolicae;* nec illis unquam concedatur corona, nec litterarum studia, sub poenâ privationis officii et vocis activae et passivae per sexennium superiori contravenienti.

VII. Ad habitum donati seu oblati nullus recipiatur sine approbatione capituli conventualis, et obtentâ licentiâ patris provincialis; et qui recipiendi sunt, habeant aetatis saltem viginti annos et amplius, et non excedant trigesimum secundum, polleantque integrâ salute et viribus ad laborem corporalem in quo sunt exercendi. Semel autem recepti, non expellantur sine consensu patris ministri et consiliariorum. Nec donati recipiantur ad habitum laicorum, nisi post triennium experientiae, et illi tantum qui aliàs recipi possent iuxta dicta num. V. De eorum educatione curet pater vicarius conventus vel collegii, et nunquam permittatur e domo exire ante expletum quadrimestre post eorum receptionem ad habitum. Praedicti non utantur lineis, nec calceamentis. Concurrant ad orationem mentalem, ad matutinum cantatum, ad flagellationem, communionem communitatis, et ad exhortationem spiritualem, quae dominicis diebus fieri solet, ubi eorum defectus ante religiosorum culpas a zelatore vel praeside advertantur ac corrigantur, et statim a capitulo exeant. Officia tabulae illius, sicut et laici[1] singulis hebdomadis distribuantur, et, cum obierint, funeralia et officia fiant pro eis sicut et pro novitiis.

§ 3. De educatione novitiorum.

I. Patres ministri domorum novitiatus nihil pertinens ad novitios vel ipsorum directionem iubeant vel disponant inconsulto magistro illorum. Poterunt tamen, quando voluerint, eos affabiliter communicare circa directionem interiorem et profectum suum, dummodo id fiat uno vel duobus diebus destinatis pro omnibus.

1 Edit. Main. legit *accedere* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *quod* pro *quos* (R. T.).

1 Forsan *illis, sicut et laicis* (R. T.).

II. Religiosi conventuales novitiatuum non loquantur cum novitiis sub poenâ gravis culpae, nec audeant illos reprehendere. Si vero aliquem defectum in novitio aliquo viderint, dicant praelato vel magistro, vel in capitulo culparum animadvertant.

III. Novitiis nunquam iniungantur officia, nec imponantur occupationes, quae occasionem illis praebeant tractandi cum saecularibus. Nec permittatur quod visitentur adhuc a parentibus et cognatis, nisi in casu raro, consentiente et praesente magistro.

§ 6. De approbationibus novitiorum.

I. In anno approbationis, novitii ter proponantur capitulo conventuali, ut iudicet, an, attentis eorum vitâ et moribus, digni sint ut ad professionem admittantur; ad quam nullus frater laicus approbetur, nec [1] recipiatur, qui aliqua ex officiis propriis sui status et ministerii ad communitatis servitium recte non didicerit. Nec ad tertiam approbationem choristarum communitas unquam procedat, quin prius novitius fuerit approbatus a ministro, vicario, consiliariis et magistro de sufficientiâ, quoad rubricas missalis et breviarii, et caeremoniale et manuale nostrum. Patres minister et magister novitiorum ante primam approbationem possunt dimittere quemlibet novitium, si eum iudicent religioni noxium vel ineptum.

II. Post quartum mensem a receptione habitus, proponantur primâ vice novitii dicto capitulo, secundâ post octavum[2], tertiâ post decimum mensem. Ut novitius censeatur approbatus, debet habere maiorem partem suffragiorum secretorum capituli conventualis; quod si ea non habuerit, statim habitu spolietur, et modeste dimittatur. At iam approbatus a capitulo, habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius capituli conventualis, vel saltem consentientibus et convenientibus ministro et magistro et superiore generali vel provinciali. Quod si ad neutrum ex his duobus facilis sit [3], rursus suppleat illius defectum consensus duorum religiosorum iam antea ad hunc effectum deputatorum a provinciali.

1 Edit. Main. legit *ne* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *octavam* (R. T.).
3 Videtur deesse *via* vel *accessus* (R. T.).

III. Oneramus conscientias conventualium cuiuscumque novitiatus, ut in approbationibus novitiorum (utpote cum sit magni ponderis res) singulari prudentiâ et religionis zelo se gerant, seclusâ omni affectione et humano respectu.

IV. Bona actualiter novitiorum, etiam ipsis consentientibus, immo et petentibus; non distribuantur adhuc inter pauperes, nec alio modo consumantur. Et praelatus, qui aliter fieri permiserit, poenâ culpae gravis per tres dies puniatur.

REGULAE CAPUT XLIII.

**Ad professionem vero aliquis non recipiatur, etc.**

CAPUT XLIII. — *De professione novitiorum, ac de repetitione illius per professos, et eorum domibus ac bonis.*

I. Peracto integro probationis anno, novitius cum licentiâ patris provincialis admittatur ad professionem, quam faciat iuxta regulam et constitutiones nostrae sacrae religionis in manibus praelati, vel ad minus in praesentia eius, tenore sequenti:

§ 1. De professione novitiorum, et de repetitione illius per professos.

FORMA PROFESSIONIS. *Ego frater N. de N. facio meam professionem, et promitto obedientiam, castitatem et paupertatem B. Virgini Mariae, et sanctis patribus nostris Ioanni et Felici, necnon et nostro reverendo patri fratri N. de N. ministro generali, aliisque meis superioribus Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum, eorumque successoribus, secundum regulam primitivam dicti Ordinis a felicis recordationis domino Papa Urbano VIII ad perfectiorem formam redactam, et secundum constitutiones eiusdem Ordinis, sine mitigatione, usque ad mortem.*

II. Continuo destinati ad chorum emittant quartum votum non ambiendi iuxta Breve felicis recordationis Pauli Papae V expeditum die X februarii MDCX, incipiens *Quae pie ac sancte;* illudque faciant sequenti formâ:

*Praeterea*[1] *promitto, me, directe vel indirecte, per me aut per alios, intra nostram Congregationem, praelationem aliquam, aut officium per constitutiones praetendi prohibitum, mihi*

1 Male edit. Main. legit *propterea* (R. T.).

*nunquam praetensurum, et pariter extra nostram Congregationem, neque directe neque indirecte, per me aut per alios, ullam praelationem praetensurum, vel oblatam acceptaturum, nisi praecepto eius, qui mihi praecipere poterit, adstringar.*

Fratres laici, quando faciunt professionem (quam vulgari linguâ facere debent), post emissionem trium essentialium votorum, continuo emittant quartum non transeundi ad statum clericalem, nec sacros ordines suscipiendi, iuxta praeceptum felicis recordationis Alexandri Papae VII per suas litteras in formâ Brevis expeditas die XVI ianuarii anno MDCLXIII incipientes *Pastoralis officii*, fiatque sequenti modo et linguâ, et vulgari:

*Praeterea promitto, me nunquam transiturum ad statum clericalem, aut recepturum primam tonsuram, neque directe vel indirecte, per me aut per alium, dictum transitum sive receptionem praetensurum.*

III. Professio facta scribatur in libro professionum, notando quod fuit facta praevisâ[1] et approbatâ informatione iuridicâ de genere, moribus et vitâ, iuxta tenorem Bullarum summorum Pontificum et nostrarum constitutionum, et subscribatur a religioso qui professionem fecit, a praelato domus, a magistro novitiorum, et ab aliis duobus religiosis qui praesentes professioni fuerunt, et ab illo etiam in cuius manibus illam fecit profitens, si forte distractus[2] fuit a praelato; et confestim informatio igne comburatur.

IV. Insuper omnes et singuli nostrae religionis professi, tam ad chorum destinati quam laici, tam praelati quam subditi, semel in singulis annis in die vespertino festi omnium sanctorum Ordinis post horam quintam repetant et denuo confirment suam professionem, unoquoque iterum singillatim faciente et renovante quatuor vota quae primo in suâ professione emisit, iuxta formam praescriptam in hoc[3] paragrapho. Omnesque illam repetant coram communitate in manibus praelati seu praesidis communitatis ipsius, et ante omnes ipse praeses coram ipsâ communitate. Initio vero formae suprapositae mutent verbum *facio* in verbum *repeto*, et verbum *promitto* in verbum *repromitto;* et superior generalis Ordinis, loco verborum ad ipsum attinentium in eâdem formâ, dicat; *Necnon sanctissimo domino nostro Papae N., eiusque et beati Petri apostoli legitimis successoribus.* Superior generalis familiae et definitores generales Ordinis omittere debent illa verba *aliisque meis superioribus*, quae omnes alii praelati et subditi dicere tenentur. Quod si aliquis propter infirmitatem assistere non valuit functioni isti, repetat professionem quamprimum possit in manibus praelati in cellâ suâ, praesentibus duobus religiosis; qui vero ob aliquam legitimam causam absens fuerit, quamprimum eam repetat in choro etiam coram communitate.

§ 2. De recenter professis, et eorum domibus.

I. In qualibet provinciâ ex designatione superioris generalis sit una vel duae domus ubi recenter professi cum suo magistro in habitatione separatâ et clausâ vivant et perseverent saltem[1] post professionem, vel quousque in collegium mittantur[2] ad aetatem sacris ordinibus sufficientem pervenerint. Dum tamen in his domibus fuerint, in spiritualibus exercitiis, quibus instructi fuerunt in anno probationis, exerceantur. Interim vero etiam studiis humanarum litterarum (non solum grammaticae) operam dare possint et debeant iuxta instructionem et praescriptum decretorum sanctissimi domini nostri Clementis VIII.

II. Cum magistro professorum, quoad eius assignationem et reliqua omnia, observetur totum quod in diversis partibus harum constitutionum dictum expressumque manet de magistro novitiorum, et quod ministri nihil disponant erga professos inconsulto dicto magistro.

IV. Dicti recenter professi destinati ad chorum dum fuerint in domo professorum non exeant ad oppidum, nec aliorsum, nisi cum communitate, praelato aliquo vel magistro, nec propriam patriam adeant (nisi

1 Forsan *praeviâ* (R. T.).
2 Forsan *deputatus* (R. T.).
3 Potius lege *hac* (R. T.).

1 Videtur aliquid deesse designans tempus, ex. g. *per annum* (R. T.).
2 Deest *vel* aut *et* (R. T.).

ibi conventus sit et pro conventualibus eiusdem designentur) donec sacerdotes sint. Postquam autem a dictâ habitatione separatâ et clausâ recenter professorum exierint, quousque sacerdotio initientur, disciplinae vicarii subiaceant, praeterquam in collegiis artium ubi sunt magistri.

IV. Si quis iam sacerdos nostrum habitum accipiat, sub instructione magistri sit etiam integrum annum post professionem, et non amplius, nec a domo egrediatur, nisi post expletum dictum annum, nec in propriam patriam pergat, donec quatuor annos post professionem expleverit, nisi ibi sit conventus noster, et pro conventuali in eum adeat.

V. Fratres laici similiter sub disciplinâ magistri recenter professorum sint primo anno post professionem, et insuper duobus aliis annis sub ipsius magistri, vel, ubi ipse non sit, sub vicarii instructione. Nec primo dicto anno e conventu exeant, nisi in communitate, neque in patriam pergant, nisi post quatuor annos transactos a professione, vel nisi in eâ sit conventus Ordinis et pro conventualibus mittantur.

3. De bonis haereditatibus profitentium et professorum.

I. Decernimus quod bona illorum, qui in nostrâ religione profitentur, dividantur, et medietas detur conventui in quo professionem fecit, et altera medietas sit collegio in quo recepit habitum, vel a quo directus et missus fuit ut habitum reciperet. Quod si non fuit in aliquo collegio receptus, neque ab eo directus sive missus, talis bonorum medietas, quando totum dividendum non excedat summam octoginta scutorum romanorum argenti, iuxta praesentem eorum valorem, deserviat pro expensis a definitorio provinciali designandis; si autem excesserit, pro designandis a definitorio generali, ad quod quotannis mittere debent magistri novitiorum cuiuscumque provinciae notitiam fideliter enarratam, et a se, ministro et consiliariis subscriptam, de profitentium haereditatibus et bonis. Quod illis praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub praecepto formali, et sub poenâ inhabilitatis in perpetuum aliter facienti.

II. Ut autem redemptor captivorum non tertiam partem cuiuscumque medietatis accipiat separatim, sed simul totius integram, totum dividendum est in tres partes, et tertiâ separatâ pro captivis, quod reliquum fuerit, declaramus deberi in conscientiâ reddi ac restitui dicto collegio vel definitorio et redemptioni. Hoc autem tantum intelligatur, quando noster professus non fecit testamentum ante professionem in favorem alicuius personae extra Ordinem nostrum; si enim fecit, eius ultima voluntas adimpleatur, dum tamen testamentum aut renunciatio sit sine gravamine missarum aut alterius piae memoriae, et, si imponatur huiusmodi gravamen, semper intelligatur novitium fundationem facere in favorem religionis, et non alicuius determinatae domus aut personae intra religionem; quia, cum conventus nostri nullum possint recipere onus sine licentiâ superioris generalis, et aliunde istius conscientiae, iuxta canonicas sanctiones, sit non permittere quod conventus graventur ultra posse, ad ipsum deinceps pertinere debet quod in Ordine adimpleantur ultimae voluntates novitiorum post professionem eorum, sine alicuius conventus iure.

III. Praeterea praecipimus in virtute sanctae obedientiae, sub praecepto formali, omnibus et singulis nostri Ordinis religiosis, tam praelatis quam subditis, ut nullus moneat novitios, neque eos inducat ut testamentum aut renunciationem ante suam professionem faciant in favorem alicuius personae extra nec intra Ordinem nostrum.

IV. In exigendis bonis per fratres in nostrâ religione professos, relictis nobis vel ad nos pertinentibus, maxima servetur charitas, et prae oculis habeatur indigentia et qualitas fratrum et sororum religiosi, et specialiter hoc observetur cum eius patre vel matre, quando per mortem alterutrius haereditas obvenit nobis, tunc enim (si charitas exigit) volumus ne talium bonorum fructus exigantur vel petantur, donec alter superstes moriatur.

Decretum Congregationis episcoporum et regularium praedictae regulae confirmatae.

§ 2. Emanavit deinde a Congregatione eorumdem cardinalium, re undique mature discussâ, decretum tenoris sequentis:

Sacra Congregatio eminentissimorum et

reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, referente eminentissimo domino cardinali Gentili ponente, re undique mature perpensâ, suprascriptas constitutiones censuit esse approbandas, prout praesentis decreti vigore benigne approbat atque confirmat. Romae, die XXIII augusti MDCCXXXVII. — Card. FRANCISCUS BARBERINUS, praefectus. — C. archiepiscopus Damiatae, secretarius. *Loco † sigilli.*

Procurator generalis Papae supplicat pro apostolicâ confirmatione.

§ 3. Quare praedictus procurator generalis nobis humiliter supplicari fecit ut praeinsertas constitutiones et decretum huiusmodi apostolicae confirmationis patrocinio communiri de benignitate apostolicâ dignaremur.

Annuit Pontifex.

§ 4. Nos igitur, ipsius procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnes et singulas constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, necnon dictae Congregationis decretum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque in similibus etiam de necessitate observandarum aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis principaliter vel accessorie aut aliàs[1] quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possint, penitus et omnino supplemus et sanamus.

Hisce litteris perpetui roboris adiicit firmitatem.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras ac constitutiones et decretum praeinserta semper firma, valida et efficacia[1] existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et facultate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis huiusmodi, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis etiam Ordini praedicto, illiusque superioribus, fratribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene

1 Edit. Main. legit *alia* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *efficaces* (R. T.).

et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCCXXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 2 augusti 1738, pontif. anno IX.

---

## CCXXXVIII.

*Confirmatio decreti capituli generalis canonicorum regularium Ordinis sancti Antonii Viennensis, per quod statuitur quod laici dicti Ordinis professionem post quatuor annos tantum emittere possint.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Iuxta regulas Ordinis, laici nonnisi post undecimum annum servitii et [illegible]tiatus ad [illegible]sionem emittendi.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis canonicorum regularium Ordinis sancti Antonii Viennensis, quod per constitutiones dicti Ordinis part. II cap. I *De recipiendis in Ordine*, n. VII, cautum reperiatur ne fratres laici seu conversi dicti Ordinis ad professionem per eosdem emitti consuetam, nisi postquam decem annorum spatio dicto Ordini tanquam donati inservierint et subinde novitiatus annum peregerint, admittantur; et, cum pluribus ab hinc annis superiores generales Ordinis huiusmodi malum effectum, quem praedictum tempus afferre solet, agnovissent, nam plurimi ex dictis donatis erga divinum servitium desides, alteri a fallaci licentiâ illecti, et alii demum a cacodaemone instigati, cum tempus emittendi eamdem professionem prope imminere animadverterint, a propositâ animi sententiâ recedunt, per quoddam decretum capituli generalis dicti Ordinis mense maio nuper elapso celebrati tempus undecim annorum huiusmodi ad quatuor annos dumtaxat redigere studuerunt, et aliàs prout in eiusdem capituli generalis decreto tenoris qui sequitur, videlicet:

Capituli generalis decretu huiusmodi terminus ad quadriennium redactus.

*Extractum ex actis originalibus capituli generalis anni* MDCCXXXVIII, *ex sessione* XIV. Quantum ex fratrum conversorum servitiis rerum temporalium administratores in omnibus Ordinis nostri domibus, sed in hac inclitâ praesertim abbatiâ, adiumenti capiant, nemini non perspicuum est. Verum hodie paucissimi sunt idonei iuvenes, qui in tali statu Deo militare velint, et ii ipsi, quibus hunc Dominus effectum inspirat, longissimo temporis tractu, quo probantur per decem annos in habitu donatorum, et per annum undecimum in novitiatu, plerumque a proposito deterrentur: unde, vel habitum non suscipiunt, vel susceptum, urgente daemonis tentatione, cui tamdiu resistere difficile est, leviter dimittunt. Igitur venerabilis coetus, cupiens conversorum fratrum penuriam aut totalem etiam extinctionem avertere, statuit esse breviandum eorum probationis tempus a decennio ad triennium; ita ut post tres annos in statu donatorum emensos, alterumque insuper in novitiatu, si habiles iudicentur, ad religiosam professionem admitti valeant. Quapropter procuratori generali in Curiâ iniungitur, ut necessariam super hoc a sanctissimâ Sede legum seu constitutionum nostrarum dispensationem humiliter expostulet. — *Concordat cum originali.* — N. GASPARINI abbatis [1] generalis S. Antonii. — A. BOUDELS secretarii [2] capituli generalis. *Loco † sigilli.*

Apostolico munimine roborari dictum decretum petit procurator generalis Ordinis.

§ 2. Cum autem, sicut dictus procurator generalis nobis nuper exponi fecit, decretum capituli generalis huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret:

1 Forsan *abbas* (R. T.).
2 Aptius *secretarius* (R. T.).

Confirmat Clemens.

§ 3. Nos, ipsum modernum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum[1] fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Sicque in posterum iubet servari.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II augusti MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 2 augusti 1738, pontif. anno IX.

1 Male edit. Main. legit *absolutos* (R. T.).

---

## CCXXXIX.

*Confirmatio decreti Congregationis de Propagandâ Fide super facultate praefecto apostolico missionum Mequinez Marochii concessâ instituendi procuratorem dictarum missionum in oppido Matriti.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Provincialis provinciae S. Didaci Congregationi de Propaganda Fide exponit necessitatem constituendi Matriti procuratorem missionum Mequinez.

§ 1. Nuper, pro parte dilecti filii Francisci Romero a S. Antonio, fratris expresse professi ac ministri provincialis provinciae S. Didaci in Baeticâ Ordinis Minorum sancti Francisci Discalceatorum nuncupatorum et praefecti apostolici missionum Mequinez regni Marochii, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositae exposito, dictas missiones, quoad expensas in eisdem occurrentes tam pro manutentione missionariorum quam regii hospitalis Mequinereci existentis sub curâ eiusdem missionis, dependere praecipue a regiâ liberalitate carissimorum in Christo filiorum catholicorum Hispaniarum regum, qui iam a pluribus retro annis copiosas eleemosynas ad id dare consueverant; nihilominus ipse Franciscus experimento didicerat aliquando eventurum esse, ut, nisi aliquis religiosus dicti Ordinis in oppido Matriti Toletanae dioecesis assistat, qui

nomine provinciae et missionum cum regiis ministris praedictas eleemosynas sollicitet, sitque iisdem cognitus et gratus, praedictae eleemosynae in toto vel in magnâ parte deficiant: quapropter ipse Franciscus cum suo definitorio, prospiciens bono dictarum sacrarum missionum, ut ne eaedem detrimentum patiantur, plurimum desiderabat, ut sibi facultatem instituendi in praedicto oppido Matriti aliquem ex suis religiosis in procuratorem, qui, continuo ibidem assistens, praedictas eleemosynas sollicitare, et favorem eorumdem regum in necessitatibus et persecutionibus, quae frequenter a[1] barbaris Africanis contra illas excitantur, implorare valeat, ac insuper collocandi dictum procuratorem cum socio illi designandum[2] (ob deficientiam conventus provinciae praedictae in supradicto oppido) in quocumque ex tribus conventibus diversarum provinciarum Ordinis eiusdem S. Francisci in oppido huiusmodi existentibus, quem ipse Franciscus iudicaverit opportuniorem ad praedictam procurationem, accedente tamen consensu dilectorum filiorum superioris illius conventus seu etiam ministri generalis pro tempore existentium, concederet: emanavit ad supplicationem praedicti Francisci ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis praefatae.

*Decretum sacrae Congregationis generalis de Propagandâ Fide habitae*[3] *die* IV *augusti* MDCCXXXVIII. — Relato per reverendum patrem dominum Philippum de Montibus secretarium suprascripto libello supplici, et audito patre ministro generali Ordinis sancti Francisci, sacra Congregatio oratoris precibus benigne annuit iuxta petita, salvâ tamen semper procuratoris prout in precibus constituendi, eiusque socii pro tempore, omnimodâ ab eâdem sacrâ Congregatione dependentiâ. Datum Romae, ex aedibus praefatae sacrae Congregationis, die et anno quibus supra. — Cardinalis PETRA, praefectus. — PHILIPPUS DE MONTIBUS secretarius. *Loco † sigilli.*

Confirmatur a Clemente.

§ 3. Cum autem, sicut pro parte dicti Francisci nobis subinde expositum fuit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum[1] desideret: nos, ipsum Franciscum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolica, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Sicque semper servandum praecipitur.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).
2 Potius lege *designando* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *habita* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *plurium* (R. T.).

Contraria tolluntur.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae, conventus et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII augusti MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 augusti 1738, pontif. anno IX.

---

## CCXL.

*Confirmatio quorumdam decretorum pro felici regimine Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti iussu capituli generalis editorum* [1].

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere, ea, quae pro felici prosperoque christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimine et gubernio provide facta et ordinata esse noscuntur, ut firma atque illibata persistant, apostolici muniminis nostri praesidio, cum id a nobis petitur, libenter constabilimus.

Septem abbates deputati ad decreta edenda, quibus tollantur abusus in Ordine.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Michaël Franciscus Vailettus procurator generalis Congregationis Cassinensis Ordinis sancti Benedicti, quod in capitulo generali Congregationis huiusmodi in civitate Paduanâ mense maio proxime praeterito celebrato ad effectum evellendi quosdam abusus qui in nonnulla monasteria dictae Congregationis inducbantur, septem digniores abbates eiusdem Congregationis, consilio, sapientiâ et prudentiâ praediti, nempe unus pro quacumque provinciâ Congregationis huiusmodi, electi et deputati fuerunt, qui, pro bono Congregationis praedictae regimine, nonnulla decreta ordinarunt, quae pro constabiliendis regulari disciplinâ statutorumque observantiâ, necnon debitâ huius Sanctae Sedis constitutionibus reverentiâ conservandâ a pleno definitorio approbata fuerunt, tenoris qui sequitur, videlicet:

Praefatio decretorum.

*Decreta pro bono regimine Congregationis.* — Cum multi, iique graves, abusus in quibusdam monasteriis nostrae Congregationis irrepserint, et sensim atque in dies serpere intelligantur, quibus disciplina regularis non solum aperte negligitur, sed etiam temere labefactatur: reverendissimi definitores, huic malo occurrere mature et prudenter cupientes, nobis eam provinciam demandarunt, ut, re diligenter examinatâ, secerneremus ea quae omnino corrigenda viderentur. Quare duximus ea quae sequuntur capita animadvertere, eorumque iudicio decernenda proponere.

Ubi sunt monasteria Ordinis, non construenda hospitia pro abbatum et monachorum habitatione.

I. Quia compertum est ex privatis hospitiis multa et gravia mala proficisci, ideo statuimus ut in locis, in quibus monasteria nostra existunt, hospitia pro abbatum et monachorum habitatione non habeantur, exceptis iis quae ab antiquo tempore constituta fuerunt, dummodo tamen ecclesias ad usum et commoditatem populorum annexas habeant.

Non concedendae pernoctationes extra

II. Ac quoniam in declaratione cap. VI, n. IX, haec habentur [1] « licentiae vero disce-

1 Consule regulas et declarationes relatas in tom. XIX, pag. 276 et seq. huius edit. (R. T.).

1 Vide loco cit. pag. 284 *a* (R. T.).

monasteria, nec in iis permittendi ludicri actus.

dendi a monasterio infra annum, recreationis vel etiam devotionis causâ, seu alio quovis praetextu, fratribus nostrae Congregationis a definitoribus vel regimine aut a praelatis non concedantur, nisi ex rationabili causâ, et raro, ad evitandas vagationes[1], etc. »: propterea abbates, tempore baccanalium, non permittant morari monachos extra monasteria, neque praetextu adeundi consanguineos vel affines, nec aliâ qualibet quaesitâ causâ. Adolescentibus autem et iunioribus, donec non fuerint sacerdotio initiati, non concedant facultatem pernoctandi extra claustra, neque recreationis neque etiam causâ devotionis, nisi in casibus a[2] constitutionibus permissis.

Quod si causae postulent dari facultatem aliquibus ultra unius diei iter eundi, tunc omnino serventur ea quae in declaratione cap. LXVII, n. VIII, IX et XIII servanda commemorantur.

Similiter dicti superiores nunquam permittant aut tolerent, quod monachi, deposito habitu monastico, vel personati incedant, vel ludicros actus, recreationis causâ, in ipsomet monasterio aut alibi quomodocumque exerceant.

Praelati absque legitimâ causa a monasteriis abesse non debent.

III. Declaratio cap. LXVII ita statuit n. XI: « Quod si[3] praelati mora extra monasterium tres menses excesserit, praesidens et visitatores illi monasterio administratorem deputent »: et merito, cum scriptum sit: *verumtamen sanguinem eorum de manu tuâ requiram.* Quod si etiam minori tempore sine causâ abfuerint, sciant praelati, se et apud Deum reos esse, et pro modo culpae a capitulo generali vel regimine puniendos, dum constiterit, sine causâ eos abfuisse.

Aliis exemplo sint in regularibus observantiis.

IV. Praelati quamdiligentissime animum attendant ad ea quae habet regula in declaratione cap. II, num. II, scilicet: « ut[4] subditos reddant in obsequendo promptiores, ipsi forma gregis fiant et duces agendorum. Ergo regularibus observantiis, chori, refectorii, ceterisque semper intersint, etc. ».

1 Edit. Main. legit *vacationes* (R. T.).
2 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).
3 Tom. XIX, pag. 341 *a* (R. T.).
4 Ibid. pag. 280 *a* (R. T.).

Quod vero hoc loco abbatibus regiminis faciendum regula inculcat, id ipsum multo magis a praelatis faciendum volumus, qui nullam administrationem habent, vulgo dicti *nullatenenti.*

De mutatione monachorum de monasterio ad monasterium non facienda.

V. Mutationes monachorum non aliâ ratione fiant, quam uti monet regula in declaratione cap. LXVII, n. XV. Ut autem lites omnes, quae mutationum causâ oriri solent, de medio tollantur, statuimus, quotiescumque monachi mutati fuerint auctoritate capituli generalis vel diaetae, vel si extra tempus congressus praelati aliquem mutare voluerint, debere monasteria, a quibus mutati discedunt, iis suppeditare omnia necessaria. At si quis monachus extra id tempus mutari petierit, ob eamque rem importune institerit, etsi discedendi facultatem impetret, nihil tamen a quopiam exigere possit.

De carceribus publicis provinciarum.

VI. Cum decretis sacrae Congregationis Concilii *De regularibus apostatis et eiectis* anni MDCXXIV cautum sit, ut unaquaeque religio habeat carceres in qualibet saltem provinciâ ad incorrigibiles, scandalosos, criminosos ac similes puniendos et coërcendos, nos, etsi Congregationis monasteria singula privatos habent carceres iuxta constitutiones nostras, tamen, ad tutius et commodius eosdem illos compescendos, assignamus publicos carceres in monasterio S. Petri de Perusio pro provinciâ Romanâ et Etruscâ, in monasterio Montis Casini pro provinciâ Neapolitanâ, in monasterio S. MArtini Panormi pro Siculâ, in monasterio S. Salvatoris Papiae pro Lombardâ et Ligurâ, in monasterio S. Iustinae de Paduâ pro Venetâ, in quibus detineantur. Ne vero haec monasteria iniuste graventur, decernimus omnia necessaria tam pro expensis ad transmissionem reorum, quam pro victu et vestitu, ab illo monasterio tribuenda esse, cui reus nomen dederit. Possint tamen praelati ad aliquod ex assignatis monasteriis extra provinciam mittere huiusmodi criminosos, dummodo abbas illius monasterii consentiat, vel capitulum generale aut regimen id praecipiat, salvis semper quae de expensis dicta sunt.

De modo pro-

VII. Cum autem non levis inoleverit abu-

cedendi contra reos.

sus, quod nempe contra monachos, ut supra, delinquentes non conficiantur processus super qualitate et verificatione delicti ab eis commissi, volumus quod in posterum in singulis casibus, in quibus aliquis monachus crimen patraverit ob quod puniri mereatur, superior processum per aliquem peritum confici omnino curet, deinde delinquentem pro modo culpae puniat; processum vero in archivio monasterii asservandum reponat, ut, si unquam idem monachus pluries deliquerit, huiusmodi processus inservire possit ad probandam ipsius incorrigibilitatem, quae ut plurimum ex defectu debitae probationis excluditur.

De cavendis nimiis expensis aedificiorum et et honesta rerum administratione.

VIII. Quia saepe ex nimiâ aedificandi cupiditate monasteria iacturam magnam patiuntur, meminerint praelati et visitatores ea quae de aedificiis praescribuntur in declaratione regulae[1], cap. LXVI. Quae quidem de aedificiis constituta intelligi atque observari volumus etiam de extraordinariis expensis in hospitibus suscipiendis, in ornatu monasteriorum et templorum, et aliis huiusmodi. Quare visitatores provinciae curent diligenter, ne hac in re a quopiam peccetur, et si deprehenderint aliquid contra laudati capitis declaratum admitti aut tentari, etiam extra actum visitationis certiorem faciant patrem praesidem, qui statim aedificii et sumptuum progressum interdicat. Quod attinet ad reliquam monasteriorum administrationem, abbatibus in memoriam revocamus exactam observantiam constitutionum apostolicarum, maxime vero Alexandri VII *De cellerariis* [2], qua sub gravissimis poenis praescribitur, ut cellerarii [3] nihil sine scientiâ et iussione abbatis agant, et abbates per se ipsos in rerum temporalium administratione non se ingerant.

Poenae contra monachos negociatores,

IX. Quoniam monachis negotiationes sacris canonibus interdicuntur, volumus omnino in eos animadverti, qui illicitis negotiationibus operam dare deprehensi fuerint, eisque infligi poenas cap. LVII nostrae regulae n. II statutas.

1 Edit. Main legit *regula* (R. T.).
2 Habetur in tom. XVI, pag. 59 *b* et *seq.* (R.T.).
3 Male edit. Main. legit *cancellarii* (R. T.).

Vel ambientes.

X. Cum nihil magis monachorum vitae et monasticae disciplinae noceat, quam cupiditas honoris et dignitatis, teneantur praeses, visitatores, procurator generalis et monasteriorum superiores patribus definitoribus referre officia, commendationes, preces, quas deferunt saeculares, ecclesiasticae, aliaeque personae quaecumque, ut in Bullis Gregorii XIII et Urbani VIII contra ambientes, in favorem alicuius ad obtinendas praelaturas, dignitates, gradus, officia, administrationes, etc.; qua re cognitâ, patres definitores eligant duos vel tres abbates, qui accurate inquirant et examinent, si quis fuerit hac in re ita deliquisse denuntiatus ut vere convinci possit censuras incurrisse; quod si cognoverint, serventur ea quae statuuntur in Bullis laudatis, sive ipse institerit apud praedictas personas, sive per medium alterius etiam nostrae Congregationis tales instantiae et sollicitationes praesumantur factae de eius commissione seu voluntate; si vero convinci nequeat, et gravis tamen suspicio remaneat, ad eius instantiam preces, commendationes, et officia adhibita fuisse, causa proponatur iterum discutienda in omnibus sequentibus capitulis generalibus, donec definiatur. Interea tamen, qui sic egisse in suspicionem cadit, nullis officiis aut dignitatibus, quae a patribus definitoribus aut capitulo generali conferuntur, ornari possit.

De administratione temporalium per abbates.

XI. Compertum est, bona temporalia, quae subsidia sunt huius vitae, multum conferre ad regularem disciplinam retinendam. Si igitur ad notitiam regiminis venerit praelatum aliquem male administrare bona monasterii, regimen moneat abbatem, et opportunis remediis curet ut eumdem deterreat de sententiâ, et in officio contineat; quod si abbas desistere noluerit, pro modo contumaciae ad ulteriora procedat, usque ad suspensionem a regimine et deputationem administratoris. Hoc autem loco expedire iudicamus, si decretum aliàs emanatum a capitulo generali anni MDCCXXXII repetatur, et hic inseratur, quod sic habet: « Praesules monasteriorum in gravibus quibuscumque rebus, quales sunt constructiones, alie-

nationes et similia, quae seniorum consensum poscunt, ex iure teneantur deinceps eorum suffragium exquirere, non equidem praestandum voce vel nutu, sed secreto instituto scrutinio, ut, quae decet, sit cuique facultas libere proferendi quod in monasterii utilitatem cessurum iudicarit.

A saecularibus nihil exigendum pro victu et vestitu novitiorum.

xii. Ac ut facilior via pateat his qui monasticae vitae desiderio tenentur, eamque ingredi volunt, maxime laudamus morem illum et institutum nihil exigendi a saecularibus pro victu et vestitu novitiorum; quod ipsum institutum arripiendum et retinendum iudicamus, et omnino observari volumus, ut iocalia, pastus, pecuniae, aliaeque res, etiam ad divinum cultum vel usum communem monasterio applicandae non exigantur seu petantur ratione ingressus vel professionis iuxta constitutionem Urbani IV quae incipit *Sane in vincâ Domini*, titulo *De simoniâ*, inter extravagantes communes, ne in poenas gravissimas, praecipue excommunicationis latae sententiae solo Romano Pontifici reservatae ibi inflictas incurrant.

De visitatoribus et modo visitationis.

xiii. Quamquam secundâ parte constit. cap. ii, num xiv, non tenentur patres visitatores in actu visitationis omnes de familiâ de rerum statu interrogare; quia tamen ob eam rem incommoda multa oriri possunt in detrimentum monasteriorum, et ne ullus suspicionibus, quae charitatis vinculum perrumpere possunt, locus detur, necesse esse arbitramur, ut in posterum omnes de familiâ a patribus visitatoribus vocentur et interrogentur. Ipsi autem patres visitatores meminerint ea, quae ibidem num. xxiii praescribuntur, scilicet ne revelent testes, aut ea quae in visitatione acceperunt, sub poenâ ibidem statutâ. Caveant etiam diligenter ut acta visitationis ita custodiantur ut a nemine videantur aut legantur in monasteriis quae visitare porrexerint[1].

De computis reddendis, et proprietariis.

xiv. Ut autem patres visitatores rite recteque munus suum fungi queant, constituatur formula pro exhibendis computis monasteriorum capitulo generali[2], et definitores novis visitatoribus eadem computa consignent, qui in actu visitationis ea cum libris conferant, praesertim vero cum computis menstruis, quae in libro vulgo *la Vacchetta* continentur. Computa vero a dictis visitatoribus habita deferantur ad capitulum, ad hoc ut ibi a deputatis ad computa conferri valeant cum aliis computis quae singuli abbates coram ipsis praesentare teneantur. Quoniam vero iidem visitatores inter cetera inquirere debent, an proprietarii aliqui in monasterio inveniantur; propterea, magnâ adhibitâ diligentiâ, visitent capsam depositorum: qua in re, quae gravissimum momentum habet, ipsorum conscientiam oneramus.

Vestibus.

xv. Quoniam vero monachi non intimam solum animi modestiam, sed etiam externam praeseferre debent, hic repetendum censemus decretum editum n. ii in capitulo generali anni mdccxxxviii ad tollendos abusus qui in vestimentorum usu apud monachos irrepserint: « Summam etiam diligentiam adhibeant abbates in extirpandis abusibus, si qui forte apud monachos irrepserint in vestimentorum tum interiorum tum exteriorum usu, quae a religiosâ simplicitate et humilitate aliena prorsus sunt; praesertim vero solertissime in eos inquirant et severissime etiam animadvertant, qui in pileis, caligis et calceis saeculi pompas religiosis viris indignas affectare videntur. Quod dictum quoque habeatur adversus eos, qui tonsuram monasticam minime gerunt, et ut hisce in rebus praelatis vigilantiam omnem exerceant, eorum conscientiam oneramus. Addimus autem expresse huic decreto ut tunica sit undequaque clausa, iuxta Clement. *Ne in agro*, et nullo modo, vel in toto vel in parte, recedat ab antiquâ nostrâ consuetudine. Urgemus etiam integram firmamque observantiam eorum, quae de vestimentis ornamentisque statuuntur in declaratione cap. lv nostrae regulae, quae ab omnibus omnino servari mandamus. Et quoniam liber esse nemo debet ab iis officiis reddendis quae pertinent ad vitae genus et regularis observantiae disciplinam, inviolabiliter servari volumus ea quae capite regulae nostrae lxiii num. xi, *De abbatibus*

1 Forsan *perrexerint* (R. T.).

2 Edit. Main. legit *generalis* (R. T.).

*titularibus* praescribuntur[1]. Teneantur autem ad hanc rem abbates regiminis monere regimen et capitulum generale, quando, quomodo, et quibus in rebus titulares abbates ab officio discedunt.

Decanis in consortium administrationis per abbates suscipiendis.

XVI. Quia praelati decanorum operâ indigent, cum quibus onera partiantur, quique ad ea sustinenda sint pares, hortamur abbates, ut oeconomica officia sacerdotibus non conferant, nisi tempore sacerdotii sui per biennium continue [2] observantiae regulari vacaverint, aliàs facile poterit accidere, ne in decanos assumi possint ad praescriptum constitutionum cap. XXI, reg. num. IV.

Officio decanorum.

XVII. Qui autem decani sunt constituti sollicitudinem gerant super decanias suas, audiant culpas monachorum, et corrigant eos in mansuetudine et charitate. Visitatores vero, ut in actu visitationis de hac re sedulo inquirant, monemus et obsecramus.

Studiorum frequentatione.

XVIII. Cum perspicuum sit, studiis facultatum mores hominum formari ac perfici, rectissime cavet regula cap. XLVII in declaratione num. VII: « Ne tamen[3] adolescentes a studiis avocentur, nullus monachorum ad officia oeconomica sive temporalia, etiam domestica, assumi possit, nisi completo suae conversionis anno duodecimo »: quod quidem idcirco statutum est ut possint adolescentes studiis facultatum vacare. Quare etiam qui fuerint sacerdotio initiati scholas frequentare omnino teneantur, donec in studiis philosophiae, theologiae et sacrorum canonum secundum monasteriorum consuetudinem cursum confecerint: quae sacrorum canonum studia, ubi vigent, retineantur; ubi vero iacent, restituantur.

Votis commissorum.

XIX. Quoniam invaluit falsa quaedam et male consulta opinio de votorum naturâ et vi, quae a nostris commissis emittuntur; ideo, ad eam avellendam, noverint omnes praelati, priores, decani ceterique monachi, commissos nostros fratrum nostrorum nomine censeri, et in eodem numero computari, atque ideo, donec ipsis nobiscum a superioribus permanere permittitur, teneri eos servare castitatem, paupertatem et obedientiam per vota simplicia: « a qua obligatione eo ipso solvantur, cum eos a Congregatione dimitti contigerit », uti expresse tradit declaratio cap. LVIII nostrae regulae, num. XX [1]. Nullo igitur modo solvi possunt a praedictis votis, nisi a Congregatione dimittantur. Hinc reprobanda eorum opinio qui volunt commissos ad arbitrium suum posse se liberare obligatione votorum, si decesserint[2], petitâ solum a praelato facultate. Hinc etiam expungenda est interpretatio (quae forte huic opinioni locum dedit) illorum verborum: *A qua obligatione eo ipso solvantur, cum eos a Congregatione dimitti contigerit*, quae per haec alia italice redduntur: *Dall'obligazione de' quali sono subito sciolti, quando occorre che partono o sono cacciati dalla Congregazione*. Quae interpretatio irrepsit in regulâ italico idiomate semel et iterum Mantuae excusâ[3].

Causis dimittendi commissos.

XX. Causae autem et modus eos dimittendi habentur cap. XXVIII regulae declarationis num IV. Quare sciant praelati, ac ceteri, eos dimitti non posse, nisi modus eos expellendi regulâ praescriptus servetur, et causae subsint, praecipuae[4] contumaciae, ob quas, iuxta constitutiones nostras, dimitti possunt; quae si non adsint, non possunt expelli. Ad compescendos autem eos, qui monastico ordini malis moribus magnopere obsunt, necesse ducimus monere patres visitatores et omnes praelatos, ut denuntient patribus definitoribus criminosos, scandalosos, inquietos et processatos, ut describantur eorum nomina in libro incorrigibilium, iuxta praescriptum constitutionis parte I, cap. XVII, n. XII.

Tandem ad tollendum abusum, qui apud eos irrepsit, qui, titulo solutae pecuniae pro victu putant, se liberos esse ab observantiis regularibus; praecipimus praelatis, ut, nulla solutae[5] pecuniae habitâ ratione, nunquam iis permittant a choro, ceterisque observantiis regularibus abesse, sed ita ut cete-

1 Edit. Main. legit *praescribunt* (R. T.).
2 Ed. M. legit *continuae* pro *continue* (R.T.).
3 Tom. XIX pag. 315 *b* (R. T.).

1 Tom. XIX pag. 328 *b* (R. T.).
2 Forsan *discesserint* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *excussâ* (R. T.).
4 Videtur legendum *praecipue* (R. T.).
5 Pessime edit. Main. legit *solitae* (R. T.).

ros de familiâ cogant eos de genere [1] in singulis, ne immunitatem ab observantiis regularibus vendere videant. Volumus etiam ut in singulis monasteriis mentalis oratio habeatur ab omnibus, quae oratio ante vel post horae primae recitationem haberi solet.

Infirmorum cura.

XXI. Ad extremum, ut infirmis fratribus provideatur, caveant abbates et cellerarii, ne, oeconomiae obtentu, infirmi fratres negligantur. Quod ne accidat, videant cap. XXXVI nostrae regulae, eiusque declarationes.

*Haec autem iis, quae de mutationibus dicta sunt, adiicienda censemus*:

Additiones ad supraposita decreta.

Si quis monachus extra monasterium, cui rite recteque assignatus est de familiâ, antequam ad illud pervenerit, infirmatur et moritur, monasterium professionis consequatur spolium, et teneatur ad omnes expensas ad victum, ad medicamenta, ad funus necessaria. Si vero convalescat, et ad monasterium, cui rite assignatus est, pervenerit, idem monasterium quemadmodum ius spolii acquirit, ita teneatur ad omnes expensas commemoratas. Illi vero rite mutati intelliguntur, quos, vel in comitiis sive maioribus sive minoribus, vel extra illa, ubi necessitas vel utilitas postulet, praelati ad se invicem mittunt communi consensu, adiunctâ patris praesidis vel visitatorum facultate, uti praescribunt constitutiones nostrae, part. II, cap. IV.

Ut autem praelati sint in mutationibus rite faciendis cautiores, statuimus ut, si monachus mutetur posthabitis conditionibus enarratis, et infirmetur extra monasterium, sive moriatur, sive convalescat, a monasterio, cui assignatus erat, omnes expensae solvantur, et nihilominus ius spolii amittat, quod acquiritur monasterio professionis, dummodo ad monasterium, ad quod minus recte transmittebatur, non pervenerit.

II. Si quis nostrae Congregationis monachus a monasterio absit, cui assignatus est de familiâ, quacumque de causâ absit, moriatur extra illud, sive in monasteriis nostris, sive in aliis locis, quidquid apud mortuum reperitur, pertineat ad monasterium cui assignatus est.

1 Videtur leg. *se gerere* pro *de genere* (R.T.).

III. Quandocumque aliquis monachus, infirmitatis obtentu, petierit in aliquâ ex granciis monasterii morari, ei non annuat superior nisi medicorum iuratâ fide testetur et constet observantiam regularem sibi notabiliter obesse; quo casu superior votis annuat et indulgeat, quamdiu infirmitatis causa postulat.

Quicumque autem abbates, aliique nostris monasteriis et Congregationi praefecti, cuiuscumque dignitatis, gradus et praeeminentiae fuerint, si graviter in unoquoque praemissorum, etiam unicâ vice, desides fuerint, aut alio modo deliquerint, voce activâ et passivâ sint ipso facto privati: salvis manentibus gravioribus poenis excommunicationum, suspensionum, inhabilitatum, ac ceterarum, quae contra aliqua [1] praemissorum per Bullas apostolicas et nostras constitutiones statuta sunt. Ut autem executioni demandentur, patres visitatores capitulo generali deferre teneantur quae in actu visitationis contra praemissa patrata esse observaverint, quod munus, si diligentissime non expleverint, ipsi quoque eidem poenae ipso facto obnoxii sint. Quapropter patres visitatores, dum comitiorum nostrorum more congregati fuerint, super his rebus exactissimum examen instituere teneantur.

Ego D. Seraphinus a Matherâ abbas, et electus cum ceteris subscriptis ad examen.

Ego D. Ioseph ab Augustâ, abbas.

Ego D. Bernardus a Pharâ, abbas.

Ego D. Cyprianus a Brixiâ, abbas.

Ego D. Fortunatus a Mutinâ, abbas.

Ego D. Augustinus a Brixiâ, abbas.

Ego D. Hieronymus a Ianuâ, abbas.

Approbatio capituli generalis.

Nos infrascripti definitores electi in capitulo generali Congregationis Cassinensis habito in monasterio S. Iustinae de Paduâ hoc anno MDCCXXXVIII omnia haec et singula amplectimur et approbamus, eademque demisso animo subiicimus supremo iudicio sanctissimi domini nostri Papae Clementis XII feliciter regnantis, humillimis precibus sanctissimum ipsum dominum nostrum rogantes, ut ea dignetur apostolicae auctoritatis

1 Edit. Main. legit *aliquam* pro *aliqua* (R.T.).

praesidio ac munimine roborare, additis, mutatis, correctis iis omnibus quae summae Sanctitatis suae sapientiae addenda, mutanda, corrigenda videantur.

Datum in comitiis nostris maioribus habitis in monasterio S. Iustinae de Paduâ, die IV maii anno MDCCXXXVIII.

D. IOSEPH MARIA a Papiâ, abbas et praesidens.

D. CAROLUS a Perusio, abbas et definitor.

D. ILDEPHONSUS a Neapoli, abbas et definitor.

D. LUCIDUS MARIA a Mantuâ, abbas et definitor.

D. DOMINICUS a Messanâ, abbas et definitor.

D. VIRGINIUS a Brixiâ, abbas et definitor.

D. IOANNES PLACIDUS a Saviliano, abbas et definitor.

D. IOANNES ANTONIUS a Paduâ, abbas, definitor et scriba capituli.

Petita a Papâ dictorum decretorum confirmatio.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus Michaël Franciscus procurator generalis decreta huiusmodi, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret:

Concedit Clemens.

§ 3. Nos, ipsius Michaëlis Francisci procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnia et singula decreta praeinserta, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Eaque perpetuo servari mandat.

§ 4. Decernentes, eadem statuta, ac praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII septembris MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 septembris 1738, pontif. anno IX.

## CCXLI.

*Confirmatio constitutionum in formâ communi Ordinis fratrum S. Ioannis Dei Congregationis Hispaniae.*

Clemens Papa XII,
ad futuram rei memoriam.

Capitulum generale huius Ordinis habet facultatem mutandi, addendi, etc. constitutiones.

§ 1. Cum, sicut dilecti filii prior seu superior generalis et definitorium Ordinis fratrum sancti Ioannis Dei Congregationis Hispaniae nobis nuper exponi fecerunt, quod, per capitulum cu constitutionum Congregationis et Ordinis huiusmodi auctoritate apostolicâ in formâ specificâ tam a felicis recordationis Paulo Papa V sub VI augusti MDCXI quam a recolendae memoriae Urbano Papa VIII praedecessoribus nostris sub IX novembris MDCXL respective diebus confirmatarum, generali et intermedio capitulis Congregationis et Ordinis huiusmodi facultas mutandi, corrigendi, addendi et reformandi easdem constitutiones concessa reperiatur, hac tamen lege ut earumdem constitutionum sic mutatarum, correctarum, adiectarum et reformatarum a Sede Apostolicâ confirmatio petenda foret:

Factas itaque nuper additiones nonnullas.

§ 2. Ipsi vero exponentes, pro felici earumdem Congregationis et Ordinis regimine et directione, nonnullas additiones per Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam revisas, examinatas et approbatas condiderint:

Prior et definitorium apostolica confirmatione communiri petunt.

§ 3. Ac proinde exponentes praedicti, quo illae firmius subsistant, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Praestat Pontifex.

§ 4. Nos, specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, constitutiones, additiones et statuta praedicta, dummodo tamen sint in usu, ac licita et honesta, ac a supradictâ Congregatione cardinalium approbata, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, nec monopoliis ansam praebeant, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Easque sic correctas additasque servari praecipit.

§ 5. Decernentes, constitutiones, additiones seu statuta huiusmodi, ac praesentes litteras, firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 6. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII septembris MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 septembris 1738, pontif. anno IX.

---

## CCXLII.

*Tredecim sextis feriis a S. Francisco de Paulâ institutis, vulgo ut dicitur* La divozione de' tredici venerdì, *pia exercitia ab eodem S. Francisco proposita facientibus, indulgentia plenaria concessa.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Adiutor et susceptor noster pater misericordiarum, *qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut intelligimus*, magnâ fidelibus adest virtute, cum, ad ipsum clamantes, illinc in necessitatibus levamen expectant, unde salutis sumpserunt exordium. Quamobrem apostolici muneris nostri partes in iis libenter interponimus, per quae fideles, ut praefertur, superstantes, bonus odor effecti, precationes valeant effundere suaviores, eisque exinde, benedicente Domino, votiva promptius proveniant auxilia.

Exercitium tredecim sextarum feriarum a S. Francisco institutum. § 1. Cum itaque, sicut accepimus, gloriosus S. Franciscus de Paulâ, Ordinis fratrum Minimorum nuncupatorum fundator, tum in humanis agens, dum nonnulli christifideles, suis necessitatibus prospicere cupientes, eiusdem sancti viri apud Deum officia ac preces postularent, quemdam ipse precandi ritum, vulgo ut dicitur *La divozione de' tredici venerdì*, in domini nostri Iesu Christi ac beatorum duodecim Apostolorum gloriam et honorem eo sensu instituerit qui sequitur, videlicet: *Tredici venerdì vi confesserete, e ricevercte il santissimo Sacramento nella messa che farete dire per quella necessità nella quale ricorrete al Signore. Reciterete tredici* Pater noster *e tredici* Ave Maria *in onore e riverenza di Gesù Cristo benedetto e dei suoi dodici apostoli. Porrete due candele di cera bianca nella vostra messa, in segno delle due virtù, Fede e Speranza; terrete in mano un' altra candela accesa, mentre reciterete le orazioni e si dice la messa, in protestazione della Carità con cui dovete amar il Signore e chiedergli le grazie, perchè in questa maniera vi si concederanno i fini dei vostri giusti desideri*: cumque, sicuti pariter accepimus, misericors Deus piis eorumdem christifidelium ad praeinserti ritus formam precantium votis ita se propitium exhibuerit et liberalem, ut ipsi christifideles gratiam in opportuno auxilio feliciter invenerint: propptereaque sanctum ritus huiusmodi exercitium a nonnullis praedecessoribus nostris ac S. R. E. cardinalibus, necnon regiâ imperialique dignitate fulgentibus personis, aliisque cuiusvis status, gradus et conditionis christifidelibus ubique terrarum eo eventu peractum fuerit, et in dies respective peragatur, ut via adeundi cum fiduciâ ad montem sanctum Domini, et intra supernae exauditionis sacrarium a praefato S. Francisco monstrata esse noscatur:

Illud peragentibus propositae indulgentiae. § 2. Nos igitur, sanctum ritus huiusmodi exercitium plurimum in Domino commendantes, ipsosque fideles illud devote peragentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus etiam pro parte dilecti filii Idelfonsi Gutierrez Gavino, procuratoris generalis seu zelosi dicti Ordinis, nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, qui in tredecim sextis feriis a praefato S. Francisco de Paulâ, ut praefertur, institutis, vere poenitentes et confessi ac sacrâ communione refecti fuerint, semel tantum in anno, in unâ ex dictis tredecim sextis feriis per eos ad cuiusque libitum respective eligendâ, indulgentiam plenariam ac omnium et singulorum peccatorum suorum veniam et remissionem apostolicâ auctoritate misericorditer in Domino tenore praesentium perpetuo concedimus et elargimur; in singulis vero ex reliquis tredecim

sextis feriis huiusmodi septem annos et totidem quadragenas de eis iniunctis vel aliàs quomodolibet debitis poenitentiis apostolicâ auctoritate et tenore similibus etiam misericorditer in Domino relaxamus.

Derogatio contrariorum.

§ 3. Non obstantibus nostris et Cancellariae Apostolicae regulis de indulgentiis et clausulis in illis ponendis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis; ceterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

Transumptis danda fides.

§ 4. Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, procuratoris generalis seu zelosi dicti Ordinis, vel notarii publici et personae alicuius in dignitate ecclesiasticâ constitutae, vel pro tempore existentis correctoris generalis dicti Ordinis sigillo munitis, eadem prorsus fides ubique locorum in iudicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur eisdem praesentibus si essent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVIII, kalendis octobris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 28 septembris 1738, pontif. anno IX.

Ph. Frigerius. — M. Ferravilla.

*Visa de Curiâ*

M. A. Caffarellus.

A. Melocardus.

*Loco † plumbi.*

F. A. Paulettus,

R. C. A secr.

Registrata in Camerâ Apostolicâ.

---

## CCXLIII.

*Moderatio cuiusdam decreti particularis Congregationis super eiectione religiosorum Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini provinciarum Indiarum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

A Congregatione particulari editum decretum super modo cognoscendi causas eiiciendi ab Ordine incorrigibiles.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus Filius Nicolaus Antonius Schiaffinati, prior generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, quod aliàs, nempe die XXIV iulii MDCXCIV, in Congregatione particulari nonnullorum tunc existentium S. R. E. cardinalium, a felice recordatione Innocentii Papae XI, praedecessore nostro, ad instantiam tunc pariter existentis procuratoris generalis eiusdem Ordinis, deputatâ pro moderatione decretorum de apostatis et eiectis a Congregatione tunc quoque existentium cardinalium Congregationis Concilii Tridentini interpretum et a bonae memoriae Urbano Papa VIII itidem praedecessore nostro editorum, sancitum fuit inter alia, ut facultas, in dictis decretis de anno MDCXXIV prioribus et magistris generalibus Ordinum regularium concessa ad eiiciendos incorrigibiles de consilio et assensu sex ex gravioribus patribus in congregationibus generalibus eorumdem Ordinum eligendis, etiam ad priores et ministros provinciales extenderetur, qui, electis pariter in congregationibus provincialibus sex gravioribus de provinciâ religiosis a generali Ordinis pro tempore existente confirmandis, de illorum consilio et assensu causas huiusmodi cognoscere, et, ad effectum eiiciendi incorrigibiles suae provinciae et eiectionem pronunciandi, accedente approbatione generalis, definiri[1] deberent; salvâ tamen semper huius Sanctae Sedis et eiusdem Congregationis in casu recursus et appellationis auctoritate.

Conditiones in praefato decreto appositae inr poviociâ Indiarum exequi difficillime pussunt.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, in provinciis Indiarum eiusdem Ordinis, ob summam earum ab hac almâ Urbe distantiam, ap-

1 Aptius lege *definire* (R. T.).

probatio prioris generalis pro tempore existentis huiusmodi, sive electionis iudicum expulsionis in capitulis provincialibus provinciarum praedictarum factae, sive sententiae a prioribus provincialibus huiusmodi et praedictis sex patribus latae, absque magno provinciarum praedictarum detrimento et incommodo expectari non possit, utpote quia reus, cuius incorrigibilitas probata et uti talis per sex menses in carcere detentus fuerit, per longum tempus in eâdem carceris custodiâ detineri non potest usque dum prior provincialis praedictus approbationem sive electionis iudicum sive sententiae iuxta enunciatum decretum a priore generali praefato accipiat, minusque fieri potest ut reus libertati tradatur, ne ceteros suo pravo exemplo corrumpat;

Prior generalis Ordinis supplicat pro earum moderatione.

§ 3. Ac propterea dictus Nicolaus Antonius prior generalis, supradictum decretum memoratae Congregationis particularis a nobis moderari, plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut[1] sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Concedit Clemens.

§ 4. Nos igitur, ipsum Nicolaum Antonium priorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore existentibus earumdem provinciarum Indiarum dicti Ordinis prioribus provincialibus, ut ipsi, servatis de iure servandis et aliis in supradictis decretis contentis, non expectatâ eiusdem Nicolai Antonii aliorumque dicti Ordinis pro tempore existentium priorum generalium approbatione sive electionis sex coniudicum sive sententiae expulsionis ab ipsis coniudicibus unâ cum provincialibus praedictis latae, sive ferendae cum effectu, incorrigibiles eiicere possint et valeant, facultatem auctoritate nostrâ apostolicâ, tenore praesentium concedimus et impartimur.

Clausulae pro huiusce moderationis firmitate.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 5. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius

1 Coniunct. *ut* nos addimus (R. T.).

notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VII octobris MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 7 octobris 1738, pontif. anno IX.

## CCXLIV.

*Facultas superioribus Ordinis Cisterciensis Congregationis Portugalliae applicandi spolia monachorum collegio universitatis Colimbriensis pro dissolvendo aere alieno.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam,**

Iuxta constitutiones Ordinis, defunctorum spolia superiorum arbitrio applicanda.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis monachorum Ordinis Cisterciensium Congregationis Portugalliae, quod per statuta seu constitutiones Ordinis et Congregationis praedictorum, auctoritate apostolicâ confirmatas, cautum reperitur, ut, quoties aliquem ex monachis Congregationis praedictae ab hac luce migrare contigerit, illius spolium et haereditas ad arbitrium superiorum dictae Congregationis applicari soleat.

Ære alieno gravato collegio Colimbriensi attribui ea petit procurator generalis.

§ 2. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, de praesenti collegium universitatis studii generalis civitatis Colimbriensis, dictae Congregationis unica domus in qua studia vigent, aere alieno gravata reperiatur, eâque de causâ in illâ studentes et magistri necessarii non inveniantur, ac propterea non leve dictae Congregationi detrimentum inferatur, dictusque procurator generalis, agnoscens quod Congregationi praedictae nullus modus dissolvendi aes alienum praedictum et in dicto collegio magistros ac studentes necessarios manutenendi suppetat, quam ut spolia et haereditates praedictas illi usque ad satisfactionem aeris alieni huiusmodi applicentur, nobis propterea humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur:

Concedit Clemens.

§ 3. Nos igitur, ipsum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, modernis et pro tempore existentibus superioribus generalibus dictae Congregationis, aliisque ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, ut ipsi, eveniente obitu cuiuscumque monachi eiusdem Congregationis, illius spolium et haereditatem collegio universitatis studii generalis civitatis Colimbriensis Congregationis praedictae, usque ad integram satisfactionem aeris alieni quo dictum collegium gravatum existit, libere et licite applicare possint ac debeant, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus, ac, quatenus opus sit, etiam in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus.

Sicque semper et ubique servari praecipit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis

inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, dictae Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII novembris MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 17 novembris 1737, pontif. anno IX.

---

## CCXLV.

*Abrogatis litteris Clementis Papae XI super servitio ecclesiae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis editis, et ab Innocentio Papa XIII in formâ* Rationi congruit *expeditis, necnon kalendario in illis inserto, patriarchae Ulyssiponensi novi kalendarii conficiendi ac novam servitii formam constituendi, praeviis tamen consilio et consensu Portugalliae et Algarbiorum regis, auctoritas conceditur.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium

Ad sacrosanctam B. Petri cathedram, summâ dispositione illius qui caelestia pariter et terrena omnia providentissime gubernat, meritis licet imparibus evecti, inter multiplices pastoralis vigilantiae nostrae curas, quibus iugiter premimur, in illam praesertim incumbimus, ut in universis Orbis ecclesiis divinus cultus accrescat, illarumque ministri Altissimo alternatim concinentes nunquam intermissas, quae in caelesti Hierusalem Deo resonant, laudes, quantum humana sinit imbecillitas, aemulentur: peculiarem tamen pontificii muneris nostri sollicitudinem adhibemus, ut in iis potissimum, quae conspicuo patriarchalis tituli honore illustrantur, ac frequenti nobilium interventu atque regalium personarum praesentiâ decorantur, divinum servitium magnificentius expleatur, et, ad charitatem erga Salvatorem nostrum in christifidelium cordibus excitandam, divina officia eâ qua par est pietate et maximâ cum honorificentiâ persolvantur.

Clemens XI capitulo patriarchalis ecclesiae, nuper erectae ac dotatae, chori servitium praescribit, eiusque litteras publicat roboratque Innocentius XIII.

§ 1. Cum itaque aliàs (postquam, sicut accepimus, felicis recordationis Clemens Papa XI praedecessor noster, sub datum videlicet V kalendas octobris, pontificatus sui anno XX, quartam omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum naturalium, industrialium et civilium a patriarchali Ulyssiponensi occidentali, archiepiscopalibus et episcopalibus in Portugalliae et Algarbiorum regnis existentibus ecclesiis, necnon quotas respective partes a novem dignitatibus et viginti octo canonicatibus et praebendis in certis eiusdem Portugalliae regni collegiatis ecclesiis existentibus, et in litteris eiusdem Clementis praedecessoris expressis, motu suo pro-

prio ac de apostolicae potestatis plenitudine perpetuo disiunxerat, separaverat et dismembraverat, ac quatuor ecclesiarum seu capellarum, aut beneficiorum, prioratuum seu abbatiarum nuncupatorum, per dictum Clementem praedecessorem suppressarum et extinctarum, et suppressorum et extinctorum, respective fructus, redditus et proventus, dignitatibus ac canonicatibus et praebendis ac duodecim beneficiis ecclesiasticis patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, in illarum et illorum respective dotis augumentum, sub certis modo et formâ inibi expressis, motu pari respective applicaverat et appropriaverat, ac respective annexerat et incorporaverat; et ut in eâdem patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali divina officia, eâ qua decet assistentiâ ac ministrorum ecclesiasticorum numero et copiositate, prout patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis decus et magnificentia exposcit, celebrarentur, et divinum servitium nullâtenus negligeretur, sed dignitates ac canonicatus et praebendas ceteraque beneficia ecclesiastica in eâ obtinentes divinas laudes suis debitis temporibus ac modis maximâ christifidelium ibi assistentium cum aedificatione persolverent, quamdam subinde super eorum celebratione normam ac certum dierum et functionum kalendarium motu simili statuerat atque praescripserat; volueratque insuper quod applicatio et approbatio praefatae, aliaque in augumentum praebendarum et beneficiorum in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali existentium praefatorum respective dotis concessa et elargita, locum minime habere valerent, nisi prius, quae per suas itidem litteras circa dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis servitii formam iuxta praefati kalendarii ordinem et mulctarum ac poenarum contra inobservantes decretarum dispositionem constituta extiterant, debitae exequutioni demanderentur: super quibus per dictum Clementem praedecessorem, ut praefertur, dispositis, ex eo quia eius obitu superveniente litterae apostolicae confectae minime existerant, ne de illorum validitate haesitaretur, illaque debito frustrarentur effectu, piae memoriae Innocentius Papa XIII itidem praedecessor noster per binas in formâ *Rationi congruit*, sub datum videlicet xv kalendas iunii, pontificatus sui anno I, desuper expeditas litteras, applicationem et appropriationem praefatas, ceteraque super dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis chori servitio et kalendarii dispositione, ut supra, a dicto Clemente praedecessore statuta et ordinata, apostolicae firmitatis munimine roboraverat:

§ 2. Et ex eo quod secundodictae eiusdem Clementis praedecessoris litterae ex certis rationabilibus et nobis notis causis exequutioni minime demandatae fuerant; propterea que quartae patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum praefatarum, et quotarum fructuum, redditunm et proventuum praefatorum dignitatum ac canonicatuum et praebendarum, necnon quatuor ecclesiarum seu capellarum vel beneficiorum praefatorum per dictum Clementem praedecessorem ut praefertur suppressorum et extinctorum, ac dignitatibus et canonicatibus et praebendis ac duodecim beneficiis ecclesiasticis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ut praefertur respective unitorum, applicatorum et appropriatorum, applicatio et appropriatio effectum suum sortitae minime fuerant) nos, per infrascriptas nostras litteras, ad evellendam

Gratias ac privilegia aliàs a dicto Clemente concessa, confirmat Clemens XII.

omnem dubietatis et controversiae occasionem, primodictarum Clementis praedecessoris litterarum debitae intimationis illarumque tempore habili exequutionis et quemlibet alium defectum sanantes, easque ad quoscumque effectus extrinsecos, quatenus opus esset, reintegrantes, ac plenarie et plenissime revalidantes, dignitatibus, necnon capitulo et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis motu simili concesserimus et indulserimus, ut ipsi primodictarum litterarum effectu omnibusque et singulis gratiis et indultis eis in primodictis eiusdem Clementis praedecessoris in formâ praefatâ expeditis litteris concessis et elargitis gauderent, fruerentur ac uterentur, perinde ac si praefata dicti Clementis praedecessoris voluntas in primodictis litteris nullatenus apposita fuisset,

Eique de novo applicat quartam partem redditunm beneficiorum, etc. prius concessam in litteris Clementis XI.

§ 3. Eisdemque dignitatibus, ac capitulo et canonicis, necnon beneficiatis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ut ipsi ex patriarchali Ulyssiponensi occidentali ac archiepiscopalibus ecclesiis, necnon ex dignitatibus ac canonicatibus et praebendis collegiatarum respective ecclesiarum, ac ex prioratibus seu abbatiis praefatis in primodictis praefati Clementis praedecessoris in formâ praefatâ expeditis litteris ut praefertur designatis, quae et qui vacantes tunc reperiebantur, quantum legitime oporteret ad complementum summae ex primodictarum Clementis praedecessoris litterarum tenore in dignitatum, canonicorum et beneficiatorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis utilitatem respective applicatae et appropriatae, a die datae primodictarum dicti Clementis praedecessoris litterarum, videlicet v kalendas octobris, pontificatus sui anno xx, quoad illas et illos, quae et qui tunc vacabant, quo vero ad alias et alios, quae et qui deinceps vacaverant, vel deinceps vacaturae vel vacaturi erant, ab illarum seu illorum respective vacationis respective die respective computandae,

Huiusmodi quartam partem extendit ad tertiam.

§ 4. Pro maiori dignitates ac canonicatus et praebendas dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis pro tempore obtinentium decentiâ et commodiori substentatione, loco quartae partis patriarchalis Ulyssiponensis occidentalis, archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum praefatarum fructuum, redditutum et proventuum naturalium, industrialium et civilium a praefato Clemente praedecessore ut praefertur separatae et dismembratae, eiusdemque patriarchalis ecclesiae Ulissyponensis occidentalis dignitatibus et canonicatibus et praebendis applicatae et appropriatae, tertiam eorumdem respective fructuum, redditutum et proventuum partem, necnon omnes et singulos fructus, redditus et proventus decem dignitatum, ac quotas respective partes fructuum, reddituum et proventuum nonnullarum aliarum dignitatum, canonicatuum, praebendarum et canonicatuum cum dimidiâ praebendâ,seu dimidiorum canonicatuum cum dimidiis praebendis, in quibusdam dicti regni Portugalliae metropolitanis et cathedralibus ecclesiis existentium, ab ultimodictis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, ac canonicatibus cum dimidiâ praebendâ, seu dimidiis canonicatibus cum dimidiis praebendis per nos dismembratos, separatos et seiunctos, ac dismembratas, separatas et seiunctas, eiusdemque patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentatis dignitatibus ac canonicatibus et praebendis, sub certis modo et formâ inibi expressis, respective applicatos et appropriatos, ac respective applicatas et appropriatas (eâ tamen lege quod dignitates ac capitulum et

canonici dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis fructus, redditus et proventus, tam a nobis, ut praefertur, quam a praefato Clemente praedecessore per illius primodictas litteras ut praefertur respective dismembratos, separatos et seiunctos, ac applicatos et appropriatos praefatos, loco depositi, donec et quousque nova servitii in eâdem patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali a dictis dignitatibus et canonicis ac beneficiatis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis a dictis dignitatibus et canonicis ac beneficiatis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praestandi forma, cum opportunis ordinationibus, a nobis aut Romanis Pontificibus successoribus nostris praescriberetur, illaque debitae exequutioni demandaretur, et huiusmodi depositi distribuendi ratio insimul statueretur, integros et intactos, deductis dumtaxat necessariis expensis, asservare deberent, et asservari facerent) percipere, exigere et levare, et ad effectum perceptionis huiusmodi plenissime assequendum omnibus et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, aliisque gratiis tam in primodictis eiusdem Clementis praedecessoris, quam in infrascriptis nostris desuper confectis litteris quomodolibet respective concessis et impartitis, perinde ac si insimul non autem separatim concessa et impartita fuissent, eaque tam in primodictis praefati Clementis praedecessoris, quam in eisdem nostris desuper confectis respective litteris totaliter inserta ac specialiter expressa fuissent, aeque ac pariformiter uti, frui et gaudere libere et licite possent et valerent, apostolicâ auctoritate, motu pari, concesserimus et indulserimus, prout in nostris, sub datum videlicet apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVII, VI idus februarii, pontificatus nostri anno VIII, desuper expeditis litteris plenius continetur[1]:

*Abrogatâ forma servitii per dictum capitulum illi ecclesiae praestandi et a Clemente XI praescripti, patriarchae facultatem concedit eam stabiliendi cum consilio regis.*

§ 5. Nos itaque, qui, ut bonorum omnium largitori debitis temporibus et horis in singulis praesertim patriarchalibus ecclesiis a cunctis christifidelibus, ac signanter earumdem ecclesiarum servitio adscriptis, solemnes[2], iuxta catholicae Ecclesiae morem, laudes persolvantur, enixe concupiscimus, ne diutius illarum celebrationis norma ut praefertur praescribenda differatur, ipsique moderni et pro tempore existentes dignitates ac capitulum et canonici et beneficiati eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis gratiis et largitionibus, tam a praefato Clemente praedecessore per suas, quam a nobis per praefatas nostras litteras sibi concessis, tandem fruantur et gaudeant, opportune providere volentes, ac secundodictis praefati Clementis praedecessoris super divinorum officiorum, missarum solemnium et privatarum, aliarumque functionum in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali vel extra eam pro tempore celebrandorum et celebrandarum formâ editis litteris derogantes, ac kalendarium in illis insertum annullantes, praefatasque litteras, perinde ac si non emanassent, suum effectum minime sortiri debere, ac capitulum et canonicos ac beneficiatos praefatos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ad illarum observationem minime teneri, nec obligatos existere, declarantes et decernentes, motu simili, non ad alicuius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certâ scientiâ merâque deliberatione nostris, ac de apostolicae potestatis plenitudine, ve-

1 Quam vide supra pag. 317 *b* et seq.; aut leg. dat. ann. *1738*, aut pontif. ann. 7 (R. T.).
2 Edit. Main. legit *solemne* (R. T.).

nerabili fratri nostro Thomae S. R. E. presbytero cardinali patriarchae Ulyssiponensi occidentali, eiusque successoribus, ut ipse et ipsi etiam tamquam Sedis Apostolicae praefatae delegatus et delegati, cum consilio tamen et consensu, et non aliàs, carissimi in Christo filii nostri Ioannis hoc nomine V moderni Portugalliae et Algarbiorum regis illustris, cuius sedulam ad divinum cultum in dictâ patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali eiusque decorem et magnificentiam toto studio promovendum curam maturo animo revolvimus, novum pro dignitatibus ac canonicis et beneficiatis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis kalendarium dierum et functionum, aliaque[1] tam circa residentiam, diesque vacationum, ac numerum eorum, quibus abessendi facultas uno eodemque tempore permitti debeat, necnon distantias, intra quas diebus et functionibus in dicto kalendario vel extra illud praescribendis interesse, legitimo tamen et a iure approbato impedimento cessante, et nisi ab eorumdem Portugalliae et Algarbiorum rege vel reginâ, nunc et pro tempore existentibus, ad aliquod sacrum seu ecclesiasticum ministerium publicum peragendum accersiti, aut ab ipso Thoma cardinali patriarchâ eiusque successoribus ut infra vocati abfuerint, omnino teneantur, quam circa alia munia, functiones et officia a dignitatibus ac canonicis et beneficiatis praefatis obeunda, opportunas dispositiones facere, condere ac statuere, multasque et poenas in pecuniâ, et in diebus vacationum, aut in alterutro, pro kalendarii et dispositionum huiusmodi firmiori observantiâ et exequutione, imponere, ipsasque multas et poenas, diesque statutos, functiones ac distantias, ceteraque quaecumque, quoties ei et eis expedire videbitur, augere, minuere vel reformare possit et valeat, seu possint et valeant, cum consilio et consensu praefatis (quaeque vim legis habere, nec statuentis morte expirare, nec a praefatae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis patriarchâ, seu illius capitulo et canonicis praefatis, neque etiam sede patriarchali vacante, nisi de ipsius Ioannis regis consilio et consensu, reformari aut revocari vel minui posse statuimus atque decernimus), pro dicti Thomae cardinalis patriarchae, eiusque successorum praefatorum arbitrio (etiamsi, quoad mulctarum et poenarum impositiones, tempus residentiae et facultates abessendi respective, aliaque praemissa, ubi servitio, decori aut splendori dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis expedire videbitur, a sacris canonibus et apostolicis constitutionibus, necnon ab ipsius patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis consuetudinibus et statutis, etiam iuramento seu apostolicâ confirmatione vel quavis firmitate aliâ roboratis, in toto vel in parte, de consilio et consensu praefati Ioannis regis, et non aliàs, deflectere opus esset) licentiam et facultatem apostolicâ auctoritate praefatâ tenore praesentium concedimus et impartimur.

Eique concedit auctoritatem canonicos cogendi ad quamcumque aliam functionem ultra servitia stabilienda in kalendario conficiendo.

§ 6. Ultra vero dies et functiones in novo kalendario huiusmodi de praefatis consilio et consensu ut praefertur conficiendo praescribendas, eidem Thomae cardinali patriarchae eiusque successoribus praefatis motu pari dictâ auctoritate etiam concedimus et indulgemus, quod liceat ei et eis, pro utilitate, necessitate vel decore dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, seu dignitatis patriarchalis, sub multis et poenis ei et eis benevisis, dignitates vel canonicos seu beneficiatos aut alios

1 Legendum *aliasque* (R. T.).

ministros dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, omnes seu aliquos, modo et formâ pariter ei et eis benevisis, ad congregationes vel capitulum, aliasque similes vel dissimiles functiones ecclesiasticas vel civiles, dignitatis tamen patriarchalis decorem vel eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis utilitatem et decus respicientes, et non alias, in pontificalibus, vel aliter, ad tempus vel in perpetuum, dicto Thoma cardinali patriarchâ, seu illius successoribus praefatis, praesente vel absente, seu praesentibus vel absentibus, et ad dictum Thomam cardinalem patriarcham seu eius successores praefatos comitandum, sive ei et eis assistendum, aut servitium ab eo seu ab eis iussum praestandum, etiam civiliter, ex causis tamen superius expressis, etiam in diebus communibus, et tempore quo functiones ipsas exerceri contigerit, pariterque in diebus vacationum, dummodo propter praemissa eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis servitium non negligatur, convocare, necnon tam praefatos, quam quoscumque alios actus et functiones publicas et privatas quandocumque et qualitercumque, tam intra quam extra dictam patriarchalem ecclesiam Ulyssiponensem occidentalem, aut civitatem, vel etiam dioecesim Ulyssiponensem occidentalem, non tamen extra Portugalliae et Algarbiorum regna, ex causis superius expressis, et non aliàs, illis indicere, habitu, formâ, die, horâ et loco eidem Thomae cardinali patriarchae et illius successoribus praefatis benevisis, quocumque habitu ipse Thomas cardinalis patriarcha et illius successores praefati tam in his functionibus quam in ceteris in praefato kalendario ut praefertur describendis utatur et utantur, et ad illos seu illas omnes seu aliquos eorum sub poenis et multis praefatis coërcere, etiamsi functiones in kalendario praefato ut praefertur describendas anticipare vel differre opus esset, quod in aliis quoque casibus tam ipse quam illius successores praefati ad eius et eorum arbitrium facere possit et valeat, ac possint et valeant, necnon substitutos a dicto Thoma cardinali patriarchâ et illius successoribus praefatis vel a praefatis capitulo et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis de dicti Thomae cardinalis patriarchae eiusque successorum praefatorum mandato nominandos, sub poenis et multis eius et eorum arbitrio imponendis, ad exercendas functiones, ad quas nominati fuerint, arctare et compellere, proviso interim ne in usu facultatis huiusmodi nimis grave servitio patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praefatae praeiudicium inferatur, eâ etiam adiectâ lege quod respectu actuum civilium capitulares praefati cogi nequeant ad interessendum, et obsequia patriarchae pro tempore existenti eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praestanda, nisi in habitu ecclesiastico et actibus gerendis proportionato, et ex causis superius expressis, et non aliàs.

§ 7. Ac insuper, quod statuta, ordinationes, capitula et decreta quaecumque, vigore facultatis in actu erectionis capellae regiae in insignem collegiatam ecclesiam erectae capitulo praefatae collegiatae ecclesiae erigendae apostolicâ auctoritate praefatâ concessae, aut alterius cuiuscumque facultatis, etiam a iure vel consuetudine provenientis, ab eodem capitulo edita, etiam iuramento, aut quavis firmitate aliâ roborata, sive etiam consuetudines statutorum vim habentes (exceptis dumtaxat, quatenus

Annullatio quorumcumque statutorum antehac factorum.

statutis sive dispositionibus etiam extra statuta huiusmodi a dicto Thoma cardinali patriarchâ et illius successoribus praefatis respective factis vel faciendis non adversentur, iis quae regimen aliorum ministrorum, aut fructuum et proventuum mensae capitularis administrationem, aut aliàs praefati tantum capituli privata negocia concernunt), irrita et inania nulliusque roboris vel momenti existant, motu pari decernimus.

Qualitates in promovendis ad canonicatus expetendae.

§ 8. Volumus etiam, et dictâ auctoritate statuimus et decernimus, quod unusquisque ex modernis sex dignitatibus et octodecim canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis ordinem sacrum eorum respective praebendae annexum intra annum suscipere teneatur; alioquin, eo elapso, et ordine huiusmodi non suscepto, dimidiam partem fructuum, redditUum et proventuum sequentis anni, et deinde omnes eiusdem praebendae fructus, redditus et proventus irremissibiliter amittat, et suos non faciat in foro conscientiae, etiamsi praefati fructus, redditus et proventus ei non subtrahantur, nec ad praefatum ordinem suscipiendum a dicto Thoma cardinali patriarchâ et illius successoribus praefatis vel a capitulo et canonicis praefatis compellatur. Quod si, intra biennium a die datae earumdem praesentium computandum, praefatum ordinem non susceperit, dignitatibus ac canonicatibus et praebendis praefatis ipso iure et absque sententiâ privatus existat. Nullusque imposterum ad sex dignitatum et octodecim canonicatuum et praebendarum praefatorum possessionem admittatur, quin prius saltem in sacro subdiaconatus ordine, et in eâ etate, ut infra annum ad ordinem suae praebendae annexum promoveri queat, constitutus, et actu in publicâ et approbatâ universitate in theologiâ magister, aut in altero iurium doctor, seu saltem in alterâ ex dictis facultatibus licentiatus existat, ac aliter factae provisiones vel apprehensae professiones nullae sint et inanes. Si vero intra annum a die institutionis computandum ordines eorum praebendis annexos suscipere neglexerint, praefatis dignitatibus et canonicatibus et praebendis ipso iure et absque sententiâ privati respective sint et esse censeantur eo ipso. Dignitates vero, canonici et beneficiati praefatae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis in futurum a dicto Thoma cardinali patriarchâ seu eius successoribus praefatis, non uti summo sacellano seu summis sacellanis, sed uti patriarchâ aut patriarchis respective instituantur.

Mulctae et praebendarum vacantium fructus cui applicandi.

§ 9. Mulctas vero, ut praefertur, in praefato kalendario designandas, et quomodolibet, ad[1] quarum solutionem omnes et singulos dignitates, canonicos et beneficiatos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, nunc et pro tempore existentes, in foro conscientiae, etiamsi mulctae huiusmodi a punctatoribus vel a capitulo et canonicis praefatis non exigantur, teneri et obligatos existere volumus; necnon dignitatum, canonicatuum et praebendarum et beneficiorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis pro tempore vacantium fructus, redditus et proventus, tam antiquos quam de novo superadditos, et quoscumque alios qui in futurum ipsis dignitatibus ac canonicis et beneficiatis obvenerint, pro ratâ temporis illarum et illorum respective vacationis, in favorem fabricae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis praefatae, pro illius indigentiis, ac sacrorum supellectilium aliorumque ecclesiasticorum ornamentorum manutentione,

1 Male edit. Main. legit *et* pro *ad* (R. T.).

cedere, necnon partem fructuum, redditurum et proventuum, dignitatum ac canonicatuum et praebendarum ac beneficiorum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, quae in usum distributionum quotidianarum, iuxta dicti Clementis praedecessoris dispositionem, erogari debuisset, extincto iure accrescendi, inter fructus certos sive grossos earumdem dignitatum ac canonicatuum et praebendarum dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis computari, et cum illis consolidatam esse et remanere debere, dictâ auctoritate decernimus atque statuimus.

Post publicatum novum kalendarium redditus omnes canonicis, beneficiatis etc., dictae ecclesiae applicati per utrumque Clementem, quo pacto sint dividendi.

§ 10. Praeterea eidem Thomae cardinali patriarchae et illius successoribus praefatis, ut ipse seu ipsi, cum primum praefatum novum kalendarium, et dispositiones ut praefertur faciendae, a dignitatibus et canonicis ac beneficiatis eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis executioni demandari et observari inceperint, omnes et singulos fructus, redditus et proventus, tam per nos in nostris quam per dictum Clementem praedecessorem in suis respective litteris praefatis respective dismembratos et separatos, ac dignitatibus necnon canonicatibus et praebendis ac beneficiis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis respective ut praefertur applicatos et appropriatos, ex tunc decurrendos, inter dignitates ac canonicos et beneficiatos praefatos, servatâ in omnibus et per omnia praefatarum litterarum, quas hîc pro expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, formâ et dispositione, dividi et cum effectu persolvi faciat seu faciant: reliquos vero fructus, redditus et proventus, dignitatibus ac canonicatibus et praebendis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ut praefertur, applicatos et appropriatos, usque tunc decursos, et loco depositi asservatos, vel nondum exactos, in tres partes dividat seu dividant: quarum duas, pro numero annorum a die datae primodictarum praefati Clementis praedecessoris litterarum, videlicet v kalendas octobris pontificatus sui anno xx, elapsorum, in aequales partes divisas, ac unamquamque partem huiusmodi inter dignitates ac canonicos, qui in unoquoque ex dictis annis dictae patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali inservierunt, vel haeredes eorum qui decesserunt, cum onere solutionis debitorum vel legatorum quorumcumque, aequaliter respective distribuat seu distribuant; reliquam vero tertiam eorumdem fructuum decursorum partem in fundos vel census, aut utilia aliqua opera, seu in alia reddituum genera in favorem fabricae eiusdem patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis pro ipsius indigentiis ac sacrorum supellectilium aliorumque ecclesiasticorum ornamentorum manutentione, ac novis canonicatibus et praebendis, seu novis beneficiis, iuxta earumdem praefatarum nostrarum litterarum dispositionem, erigendis, aliorumque ministrorum sustentatione: quam distributionis rationem praefatus Thomas cardinalis patriarcha seu illius successores praefati erga beneficiatos dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, quoad fructus dictorum prioratuum seu abbatiarum per praefatum Clementem praedecessorem ut praefertur suppressorum et extinctorum, seu suppressarum et extinctarum, et praefatis beneficiatis applicatos et appropriatos, ac ut praefertur decursos, servari, cum consilio et consensu dicti Ioannis regis, [1] erogari sedulo curet atque praecipiat, seu curent atque praecipiant:

1 Aptius adderetur hîc coniunct. *et* (R. T.).

Omnimoda potestas patriarchae data quemcumque beneficiatum compellendi ad exequutionem eorum, quae statuentur in kalendario.

§ 11. Ac demum, ut praemissa omnia et singula in eisdem praesentibus contenta, necnon omnia in novo kalendario ut praefertur conficiendo disponenda, suum debitum sortiantur effectum, et exactius perpetuis futuris temporibus observentur, quod praefatus Thomas cardinalis patriarcha eiusque successores praefati dignitates et canonicos ac beneficiatos aliosque ministros dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, ac eos ad quos pro tempore spectabit, ultra mulctas et poenas in praefato novo kalendario praefatisque dispositionibus ut praefertur designandas, quibusvis necessariis ac canonicis remediis adhibitis, omni prorsus appellatione remotâ, ad illorum omnium et singulorum observantiam compellere et arctare, et contra inobedientes seu aliàs delinquentes, tam in supradictis quam aliis quibuscumque, sine adiunctis, tam intra quam extra visitationem, procedere possit et valeat, et respective possint et valeant, plenam, integram et omnimodam potestatem, facultatem et auctoritatem, motu simili, apostolicâ auctoritate praefatâ, ipsarum tenore praesentium, pariter concedimus et impartimur.

Clausulae ad praesentium litterarum observantiam inducendam.

§ 12. Decernentes, easdem praesentes, ac in eis contenta quaecumque, nullo unquam tempore, et ex quocumque capite vel ex qualibet causâ, quantumvis legitimâ et iuridicâ, piâ, privilegiatâ et speciali notâ dignâ, etiam ex eo quod dignitates et canonici ac beneficiati dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, seu quicumque alii, cuiuscumque dignitatis, gradus, conditionis et praeeminentiae existant, in praemissis et circa ea quomodolibet et ex quavis causâ, ratione, actione vel occasione, ius vel interesse habentes seu habere praetendentes, illis non consenserint, aut ad illa vocati et auditi non fuerint, et causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae aut ius vel interesse habentium consensûs, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili ac specificam et individuam mentionem ac expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, a iure vel facto aut statuto vel consuetudine aliquâ resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, etiam in corpore iuris clausâ, occasione, aliâve causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili, legitimâ, iuridicâ, piâ, privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda esset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris, facti, gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu simili, concesso, aut impetrato vel emanato, uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per dictos praedecessores aut per quoscumque alios Romanos Pontifices successores nostros pro tempore existentes et Sedem Apostolicam praefatam, etiam motu pari, ac ex certâ scientiâ, etiam consistorialiter, ac quibusvis de causis, ac sub quibuscumque

verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiamsi de ipsis praesentibus eorumque toto tenore ac datâ specialis mentio fiat, pro tempore factis et concessis, ac faciendis et concedendis, comprehendi, sed, tamquam ad maius bonum tendentes, semper ab illis excipi, et, quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac cum in quo antea quomodolibet erant, statum restitutas ac plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori datâ quandocumque eligendâ concessa esse et fore; sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae S.R.E. cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, officio et dignitate fungentes, ac praerogativâ, privilegio, praeeminentiâ et honore fulgentes, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantiâ iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane si secus super his a quoquam, quavis actoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tolluntur.

§ 13. Non obstantibus secundodictis praefati Clementis praedecessoris, ac omnibus in nostris litteris praefatis super novâ servitji in eâdem patriarchali ecclesiâ Ulyssiponensi occidentali praestandi formâ dispositis, ac quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus, generalibus, provincialibus, synodalibusque conciliis, editis vel edendis, specialibus vel generalibus, constitutionibus et ordinationibus, dictaeque patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, eorumque reformationibus, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis etiam ex fundatione competentibus, vel a dicto Clemente praedecessore, aut aliis praedecessoribus nostris aliàs praefatae patriarchali ecclesiae Ulyssiponensi occidentali, dum esset capella regia vel insignis collegiata ecclesia, concessis, quatenus his, quae in ipsis praesentibus expressa sunt, adversentur, necnon indultis et litteris apostolicis, praefatis capitulo et canonicis dictae patriarchalis ecclesiae Ulyssiponensis occidentalis, aliisque personis quibuscumque, etiam speciali, specificâ, expressâ et individuâ mentione dignis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, etiam in genere vel in specie, etiam motu pari et de potestatis plenitudine similibus, ac consistorialiter, aut aliàs quomodolibet, etiam iteratis vicibus, in contrarium praemissorum concessis, approbatis, confirmatis et innovatis, etiamsi in eis caveatur expresse, quod illis per quascumque litteras apostolicas, etiam motu pari pro tempore concessas et concedendas quascumque, etiam derogatoriarum derogatorias in se continentes, derogari non possit, neque censeatur eis derogatum; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut quaecumque alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eorum tenores, formas et causas, etiam quantumvis praegnantes, pias, privilegiatas, praesentibus pro plene ac sufficien-

ter, ac de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insertis, expressis ac specificatis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum omnium et singulorum validissimum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime et sufficienter, necnon specialiter et expresse motu simili derogamus, ac derogatum esse et censeri decernimus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Poenae contra temeratores bullae huius.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri motus proprii, reintegrationis, revalidationis, derogationis, annullationis, licentiae, impartitionis, concessionis, indulti, decreti, statuti, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub anno Incarnationis dominicae MDCCXXXVIII, VIII idus decembris, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 6 decembris 1738, pontif. anno IX.

*Loco † Bullae aureae.*

---

## CCXLVI.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium circa religiosos Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini provinciae Mexicanae ad alios Ordines confugientes.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Ex facili religiosorum ad alios Ordines refugio, omnium Ordinum disciplina collabitur.

§ 1. Aliàs pro parte dilecti filii Ignatii Padilla fratris expresse professi, in sacrâ theologiâ magistri, provinciae SS. Nominis Iesu Mexicanae Ordinis Eremitarum sancti Augustini procuratoris ad specialia negotia missi, nobis expositum fuit, quod in dictâ provinciâ abusus valde observantiae regulari praeiudiciales, nempe quod aliqui religiosi inquieti et parum observantiae sui instituti amatores obedientiam reverentiamque ac subiectionem suis praelatis debitas parvifacientes, ad coenobia aliorum Ordinum vel Congregationum aut institutorum, praetextu evadendae violentiae et effugiendi rigorem suorum superiorum, confugiant, irrepserant; et, licet superiores praedicti a praelatis conventuum, ubi praedicti religiosi confufugiunt, petant ut patiantur quod obligatio obediendi propriis superioribus, et se se ad propria coenobia restituendi, intimetur, vel quod illos propriis superioribus tradant, neutrum obtineri solet, protestantes aliorum Ordinum vel congregationum aut institutorum praelati, ubi dicti religiosi confugiunt, eosdem gaudere immunitate refugii, et consequenter a proprio praelato non posse extrahi, requiri aut notificari, utpote in alieno territorio existentes, neque superiores aliorum Ordinum praedictorum debere dictos religiosos confugientes tradere: et in eâdem expositione subiuncto quod dilectus etiam filius modernus prior provincialis provinciae et Ordinis praedictorum in angustias positus ad venerabilem fratrem modernum archiepiscopum Mexicanum illius regni proregem recursum habere coactus fuerat, ut ei auxilium regium impertiretur, quo dispersum gregem ad ovile proprii Ordinis reducere, et hoc tantum medio relatis praeiudiciis occurrere posset; cum autem minime lateat, quod, si haec ianua asili aut refugii religiosis pateat, funditus disciplina regularis ac debita propriis superioribus obedientia corruant, necnon iurgia et discordiae inter superiores respective Ordinum cum saecularium scandalo procul dubio pullulent:

Instantia procuratoris expo-

§ 2. Porro, ut tot malis occurrere-

nentis pro huiusmodi compescendo.

mus, per nos declarari summopere desiderabat quod dictis religiosis ad conventus aliorum Ordinum vel Congregationum vel institutorum confugientibus immunitas refugii seu asili minime suffragetur, sed a proprio superiore iudicialiter ex alieno conventu unusquisque confugentium huiusmodi extrahi, et ad proprium, quocumque privilegio regularibus concesso hac in parte non obstante, reduci possit: quod si dicti religiosi adhuc rebelles in[1] parendo propriis superioribus, ad suum conventum eosdem redeundi iubentibus, perseverent, vel dicti superiores eos tituli refugii recipientes et auxilium praestantes propriis superioribus tradere renuerint, utrique poenas, fugitivis et eorum fautoribus et protectoribus necnon rebellibus et inobedientibus per hanc Apostolicam Sedem impositas, ipso facto et absque aliâ declaratione incurrere debeant:

Ad Congregationem episcoporum et regularium remissa.

§ 3. Nos, supplicem libellum nobis porrectum ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam remisimus, a qua emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Decretum Congregationis, quo statuitur aufugientes superioribus sui Ordinis esse restituendos sub conditionibus et cautelis hic expressis.

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, attentâ relatione eminentissimi Firrao, praefati Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, re mature perpensâ, decrevit, regulares unius religionis, confugientes ad ecclesias et monasteria alterius religionis, superioribus propriae religionis restitui debere a praelatis alterius religionis, ad quorum ecclesias et monasteria confugiunt, praestito tamen ab iisdem superioribus confugientium iuramento, et factâ obligatione de servandâ immunitate ecclesiasticâ et de restituendo confugientes praefatos ecclesiis vel monasteriis, ad quae confugerunt, casu quo procedendum sit ad poenas corporales carceris perpetui, mortis et triremium propter delicta ab ipsis confugientibus commissa; secus, si ipsi superiores procedere deberent ad poenas ordinarias, et ad correctionem regularium per constitutiones Ordinis praescriptas: cuius rei declaratio ad definitorium provinciale, vel, ubi illud non fuerit, ad consilium conventus spectabit. Quod si, constito regulares confugientes poenas dumtaxat ordinarias et per constitutiones Ordinis ad correctionem praescriptas promereri[1], praelati alterius religionis renuant eos propriis superioribus restituere, vel ipsi regulares ad proprias religiosas domos redire recusent, sacra eadem Congregatio utrosque ad instar apostatarum vel apostatas recipientium, in excommunicationem Summo Pontifici reservatam incursos declaravit. — Romae, v septembris MDCCXXXVIII. — I. cardinalis Firrao. — C. archiepiscopus Damiatae, secretarius.

Supplicatum Papae pro confirmatione.

§ 4. Cum autem, sicut dictus Ignatius procurator nobis subinde exponi fecit, ipse decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri plurimum cupiat:

Confirmatio Pontificia.

§ 5. Nos, ipsum Ignatium procuratorem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illique inviolabilis apostoli-

1 Forsan deest *non* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *promeren* (R. T.).

cae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Decretum firmitatis praesentium litterarum.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, eiusdem provinciae, ac praedicti aliorumque quorumcumque Ordinum, congregationum vel institutorum, et etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 8. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCCXXXVIII, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 decembris 1738, pontif. anno IX.

---

## CCXLVII.

*Confirmatio institutionis missionum ab archiepiscopo Salisburgensi in civitate Salisburgensi factae, ac regularum ac legum pro missionariis conditarum, et a Congregatione de Propagandâ Fide approbatarum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Pastorum princeps Iesus Christus, cuius supremâ in catholicae Ecclesiae procuratione vices, per ineffabile divinae providentiae consilium infirmitati nostrae demandatas, plane immerentes nos gerimus, eâ pontificium animum nostrum, in ovibus suo sanguine redemptis et per viam aeternae perditionis pergentibus ad orthodoxum ovile reducendis sollicitum, caelestis consolationis copiâ et laetitiae magnitudine cumulare dignatus est, ut gaudio superabundantes incredibili iubilemus Deo in voce exultationis.

Archiepiscopus Salisburgensis ex dioecesi haereticos eliminat.

§ 1. Enim vero venerabilis frater Leopoldus archiepiscopus Saliburgensis pro eximiâ pietate suâ, singulari orthodoxae religionis zelo, iniuncto pastoralis ministerii munere custodiens vigilias super grege sibi commisso, summâ cum nominis sui laude laboribus plurimis ac dispendiis ex suâ, in qua commorabantur, amplissimâ dioecesi eiectis ac procul expulsis vigintiduobus millibus et amplius haereticis, eorumdem terras catholicae fidei cultoribus habitandas attribuit.

Missionarios inducit, limites-

§ 2. Praeterea veritus ne temporis

que eis assignat.

processu, perditissimis hominibus antiquas sedes subleste repetentibus, et ibidem nova execrandae haeresis semina occulte spargentibus, iterum illic pestiferae segetis germina subolescerent, ut aut[1] nequitia elidatur, opportune, nullis parcens industriis et sumptibus, providere studuit. Inter ceteras autem utilissimas providentiae suae ad susceptum saluberrimum opus conficiendum initas rationes, illa in primis maximopere commendanda, quod sex perpetuas missiones a religiosis viris aliquot regularium Ordinum et institutorum, intra praescriptos (ne dissidia nulla aut confusio unquam oriri possint) limites, sub nonnullis abs se editis capitulis, regulis et legibus, omnino peragendas, fundaverit institueritque, ac necessariis redditibus et emolumentis ditaverit. Quae quidem omnia capitula, regulae et leges sunt tenoris qui sequitur, videlicet:

*Missiones in dioecesi Salisburgensi novissime institutae.*

Loca Ordinibus regularibus assignata.

I. Pro patribus Ordinis S. Augustini in praefecturâ Hallensi et monte Turnbergensi ubi sunt salinarum fossores;

II. Pro patribus Capuccinis in oppido et praefecturâ Werffensi unâ cum praefecturis in Abbtenau et Golling;

III. Pro patribus Capuccinis civitatis Rädstadiensis intra montana sitae per totam eius nominis praefecturam;

IV. Pro patribus Capuccinis monasterii in Dambsweeg vallis Lungaviae ad confines Carinthiae per totam praefecturam Mossheimensem;

V. Pro patribus Ordinis sancti Benedicti in loco Swarzachiae pro praefecturis ad S. Ioannem Wagrain, Prosarl, Gostein, Goldegg, et ad S. Vitum;

VI. Pro patribus Recollectis Ordinis sancti Francisci in loco Hunsdorff super praefecturis Taxenbacensi, Raurensi et Zeltensi.

1 Comma istud dimittimus lectori scio; forsan *et ut* pro *ut aut* legendum (R. T.).

*Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus et princeps Salisburgensis, Sanctae Sedis Apostolicae legatus, natus primas Germaniae.*

Missiones fratribus Ordinis S. Augustini datae impositaeque leges.

Cum ea sit haereticae obstinationis conditio, ut, amputatis ramis, illico novi et aliquando fortiores succrescere soleant, ne, quae forte in praefecturâ nostrâ Hallensi et in monte Turnberg in latibulis adhuc delitescit haeretica lues, tractu temporis iterum erumpat, novique oriantur, quos, proh! dolor, sumus experti, rogi, continuo nobis providendum est, qua ratione insidiosi impiorum conatus penitus reprimi et opprimi possint, ut, securi velut ad radicem positâ, pertinacibus mediis pertinax malum, ne qua resumptis velut viribus augescere possit. Quare, cum statuerimus, quod apostolicae missionis in locis praedictis post ultimam haereticorum emigrationem per tui Ordinis fratres laudabiliter exercitum munus omni futurâ aetate perduret, paternitati tuae hisce nostris clementer et seriò simul iniungimus, quatenus illud futuris perpetuis temporibus eo modo instituatur, ut:

I. Tribus, qui hactenus de facultate nostrâ (superiore in censum veniente) in monte Turnberg tui Ordinis fuere patres, quartum, quem tibi ibi habere auctoritate nostrâ ordinariâ hisce nostris permittimus, adiungas, eâ verumtamen conditione et lege, quod:

II. Duo ex eis nobis praesententur ad peragendum in praerelato districtu apostolicae missionis munus, vel a Summo Pontifice, vel per sacram Congregationem de Propagandâ, seu ab eo cui ab hac talis delegabitur facultas, approbati[1], necessariisque ad missiones apostolicas privilegiis instructi, absque eo quod tibi integrum sit, postquam semel fuerint ad missiones nostras delecti, eos amovere, nisi ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione subinde eâ ratione faciendâ ut unus vel saltem semper adsit qui iam per annum in praemisso Ordini tuo assignato districtu missionarii exercuerit munus, notos habeat incolarum salinarumque fossorum mores, sit in re missionum practicus, potisque in-

1 Pessime edit. Main. legit *approbari* pro *approbati* (R. T.).

struere noviter advenientes; sintque insuper in omne aevum duo missionarii praedicti, quoad ea quae missionis munus concernunt, immediate et unice nostris nostrorumque successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam vero atque domus oeconomicam directionem, tibi et superiori eorum subiecti. Volumus autem:

III. Ut mox dictorum missionariorum unica cura sit incessanter intra praedictam Hallensem nostram praefecturam, quâ late haec quoad temporalem iurisdictionem, districtu civico incluso, se protendit, de loco ad locum, et, si necesse fuerit, etiam de domo ad domum excurrere, catechizare, rudes in doctrinâ christianâ instruere, dubitantes ad viam veritatis reducere et in hac confirmare, in haereticos vel de haeresi suspectos, horum consultores, fautores, receptatores, librorum acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, et non revelantes, eos in provinciam nostram ferentes vel intrudentes, eorumque auxiliatores, conscios, seu participes, inquirere, hosque et alios huiusmodi farinae homines nobis, vel cui per nos et successores nostros demandabitur, sine aliquâ personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciare, verbum divinum et fidei dogmata ubivis et etiam ex cathedrâ (sic tamen ut Ordinariorum non disturbentur ecclesiasticae functiones), intra ipsis designatum districtum, tradere, sic et poenitentiae sacramentum (solâ demptâ confessione paschali, si locorum curiones ultro non annuerent), sacrosanctam vero Eucharistiam in ecclesiâ Turnberg, alibi vero non nisi quam accedente ipsorum curionum assensu, administrare; item aegris et moribundis solatium cum auxilio impendere, atque peragere ea omnia, quae individuum missionarii apostolici exigit munus, iure sepulturae alioque quocumque parochiali, semper et ubique extra montem Turnberg, excepto.

IV. Teneantur pariter in vitam et mores non modo subditorum ipsis quoad missionis ministerium commissorum, sed et eorum quibus ipsi subditi intra designatum districtum ex demandatâ a nobis iurisdictione subsunt, sedulo invigilare, datoque defectu religioni directe vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, nobis et successoribus nostris ad nostras aures deferre; sicut e converso et nostris demandabimus decanis ruralibus perspectum habendi an missionarii ipsi missionis munus debite adimpleant et assequantur ex asse, quidve operentur adversus has nostras leges, nobis defectus, ubi hos, si aliqui praeter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

V. Quapropter praesentabuntur nobis viri cum scientiâ cum et vitae sanctimoniâ clari, iusti, incorrupti, integri, suaves et insimul severi, graves, sagaces, cum in polemicâ, cum et in his quae ad notitiam promovendae haereticalis inquisitionis conducunt, bene versati, nec accipient a subditis quoad missionis munus eis subiectis eleemosynas pro missis, aliave munera, forent licet exculenta vel poculenta tantum, nec valeant egredi ipsis designatum districtum a nobis vel successoribus nostris, praeviâ non habitâ licentiâ, hac ipsâ illis non nisi gravi de causâ denegandâ.

VI. Licet porro Ordini tuo apostolicae missionis munus in praedictâ Hallensi praefecturâ in Turnberg et in civico Hallensi districtu privative committamus, liberum tamen semper nobis et successoribus esse volumus alios quoque alterius religionis viros in districtum praedictum ad tempus mittere missionarios, de districtu vero alibi etiam et extra illum ad missiones ad tempus pariter ablegare, missione Ordinis tui verumtamen fixâ semper manente, suoque in robore firmâ.

Noverit proinde paternitas tua, tuique successores omnes perpetuis futuris temporibus, tam salutare nostrum propositum alacriter exequi atque in partem tam gloriosi laboris vocati haec nostra mandata pro posse explere; quod si vero in adimplendis ex asse omnibus praescriptis negligentes, incurii, segnesve fueritis, omnipotenti Deo, nobis et successoribus nostris, et venerabili nostro capitulo strictissimam rationem reddituros, vosque nostram et horum indi-

gnationem incursuros. — Actum Salisburgi, metropoli nostrâ, hac die XIV mensis martii anni MDCCXXXVII.

LEOPOLDUS.

*In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Amen. — Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus et princeps Salisburgensis, Sanctae Sedis Apostolicae legatus natus, et primas Germaniae, etc.*

Datae patribus Capuccinis stationes.

Quamvis nos, divinâ favente clementiâ, ad archiepiscopale solium evecti, a primâ ineuntis regiminis nostri die, antiquius nihil unquam habuerimus, quam religionis et catholicae fidei nostrae curam, quae semper et ubique omni aevo, in omni imperio et apud quamcumque gentem praecipua fuit, quaeque securum est publicae felicitatis pignus, cuius firmamento stant regna, conservantur principatus, continentur subditi, omnigenique boni tutissimum est fulcrum, tantum tamen abfuit ut haeresis, hostis eius perniciosissimus, vinceretur, ut potius animus meminisse horreat, ipsaque refugiat oratio teterrimum illud bellum, quod eapropter adversus nos, catholicam religionem, et principatum ipsum inferre tentarunt ipsimet subditi nostri, dum exurgens novissime fatale monstrum, ex omnibus pristinarum haeresum concretum, stragem late sacrorum totâ provinciâ nostrâ circumferre, evertere aras, disturbare templa, principis maiestatem in contemptum, huius mandata in ludibrium, iura omnia divina et humana per inauditum furorem et vesaniam nefarie et fedifrage violare parabat, nihil sceleris, nihil doli, nihil iniquitatis intentatum et inausum relinquens ut et plebem reliquam novitatis illacebrâ corrumperetur. Pluribus necesse haud est rem exprimere, quia haec per se liquet, et loquantur[1] id satis et clamant tot publica acta, tot desuper habitarum inquisitionum volumina; obliti vero haud sumus, qui tunc sermones hostium, qui rumores amicorum forent, cum dicerent palam, culpae[1] maiorum nostrorum incubuisse tamdiu in provinciam haeresis infandam pestem religioni nostrae in archiepiscopatu, aut[1] ipsi archiepiscopatui aut utrique pariter iam iam esse pereundum. Alios namque tantae molis exterrebat opus, alios retardabat exitus plenus periculi et aleae, vel ipse rei tam ancipitis et arduae fama alios tenebat attonitos metu, expectatione suspensos. Vidit hoc provincia, imo et imperium totum, et vidimus nos summo pastoralis animi nostri moerore, astrudimus ipsâmet religione furores, pugnavimus viribus totis, armis, legibus, edictis, metu et poenis. Repulimus viginti et ultra millia utriusque sexus, qui non unam fidem, sicut unum principem, non unum cultum, sicut unum numen, non unam Ecclesiam, sicut unum baptisma, amplecti volebant. Relegavimus alios, [2] aliis mediis ad meliorem reduximus frugem, atque hac demum viâ retulere superi constantiae nostrae praemium, stetit archiepiscopatus, et vicit; vicit pariter Ecclesia et triumphavit; et obtinuimus insimul, quod ab annis ultra biscentum humana vis nulla consequi aut industria poterat, quod piorum omnium vota flagitabant, quod fideles omnes a Deo enixe precabantur, adiuvantibus in id mirifice caelestibus ipsis, qui hoc ipsum nobis reservarunt opus. Verum enim vero, quod[3] ita tamen comprimi non potuerit pestiferum huius feralis hidrae virus, quin aliqua pars eius non resideret adhuc in provinciae nostrae visceribus, atque spiraret rursus immanis haec bellua, licet centum petita vulneribus, centum vinculis constricta, sensim iterum gliscens, et ad reliqui perniciem corporis tacitâ contagione serpens, clam invalitura in dies, in flammas et incendia, si quis ventilabit, etiamnum eruptura, dum alitur doloso cinere suppositus ignis, nisi tempestive, malo iam nostri edocti, congrua repagula ponamus, atque obviemus appropriatis remediis, antequam morbus rursus aestuare incipiat, non desint nimirum in futurum amplius qui misereantur super

1 Aptius lege *loquuntur* (R. T.).
2 Forsan *culpâ* (R. T.).

1 Forsan *ut* ac deinde *esset* pro *esse* (R. T.).
2 Videtur repetendum *alios* (R. T.).
3 Ex syntaxi seq. videtur legendum *quum* (R. T.).

turbam, ne plures, ut hactenus evenit et meminisse dolet, dimittantur ieiuni et deficiant in viâ, dum, parochis aliisque locorum pastoribus in peragendis sacrificiis, excipiendis confessionibus, administrandâ SS. Eucharistiâ, visitandis infirmis, assistendo moribundis, aliisque animarum curae functionibus continue et ex asse irretitis, non erat qui parvulis frangeret panem, instrueret ignorantes, flecteret dubios, atque ad Ecclesiae ovile reduceret longe lateque dissitas oves: hinc est quod, postquam pro pastorali sollicitudine animum, nostrasque de funditus extirpandâ haeresi curas in omnem partem diu multumque versavimus, dumque oculos et mentem nostram in priorum saeculorum monumenta penitus defiximus, unum adhuc idque unicum superesse comperimus, quod possit ignem hunc, seris etiam metuendum successoribus, extinguere, perdere et delere, si plura nimirum ex diversis Ordinibus, continua ut sit, eaque pia inter eos laborandi in vineâ Domini aemulatio, atque in diversis montium locis, in quibus haeretica lues magis hactenus insenuit, ut firmissima armamentaria Ecclesiae fundentur apostolicorum missionariorum hospitia, qui, incessanter excurrendo et catechizando, rudes instruant, dubitantes inflectant, clam inquirant in suspectos, omniaque ea peragant, quae individuum apostolicae missionis munus exposcit. Quapropter, cum ad effectum praemissum inter alios plures strenuissimos Christi milites dilecti nobis in Christo patres Capuccini venerabilis Ordinis sancti Francisci provinciae nostrae Salisburgensis, pro zelo quo flagrant ad animarum salutem, operam suam detulerint, statuimus et ipsos quoque in partem laboris vocare, divinâque freti ope, et constanti experientiâ docti, decrevimus in Domino decernimusque, ad stabiliendam in dioecesi nostrâ, maxime intra montes, orthodoxam religionem, ad profligandas haereses, atque ad propagandam maiorem Dei sanctaeque matris Ecclesiae et archidioecesis nostrae gloriam, eisdem patribus Capuccinis provinciae praetactae, prope oppidum nostrum in Werffen, ad effectum tantummodo peragendae apostolicae missionis, sedem stabilem figere, atque sub legibus, pactis et conditionibus infradicendis in perpetuum firmare.

I. Itaque damus, concedimus et tradimus antelatis patribus, ab omni et quocumque onere reali, mixto seu personali penitus liberam et immunem, tantam quantitatem praedii nostri nuncupati, Maienfeld hactenus ad gaudendum praefecto nostro in Werffen concessi, et siti prope et super oppidum praedictum, quae nimirum orientem versus existit, quaeque sat sit pro desuper extruendo missionis hospitio et aedificandâ parvâ ecclesiâ atque hortulo, iugera scilicet duo circiter, prout praedium praedictum cum quantitate extrahendâ, hac undequâque lineâ rubrâ signatâ, ad oculum praebet delineatio nobis exhibita praesentibus nostris annectenda. *Leges ab eis observandae.*

II. Curabunt e contra illi cum totâ provinciâ ad permetipsos ultro oblata[1] benefactorum eorum largitionibus ipsam domum missionis desuper aedificari, quatuor patrum missionariorum atque unius fratris laici habitationi congruam et aptam, additis duobus cubiculis hospitibus seu patri provinciali usui futuris, praeter refectoriolum, culinam cum penu, cellam vinariam, et aliud cubile bibliothecae inserviturum, cumque hortulo ad necessitatem et usum culinae, in ampliorem vero formam aedificium nec extrahi[2] nec redigi possit, quorum insuper benefactorum donis et sumptibus surget pariter sacellum, seu parva ecclesia, tribus ad summum altaribus extructa, B. Virgini Mariae Auxiliatrici dicanda.

III. Missionariorum numerus sit semper et in aevum quaternus, missionis superiore, quem pater provincialis semper designabit, in censum simul veniente, uno fratre laico insuper addito; qui numerus sine expresso nostro, vel successorum, et venerabilis nostri capituli consensu nullis unquam temporibus augeri nec minui possit.

IV. Providebunt porro monasteria de Salzburg et Radstatt, sive ipse pater provin-

1 Forsan *oblatis;* at syntaxis perplexa (R. T.).
2 Forsan *extrui* (R. T.).

cialis et provincia, missionariis praedictis de congruâ sustentatione, tum et de suppellectili aliisque necessariis ad usum sacelli, sic ut nec nobis, [1] provinciae nostrae, vel et subditis ipsis de districtu missionis Capuccinorum fiant onerosi, lignis ab igne tantummodo demptis, quae nos et successores nostri perpetuis futuris temporibus ad usum et necessitatem missionis domus suppeditari mandabimus.

v. Designabimus ipsis ad peragendum apostolicae missionis officium totam praefecturam Werffensem cum adiacenti praeturâ in Bischoffhoven, praefecturam in Abbatenau cum illâ de Gollingqua, quâ [2] hae omnes late patent quoad temporalem per nos eorum praefectis delegatam iurisdictionem.

vi. Quia vero missionarii ipsi tam latum longeque dissitum districtum peragrare haud possent, si excurrentes necessariis [3] ad se se alendos pecuniis non fuerint instructi, hinc assignamus memoratae domui missionis annuos florenos centum ex capitali statibus provinciae a secretâ deputatione nostrâ ex mulctis haereticis vel de haeresi suspectis hactenus indictis conflato, et ad quincunces usuras, cum omnimodâ immunitate ab omni decimatione, steurâ, aliove excogitabili onere reali aut personali, elocato; volentes insuper et mandantes, utque hactenus per inquisitiones, per Capuccinorum missiones factas in praefecturis Werffen et Radstatt, tum et in praefecturas Wagrain indictae fuerunt, nondum tamen exactae, vel ad cassam missionis transmissae, aut quae in futurum dictabuntur pecuniariae poenae adversus subditos missioni eorum commissos, per praefatam secretam deputationem nostram eparentur, denturque successive in in censum, ut supra, eum praecise in finem, ut domui missionis praedictae, ad usum et effectum de quibus praemissum est, annui floreni biscenti ex decurrendis usuris valeant titulo eleemosynae persolvi, ubi temporis tractu mox memoratae indictae, et non exactae, vel indicendae in futurum mulctae aliud capitale florenorum bis mille conflabunt.

vii. Quod vero ipsosmet patres missionarios attinet, praesentabuntur nobis semper tum nunc tum et successivis temporibus designandi a patre provinciali eorum; ubi vero ad missiones nostras fuerint ab hoc semel delecti ablegatique, et a nobis recepti et approbati, integrum illi haud sit eos aliter amovere et avocare, quam et servato ordine et formâ, ut vel unus saltem semper adsit, qui iam per integrum biennium missionarii in domo praedictâ Werffen exercuerit munus, habentes subditorum perspectos mores, sitque in re missionum versatus, et valeat instruere noviter advenientes.

viii. Erunt autem isti, cum ipsâ domo missionis, quoad ea quae missionis munus concernunt, in omne aevum immediate et unice nostris nostrorumque successorum mandatis subiecti, directione eius tamen et visitatione patris provincialis illaesâ et intactâ relictâ; in ceteris autem nobis et successoribus nostris sine ullâ contradictione praestabunt et adimplebunt ea omnia, ad quae regulares exempti, iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini, nostrarumque constitutionum synodalium et provincialium, et [1] Ordinariis locorum aliàs tenentur, salvâ proinde in hac missionis domo et missionarios ibidem existentes dioecesanâ et ordinariâ nostrâ iurisdictione iure principatus terrae et advocatiae, sic tamen ut nobis et successoribus nostris dumtaxat, unice et immediate, uti praemissum est, remaneant semper, etiam quoad ista, subiecti.

ix. Missionariorum officium, finis, atque praecipua, imo unica cura sit, per praefecturas, ut dictum est, ipsis designatas, incessanter de loco ad locum, et, si necesse visum fuerit, de domo ad domum excurrendo et catechizando, missionibus continuo vacare, rudes in doctrinâ christianâ instruere, dubitantes in veritate nostrae fidei confirmare, in haereticos vel de haeresi suspectos, horum consultores, fautores, receptatores,

1 Videtur addendum *nec* (R. T.).
2 Vocem *quâ* nos addimus (R. T.).
3 Edit. Main. habet *necessarii* pro *necessariis* (R. T.).

1 Coniunct. *et* videtur delenda (R. T.).

librorum acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, et non revelantes, eos in provinciam ferentes et intrudentes, eorumque auxiliatores, conscios et participes inquirere atque denuntiare, verbum divinum et fidei dogmata ubivis et etiam ex cathedrâ (sic tamen ut Ordinariorum non disturbentur ecclesiasticae functiones) intra ipsis designatum districtum tradere, sic et [1] poenitentiae sacramentum (solâ demptâ confessione paschali, si locorum curiones ultra non annuant), sacrosanctam vero Eucharistiam in proprio vel tantum missionis sacello, alibi vero non nisi quam accedente ipsorum curionum consensu, administrare, item aegris et moribundis solatium cum auxilio impendere, aliaque peragere omnia quae individuum missionarii apostolici munus exigit, iure sepulturae aliove quocumque parochiali semper excepto.

x. Et quia de religione bene sperari non potest, si ii, qui magistratum ecclesiasticum vel civilem sunt assecuti, moribus scandalosi sint, aut vitiis publice turpes; caepropter teneantur pariter in vitam et mores non modo subditorum ipsis quoad missionis ministerium commissorum, sed et eorum, quibus ipsi subditi intra designatum districtum per demandatam a nobis iurisdictionem subsunt, sedulo invigilare, datoque defectu religioni directe vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, nobis et successoribus nostris ad proprias manus[2] referre, eâ ipsâ ratione qua e converso nostris decanis ruralibus serio demandabimus perspectum habendi an missionarii ipsi missionis muneri debite incumbant, hocque adimpleant ex asse, quidve adversus has nostras leges, conditiones et pacta operentur; quod si praeter spem omnem nostram daretur, eos ad adimplendum et his legibus parendum fraterne moneant; ubi vero nec hac viâ defectus tollantur, et hos similiter nobis habeant referre; praecipue vero curabunt ipsi missionarii ut ecclesiasticus et civilis magistratus concordes vivant, utpote qui, cum non sint duo distincta corpora, sed unius corporis distincta membra, sicut concordia eorum totius reipublicae unica est anchora, qua sublatâ, fluctuant omnia, et religionis contemptus oritur, sic ea servata tuto firmat et immotam securitatem promittit.

xi. Ablegabuntur caepropter a patre provinciali, et nobis praesentabuntur, viri tum scientiâ, tum et sanctimoniâ vitae clari, simplicitatem cum astutiâ commixtam habentes, cordati, sagaces, graves et prudentes, in polemicâ et in his quae sunt ad bene formandam haereticae pravitatis inquisitionem sufficienter versati, robusti, atque gravissimis missionis laboribus sustinendis idonei et apti, quique esse debeant vel a sanctâ Sede Apostolicâ vel a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide approbati, id est necessariis ad missiones apostolicas peragendas privilegiis instructi [1].

xii. Ut vero penitus a subditis ministerio missionis eorum commissis sint independentes, vetitum sit missionariis pro celebratione missarum eleemosynam ab illis accipere; possint vero a curatis et decurionibus locorum, si hi illis dare velint; et abstinebunt insuper ab omni quaestuâ seu collecturâ in praedicto ipsis designato districtu (hac integrâ illis, qui hactenus eis in locis eâ gavisi sunt, penitus remanente) contenti in Domino esculentis et poculentis illis quae pii largitores ad hospitii ianuam ultro, liberaliter et charitative detulerint, et pro quibus, si ita visum fuerit, sacrificia peragere possint; signanter autem cavebunt ab omnibus commensationibus cum illis de saepedicto eis designato districtu.

xiii. Fas insuper saepe relatis missionariis haud sit eis designatum egredi districtum a nobis vel successoribus nostris praeviâ non obtentâ licentiâ, quam tamen non nisi ob gravem causam eis sumus denegaturi.

xiv. Liberum e contra sit semper nobis et successoribus nostris, etsi erigenda domus apostolicae missionis finem principaliter

1 Ut supra in loc. parall. pag. 513 *a*: pessime edit. Main. legit *licet* pro *sic et* (R. T.).

2 Supra pag. 513 *b* in loco parallelo legitur *aures* (R. T.).

1 Male edit. Main. legit *instructa* pro *instructi* (R. T.).

praeseferat, alios etiam cuiuscumque religionis vel Ordinis in districtum missionis Capuccinorum designatum ad missiones mittere, ipsos autem missionarios Capuccinos alibi ad missiones (ad tempus tamen) ablegare, fundatione domus semper salvâ, suoque in robore semper firmâ.

xv. Quod si vero Capuccinorum religio, domus haec missionis, seu missionarii futuris perpetuis temporibus, adversus praedictas leges, pacta et conditiones, quidque per recursum sive dispensationem, privilegia, per latas vel ferendas in contrarium sanctiones, seu et demum per aliam quamcumque viam excogitabilem de mundo, de facto vel de iure, attentare, salubremve intentionem hanc nostram, quae est ut penitus e provinciâ nostrâ eliminentur haereses, invertere, modificare, vel aliter huic quoquo demum modo derogare praesumpserint, noverint illa et isti omnipotenti Deo, nobis, successoribus et venerabili capitulo nostro strictissimam rationem reddituri[1], seque indignationem nostram, successorum nostrorum et praefati venerabilis capituli incursuros, sine quorum et huius expresso consensu, praemissis legibus, pactis et conditionibus nemo, quacumque etiam auctoritate fulgeat, unquam poterit derogare; siquidem derogationem aliquam, modificationem vel commutationem huius nostrae piae intentionis non impetrandi, aut aliter per se se vel alios quidquam in contrarium non attentandi, quin potius vero praedicta omnia et singula perpetuis futuris temporibus pro posse eorum fideliter et iugiter adimplendi, saepe memoratus pater provincialis et definitores proprio eorum successorum et totius provinciae nomine, datis in id et nobis extradictis reversalibus, solemniter bonâque fide expromiserunt.

In quorum omnium fidem et robur, accedente toties narrati venerabilis nostri capituli consensu, has fieri, eidemque patri provinciali et definitoribus extradi iussimus, subscriptione nostrâ et appensione sigilli nostri maioris munitas. Quae dabuntur[2] Salisburgi, in metropoli nostrâ, hac die I mensis aprilis MDCCXXXVI.

LEOPOLDUS.

Consensus capituli Salisburgensis super narratis.

Nos quoque Dei gratiâ Andreas Iacobus comes de Dietrichstein praepositus archipresbyter, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian, divinâ pariter gratiâ decanus, Franciscus Maximilianus comes de Liechtenstein senior, totumque capitulum metropoliticae ecclesiae Salisburgensis, fatemur et attestamur omnia, quae in praesentibus litteris continentur, nostro consensu peracta, proindeque perpetuis venturis temporibus observanda esse; pro cuius roboratione sigillum nostrum capitulare appendimus, et nos supradicti praepositus, decanus, ac senior hasce litteras manibus propriis subscripsimus. Datae Salisburgi die XXII mensis maii anno MDCCXXXVI.

ANDREAS IACOBUS comes de Dietrichstein, praepositus Salisburgensis. — LEOPOLDUS ERNESTUS L. B. de Firmian decanus. — FRANCISCUS MAXIMILIANUS comes de Liechtenstein senior.

*Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus et princeps Salisburgensis, Sanctae Sedis apostolicae legatus natus, primas Germaniae, etc.*

Fundatio missionis Capuccinorum in Radstat.

Ferventibus votis in id unice intendentes ut, hoste nostro (haereticos seditiosos subditos nostros intelligimus), Deo opitulante, iam fugato, id deleatur penitus, ne intrent, ut perhorrescimus, post discessionem nostram novi lupi rapaces, gregi non parcentes, neve haeresis, herculea veluti hydra, utique cum maiore religionis ac regionis nostrae periculo damnisque continuo repullulet, novasque identidem vires reassumere attentet, auctoritate nostrâ archiepiscopali et principali clementer et insimul serio paternitati tuae committimus, quatenus, quae post ultimam haereticorum emigrationem in praefecturâ nostrâ Radtstadiensi per patres Ordinis tui sancti Francisci Capuccinorum tam laudabiliter tantoque animarum fructu inceptae et prosecutae fuere catecheses et excursiones, sic instituas, ut omni futurâ aetate perdurent. Volumus si-

1 Legendum *reddituros* (R. T.).
2 Forsan *dabantur* (R. T.).

quidem, et tibi atque successoribus tuis hisce nostris expresse iniungimus, quod, cum monasterium Capuccinorum in Radtstatt a praedecessoribus nostris ad repellendas haereses principaliter fuisse fundatum dignoscatur, duo semper in eo subsistant ad peragendum apostolicae missionis munus in praefecturâ mox dictâ idonei et apti. Erunt vero illi,

Leges missionariis praescriptae.

I. Vel a Summo Pontifice, vel a sacrâ Congregatione de Propagandâ, seu ab eo, cui talis delegabitur facultas, approbati, necessariisque ad missiones apostolicas privilegiis instructi, nec tibi[1] vel successoribus tuis integrum erit, postquam illi semel fuerint ad missiones nostras delecti, eos amovere, nisi ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione et praesentatione subinde, atque successivis perpetuis temporibus eâ ratione faciendâ, ut unus vel saltem adsit, qui iam per annum in praemisso Ordini tuo assignato districtu missionarii exercuerit munus, notos habeat subditorum et incolarum mores, sit in re missionum practicus, potensque instruere noviter advenientes, et quos pro tempore missionarios, quoad ea quae missionis munus concernunt, immediate et unice nostris nostrorumque successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam vero, sibi[2] et guardiano eorum volumus et sinimus esse subiectos.

II. Horum missionariorum porro unica cura erit, incessanter intra praedictum Radtstadiensis praefecturae districtum, de loco ad locum, et, si necesse fuerit, etiam de domo ad domum excurrendo, missionis apostolicae munus alacriter explere, catechizando rudes, in doctrinâ christianâ instruendo, reducendo dubitantes ad viam veritatis, hosque in hac confirmando, in haereticos seu de haeresi suspectos, horumque consultores, fautores, receptatores, librorum achatholicorum detentores, vel detentorum conscios, et non revelantes, eos in provinciam nostram ferentes seu intrudentes, horumque auxiliatores, conscios, seu participes, inquirendo, hosque et alios huiusmodi farinae homines nobis, vel cui per nos et successores nostros demandabitur, sine aliquâ personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, verbum divinum et fidei dogmata ubivis et etiam ex cathedrâ (sic attamen ut Ordinariorum non disturbentur ecclesiasticae functiones) intra ipsis designatum praemissum districtum tradendo, sic et poenitentiae sacramentum (solâ demptâ confessione paschali, si locorum curiones ultro non annuerent), sacrosanctam vero Eucharistiam non nisi quam in propriâ eorum monasterii ecclesiâ, vel alibi, habito in id praedictorum curionum assensu, administrando, aegris et moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quae individuum missionarii apostolici exigit munus, iure sepulturae alioque quocumque parochiali semper et ubique Ordinariis locorum reservato.

III. Volumus insuper, quod ipsi missionarii in vitam et mores non modo subditorum ipsis intra praedictae praefecturae fines quoad missionis ministerium commissorum, sed et eorum quibus ipsi subditi ex delegatâ nostrâ iurisdictione subsunt, sedulo invigilare teneantur, datoque defectu religioni directe vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, nobis et successoribus nostris ad proprias aures deferre, eâ ipsâ ratione qua e contra nostris demandabimus decanis ruralibus perspectum habendi, an missionarii ipsi missionis munus debite adimpleant et assequantur ex asse, quidve operentur adversus haec nostra mandata, nobis defectus, ubi hos, si aliqui praeter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

IV. Quare praesentabunt[1] semper viri cum scientiâ tum et vitae sanctimoniâ clari, iusti, incorrupti, integri, suaves et insimul severi, graves, sagaces, tam in polemicâ, quam in iis quae ad promovendam haereticalem inquisitionem conducunt, bene ver-

1 Edit. Main. legit *sibi* pro *tibi* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *sibi* pro *tibi* (R. T.).

1 Potius lege *praesentabuntur* (R. T.).

sati; nec accipient illi a subditis quoad missionis munus eis subiectis eleemosynas pro missis, aliave munera, forent licet esculenta, poculenta, multo minus adhuc collecturas seu quaestuas instituent, his et illis ceteris de monasterio patribus, ut hactenus habuerunt, illaesis retentis; qui missionarii insuper, perdurante ministerii eorum praedefinito tempore, Radtstadiensem praefecturam egredi non poterunt, a nobis vel successoribus nostris non praehabitâ licentiâ, eis veruntamen non nisi gravi de causâ denegandâ.

v. Licet autem Ordini tuo apostolicae missionis munus in praedictâ Radtstadiensi praefecturâ privative committamus, liberum tamen nobis et successoribus nostris esse volumus alios quoque alterius religionis viros in Radtstadiensem districtum ad tempus mittere, missionarios de districtu vero alibi etiam et extra illum ad missiones, pariter tamen ad tempus, ablegare, missione pro patribus tui Ordinis verumtamen in Radtstadiensi districtu harum tenore semper fixâ et in suo robore firmâ manente.

Curabit proinde paternitas tua, tuique successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exequatur, utque in partem pastoralis nostrae sollicitudinis vocati, rite et iugiter expleant haec nostra mandata; quod si in adimplendis ex asse omnibus praescriptis negligentes, incurii, segnesve fueritis, omnipotenti Deo, nobis, successoribus nostris, atque venerabili capitulo nostro districtam reddituros rationem, vosque nostram horumque indignationem noveritis incursuros. Actum Salisburgi, metropoli nostrâ, hac die XIV mensis martii anni MDCCXXXVII.

LEOPOLDUS.

*Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus et princeps Salisburgensis, Sanctae Sed's apostolicae legatus natus, primas Germaniae, etc.*

Alia missio et praefectura eiusdem Ordinis in Dambsweg.

Noverit paternitas tua, quam vesana, proterva, haeretica pravitas caput suum in hac provinciâ nostrâ non ita pridem extulerit, quamque insanis conatibus, abiectâ prorsus fronte, emotâque mente, contra ipsam principalem dignitatem nostram damnabiliter insurgere non dubitaverit; et noverit quoque, quanto pastoralis animi nostro dolore, palam iam grassante haeresi, armatâ etiamnum vi obsistere fuerimus coacti, viginti et ultra e provinciâ pulsis millibus Lutheri aliorumque haeresiarcharum colluvie, peste simul et exitio involutis. Quia vero statuimus firmissime toto virium nisu hostem adhuc latitantem tamdiu persequi, donec, quod praedecessores nostri voluere semper, potuere nunquam, extremâ internecione per Dei gratiam penitus extinxerimus: hinc de tuâ sollicitudine vigilantiâ et curâ concreditas nostras oviculas sub unius pastoris ovili iugiter continendi clementer confisi, cumque Capuccinorum monasterium in oppido nostro Dambsweg a praedecessoribus nostris ad arcendam a religione nostrâ haeresi luem principaliter fundatum esse dignoscatur, et patres huius in participium tam gloriosi operis vocare, eisdemque perpetuum apostolicae missionis munus in praefecturâ nostrâ Lungaviae, quâ haec late quoad temporalem iurisdictionem patet, clementissime committere tenore praesentium decrevimus. Volumus eapropter et paternitati tuae serio mandamus quatenus:

Quid a missionariis sit praestandum.

I. Duo nobis praesententur patres de familiâ monasterii in Dambsweg ad praefatum apostolicae missionis ministerium rite obeundum idonei et apti, vel a Summo Pontifice vel a sacrâ Congregatione de Propagandâ, seu ab eo, cui ab hac talis delegabitur facultas, approbati, necessariisque ad missiones apostolicas privilegiis instructi, nec tibi successoribusque tuis integrum sit, postquam illi semel fuerint ad missiones nostras delecti, eos amovere, nisi ubi primi integrum absolverint annum, subrogatione et praesentatione subinde atque successivis perpetuis temporibus eâ ratione faciendâ, ut unus vel saltem adsit, qui iam per annum in praemisso Ordini tuo assignato districtu missionarii exercuerit munus, notos habeat subditorum et incolarum mores, sit

in re missionum practicus potensque instruere noviter advenientes, et quos pro tempore missionarios, quoad ea quae missionis munus concernunt, immediate et unice nostris nostrorumque successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam vero, tibi et guardiano eorum volumus et sinimus esse subiectos.

II. Horum missionariorum porro unica cura erit incessanter intra praedictum Lungaviensis praefecturae districtum, de loco ad locum, et, si necesse fuerit, etiam de domo ad domum excurrendo, missionis apostolicae munus alacriter explere catechizando, rudes in doctrinâ christianâ instruendo, reducendo dubitantes ad viam veritatis, hosque in hac confirmando, in haereticos seu de haeresi suspectos, horumque consultores, fautores, receptatores, librorum acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, et non revelantes, eos in provinciam nostram ferentes seu intrudentes, horumque auxiliatores, conscios seu participes inquirendo, hosque et alios huiusmodi farinae homines nobis, vel cui per nos et successores nostros demandabitur, sine aliquâ personarum acceptatione, omnique seposito humano affectu, denunciando, verbum divinum et fidei dogmata ubivis et etiam ex cathedrâ (sic attamen ut Ordinariorum non disturbentur ecclesiasticae functiones) intra ipsis designatum praemissum districtum tradendo, sic et poenitentiae sacramentum (solâ demptâ confessione paschali, si locorum curiones ultro non annuerent), sacrosanctam vero eucharistiam, non nisi in propriâ eorum monasterii ecclesiâ, vel alibi, habito in id praedictorum curionum assensu, administrando, aegris et moribundis solatium cum auxilio impendendo, atque ea omnia demum peragendo, quae individuum missionarii apostolici exigit munus, iure sepulturae alioque quocumque parochiali semper et ubique Ordinariis locorum reservato.

III. Volumus insuper quod ipsi missionarii in vitam et mores non modo subditorum ipsis intra praedictae Lungaviae fines quoad missionis ministerium commissorum, sed et eorum quibus ipsi subditi ex delegatâ nostrâ iurisdictione subsunt, sedulo invigilare teneantur, datoque defectu religioni directe vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, nobis et successoribus nostris ad proprias aures deferre, eâ ipsâ ratione qua e contra nostris demandabimus decanis ruralibus perspectum habendi an missionarii ipsi missionis munus debite adimpleant, et assequantur ex asse, quidve operentur adversus haec nostra mandata, nobis defectus, ubi hos, si aliqui praeter spem nostram omnem contigerint, fraterna admonitio non dissipet, debite relaturis.

IV. Quare praesentabuntur semper viri cum scientiâ tum et vitae sanctimoniâ clari, iusti, incorrupti, integri, suaves et insimul severi, graves, sagaces, tam in polemicâ, quam in iis quae ad promovendam haereticalem inquisitionem conducunt, bene versati; nec accipient illi a subditis quoad missionis munus eis subiectis eleemosynas pro missis, aliave munera, forent licet esculenta et poculenta, multo minus adhuc collecturas seu quaestuas instituent, his et illis ceteris de monasterio patribus, ut hactenus habuerunt, illaesis retentis; qui missionarii insuper, perdurante ministerii eorum praedefinito tempore, Lungaviensem praefecturam egredi non poterunt, a nobis vel successoribus nostris non praehabitâ licentiâ, eis veruntamen non nisi gravi de causâ denegandâ.

V. Licet autem Ordini tuo apostolicae missionis munus in praedictâ Lungaviensi praefecturâ privative committamus, liberum tamen nobis et successoribus nostris esse volumus alios quoque alterius religionis viros in Lungaviensem districtum ad tempus mittere, missionarios de districtu vero alibi etiam et extra illum ad missiones, pariter tamen ad tempus, ablegare, missione pro patribus tui Ordinis verumtamen in Lungaviâ praedictâ harum tenore semper fixâ et in suo robore firmâ manente.

Curabit proinde paternitas tua, tuique successores omnes, perpetuis futuris temporibus, ut tam salutare nostrum propositum alacriter exequantur, atque in partem pastoralis nostrae sollicitudinis vocati rite et iugiter expleant haec nostra mandata. Quod

si adimplendis ex asse omnibus praescriptis negligentes, incurii segnesve fueritis, omnipotenti Deo, nobis, successoribus nostris, atque venerabili nostro capitulo districtam reddituros rationem, vosque nostram horumque indignationem noveritis incursuros. Actum Salisburgi, metropoli nostrâ, hac die XIV mensis martii anni MDCCXXXVII.

LEOPOLDUS.

*In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis. Amen. Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus et princeps Saliburgensis, Sanctae Sedis Apostolicae legatus natus, primas Germaniae, etc.*

Missio Benedictorum.

Quamquam, ex quo ad archiepiscopalis et principalis celsitudinis culmen supremi Numinis benignitate fuimus evocati, ac quasi in sublimi speculâ positi, unde per circumspectam sollicitudinis nostrae vigilantiam et imminentia prospiceremus pericula et ad eadem mature depellenda ac dissipanda de opportunis remediis provideremus, id prae primis paternae nobis curae esse voluerimus, ut, qui in commissâ nobis archidioecesi Domini vice fungimur, eiusdem non tantum ipsi mandata, quantum Deo largiente possumus, sedulo expleremus, verum et ad id faciendum subditos nostros verbis et exemplis assiduo cohortaremur, ac concreditas nobis oviculas sub unius pastoris ovili iugiter contineremus, et pabulo salutaris doctrinae veraeque fidei incessanter reficeremus; maiori tamen animi impulsu illuc urgeri credimus, totamque mentis nostrae aciem admovendam esse putavimus, ut haeresi tot archidioeceseos nostrae locis iamdudum fatali, quaeque per duo saecula et ultra, miseret meminisse, tam nefande in provinciam nostram incubuit, tamque altas defixit radices, perpetuum indiceremus bellum, certo autumantes exitio proximos fore principes illos qui haereticos impune tolerant, et causam religionis, quae prorogata[1] sicuti est reipublicae vinculum, ita neglecta eiusdem dissolutio, parum curant, ratique, tolerare similes, esse in sinu angues fovere, connivere vero ex futurae conversionis spe, esse manifeste rempublicam concutere et commovere. Suadent haec priorum saeculorum monumenta, docentur[1] vero novissima, causam Religionis ita esse cum illa Status coniunctam, ut, illâ turbatâ, et hanc turbari et mutari fiat necesse, cadere vero regna, et imperantes, ubi[2] religione illâ hi curâ illius deficiunt, traxit namque semper et[3] trahet adhuc rempublicam secum religio neglecta aut prolapsa, nec enim esse poterit idem coërcendi populi fraenum, ubi non est idem Numinis amor, idem metus, idemque cultus, libertatem credendi licentiâ morum, hanc civium discordiâ subsequente.

Quare ponderantes quod, etsi, spectante Europâ totâ indictum certamen, in comitatum se exhibentibus caelitum auxiliis, pulsis viginti et amplius millibus Lutheri aliorumque haeresiarcharum peste simul et exitio involutorum, adhibitisque tot aliis oppugnandae[4] haeresi opportunissimis remediis, decretis, inquisitionibus et armis, rite perfecerimus victoriam, subsecutis auspiciis et status nostri incrementis, tamen, quae undequaque in provinciâ nostrâ hactenus erat disseminata haeresis, continuo repullulare, et, amputatis licet capitibus, novas identidem vires reassumere seu attentet, seu certo sit attentatura, more scilicet superiorum temporum, queis hostes nostri (haereticos intelligimus) latius semper grassabantur, quia dumtaxat fugati, deleti nunquam, nisi et de remediis solliciti fuerimus, ut et modicum fermentum tollatur, ne universam massam reiterato corrumpat, neve ex levi flammulâ novi oriantur rogi, divinâ nemesi universos puniente propter unicum haereticum impune toleratum: hinc est quod nostro et maiorum nostrorum malo edocti, tuto opinantes indignum esse catholicum principem sacrilegis imperare, atque expavescentes praenuncium illud divini numinis oraculum: *Quia non custodivisti pactum*

1 Forsan *roborata* aut simile (R. T.).

1 Forsan *docent* (R. T.).

2 Comma istud dimittimus corrigendum lectori (R. T.).

3 Edit. Main. legit *ut* pro *et* (R. T.).

4 Edit. Main. legit *oppugnanda* (R. T.).

*meum, et praecepta mea quae mandavi tibi, scindam regnum tuum a te, et illud dabo servo tuo;* postquam pro pastorali sollicitudine nostrâ diu multumque exquisivimus, quibus mediis magis, ut haeresis penitus extirpetur, neve caput suum herculeum futuris temporibus unquam amplius attollat, nobis et ecclesiae nostrae possit esse consultum, unum demum, idque tutissimum nobis inspiravit divinum Numen, si nimirum[1] per tot annos, seu aliunde huc evocatos, seu de novo a nobis ablegatos, ad perpetua futura tempora stabiliremus apostolicos missionarios, qui incessanter de praefecturâ ad praefecturam, de quarterio ad quarterium, de loco ad locum, de domo ad domum excurrentes, rudes in rebus fidei instruant, in haereticos vel de haeresi suspectos acriter et alacriter inquirant, neve, dum evellitur zizania, eradicetur triticum, vel, eâ relictâ et non evulsâ, et hoc degeneret, longâ demum experientiâ addiscant unum ab alio secernere et segregare, et cognoscant tandem fictâ religione piorum mentes ludentes, notosque habeant qui, alienas non suas repraesentantes personas, faciunt quod non sentiunt, sentiunt quod non dicunt, et volunt apparere quod esse nolunt, experianturque postremo, et sibi habeant a nobis persuasum, cito, ubi non eradicatur pestis huius radix, totam plebem certo certius iterum iterumque contaminatam iri, quaeque nos in tantâ pastoralis animi nostri amaritudine sumus proh dolor! experti, et inexpertos posteros indubitanter manere.

Quia porro, sicut in huius curae partem sacras religiones in archidioecesi nostrâ diu iam stabilitas evocandas credidimus, ita et aequissimum iudicavimus, ut antiquissimo Ordini sancti Benedicti, a quo, sicut universae prope Germaniae, ita singulariter provinciae huic nostrae verae fidei lumen ante complura iam saecula, et ad ipsa archiepiscopatus nostri initia illatum est, atque assiduo tum probitatis, cum et doctrinae fulgore coruscavit, id pastoralis officii genus eo demandaremus libentius, quo magis ipsum sacrum Ordinem, ac praecipue universitatem nostram eidem commissam, clementissimâ inclinatione nunquam non prosecuti, ad ipsum incessanter fovendum, et gratiarum nostrarum favoribus prosequendum, tanto provocamur ardentius, quanto frequentius evoluimus flores illos honoris et honestatis fructus, qui, eorum sudore hunc nostrum plantationum hortum irrigante, ubertim succreverunt.

Noverit eapropter praesens aetas et futura, quod venerabilium in Christo honorabilium nobis dictorum abbatum praefati universitati nostrae nobis per omnia subiectae confoederatorum precibus, operam suam, omnisque promptitudinis obsequium, non sine nostro solatio, quod ex zelo eorum concepimus, offerentium, ac humiliter supplicantium ut et ipsi in societatem tam salutaris huius nostri operis admittantur, inque tam gloriosi laboris participium possint[1] venire, clementer annuentes, habito desuper venerabilis nostri capituli consilio, decrevimus, prout tenore praesentium auctoritate nostrâ archiepiscopali et principali decernimus et statuimus, praerelatis universitati nostrae confoederatis abbatibus unam intra Pongoviae montes ex missionibus nostris perpetuis, sub legibus et conditionibus infrascriptis, et quidem in loco Schwazzach dicto committere, perpetuoque firmare, Schwazzachii dicimus, ut unde mors oriebatur, inde vita resurgeret, et quae Schwazzachii per rustico-haereticae seditionis comitia vincebat haeresis, ibi quoque vinceretur.

*Leges servandae.*

I. Itaque, propriis eorum sumptibus et expensis, in mox dicto Schwazzachii loco praefati venerabiles confoederati abbates aedificari curabunt missionis domum seu hospitium quatuor patrum missionariorum habitatione[2] congruum et aptum, quatuor nimirum pro his instructum cubilibus, duobus pro hospitibus, uno pro infirmis, aliisque pro famulis, praeter refectorium, culinam cum penu, cellam vinariam, aliudque cubile bibliothecae inserviturum, cum hortulo, stabulo ac fenile, ultra vero aedificium

1 Pessime ed. Main. legit *nimium* pro *nimirum* (R. T.).

1 Edit. Main. legit *possit* (R. T.).

2 Aptius lege *habitationi* (R. T.).

hoc extendi ampliari seu in grandiorem formam nec extrui nec redigi possit.

II. Ædificabunt pariter, expensis ut supra, sacellum vel ecclesiam ad plus tribus altaribus provisam Beatissimae Virgini [1] sine labe conceptae dicandam, praeter sacristiam necessariâ suppellectili decenter instructam, summâ florenorum ter mille dotandam.

III. Sustentandis quatuor patribus missionariis, horumque famulis, assignabunt capitale florenorum triginta millium unâ cum ecclesiae dote mox dictâ, penes tuta loca ad quincunces usuras, si haberi poterunt, in census elocandum, ab omni decimatione, steurâ, aliove quocumque excogitabili onere reali, personali vel mixto, semper et ubique immune.

IV. Numerus missionariorum sit semper et perpetuis futuris temporibus quaternus, ex quibus saepedicti venerabiles abbates unum pro domo et missionis superiorem, modis et formis quibus hactenus in nominandis professoribus huius universitatis nostrae legitime usi sunt, semper designabunt; designatum vero, ante triennii lapsum, nonnisi nobis vel successoribus nostris annuentibus amovebunt, et qui quaternarius numerus sine expresso nostro successorumque nostrorum ac venerabilis capituli nostri consensu nullis unquam temporibus augeri nec minui possit.

V. Erunt vero quatuor illi missionarii vel a summo Pontifice vel a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide approbati, idest necessariis ad missiones apostolicas privilegiis a Sanctâ Sede, vel ab eo, cui talis delegabitur facultas, instructi.

VI. Praesentabuntur autem nobis cum primi, cum et his successivis temporibus subrogandi, formâ mox supra articulo quarto praescriptâ, et ubi semel fuerint ad missiones nostras Salisburgenses delecti et ablegati, atque a nobis recepti et approbati, integrum memoratis abbatibus haud esto sive omnes sive singulos a missionis domo et officio removere, nisi ubi primi patres primum triennium ex integro absolverint; secuturis vero annis, quilibet missionarius in individuo licentiam abeundi a nobis facile obtinebit, ita tamen, ut subrogatio singulis annis singulariter fiat, eo nimirum ordine observato ut semper vel unus saltem adsit, qui iam per integrum triennium missionarii in domo praedictâ Schwazzachii exercuerit munus, notos habeat subditorum mores, sit in re missionum practicus, potisque instruere noviter advenientes.

VII. Erunt porro in omne aevum tum missionarii, cum et domus missionis, quoad ea quae missionis munus concernunt, immediate et unice nostris nostrorumque successorum mandatis, quoad disciplinam monasticam vero atque domus oeconomicam directionem, huius pro tempore superiori subiecti, visitatione illius tamen antedictis abbatibus, modis et formis quibus hactenus in visitandâ hac nostrâ universitate legitime usi sunt, concessâ, nobis de cetero et successoribus nostris sine ullâ contradictione praestantes et omnia ea adimplentes, ad quae regulares, iuxta praescriptum sacri Concilii Tridentini nostrarumque constitutionum synodalium et provincialium, Ordinariis locorum aliàs tenentur, sicque salvâ in hac missionis domo et[1] missionarios ibidem existentes dioecesanâ et ordinariâ nostrâ iurisdictione, necnon iure principatus terrae et advocatiae, sic verumtamen ut nobis et successoribus nostris dumtaxat, etiam quoad ista, uti praemissum, et unice et immediate semper subiaceant.

VIII. Designamus autem ipsis privative ad peragendum missionis apostolicae munus integras praefecturas ad S. Ioannem, ad S. Vitum, et Doldegg cum praeturis Gastein, Grosarl et Wagrain, quâ hae omnes late patent quoad temporalem per nos ipsis praefectis nostris delegatam iurisdictionem.

IX. Et in quibus ipsorum missionariorum officium, finis, et praecipua, imo unica cura erit, incessanter de loco ad locum, et, si necesse fuerit visum, etiam de domo ad domum excurrendo et catechizando, missio-

1 Edit. Main. legit *Virginis* (R. T.).

1 Potius lege *per* vel *quoad* (R. T.).

nibus continuo vacare, rudes in doctrinâ christianâ instruere, dubitantes ad veritatis viam reducere et in hac confirmare, in haereticos vel de haeresi suspectos, horum consultores, fautores, receptatores, librorum acatholicorum detentores, vel detentorum conscios, et non revelantes, eos in provinciam nostram ferentes vel intrudentes, eorumque auxiliatores, conscios seu participes inquirere, hosque et alios huiusmodi farinae homines nobis, vel cui per nos et successores nostros demandabitur, sine aliquâ personarum acceptatione, omni seposito[1] humano affectu, spretisque intercessionibus quibuscumque, denunciare, verbum divinum et fidei dogmata ubivis et etiam ex cathedrâ (sic tamen ut Ordinariorum non disturbentur ecclesiasticae functiones) intra ipsis designatum districtum tradere, sic et poenitentiae sacramentum (solâ demptâ confessione paschali, si locorum curiones ultro non annuerent), sacrosanctam vero Eucharistiam in proprio vel tantum missionis sacello, alibi vero nonnisi quam accedente ipsorum curionum assensu, administrare, item aegris et moribundis solatium cum auxilio impendere, aliaque peragere omnia, quae individuum missionarii apostolici exigit munus, iure sepulturae alioque quocumque parochiali semper et ubique excepto.

x. Teneantur pariter in vitam et mores non modo subditorum ipsis quoad missionis ministerium commissorum, sed et eorum quibus ipsi subditi intra designatum districtum ex demandatâ a nobis iurisdictione subsunt, sedulo invigilare, datoque defectu religioni directe vel indirecte pernicioso, si fraterna admonitio non tollat, nobis et successoribus nostris ad proprias manus[2] deferre.

xi. Quapropter praesentabuntur nobis viri cum scientiâ tum et vitae sanctimoniâ clari, simplicitatem columbae simul et astutiam serpentis habentes, ut virtute et fortitudine praediti valeant disrumpere hominum iniquitates, et bene cordati non extimescant faciem potentis; sint iusti, incorrupti, integri, suaves et insimul severi, graves, sagaces, cum in polemicâ tum et in his quae ad notitiam promovendae haereticalis inquisitionis conducunt bene versati, ad labores nati, semper et ubique inhiantes animarum saluti; pro certo demum aliorum periculis habentes, turbare potius male concessa[1] quam ut reducantur errabundi haeretici conniventiâ nec flecti nec emolliri.

xii. Hinc etiam, et ut vel eo magis omnis tollatur humani affectus occasio, vetitum sit missionariis ipsis a subditis quoad missionis munus eis subiectis pro missis eleemosynas, vel ad de cetero munera aliqua recipere, forent haec licet esculenta vel poculenta, modici etiam num valoris, atque abstinebunt ab omnibus commessationibus cum illis, et quibus missionariis insuper fas haud erit sub quocumque excogitando praetextu litteras docere superioris vel primae seu inferioris classis, unice missionis muneri intra ipsis designatum districtum semper incumbentes, quem egredi haud valeant, a nobis vel successoribus nostris praeviâ non habitâ licentiâ, hac eis verumtamen nonnisi ex causâ urgente denegandâ.

xiii. Licet porro missionem hanc Benedictinam in saepefato loco Schwarzach in perpetuum stabilire intendimus, et vigore praesentium stabilimus, privative quoad omnes, quamcumque[2] privilegiis omnibus, praerogativis et iuribus, hactenus per praedecessores nostros huic nostrae universitati concessis, hisce nostris, quatenus praemissis et infra dicendis legibus et conditionibus non repugnant, condecoratam volumus, et illi parificatam declaramus; liberum tamen semper nobis et successoribus nostris esse pronunciamus, alterius etiam Ordinis missionarios apostolicos in districtum missioni Benedictinae supra designatum ad tempus mittere, ipsos missionarios Benedictinos vero alibi et extra illum, ad missionis munus, et pariter ad tempus tantum ablegare, fundatione domus Benedictinae praemissae semper privative salvâ suoque in robore firmâ.

xiv. Ne vero patres missionarii tempora-

1 Male ed. M. legit *sepositio* pro *seposito* (R. T.).
2 Supra pag. 513 *b* legitur *aures* (R. T.).

1 Comma istud non satis perspicuum (R. T.).
2 Videtur legendum *quamque* (R. T.).

libus curis impliciti ab apostolico munere suo impediantur, neve saecularibus graves et odiosi fiant, lex fundationis certa firmaque esto, nec ipsos, nec missionis hospitium, stabilia bona, vel quae sub horum nomine veniunt, sive per actus inter vivos, sive per ultimam voluntatem intra provinciam nostram acquirere, vel quocumque demum praetextando titulo acquisita, citra nostrum vel successorum nostrorum atque venerabilis nostri capituli expresso consensu[1], retinere posse; quod si contra hanc legem futuris unquam temporibus actum fuerit, in arbitrio nostro erit, et successorum nostrorum, vel etiam ante laudati venerabilis capituli nostri, de bonis ipsis emptis, acquisitis, donatis, relictis, aliove quocumque titulo et modo ad ipsos vel ad missionis domum perventis, pro libito et auctoritate principis terrae, atque in vim legis pactique praesentis dantis causam fundationi, et sine qua haec neutiquam fuisset concessa, pleno iure disponendi, tollendi et incamerandi, domus superiore adstricto ad singulis annis ratiocinia praesidi et assistentibus huius nostrae universitatis, ubi haec visitatur, vel si visitatio non haberetur, eiusdem rectori reddendi, qui nobis et successoribus nostris teneantur desuper accuratam dare relationem, et quibus de redditibus, si qui super remanentes extabunt, fas sit pro exigentiâ et congruitate disponendi, hosque, ubi necessitas vel utilitas magis exegerit, applicandi.

xv. Ratificamus verumtamen et approbamus per ipsos venerabiles abbates, sub spe clementissimi nostri rati, in supputationem summae supra pro fundatione definitae florenorum trigintamillium factam, pro faciliori patrum missionariorum sustentatione, emptionem cuiusdam praedii in praefecturâ nostrâ Goldegg siti, vulgo das Uhrfahrlehen nuncupatum, cum huic incorporato praedio Lebenfeld dicto, et alterius praemisso adiacentis fundi Fleidten agnominati, sub praefecturâ nostrâ S. Ioannis existentis, quaeque praedia, etsi haec iuris directorii camerae nostrae esse, omnibusque angariis et perangariis, steuris, contributionibus, aliisque oneribus comunalibus, sicut alia omnia praedia rustica, hactenus subiecta fuisse dignoscantur, ex speciali tamen nostrâ clementiâ, et pro singulari, quo in sancti Benedicti Ordinem ferimur, amore et affectu, accedente venerabilis nostri capituli assensu, ab omni dominio directo, aliisque quibuscumque oneribus, angariis, perangariis, decimationibus, steuris, contributionibus comunalibus, provincialibus vel militaribus, perpetuis futuris temporibus, ac donec et usquequo apud ipsam missionis Benedictinae domum permanebunt, deque huius erunt dominio, et non aliter, etc., libera et immunia penitus declaramus, et ut libera et allodialia haberi volumus et mandamus, eâ verumtamen lege et conditione, ut e contra tam praedia ipsa quam conductores eorum, coloni, inquilini, laboratores, famuli, et quaecumque aliae personae saeculares, nullâ penitus exceptâ, quae in futurum habitabunt vel operabuntur in praediis praememoratis, quoad iurisdictionem omnem tum criminalem cum et civilem, nullâ penitus penitusque demptâ, libere iurisdictioni praefectorum nostrorum, ut in antea, subiaceant, quodque etiam[1] ad famulitium laicum ipsorummet missionariorum, seu domus missionis claustra fuerit inventus, ab intra vero sic, ut, factâ in civilibus vel criminalibus causis poenam sanguinis non inferentibus urbanâ apud superiorem missionis domus requisitione, hic comparitionem personalem coram iudice saeculari, laicis sibi domui missionis vel missionariis famulantibus demandare; si vero aliquis ex istis intra dictae domus claustra moreretur, obsignationem et inventarium curiae saeculari sine contradictione aliquâ, cumulative cum ipso domus superiore, permittere sit obstrictus.

xvi. Quod si finaliter saepe relati venerabiles confoederati abbates, eorum Ordo, missionis domus, vel et missionarii ipsi, huius universitatis nostrae praeside et assistentibus scientibus, et absque morâ non obsistentibus, perpetuis futuris temporibus adversus praedictas leges, conditiones et pacta

1 Potius lege *expressum consensum* (R. T.).

1 Quae seq. dimittimus lectori scio (R. T.).

quidquam, sive per se vel per alios, per recursum, per dispensationem, per privilegia latas vel ferendas in contrarium sanctiones, seu et demum per aliam quamcumque viam quae posset excogitari, de facto vel de iure attentare, salubremve hanc intentionem nostram invertere, modificare, vel aliter huic quoquo demum modo derogare praesumpserint, aut vero in adimplendis ex asse omnibus praescriptis negligentes, incurii, segnesve forent futuri, noverint illi omnipotenti Deo, nobis, successoribus nostris, et venerabili nostro capitulo strictissimam rationem reddituri, seque indignationem nostram, successorum nostrorum et praefati venerabilis nostri capituli incursuros, sine quorum et huius expresso assensu, praemissis legibus, pactis et conditionibus nemo, quacumque etiam auctoritate praefulgeat, unquam poterit derogare, siquidem derogationem aliquam, modificationem, vel commutationem huius piae intentionis nostrae non impetrandi, aut aliter per se vel alios quidquam in contrarium unquam attentandi, quin potius vero praedicta omnia et singula perpetuis futuris temporibus pro posse eorum fideliter et iugiter adimplendi, praeses et assistentes saepedictae universitatis nostrae, proprio et omnium confoederatorum venerabilium abbatum nomine, datis in id et nobis extradictis solemnibus reversalibus, bonâ fide promiserunt.

In quorum omnium fidem et robur, interveniente venerabilis nostri capituli assensu, has fieri, atque mox dicto praesidi et assistentibus extradi iussimus, subscriptione nostrâ et appensione maioris nostri sigilli firmatas. Quae dabantur Salisburgi, metropoli nostrâ, hac die VIII mensis decembris anni MDCCXXXVI.

Consensus capituli Salisburgensis.

Nos quoque Dei gratiâ Andreas Iacobus comes de Dietrichstein, praepositus et archipresbyter, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian, divinâ pariter gratiâ decanus, Franciscus Maximilianus, comes de Liechtenstein, senior, totumque capitulum metropolitanae ecclesiae Salisburgensis fatemur ac attestamur, omnia, quae in praesentibus litteris continentur, nostro consensu erecta, proindeque perpetuis venturis temporibus observanda esse; pro cuius roboratione sigillum nostrum capitulare appendimus, et nos supradicti praepositus, decanus ac senior hasce litteras manibus propriis subscriprimus. Datae Salisburgi die XV martii anno MDCCXXXVII.

Andreas Iacobus comes de Dietrichstein, praepositus. — Ernestus L. B. de Firmian, decanus. — Franciscus comes de Liechtenstein, senior.

*Nos Leopoldus, Dei gratiâ archiepiscopus Salisburgensis, Sanctae Sedis Apostolicae legatus natus, primas Germaniae, etc.*

Fundatio missionis Ordinis Minorum Recollectorum in montanis.

Profitemur pro nobis nostrisque in archiepiscopatu successoribus, et notum facimus universis. Postquam honorabilis ac dilectus nobis pater Benjamin Elbel Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum provinciae Argentinensis provincialis, suo et eiusdem provinciae nomine, necnon totus eiusdem sacri Ordinis conventus huius[1] humiliter supplicando nobis exposuerunt, qualiter dilecta et fidelis nobis Anna Theresia Glickin, nata Laimprucherin, Christophori Michaëlis Glick, Camerae nostrae aulicae quondam secretarii, relicta vidua, missiones apostolicas a nobis ad penitus eliminandam haeresim intra montana deputatas immortalitate donatura, in specie autem ne missio ex nonnullis praefati Ordinis et conventus sacerdotibus iam ad initium anni MDCCXXXII erecta aliquando collaberetur, sed ad futura etiam tempora in perpetuo vigore conservaretur, pro eius fundatione capitale quoddam duodecies mille sexcentos florenos, ad effectum approbationis nostrae, eâ cautelâ, modo ac reservatione deputaverit, ut, si quocumque tempore contingeret patres eiusdem conventus ac provinciae antedictam missionem non amplius habere obeundam, praememoratum capitale a loco detentionis suae relevatum, unâ cum refusione expensarum in erectione domus missionariae factarum, alteri cuidam missioni, hospitio vel fabricae religiosae intra vel extra archidioecesim nostram pro libito et ad pla-

1 Vox *huius* non satis cohaeret (R. T.).

citum provincialis seu superiorum supradictae Argentinensis seu superioris Germaniae provinciae illo tempore praesidentium impendi, aliâ vero ratione nec posset nec deberet applicari: cui intentioni conformiter, pater provincialis et conventus praedicti nobis ulterius humillime supplicarunt quatenus a nobis, seu[1] Ordinario ac principe territoriali, fundatio et dispositio huiusmodi ratificaretur et confirmaretur, ac demum principali sigillo nostro roboraretur: quem in finem praenominatae Glickin sub datâ XIV novembris novissime elapsi anni MDCCXXXV rite confectas ac legitime expeditas fundationis litteras in originali nobis praesentarunt de verbo ad verbum hoc tenore sonantes:

Instrumentum dictae fundationis factae a Theresia Gluck.

« *In nomine SS. Trinitatis, Patris, Filii, et Spiritus Sancti.* Ego infranominata, virtute huius publici instrumenti, profiteor ac contestor, quod, postcaquam attentâ consideratione perpendi multiplices fructus ex missionibus sapientissimâ ordinatione celsissimi ac reverendissimi domini Leopoldi archiepiscopi Salisburgensis, etc., domini ac principis mei clementissimi, intra montana erectis, universae Ecclesiae catholicae accrescentes, eosdem aliquâ ex parte cogitaverim perpetuare. Quem in finem oculos mentis meae conieci in reverendos patres Franciscanos hîc Salisburgi sic dictae Argentinensis seu superioris Alemanniae provinciae, reflectendo quod non solum pro moderno, quo per binos patres indefesso fervore magnoque Romanae religionis incremento missionem in Binzgaviâ notabili iam tempore obierunt, sed insuper ab immemorabili tempore singulis annis per quadragesimam ex causâ incidentis confessionis paschalis similiter per duos patres ordinariae missioni cum laude et fructu inservierint. Ut igitur sacra missio pro nunc durans praefatorum patrum Franciscanorum dicti conventus nullo unquam tempore collabatur, sed in perpetuo flore et vigore etiam futurâ aetate perseveret[2], eamdem pro tenuitate virium mearum, sub[3] spe clementissimae approbationis celsissimi principis ac domini mei clementissimi, etc., sequenti modo fundare constitui:

« Quandoquidem praememorati patres Franciscani vi suae regulae et statutorum omnis proprietatis ac reddituum sunt incapaces, idcirco consigno, dono et relinquo Deo tamquam patri universali, eiusque immaculatae sponsae S. R. E. velut matri fidelium universali, de bonis ac possessionibus mihi caelitus impertitis, duodecies mille et sexcentos florenos, idest 12600 florenos, partim ad manum actu existentes, partim in domo partis transpontinae ad auream crucem dictâ hodiedum in bonis domini Andreae Ottmann civis et mercatoris Salisburgensis existente censui expositos, cum hac tamen conditione ac reservatione expressâ, ut ex ante dicto capitali equidem bis mille floreni illico in fabricam domus et capellae missionariae loco quodam competente commutari valeant; reliqua vero summa omni tempore ad censum quinque pro centum maneat exposita, cuius pensionis censualis dimidium ad tempus meae vitae patribus Franciscanis missionariis pro tempore existentibus in sustentationem, sub ratione purae eleemosynae, modo meliore quo sunt eius capaces, cedat; altera medietas vero mihi etiamnum pro necessitatibus meis serviat: attamen post obitum meum, sive serius, sive citius, iuxta providentiam divinae voluntatis, eventurum, totum capitale unâ cum pleno censu ad conservationem dictae missionis deputatum sit et esse debeat. In omnem eventum autem, quo contra spem meam quocumque tempore futuro mutatio aliqua circa saepe dictam sacram missionem obtingeret, et patres Franciscani praememorati conventus ac provinciae eamdem obire non amplius permitterentur, dispono proprio motu et instinctu (ex causâ spiritualium beneficiorum, quae a saepelaudato Ordine sancti Francisci in singulare animae meae solatium accepi, alioque modo compensare non valui), ut ex tunc totum capitale, ubicumque eo tempore reperietur[1],

1 Videtur legendum *ceu* pro *seu* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *perseverent* (R. T.).
3 Pessime ed. M. legit *sum* pro *sub* (R. T.).

1 Edit. Main. legit. *reperientur* (R. T).

relevatum, unâ cum refusione expensarum pro erectione domus missionariae factarum, alteri cuidam missioni, hospitio vel fabricae religiosae, intra vel extra Salisburgensem provinciam, pro libito et ad placitum patris provincialis seu superioris patrum Franciscanorum supranominatae Argentinensis seu superioris Germaniae provinciae eo tempore existentis, et non aliter, applicari debeat vel possit.

« Ut autem haec mea intentio, fundatio, et unice ad augmentum divini honoris collimans dispositio scopum suum exoptatum ex nunc usque in perpetua saecula inviolabiliter attingat, hinc pro quolibet tempore regnaturum principem territorialem ac dominum clementissimum harum vigore tamquam illius executorem, confirmatorem ac protectorem submississime invoco atque exoro, quatenus haec causa Dei nullo non tempore potentissime suffulta sit et permaneat.

« In cuius seriem et irrevocabilis voluntatis meae testimonium ac firmitatem, has litteras propriâ manu subscripsi, et meo sigillo munivi, et duos testes pro simultaneâ expeditione studiose rogavi. Actum Salisburgi, in aedibus Wengerianis, ex adverso ecclesiae quondam parochialis sitis, in meâ habitatione supra tres scalas, a tempore salutiferae Nativitatis Christi die XVI novembris anno MDCCXXXV. — L. S. ANNA THERESIA GLICKIN nata LAIMPRUCHERIN; T. S. IOSEPH WILHELMUS A KAFLERN S. CELFF, consiliarius aulicus et civitatis syndicus, nomine procuratoris; T. S. MICHAËL WENGER consul, testis rogatus; T. S. IGNATIUS CHRISTOPHORUS MEZGEC senator, testis ».

Consensus capituli monasterii Burani super fundatione missionis in Binzgaia.

Praeterea saepedicti provincialis et conventus nobis humillime exposuerunt, qualiter venerabilis, dilectus et fidelis consiliarius noster ecclesiasticus Marting abbas Michaël Burani, necnon prior et conventus ibidem, consensum ab eis ratione dominii directi debite expetitum sub certis honestisque conditionibus praestiterint, ad intentam domum missionis in quodam fundo per nostrum dilectum et fidelem Antonium Iosephum Placidum Trauner Hundsdorffii praefecturae nostrae Taxenbacensis benevole oblato aedificandam, uti similiter patentales desuper expeditae, et nobis in antigrapho fide digno exhibitae ostendunt tenoris sequentis:

« Nos Martinus, Dei gratiâ abbas venerabilis ecclesiae et monasterii Michaël Burae Ordinis sancti patris Benedicti in archidioecesi Salisburgensi situati, pater Ioannes Baptista Aichhamer p. t. prior, unâ cum toto conventu ibidem, harum virtute, pro nobis, nostris successoribus et ecclesiâ, publice notum facimus universis, quorum interest et quibus scire expedit, qualiter multum reverendum patrem Benjamin p. t. minister provincialis fratrum Minorum Recollectorum superioris Alemanniae supplici libello nobis exposuerit, qua ratione celsissimo ac reverendissimo principi domino domino nostro clementissimo placuerit, ad prosequendam et augendam missionem in Binzgaia ipsis reverendis patribus Franciscanis regularem domum et capellam in eodem districtu, ubi locum necessitatibus suis accomodum invenerint, ibidemque fundum obtinuerint, erigendam concedere. Cum itaque, prout accepimus, competens fundus a nostro nostrique monasterii emphyteuta Antonio Iosepho Placido Trauner affectuose oblatus fuerit, et solus consensus ex parte dominii directi adhuc desideretur: nos, opus laudabilissimum nullatenus retardare, multo minus impedire, sed quantum ex nobis est omni viâ promovere intendentes, huius vigore impertimur consensum nostrum in optimâ formâ qua conformiter statutis nostris provincialibus impertiri potest, absque praesenti impositione cuiusvis canonis vel aliarum emphyteuticarum praestationum, quas, sicut ipsum dominium directum, et cetera iura nobis (casu quo haec sacra missio citius vel serius extingueretur, et forte necessaria amplius non foret, ac per consequens haec domus cum pertinentiis ad alias quam similis sacri Ordinis personas devolveretur, aut quocumque demum modo Traunerianis possessoribus ibidem, sicut aequitati convenit, ante omnes alios redhiberetur) reservata volumus. Quem in finem

hunc dominii directi consensum cum nostris abbatiae et conventus insignibus (attamen sine praeiudicio) expediri, ac propriis manibus subscriptum extradi fecimus. Actum in praememorato monasterio Michaël-Burano, VII mensis decembris, an. MDCCXXXV.

MARTINUS, abbas L. S. — L. S. IOANNES BAPTISTA AICHHAMER, prior, et conventus. — Concordat cum originali. — Ita testor, F. CHERUBINUS MAYR, lector iubilatus ».

Confirmatio fundationis et donationis Glickianae.

Nos itaque attendentes, quod praefata Glickiana fundatio et donatio, maturâ deliberatione et spontaneâ voluntate facta, ad iuge incrementum et exaltationem sanctae catholicae Ecclesiae cedat: nobis autem eo acceptabilior eveniat, quo acerbiori animi sensu statim in primordio regiminis nostri expediri debuimus, non obstante quod venerabiles praedecessores nostri per duo iam iam saecula summo fervore allaborarint, nec curis nec sumptibus pepercerint ad lutheranam aliasque haereses mox ab origine subingestas penitus extirpandas atque eliminandas, imo nonnulli eorum se opere ipso perfecisse indubitanter crediderint, nihilo tamen secius oppositum (quod flentes dicimus) postliminio se prodidisse, dum, re per orbem imperiumque notissimâ, pars maior nostrorum subditorum intra Alpes sub religionis praetextu damnabilissimam contra nos seditionem concitarunt, ac Augustanae confessioni, aliisque sectis et erroribus nomen addicendo, istorum[1] nunquam hactenus permissum exercitium prope modum vi extorquere contenderunt, satis per hoc contestati quam temerario ac subdole iam ipsi eorum proavi atavique perniciosâ illâ etiam posteris tenaci agglutinatâ simulatione antedictis praedecessoribus nostris imposuerint; quod tamen perpetuatis inquisitionibus ne vix quidem evenire potuisset, si praesertim pastoribus et curatis locorum ordinariis, qui ob multiplices functiones ex officio praestandas a domibus suis abesse difficulter possunt, missionarii coadiutores in subsidium adiuncti, et ad implorandam veram, contra extirpandam falsam fidei doctrinam ex proposito fuissent destinati: in cuius eventuali intermissu nostris quoque successoribus, tametsi per nos plus quam duo et viginti sectariorum millia ex nostris ditionibus fuerint expulsa, nil nisi similis rerum alea suo tempore foret expectanda, omni zelo ac severitate ceteroquin frustra fatiscente: propterea, praemissâ sedulâ et maturâ deliberatione, et ex nostri pastoralis officii motu, ne insuper apud istum et omniscium iudicem rei fiamus praesentatae sed neglectae occasionis de ipsius honore et animarum lucro promovendo, supra memorati patris provincialis et conventus humillimas preces et motiva duximus admittenda; proindeque praeallegatam fundationem Glickianam simul ac ex titulo dominii directi impertitum consensum, reservatis utrinque conditionibus, ex certâ scientiâ, auctoritate nostrâ ordinariâ, et ut princeps terrae, non solum ratificavimus et confirmavimus, sed insuper ulterioribus eorum supplicationibus inclinati eâdem auctoritate concessimus, indulsimus, quatenus Hundsdorffii capella in praefecturâ nostrâ Saxenbacensi sita, ac praenominato Trauner iure haereditario propria, SS. Trinitati sacra (cum, ut praefertur, aliunde parum convenienter situata, angusta, vetus et incommoda, easque[1] ipse patronus attestato nobis in scriptis sub XXII decembris MDCCXXXV exhibito consensit) sine obstaculo destruatur, et alia in eius vicem loco vicino erigatur, quae, novae domui missionis ad usum patrum missionariorum annexa, ad retinendam veteris memoriam, honoribus eiusdem SS. Trinitatis ac simul S. Antonii de Paduâ thaumaturgi dedicatur[2]: demum ex variis oblationibus mille quingentorum florenorum circiter pro veteri sacello congesta dos (demptis quingentis florenis quos ecclesiae vicariali ad B. V. in Brugg absque onere attribuimus et incorporamus) ad fabricam novae aedis missionariae (quam iidem patres posthac sartam tectam et in reliquo decenter instructam conservare debeant) applicari et converti possit.

1 Videtur legendum *istarum* (R. T.).

1 Forsan *eisque* (R. T.).
2 Aptius lege *dedicetur* (R. T.).

Quae omnia, quatenus opus est, harum vigore, motu proprio, et cum certâ scientiâ, denuo ratificamus, confirmamus, ac respective indulgemus; mandantes ut iisdem quoad omnia et singula puncta firmiter adhaereatur; simul tamen caventes ut vicissim praememorati patres Ordinis Minorum sancti Francisci Recollectorum dictae Argentinensis seu Alemanniae provinciae subiectas conditiones ex suâ parte punctualiter impleant et observent, scilicet:

Conditiones per missionarios adimplendae.

I. Apostolicum missionis officium intra terminos iamdiu sibi praefixos, videlicet in praefecturis ac satrapiis Zellae Pinzgoviensis, Taxenbaci et Rourii, qua late in temporalibus se extendunt, obire teneantur; ultra illos vero, citra nostrum et nostrorum in archiepiscopatu successorum praescitum et consensum, nullatenus progredi eis liceat.

II. Domum missionis unâ cum sacello vel ecclesiâ (cui de omni necessariâ supellectili, luminibus et vino ad sacrificium providere eisdem incumbit) conformiter fundationi Glickianae in amplitudine moderatâ pro subsistentiâ missionariorum quanto citius et talem in formam extrui procurent, ut illud aedificium pro quatuor patrum missionariorum et unius fratris laici incolatu accomodum, ac praeterea duabus cameris pro provinciali vel hospitibus, necnon refectoriolo, culinâ, cellâ vinariâ et penuariâ, unâ cum bibliothecâ, pomario et lignili, iuxta ideam praesentatam, competenter instructum: amplius nec ipsum nec ecclesia possit dilatari. Siquidem.

III. Numerus patrum missionariorum cum superiore (cuius institutio pater provinciali competat) inclusive quovis tempore indispensabiliter in quatuor personis consistat, ita ut iste numerus, absque nostro vel nostrorum successorum praescitu et licentiâ, insuper expresso consensu nostri venerabilis capituli metropolitici, perpetuis temporibus nullatenus imminui, multo minus augeri valeat. Qui proinde:

IV. Nobis nostrisque in archiepiscopatu successoribus singuli a patre provinciali nominandi ac praesentandi sunt; factâ autem semel approbatione nostrâ, non aliter ab eo poterunt revocari et mutari, quin saltem unus ipsorum, qui munus missionis ad biennium obierit, sitque in eo sufficienter exercitatus et expertus, ac per consequens neoadventantium instructioni et manuductioni aptus, in hospitio missionis quovis tempore persistat et inveniatur. Propterea:

V. Supradicti patres missionarii ab instanti susceptionis et ablegationis suae, necnon durante missionis officio in praeassignatis dynastiis, solummodo nobis et nostris in archiepiscopatu successoribus immediate subiecti existant; sic tamen ut tam eorum personalis quam localis, seu domus ipsiusmet directio, sicut et consueta visitatio, patri provinciali reservata et illaesa permaneat. Quod autem ipsum missionis officium concernit, iidem

VI. Missionarii, proprio, ut decet, animarum zelo afflati, summo ac irremissibili studio connitentur, turmatim, vel, in casu exigentiae, etiam ostiatim circumeundo, commissum sibi munus apostolicum ita peragant[1], ut instructione, hortatu et excitatione continuâ ignorantes quae sunt fidei catholicae edoceantur, ancipites in viam regiam deducantur, infirmi confortentur, fortes autem ad perfectionem christianam magis, magisque accendantur. Insuper singulari studio explorare satagant, qualesnam personae sui districtus de fide suspectae evaserint, et quinam earum receptatores, fautores, quocumque modo auxiliatores existant; ubinam locorum libri haeretici vel ex antiquo reservati vel de novo introducti habeantur; item quis istorum vel alterius eorum notitiam aut partem habeat. Cuiusmodi pestilentes homines, ipsorumque fautores, vel nobis, vel nostrae in causâ religionis erectae secretae deputationi, tempestive denunciandi, et quaecumque ad formandum vel finiendum processum haereticalem necessaria ferventius assumenda et producenda sunt. Insuper verbum Dei et doctrinam catholico-christianam per omnia loca sui districtus (sine impedimento tamen officiorum ecclesiasticorum ordinariorum) populo etiam

1 Aptius forsan legeretur *peragere* (R. T.).

ex cathedrâ articulate et intelligibiliter proponant, confessiones excipiant, sacram Communionem, tamen in solâ ecclesiâ suae missionis, extra illam vero nonnisi de licentiâ pastoris ordinarii, distribuant. Paschali ibidem[1] tempore omnes sui districtus subditos pro confessione ac communione ad ordinarios suos curatos indistincte et sine exceptione remittant. Praeterea infirmos saepius invisant, ac solatio reficiant; moribundis quoque (absque usurpatione tamen iuris parochialis vel sepulturae) christianâ charitate assistant; ac demum in his aliisque articulis apostolicum missionis munus secundum essentiam et proprietatem suam indefesse adimpleant. Praesertim vero vigilanti oculo et accuratâ attentione hinc inde observent actiones subditorum non minus ac eorum quibus illi a nobis sunt concrediti; et siquidem nonnullos defectus vel errores deprehenderint, qui religioni quoquo modo seu mediate seu immediate contrarientur, defectuosos paternâ admonitione retrahant; hac vero non proficiente, nobis vel nostris successoribus absque acceptione personarum ad proprias manus transcribant. Quemadmodum e contra nostrum decanum ruralem ad id instrui curabimus, quatenus similiter invigilet, et iugiter observet, an, ex parte saepedictorum patrum missionariorum, iniunctum missionis officium integre impleatur, et in hoc fundationis instrumento praescriptae conditiones punctatim opere exhibeantur; utque is, contrario praeter spem emergente, quoties necessarium videbitur, patrem superiorem eo tempore existentem desuper commoneat; hocque[2] benignâ monitione nihil proficiente, notatos defectus nobis nostrisque successoribus debite denunciet. Ceteroquin tam ipse decanus aliique nostri illîc locorum expositi curati quam iidem missionarii nullo unquam tempore obliviscentur mutuâ intelligentiâ et bonâ harmoniâ unus alterum iuvare et communi zelo religionis incrementum cum largâ usurâ animarum promovere. Quem in finem:

1 Forsan *itidem* pro *ibidem* legendum (R.T.).
2 Videtur legendum *hacque* (R. T.).

VII. Iterato mentionatus pater provincialis singulari curâ providebit ad grave hoc missionis officium viros exquisitae pietatis, doctrinae et prudentiae seligere, ac nobis praesentare, qui simul cordati, spectabiles, seriosi, religiositate pleni, ac ita bene imbuti, ut, prudentiam serpentinam cum columbinâ simplicitate optime scientes adunare, imposito muneri omnino pares existant: insuper in polemicis versati, eorum ad minus, quae ad inquisitionem haereticae pravitatis exiguntur, satis experti, praesertim etiam a Sede Apostolicâ seu a Congregatione de Propagandâ Fide potestate missionarii apostolici provisi, ac denique patriotici idiomatis beneperiti inveniantur. Porro:

VIII. Ut iidem missionarii subditis nullâ ratione obstricti, nec aliis onerosi, consequenter apud omnes in eo maiori veneratione ac respectu habeantur, eleemosynam pro lectione sacrorum nullam unquam recipient; similiter ab omni collecturâ (quae tamen collectoribus[1] aliàs ibidem consuetis inviolata permaneat) intra praefixos suae missionis fines abstinebunt, illis contenti quae per homines affectionatos irrequisite ex proprio motu et voluntate ad portam afferentur: quod tamen ad eorum locorum curatos non extendendum, casu quo illi missionariis sacra quaedam legenda relinquere, et propterea sanctam eleemosynam porrigere voluerint.

IX. Prohibetur iisdem missionariis, ne citra facultatem a nobis expetitam (quam tamen nisi ex gravi consideratione haud facile denegabimus) extra assignatum districtum quavis ex causâ se conferant vel absentent. E contrario:

X. Liberum sit nobis ac nostris in archiepiscopatu successoribus quavis vice alios cuiuscumque Ordinis missionarios Zellam, Taxenbacum, et in Rauris, et vicissim eosdem patres Minores Ordinis sancti Francisci ad alias praefecturas et satrapias nostrae archidioecesis, verumtamen hoc illudve ad tempus solummodo, non vero in perpetuum,

1 Edit. Main. legit *Cellectoribus* (R. T.).

in causâ missionis destinare. Quemadmodum etiam:

xi. In omnem eventum, quo super vero intellectu unius alteriusve puncti vel ordinationis ex praefatis quocumque tempore futuro dubietas vel error exurgeret, eisdem iudicialem interpretationem dare, nobis nostrisque in archiepiscopatu successoribus omnimode reservatum volumus.

Pro conclusione demum nobis saepedictus pater provincialis unâ cum definitoribus omnia et singula ex praedictis inviolabiliter quovis tempore servare, nomine totius superioris Germaniae provinciae nec non conventus huiatis[1], spopondit et obtestatus est: et quod nec ab ipso, nec aliis superioribus praefatae provinciae, nec ab eorum successoribus, sub quocumque excogitatu, praetextu et formâ, contraveniendum sit, legitime expeditas reversales in proxime futuro capitulo intermedio nobis submisissime extradere promisit.

Cuncta fideliter et absque fuco. In cuius rei testimonium ex huius fundationis, respective confirmationis et indulti causâ praesens libellus confectus, et ab maiorem securitatem a nobis et nostro venerabili capitulo metropolitano propriarum manuum subscriptionibus et appensis sigillis expeditus, sub initium nominato patre provinciali extraditus fuit.

Actum xvii mensis februarii anno post Christi redemptoris nostri salutiferam nativitatem MDCCXXXVI.

LEOPOLDUS.

Accedit capituli Salisburgensis consensus.

Nos Andreas Iacobus, comes de Dietrichstein praepositus, Leopoldus Ernestus L. B. de Firmian decanus, Franciscus Maximilianus comes de Liechtenstein senior, et universum capitulum metropoliticum ecclesiae Salisburgensis profitemur pro nobis ac nostris successoribus, quod omnia, quae in his litteris fundationis continentur, cum nostrâ scientiâ et consensu facta sint, sicque in perpetua saecula observabuntur.

In cuius confirmationem has litteras fundationis modo consueto subscripsimus, et sigillum nostrum maius fecimus appendi.

1 Sic habet edit. Main., forsan *Burani* (R.T.).

Actum Salisburgi, I mensis martii anno MDCCXXXVI. ANDREAS IACOBUS de Dietrichstein praepositus.

LEOPOLDUS ERNESTUS L. B. de Firmian, decanus.

FRANCISCUS MAXIMILIANUS comes de Liechtenstein, senior.

Praedicta omnia a superioribus Ordinum acceptata Papae praesentantur pro obtinenda confirmatione.

§ 3. Praeinserta autem capitula, regulas et leges, postquam praefatus Leopoldus archiepiscopus condidisset, et ad dilectos filios modernos memoratorum Ordinum et institutorum respective superiores, ut admitterent, exciperent et accepta haberent, proposuisset, iidem moderni superiores, eâ qua par erat animorum consensione et obedientiâ, iam accepta et rata habuerunt, ad nos etiam transmisit, suppliciter rogans ut approbare et confirmare dignaremur. Nos vero illa, ut, quoad omnes partes prius accuratissime examinarentur, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum remisimus.

Sacra Congregatio approbanda censet.

§ 23. Porro Congregatio praedicta, tam institutione missionum praedictarum, quam capitulis, regulis et legibus huiusmodi maturo examine perpensis, ad nos retulit, aequum esse, ut, piis eiusdem Leopoldi archiepiscopi votis et precibus obsecundantes, praefata omnia tanquam proficua et salutaria approbaremus, et apostolicae auctoritatis nostrae munimine roboraremus.

Papa confirmat.

§ 4. Nos itaque, eumdem Leopoldum archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationi-

bus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eiusdem Congregationis cardinalium consilio, non solum institutionem missionum ab ipso Leopoldo archiepiscopo susceptam statutamque, verò etiam praeinserta capitula, regulas et leges, ac signanter omnes et singulas assignationes ab eodem Leopoldo archiepiscopo pro missionum huiusmodi manutentione factas, ut praefertur, et ab archiepiscopis Salisburgensibus successoribus suis perpetuis futuris temporibus omnino servandas, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti ac solemnitatum quarumcumque defectus, si qui desuper in illis quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus et sanamus.

Missionariis sic designatis et designandis aliorum missionariorum praerogativas et privilegia elargitur.

§ 5. Insuper missionarios, tam ab ipso Leopoldo archiepiscopo iam designatos et nominatos, quam sive ab ipso etiam sive a[1] suis successoribus in posterum iuxta capitula, regulas et leges praeinsertas designandos et nominandos, semper apostolicos missionarios dici, vocari et esse, eâdem auctoritate decernimus et declaramus; eisdemque missionariis, ut omnibus et singulis privilegiis, honoribus, praerogativis et exemptionibus, quibus huiusmodi apostolici missionarii, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet, utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et poterunt in futurum, pari modo uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, auctoritate praedictâ concedimus et indulgemus.

Eos directioni et superioritati archiepiscoporum subdit.

§ 6. Volumus quoque ut missionarii sic ut praemittitur instituti, ac deinceps in praedictâ dioecesi instituendi, tam eidem Leopoldo moderno quam pro tempore existentibus archiepiscopis Salisburgensibus[1] regimini et directioni, in iis quae ad exercitium missionis pertinent, subiacere, eisque omnino parere debeant, ac necessarias facultates ad missiones praedictas exercendas ab eisdem archiepiscopis, iuxta eis tributam et deinceps singulis quinquenniis per organum memoratae Congregationis cardinalium renovandam[2] mediante formulâ tertiâ praefatarum facultatum auctoritatem, in totum vel in partem, sicut eisdem archiepiscopis magis in Domino expedire videbitur, recipiant: servatâ semper eorumdem archiepiscoporum, tam circa facultates, quam circa loca et tempus easdem exercendi, moderatione: nullo vero modo extra fines suae respective missionis iis uti queant, ad quam donec et quousque pervenerint nullâ prorsus exemptione et privilegio gaudere possint.

Archiepiscopis onus iniungit certiorem reddendi dictam sacram Congregationem de progressu missionum.

§ 7. Hortamur demum paterne simul et efficaciter eosdem archiepiscopos, ne graventur quolibet quinquennio, nempe cum renovari sibi praedictae formulae tertiae facultates[3] postulabunt, nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem per organum eiusdem Congregationis de fructu et progressu dictarum missionum certiorare. Salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 8. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere,

1 Praeposit. *a* nos addimus (R. T.).

1 Potius legeretur *tam eiusdem Leopoldi moderni quam pro tempore existentium archiepiscoporum Salisburgiensium* (R. T.).

2 Male edit. Main. legit *removendam* pro *renovandam* (R. T.).

3 Pessime ed. Main. legit *facultatum* (R.T.).

ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon civitatis et dioecesis Salisburgensis, ac quorumcumque Ordinum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII ianuarii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 ianuarii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCXLVIII.

*Facultas moderno et pro tempore existenti collegii italo graeci* Corsini *nuncupati rectori, ut illius alumnos et convictores ad lauream doctoralem in philosophiae et sacrae theologiae studiis promoveat.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Praeclara Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de Graecâ Ecclesiâ cum summâ apostolicae charitatis laude insignitâ meritorum[1] (qui ad nationem Graecorum, tot sanctis Patribus pietate ac doctrinâ illustribus inclitam, semper et ubique in pristinâ catholicae fidei unitate sanaeque doctrinae confessione retinendam confirmandamque eximiis beneficiis cumulare, patrocinio fovere, opibus iuvare, et omnibus pontificiae benignitatis liberalitatisque officiis allicere, et quodammodo obligare adlaborarunt) studia recolentes, nos operam quoque nostram sollicitudinemque, quantum cum Domino possumus, ad eiusdem Graecae nationis commodum, utilitatem ac decus et ornamentum desiderari haud passi sumus, nec imposterum patiemur.

Clemens collegium pro Italo-Graecis construit, illudque Corsinum vocat.

§ 1. Primum quidem pro dilectis filiis italo-graecis dictis, qui ex patriis regionibus propter catholicae fidei causam iamdudum profugi in Italiam advenientes in aliquot Neapolitani regni provinciis et dioecesibus domicilia fixerunt, ibique commorantes patrios sacros ritus, caeremonias, ceteraque, non solum perpetuâ venerandae antiquitatis traditione integerrime custodita, verum etiam iteratis Apostolicae huius Sanctae Sedis oraculis approbata et confirmata, sanctissime servare dignoscuntur, in Calabriae meditullio, ubi maxima illorum multitudo ac numerus reperitur, seminarium seu collegium de gentilitio nostro nomine *Corsinum* dictum excitandum instruendumque curavimus;

1 An aliquid emendandum, iudicet lector scius, forsan *meritis* (R. T.).

*Eique dat in antistitem simul et directorem archiepiscopum Beroensem.*

§ 2. Deinde vero, praeter rectorem aliosque magistros et ministros, qui sedulam alumnorum convictorumque in praedicto seminario seu collegio pro tempore existentium curam gerunt, venerabilem etiam fratrem Samuelem Beroensem archiepiscopum, qui, huiusce rei instituendae conficiendaeque ab initio nobis auctor, ex antedictâ natione italo-graecâ oriundus, perfectam omnium eiusdem gentis rerum notitiam doctus, ipsos instrueret, sacris initiaret, ceteraque ad divinum cultum adaugendum, catholicae fidei stabilimentum et animarum salutem procurandam opportuna et necessaria obiret, eidem seminario et collegio antistitem et supremum moderatorem praefecimus, constituimus et deputavimus: et aliàs prout in nostris sub plumbo desuper expeditis litteris uberius continetur.

*Clementi supplicatum ut rectori facultatem concederet alumnis et convictoribus dandi lauream doctoralem.*

§ 3. Cum autem, sicut pro parte moderni rectoris collegii praedicti nobis nuper expositum fuit, alumni convictoresque, qui, in eodem seminario seu collegio commorantes, philosophiae ac theologiae operam navant, inde, exacto philosophiae ac theologiae ut praefertur curriculo, exeuntes, lauream earumdem scientiarum, quas inibi ediscunt, in aliis publicis universitatibus, laureandi facultatem auctoritatemque habentibus, in quibus alumni convictoresque praedicti nomine[1] scientias huiusmodi percipere possunt, nullo pacto consequi valeant: nobis propterea eorumdem nomine supplicatum est, ut alumnis convictoribusque, tam de praesenti quam in futurum in eodem collegio existentibus, eamdem apostolicae benignitatis gratiam, quam alumnis convictoribusque aliorum pontificiorum collegiorum, ac praesertim huius almae Urbis nostrae, Romani Pontifices praedecessores nostri concesserunt, de apostolicae potestatis plenitudine elargiri dignaremur.

*Benigne annuit Pontifex.*

§ 4. Nos igitur, volentes ipsis alumnis seu convictoribus quibuscumque, et cuiusvis nationis et ritus existentibus, gratiam facere specialem, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderno et pro tempore existentibus dicti seminarii italo-graeci Corsini rectoribus, ut ipsi de cetero, de consensu et auctoritate praefati et pro tempore existentis antistitis huiusmodi ut praemittitur moderatoris et praesidentis, alumnos seu convictores, qui philosophiae et sacrae theologiae cursum in eodem seminario integrum per sex saltem annos compleverint, atque in ultimo biennio etiam lectioni Sacrae Scripturae per horam quotidie vacaverint, necnon omnibus qualitatibus ad id requisitis praediti fuerint, ad doctoralem tam in philosophiae quam sacrae theologiae studiis lauream auctoritate nostrâ apostolicâ promovendi, illisque solita laureae huiusmodi insignia conferendi;

*Privilegia sic laureatis concedit.*

§ 5. Utque sic promoti et declarati, omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, praeeminentiis, gratiis et indultis, quibus alii, qui lauream huiusmodi in quacumque publicâ studii generalis universitate susceperint, tam de iure, usu et consuetudine, quam aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur et gaudent, ac uti, frui et gaudere possunt et po-

1 Videtur legend. *minime* pro *nomine* (R.T.).

terunt in futurum, pari modo et absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui et gaudere libere et licite possint et valeant, in omnibus et per omnia ad ecclesiasticas quoque quascumque etiam maiores in cathedralibus ac metropolitanis ecclesiis etiam praesulatus dignitates, perinde ac si lauream huiusmodi in aliquâ approbatâ studii generalis publicâ universitate susceperint, dictâ auctoritate concedendi et indulgendi, plenam et amplam facultatem, eâdem auctoritate, tenore praesentium, tribuimus et impertimur.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 3. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV februarii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 14 februarii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCXLIX.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium super deputatione definitorum quocumque modo deficientium post celebratum capitulum provinciale Ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae.*



**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Supplex libellus Congregationi episcoporum et regularium porrectus.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum modernorum vicarii generalis et definitorii generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, quod, cum, non sine speciali providentiâ, pro bono regimine disciplinae regularis consultum sit in familiis religiosis, ut in singulis earum provinciis, ultra priorem provincialem de triennio in triennium eligendum, eligantur quatuor definitores, quorum praesentia in omnibus negotiis emergentibus praecise concurrat; cumque necessitas huius assistentiae exigat ut definitoria semper sint completa; et hac in parte satis specifice consultum non videatur in constitutionibus Congregationis et Ordinis praedictorum, ut scilicet in casibus, in quibus contingat aliquem seu plures ex definitoribus ob mortem naturalem et civilem aliudve impedimentum perpetuum deficere, eoque casu, definitorium suppleatur per definitores capituli immediate praecedentis; urgentia siquidem negotiorum passim emergentium de cetero non permittat ut illorum accessus expectetur, quatenus illi, post absolutum officium, ut plerumque evenit, ad alias partes transierint; ac proinde desiderabant ut ab eâdem Congregatione cardinalium declararetur, ut, in quocumque casu deficientiae alicuius sive plurium ex definitoribus electis in capitulis provincialibus Congregationis et Ordinis praedictorum, subrogati immediate et semper intelligantur, et supplere debeant eorum voces[1] et vota,

[1] Videtur legendum *vices* (R. T.).

usquequo novum capitulum provinciale celebratum fuerit, ii qui pro patribus additis definitorio provinciali (sicuti definitorio generali) pronunciari consueverunt, itaut per reliquum deinde ac totum provincialatus triennium, quaecumque detur, et quovis ex casu, definitorium deficientia, semper definitorium illud plenum remaneat, et negotia occurrentia statim et absque ullâ cunctatione, absque alio recursu, ut praefertur, non ita facile[1], iuxta eorum exigentiam expedire valeant: et in eâdem expositione subiuncto, ut, ad uberiorem cautelam, in casu deficientiae huiusmodi definitorum provincialium, si neminem ex dictis additis contemporanee superesse contingeret, quibus, sicut praemittitur, indultum fuisset eorum vices supplere, usque ad novi capituli provincialis celebrationem, facultatem vicario generali pro tempore existenti, ut, unâ cum priore provinciali et reliquis de eius definitorio qui supersint, definitores, quotquot defuissent, cum eisdem praeeminentiis, usque ad novum capitulum provinciale eligere possit, impertiri dignaretur:

Dictae Congregationis decretum.

§ 2. Emanavit ab eâdem Congregatione cardinalium decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, attentis relationibus eminentissimi Firrao praefati Ordinis apud Sanctam Sedem protectoris, ac patris prioris generalis, censuit, si Sanctitatis suae placuerit, posse per suas litteras apostolicas in formâ Brevis oratorum precibus indulgeri, ut in quocumque casu, quo unus sive plures ex definitoribus electis in capitulis provincialibus deficiant, subrogati semper et quandocumque intelligantur, et supplere debeant eorum voces et vices cum iisdem praeeminentiis usque ad novum capitulum provinciale, alii duo sive plures religiosi qui pro patribus additis definitorio provinciali, quoties celebratur capitulum provinciale, pronunciari consueverunt, sicuti practicatur quoad definitorium generale, itaut per reliquum provincialatus triennium, quicumque detur casus deficientiae, definitorii plenitudo semper conservetur pro expeditione omnium negotiorum occurrentium. In eventum vero, quo deficiant unus sive plures ex definitoribus provincialibus, nullus etiam ex dictis additis superesset, ut praefertur, subrogandum, concedatur eidem vicario generali facultas, ut, unâ cum provinciali pro tempore et reliquis qui supersint de eius definitorio, possit eligere definitores quotquot deficiant usque ad novum capitulum provinciale. Romae XXIII ianuarii MDCCXXXIX. — A. card. FIRRAO. — C. arch. DAMIATI, secr. — F. MICHAELE priore generali. — *Loco † sigilli.*

Ad instantiam diffinitorii generalis

§ 3. Cum autem, sicut[1] dicti exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Confirmatione apostolicâ roboratur.

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apo-

1 Potius lege *facili* (R. T.).

1 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).

stolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Clausulae pro perpetua observantiâ.

§ 5. Decernentes, easdem praeinsertas litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Ordinis et Congregationis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 2 martii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCL.

*Confirmatio decreti Congregationis episcoporum et regularium, quo declaratur electionem regentis provincialis Ordinis eremitarum sancti Augustini Congregationis Hispaniae, in casibus mortis civilis seu naturalis alicuius ex prioribus provincialibus, esse faciendam a vicario generali unâ cum definitoribus provincialibus ad formam declarationis cardinalis Sauli anno MDCXXIII factae.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Supplicatio sacrae Congregationi facta.

§ 1. Nuper, pro parte dilectorum filiorum modernorum vicarii generalis et definitorii generalis Ordinis fratrum sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, Congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositae exposito, in alterâ scilicet ex constitutionibus Ordinis et Congregationis praedictorum auctoritate apostolicâ confirmatis praescriptum reperiri, quod in casibus, quibus contigerit aliquem ex prioribus provincialibus per mortem naturalem seu civilem deficere, in eius locum exprovincialis immediate absolutus subintret ad regimen provinciae vacantis, adiectâ tamen clausulâ: *nisi pater vicarius generalis aliter disposuerit;* clausula autem huiusmodi in diversis capitulis generalibus eorumdem Ordinis et Congregationis[1], ea omnium intelligentia et resolutio fuisset quod electio regentis provincialis in eiusmodi casibus privative ad vicarium generalem et definitores generales pro tempore existentes, voce et voto concurrentibus[2], spectare deberet, prout ex actis impressis dictorum capitulorum constare asserebatur; et hucusque observatum esse: in capitulo vero anno MDCCXXX celebrato, habitâ consideratione ad quamdam declarationem

1 Videtur legendum *clausulâ ..... propositâ* (R. T.).

2 Aptius legeretur *concurrentes* (R. T.).

anno MDCXXIII editam per clarae memoriae S. R. E. cardinalem Saulium nuncupatum, tunc sacri venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium collegii decanum, factam, qua statutum fuerat, quod electio omnium officiorum generalium ad capitulum provinciale spectaret et pertineret, novum dubium inter vocales supradicti capituli exoriri coeperat, an electio regentis provincialis, iuxta intelligentiam usque tunc retentam, ad vicarium generalem pro tempore existentem unâ cum definitoribus generalibus, seu potius in vim declarationis unâ cum definitoribus provinciae, ubi vacatio contigeret, spectare deberet: cum autem huiusmodi dubium nunquam resolutum fuisset, ipsi exponentes ad auferendas in posterum ulteriores quaestiones et scissuras, quae ex diversis intelligentiis exoriri possent in subiectâ materiâ disciplinae regularis bono regimini de cetero parum proficuas, et nihil congruentius et solidius in huiusmodi contingentiis agnoscentes, quam huius Sanctae Sedis oraculum postulare, plurimum cupiebant per Congregationem eorumdem cardinalium declarari dubium in eâdem Congregatione propositum, nempe, an in casibus, ut praefertur, quibus aliquem ex prioribus provincialibus, sive Congregationis, per mortem civilem seu naturalem deficere contigisset, electio regentis provincialis, qui in illius locum subintrare deberet, facienda sit a vicario generali pro tempore existente unâ cum suo definitorio generali, seu potius cum definitoribus provinciae ubi vacatio contigisset, ut imposterum absque ulteriori haesitatione in huiusmodi casibus ita firmiter et inviolabiliter sit procedendum:

Congregationis decretum.

§ 2. Ad eorumdem exponentium supplicationem ab eâdem Congregatione cardinalium emanavit decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Sacra Congregatio eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus noster supplicem libellum remisit, attentis relationibus eminentissimi Firrao apud Sanctam Sedem protectoris ac patris procuratoris generalis, decrevit ac declaravit: electionem regentis provincialis esse in his casibus faciendam a vicario generali unâ cum definitoribus provincialibus ad formam declarationis praefati cardinalis Sauli. Romae, XXIII ianuarii MDCCXXXIX. — I. card. FIRRAO — C. archiep. DAMIATAE — *Loco † sigilli.*

§ 3. Cum dicti autem, sicut[1] exponentes nobis subinde exponi fecerunt, ipsi decretum huiusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent:

Apostolica confirmatio.

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabiliter apostolicae firmitatis robur adiicimus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium.

Decretum pro perpetuâ observatione.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces exi-

1 Vocem *sicut* nos addimus (R. T.).

stere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et Congregationis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die II martii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 2 martii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLI.

*Confirmatio decreti sacrae Congregationis Rituum super electione B. M. V. Immaculatae in patronam principalem regni Siciliae ultra Pharum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Communitates Siciliae S. Franciscum de Paulâ eligunt in patronum.

§ 1. Nuper, sicut accepimus, dilecti filii communitates, universitates et homines regni Siciliae ultra Pharum, pro eâ, quam iidem erga S. Franciscum de Paulâ profitentur, veneratione, in generalibus comitiis per regni praefati, ut vocant, deputatos, eodem S. Francisco in patronum principalem dicti regni electo, etiam a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum electionis huiusmodi approbationem, additâ insuper quoad suffragiorum secretorum defectum sanatione, obtinuerunt.

Civitas Panormitana iamdiu B. M. V. Immaculatam habuit patronam.

§ 2. Quoniam autem dubium circa executionem decreti approbationis a Congregatione praefatâ editi a dilectis quoque filiis communitate, universitate et hominibus civitatis Panormitanae, B.M.V. Immaculatam iamdiu principalem regni praefati patronam haberi asserentibus, excitatum fuit; a Congregatione praedictâ supplici libello porrecto pro novâ audientiâ rescriptum fuit.

Decernit Pontifex B. M. V. Immaculatam fore patronam principalem.

§ 3. Nos itaque, qui pro supremo apostolici muneris officio sacrosanctam catholicam religionem sacrumque cultum promovere, ut par est, atque in dies, benedicente Domino, augere satagimus, praeviâ avocatione causae ab eâdem Congregatione, ne pia christifidelium aemulatio, examine causae huiusmodi diutius protracto, divinorum officiorum ordinem fortasse interturbaret, ac re mature discussâ, piis etiam deputatorum praefatorum precibus per epistolam ad nos nuperrime datam humiliter porrectis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibus excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de nonnullo-

rum venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. cardinalium Congregationis praefatae specialiter deputatorum consilio, B. M. V. Immaculatam in principalem regni praefati patronam, ut maiora eidem semper a christifidelibus impendantur obsequia, et religiosa populorum pietas praesentissimo eiusdem fruatur patrocinio, quatenus opus sit, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, denuo confirmamus; necnon clero saeculari totius praefati regni, ut quotannis festum S. Francisci de Paulâ tamquam patroni principalis eiusdem regni ex praecepto Ecclesiae recolant, atque illius officium ac missam cum octavâ recitent et celebrent, auctoritate et tenore praefatis iniungimus.

Derogatio contrariorum.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et, quatenus opus sit, dicti regni, et aliis quibuslibet, consuetudinibus, privilegiis, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis aut innovatis; quibus omnibus et singulis, pro hac tantum vice, et ad hunc dumtaxat effectum, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 18 martii 1739, pontif. anno IX.

Pro domino card. PASSIONEO,
CAIETANUS AMATUS.

---

## CCXLII.

*Confirmatio capituli generalis Ordinis Cisterciensis anno* MDCCXXXIX *celebrato.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Habita tandem Ordinis Cisterciensis generalia comitia.

§ 1. Praeclara Cisterciensis Ordinis ab ipso instituti sui exordio pro catholicâ religione semper sibi ac potissimum sanctis Stephano et Bernardo in terris agentibus parta merita singulari apostolicae charitatis et pontificiae benignitatis studio nos complectentes, ingenti cum paterni animi nostri voluptate exceperamus, dilectos filios eiusdem Ordinis superiores et abbates aliosque anno proxime elapso, omnibus, quae hactenus obstiterunt quominus generalia Ordinis praedicti comitia Cistercii Cabillonensis dioecesis haberentur, per summam omnipotentis Dei clementiam compositis, illic a die V mensis maii usque ad diem XX eiusdem mensis anni praefati congregatos, eadem generalia comitia celebrasse. Sed maiori laetitiâ affecti sumus, cum acta ipsorum generalia comitiorum, varia decreta, ordinationes, deliberationes, constitutiones et mandata pro bono eiusdem Ordinis et monasticae disciplinae regimine condita et statuta insimul complectentia, ad nos, ut illis apostolicae confirmationis robur adiiceremus, transmissa, et a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ, ad quam examinanda remiseramus, expensa et approbata, apostolico munimine corroborari posse audivimus.

Petitur actorum confirmatio.

§ 2. Quamobrem, dilecto filio Philiberto Quarrè, abbate Uterinae Vallis et praefati Ordinis procuratore generali, nobis humiliter supplicante, ut illa, ut praemittitur, opportunâ confirmatione munire de benignitate apostolicâ dignaremur:

Ea confirmat Pontifex.

§ 3. Nos igitur, dictum Philibertum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occa-

sione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de praefatorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium, qui votum dilecti filii nostri S. R. E. praedictae cardinalis de Viâ nuncupati, ad eiusmodi negocium examinandum deputati, attenderunt, consilio, praefata decreta, ordinationes, deliberationes, constitutiones et mandata, cum omnibus inde secutis et sequendis, dummodo tamen sint licita et honesta, sacrisque canonibus et Concilii Tridentini decretis ac constitutionibus apostolicis non adversentur, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Itaque, in iisque statuta perpetuo praecipit observari.

§ 3. Decernentes, decreta, ordinationes, deliberationes, constitutiones et mandata, ac praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtineri, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis, per quoscumque iudice ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXI martii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 21 martii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLIII.

*Decretum de ordine servando in recursibus faciendis a fratribus Ordinis sancti Francisci Minorum Conventualium.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Exordium.

Ex iniuncto nobis apostolicae servitutis munere ad ea peculiares sollicitudinis nostrae curas libenter intendimus, quae felici christifidelium divini numinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatorum regimini atque tranquillitati conducibilia fore in Domino arbitramur.

Abusus exponitur.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecerunt dilecti filii Felix Angelus Sidori, vicarius apostolicus, et Ioannes Baptista Minucci, procurator generalis Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum, quod, licet per constitutiones Urbanas dicti Ordinis, cap. X, tit. II, num. VII, praescriptum reperiatur, nempe: « sacrosancti propterea Concilii Tridentini vestigiis inhaerendo decernimus et mandamus, ut (nisi ex aliquâ ratione a iure permissâ causa aliàs devolvatur) causae omnes, quae guardiano competunt, in primâ instantiâ ab eo, in secundâ instantiâ a ministris provincialibus vel eorumdem commissariis, in tertiâ demum a generali ministro vel eius commissariis cognoscantur », necnon generali decreto dudum a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositâ iussu felicis recordationis Sixti PP. V praedecessoris nostri edito caveatur expresse, quod

regulares cuiusvis Ordinis, in casibus in quibus appellare de iure licet, id facere debeant gradatim ad sui Ordinis superiores, a priore nimirum ad provincialem, et a provinciali ad generalem, antequam Sedem Apostolicam adire possint: nihilominus ipsi exponentes, non sine eorum animi moerore, adverterunt, plures religiosos eiusdem Ordinis, supradicti Ordinis constitutionum ac decreti huiusmodi immemores, illave exoleta et antiquata esse credentes, tum a praefatâ correctione regulari superiorum provocare, tum, ubi appellatio permittitur, nusquam observatâ formâ sic praescriptâ, ad superiores mediatos sive praelatos maiores Ordinis praefati, ac etiam hanc Sanctam Sedem appellare et recurrere, unde regularis disciplinae detrimentum, immediatorum superiorum eorumque iurisdictionis contemptus, ac non raro impunitas delinquentium, aliaque multiplicia incommoda consequuntur. Quamobrem ipsi exponentes, ut debita subditorum erga praelatos obedientia, exactaque regularis observantia in dicto Ordine conserventur, et, sicubi exciderint, restituantur, opportunum gliscenti malo et abusui eiusmodi remedium adhiberi et aliàs in praemissis salubriter a nobis provideri summopere desiderant.

Constitutiones Ordinis super hoc servari praecipit Clemens.

§ 2. Nos, ipsorum exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus et singulis dicti Ordinis fratribus et personis, cuiusvis dignitatis, gradus et conditionis existant, appellationem a correctione regulari suorum superiorum ad formam enarratarum constitutionum, ac sub poenis in eis contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, interdicimus; in casibus vero, in quibus iisdem fratribus de iure vel iuxta constitutiones praedictas appellare aut recurrere licet, id non aliter deinceps fieri posse statuimus, quam gradatim, a gravamine scilicet prioris ad provincialem, et a provinciali ad generalem, itaut causae appellationis seu recursus huiusmodi, antequam ab eodem ministro generali cognitae et definitae fuerint, extra dictum Ordinem deferri et agitari nequeant.

Secus eorum recursus a iudicibus extra Ordinem admitti vetat.

§ 3. Ac propterea omnibus Romanae Curiae tribunalibus ac iudicibus, et quibusvis etiam venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praedictae cardinalium Congregationibus, necnon Sedis Apostolicae nunciis nunc et pro tempore existentibus, ne fratrum dicti Ordinis appellationem seu recursum admittant, causasque praedictas cognoscant, nisi prius eis legitime constiterit, illas per dictos superiores, memorato ordine servato, cognitas et definitas fuisse, sub poenâ nullitatis actorum ac inde secutorum, et, quoad religiosos appellantes vel recurrentes qui praemissis contravenerint, sub gravibus nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis arbitrio infligendis poenis, eâdem auctoritate harum serie prohibemus.

Sicque semper et ubique iubet servari.

§ 4. Decernentes, ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter

observari, ac eis respective plenissime suffragari, sicque et non aliter in praemissis, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac praefati Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IV aprilis MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 4 aprilis 1739, pontif. anno IX.

D. card. PASSINEUS.

---

## CCLIV.

*Confirmatio et innovatio litterarum Pauli V, Urbani VIII, ac etiam S. S. contra transeuntes de Ordine B. Mariae de Monte Carmelo Congregationis Hispaniae ad alium Ordinem.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Paulus V fratribus Ordinis huius transitum ad alios Ordines vetavit.

§ 1. Dudum felicis recordationis Paulus V praedecessor noster, per quasdam suas, quarum initium *Decet Romanum Pontificem, etc.*, in simili formâ Brevis die III aprilis MDCX expeditas litteras, non solum omnia et singula facultates, gratias et privilegia fratribus Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatis nuncupatis Congregationis Hispaniae a Romanis Pontificibus praedecessoribus suis usque tunc concessa[1] confirmavit, verum etiam, ut eisdem fratribus Discalceatis omnis a sui instituti praescripto discedendi et vagandi via praecluderetur, statuit et ordinavit, ac in virtute sanctae obedientiae districte praecepit, ut nullus ex ipsis de unâ in alteram Congregationem huiusmodi transire, recipi et admitti valeret, et si secus scienter vel ignoranter fieri contigisset, transitus, receptio ac admissio huiusmodi nullius roboris vel momenti censeretur, necnon ipse sic transiens seu receptus ad propriam Congregationem restitueretur: ac insuper, ut nullus eorumdem fratrum Discalceatorum, post emissam ab eo in praedicto Ordine professionem regularem per eos emitti consuetam, absque speciali pro tempore existentis Romani Pontificis licentiâ, de praedictis litteris earumque datâ expressam, individuam, ac de verbo ad verbum mentionem faciente, ac ex legitimâ et urgenti causâ prius a Congregatione tunc existentium S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum diligenter examinatâ et approbatâ, ad[2] alium quem-

1 Male edit. Main. legit *concessis* (R. T.).
2 Pessime edit. Main. legit *et* pro *ad* (R. T.).

cumque Ordinem Mendicantium et non Mendicantium, monachalium seu discalceatorum, aut quamcumque religionum erectarum seu erigendarum, etiam emissionis quarti voti seu perfectioris et humilioris vitae praesumptione, aut strictioris regulae seu observantiae praetextu vel contemplatione, aut aliâ quantumvis iustâ et probabili aut legitimâ causâ, sub apostasiae et infamiae perpetuae notâ ac excommunicationis latae sententiae poenâ ipso facto per contrafacientes incurrendâ, se transferre auderet seu praesumeret (excepto dumtaxat Ordine fratrum Carthusianorum, quatenus ad illum transeundi licentiam a suis superioribus petiissent et obtinuissent); et quicumque secus fecisset, cum primum desuper monitus fuisset, nullâ morâ, aut excusatione, seu forensi contentione vel appellatione interpositis, ad propriam suam Congregationem redire, ac superiorum suorum correctioni[1] se submittere teneretur; nec praelati dictarum Congregationum et aliorum Ordinum et religionum huiusmodi ipsos sic translatos, seu fugitivos et apostatas retinere, sed eos, etiam postquam novam professionem regularem emisissent, sub privationis suorum officiorum et munerum ac similis excommunicationis poenis, suis superioribus, vel ab eis deputatis, id requirentibus et petentibus, statim absque iudicis ministerio tradere et consignare deberent.

Urbanus VIII sub gravissimis poenis eisdem prohibuit accessum ad Romanam Curiam absque superiorum generalium licentiâ.

§ 2. Ac postmodum recolendae memoriae Urbanus Papa, VIII itidem praedecessor noster, per alias suas etiam in pari formâ Brevis die IV septembris MDCXXV expeditas litteras, supplicationibus tunc existentis prioris generalis eiusdem Ordinis nomine totius Ordinis et Congregationis huiusmodi humiliter porrectis inclinatus, interdixit et prohibuit, ne de cetero ullus eorumdem Ordinis et Congregationis professor quavis ex causâ etiam quantumvis rationabili, privilegiatâ et iustâ, sive sub quocumque praetextu, ad Romanam Curiam, absque expressâ suâ et huius Sanctae Sedis, seu dilecti filii praepositi aut vicarii generalis Ordinis et Congregationis huiusmodi pro tempore existentis licentiâ, sub poenâ carceris arbitrio eiusdem praepositi duraturâ, ac privationis vocis activae et passivae per biennium ac[1] omnium officiorum per eos obtentorum, necnon inhabilitatis ad illa seu alia in futurum obtinenda per contrafacientes eo ipso incurrendis poenis, venire seu accedere auderet seu praesumeret; mandavitque in virtute sanctae obedientiae praeposito seu vicario generali praedicto, aut procuratori generali Congregationis et Ordinis praedictorum, ut ipsi dictam prohibitionem in omnibus eorumdem Ordinis et Congregationis provinciis et singulis illarum domibus et aliis locis regularibus publicarent et publicari facerent.

Exposuerunt Clementi superiores generales frequenter se molestari a religiosis petentibus licentiam Romam accedendi pro transitu obtinendo.

§ 3. Aliàs nobis pro parte tunc existentium praepositi generalis aliorumque superiorum Ordinis et Congregationis huiusmodi exposito, quod cum ipsi se obstrictos viderent ad licentiam pro adeundâ praedictâ Romanâ Curiâ ob importunas instantias concedendam pluribus Ordinis et Congregationis huiusmodi regularibus discolis, quorum plurimi, nullâ petitâ licentiâ, Romam adveniebant sub colorato praetextu expostulandi a Sede praedictâ indultum pro transitu ad alium Ordinem regularem, cum aliàs experientia comprobavisset tales regulares nihil aliud ex huiusmodi itinere intendere nec reportare, quam libertatem divagationemque extra claustra, cum magno propriarum anima-

1 Edit. Main. legit *correctione* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *ab* pro *ac* (R. T.).

rum detrimento, religionis dedecore, saeculariumque scandalo, cupiebant propterea tot malis occurrere, et spirituali suorum subditorum saluti providere, et unumquemque ipsorum in manu consilii sui atque in totâ suâ libertate, quoad transitum ad alios Ordines, relinquere:

Confirmans itaque Urbani VIII litteras, statuit huiusmodi recursum faciendum esse per procuratorem generalem, non tamen condedendam licentiam huiusmodi accessus.

§ 4. Nos, qui religiosorum omnium decorem sinceris desiderabamus affectibus, et personarum saecularium scandalis obviare, atque animarum omnium saluti providere cupiebamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, per quasdam nostras sub plumbo XV kalendas septembris, pontificatus nostri anno IV, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXIII expeditas litteras, non solum memoratas litteras Urbani praedecessoris praedicti, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate apostolicâ approbavimus et confirmavimus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus, ac insuper, praedictas litteras dictâ auctoritate extendendo et ampliando, interdiximus et prohibuimus ne de cetero ullus ex fratribus Ordinis et Congregationis huiusmodi cuiuscumque gradus et conditionis, qui ad alium Ordinem regularem transire vellet, Romam accedere sub praetextu expostulandi a Sede praedictâ indultum praesumeret, sed, absque eo quod ex conventu a superioribus suis designato seu designando pro adinveniendo benevolo receptore egrederetur, per procuratorem Ordinis et Congregationis huiusmodi in Romanâ Curiâ degentem, vel personam sibi benevisam, deberet curare, diligentiasque adhibere pro obtinendo ab eâdem Sede indulto praedicto, ac insimul teneretur statim dictus procurator generalis, si ad hoc fuisset requisitus, dictum indultum, sic obtentum, quantocitius ad eosdem superiores transmittere, qui religioso transitum praetendenti protinus etiam tradere, et, si quae pro his omnibus peragendis expensae necessariae et opportunae intervenerint, eas omnes superiores ipsi solvere deberent; si quis autem, contra huiusmodi novum mandatum, transitum praedictum aliter se gerere praesumpsisset, poenae carceris, arbitrio superiorum, ac privationis vocis activae et passivae, omniumque officiorum, et inhabilitatis perpetuae ad illa obtinenda penitus subiiceretur: et aliàs, prout in praedictis Pauli et Urbani praedecessorum, quam in nostris litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Iterum exponit procurator generalis fratres ut habeant divagandi facultatem recurrere ad nuncium Hispaniarum.

§ 5. Cum autem, sicut dilectus filius Vincentius a Conceptione modernus procurator generalis eorumdem Ordinis et Congregationis nobis nuper exponi fecit quod nonnulli ex fratribus Ordinis et Congregationis huiusmodi, ad memoratas nostras ac Pauli et Urbani praedecessorum litteras elevandas declinandasque, per mediatorum sive intercessorum operam ad nostrum et Sedis praedictae in Hispaniarum regnis nuncium confugiunt, ut ad eorumdem libitum conventum valde a suis respective provinciis distantem sibi seligant, atque ita superiores sui nullam sufficientem illos removendi auctoritatem habeant; unde fit ut supradicta opera[1] etiam in domibus saecularium fratres praedicti degentes exemplum eidem Congregationi valde nocens, pacis perturbationem et spirituale damnum ceteris fratribus Congregationis et Ordinis praedictorum afferant, eo magis quod ipsi, non ut ad aliam transeundi religionem, sed ut vagandi libertatem habeant, suum ad eumdem nuntium obtinendi causâ indultum huiusmodi accessum obtendant, atque adeo evitent recursum, quem a dictâ Sede, cui unice in vim memoratarum

1 Forsan *operantes* (R. T.).

Pauli praedecessoris litterarum eadem facultas reservata fuerat, impetrare debeant: proinde memoratus Vincentius praedictas nostras et eiusdem Pauli praedecessoris innovare et confirmare, ac hanc conventus fratribus Ordinis et Congregationis huiusmodi assignandi facultatem ad supradictam quidem Sedem, non autem ad illius nuncios spectare, per nos declarari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Declarat Pontifex nuncios apostolicos facultatem non habere fratribus Carmelitis Excalceatis concedendi transitum ad alios Ordines.

§ 6. Nos igitur, ipsum Vincentium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, ad quos nos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, qui relationem dilecti filii nostri Nicolai eiusdem S. R. E. cardinalis Del Giudice nuncupati, eorumdem Ordinis et Congregationis apud nos et Sedem praedictam protectoris, eisdem cardinalibus factam attenderunt, consilio, ad occurrendum omni ex parte fraudibus, quibus fratres memoratorum Ordinis et Congregationis vagandi cupidi utuntur, inhaerendo decretis, aliàs a memoratis Paulo et Urbano praedecessoribus et a nobis ipsis in supradictis litteris expressis, et eâ super re editis, modernos et pro tempore existentes dictae Sedis legatos seu nuncios facultatem non habere concedendi fratribus Carmelitis Excalceatis indulta transeundi ad alium Ordinem, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, decernimus et declaramus.

Sed eos monere debere ad se recurrentes de adimplemento praedictarum litterarum.

§ 7. Ac insuper modernos et pro tempore existentes legatos seu nuncios praedictos in Domino hortamur et monemus, ut in posterum omnem curam impendant, ne ullus ex fratribus Ordinis et Congregationis huiusmodi ad alium Ordinem vel Congregationem seu institutum absque nostro et huius Sanctae Sedis praedictae indulto per dictum Vincentium modernum et pro tempore existentem procuratorem generalem tantum, iuxta dispositionem in memoratis nostris litteris expressam per illa verba: « Absque eo quod ex conventu a modernis et pro tempore existentibus praeposito generali aliisque superioribus praedictis designato vel designando pro adinveniendo benevolo receptore egrediatur », per procuratorem generalem praedictum obtinendo.

Superiores vero concedere non debere licentiam fratribus quaerendi benevolum receptorem nisi constiterit eos indultum ad hoc S. Sedis obtinuisse.

§ 8. Ac insuper dictâ auctoritate praecipimus, et omnibus superioribus praedictis in virtute sanctae obedientiae mandamus, ne ipsi facultatem egrediendi e conventibus sub praetextu quaerendi benevolum receptorem, nisi constito prius de legitimâ causâ et de praedicto indulto, concedant, sed pro exequutione et observatione praedictarum Pauli ac Urbani praedecessorum praedictorum ac litterarum nostrarum praedictarum, quae super negotio huiusmodi emanarunt, vigilent.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 9. Decernentes, easdem praesentes et memoratas Pauli et Urbani praedecessorum, ac alias nostras litteras, et in eis contenta quaecumque, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spe-

ctat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos ac dictae Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantium derogatio.

§ 10. Non obstantibus omnibus et singulis illis quae in memoratis dictorum Pauli et Urbani praedecessorum et nostris litteris concessa sunt non obstare, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum Ordinis et Congregationis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 11. Volumus autem quod earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio quam extra habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XV aprilis MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 15 aprilis 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLV.

*Declaratio, quod lectio Sacrae Scripturae, in ecclesiâ S. Augustini de Urbe Ordinis fratrum Eremitarum habenda, inter cetera requisita pro obtinendo gradu magisterii comprehendantur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Decreto capituli generalis anni MDCLXXXV statutum, ut ii tantum lauream assequerentur, qui per quinquennium magisterii munus obivissent, aut per decennium in principalioribus Italiae urbibus verbum Dei praedicassent.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Nicolai Antonii Schiaffinati, prioris generalis Ordinis fratrum Eremitarum sancti Augustini, nobis exposito quod in capitulo generali eiusdem Ordinis anno MDCLXXXV in almâ Urbe nostrâ celebrato statutum fuerat, ut ii dumtaxat fratres Ordinis praedicti intra Italiam ad magisterii lauream promoverentur, qui vel per quinquennium munus regentis studiorum obivissent, vel per decennium Dei verbum in insignioribus seu principalioribus ipsius Italiae urbibus cum plausu iustâque famâ praedicassent: at, cum saepius animadversum esset postrema eiusdem statuti verba incertum et nimis late patentem sensum continere aut recipere, indeque non raro contingere posse quod nonnullae Italiae urbes ab aliquo priore generali dicti Ordinis (cuius est quaecumque illius Ordinis dubia circa statuta interpretari) non haberentur inter insigniores, quae ab aliis prioribus generalibus pro variâ cuiusque animi affectione tales antehac reputatae fuissent, aut in posterum reputarentur, sicque concio quadragesimalis vel annualis, per religiosos eiusdem Ordinis habita, inter legitima requisita

ad magisterium assequendum esset quandoque adnumerata vel adnumeranda, et vicissim quandoque respuenda: hinc ipse Nicolaus Antonius prior generalis, ad tollendam dictam ambiguitatem, certamque in praemissis normam deinceps firmandam atque stabiliendam, cum suâ congregatione, ac etiam capituli generali dicti Ordinis tunc novissime celebrati consensu, opportunum censuerat per decretum ab eo desuper editum determinare ac nominatim exprimere urbes Italiae, quae insigniores reputari debuissent quoad concionem quadragesimalem et annualem pro adipiscendo magisterio in Ordine praedicto requisitam, in hoc modo nimirum:

In ultimo tantum capitulo generali designatae urbes nominatim.

Ancona, Andria, Bari, Bologna, Firenze, Genova, Livorno, Missina, Napoli, Padova, Palermo, Pavia, Perugia, Pistoia, Rimini, Roma, Siena, Treviso, Udine, Venezia, Verona, Vicenza, e purchè le dette predicazioni siano principiate almeno dalla festa di tutti i santi, e proseguite in tutti i giorni festivi sino alla terza festa del Santo Natale; dichiarando in oltre et espressamente determinando che sotto questa medesima legge sieno e s'intendano compresi anche quei predicatori generali già approvati, e che non hanno conseguito sinora il grado di magistero. Saranno ancora approvate per requisiti come sopra le predicazioni quaresimali che avranno fatte per una sol volta respettivamente nelle infrascritte chiese cattedrali, cioè Ancona, Aquila, Aversa, Bari, Bergamo, Bologna, Brescia, Capua, Catanzaro, Cesena, Chieti, Cosenza, Faenza, Fermo, Ferrara, Firenze, Foggia, Foligno, Genova, Imola, Lecce, Livorno, Mantova, Matera, Messina, Milano, Modena, Napoli, Padova, Palermo, Parma, Pavia, Perugia, Pesaro, Piacenza, Pisa, Pistoia, Prato, Rimini, Roma, in una delle basiliche, Salerno, Siena, Sorrento, Taranto, Terni, Torino, Treviso, Udine, Venezia, Verona, Vicenza, e Viterbo; siccome ancora si approveranno in tal forma i quaresimali che sogliano da noi darsi per le chiese dell'Ordine esistenti nelle suddette et in altre città; riserbando al nostro arbitrio di approvare in qualità pure di requisito l'annuale di Genazzano per la venerazione che portiamo a quel santuario.

§ 2. Praeterea in eâdem expositione subiuncto quod ipse Nicolaus Antonius prior generalis praemissa, quo firmius subsisterent et exactius servarentur, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri et aliàs in praemissis opportune a nobis provideri summopere desiderabat:

Praedicta confirmari petiit prior generalis.

§ 3. Nos, ipsius Nicolai Antonii prioris generalis supplicationibus benigne inclinati, praedictum decretum, super designatione dictarum urbium Italiae, quae pro concione quadragesimali et annuali requisitâ ad magisterium in dicto Ordine assequendum insigniores habendae et reputandae debuissent, sicut praemittitur editum, auctoritate apostolicâ approbavimus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiecimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper intervenissent supplevimus: voluimus insuper, ac eâdem auctoritate declaravimus, decretum praedictum etiam locum habere quoad fratres dicti Ordinis, qui post decennium concionum huiusmodi cum approbatione eiusdem Ordinis priorum generalium ipsius Nicolai Antonii antecessorum iam expletum tamen ad magisterii lauream promoti fuerint in eo comprehendi, itaut conciones ab eis peractae etiam a dictis prioribus generalibus approbatae vim legitimi ad praemissa requisiti non obtinerent, nisi in aliquâ ex designatis urbibus habitae fuissent: et aliàs prout in nostris desuper in simili formâ Brevis die x novembris MDCCXXXIII expeditis litteris, quarum tenorem praesentibus pro expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri.

Benigne praestavit Clemens.

Modo supplicat declarari lectionem S. Scripturae in ecclesia S. Augustini de Urbe per decennium faciendam sufficere ad lauream consequendam, Patavinamque inter principales urbes adnumerari.

§ 4. Quoniam autem, sicut dictus Nicolaus Antonius prior generalis nobis nuper exponi fecit, inter cetera requisita pro assequendo gradu magisterii huiusmodi, lectio sacrae Scripturae, quae in ecclesiâ S. Augustini de eâdem Urbe Ordinis praedicti habetur, quae maximi laboris est, comprehensa minime reperitur; ac insuper in supradicto capitulo generali (licet in memoratis nostris litteris id minime expressum fuerit) sancitum fuit, quod intra decennium praedicationis unusquisque ex praedicatoribus praedictis omnino in aliquâ ex civitatibus nempe Urbis praedictae, Bononiae et Florentiae absque ullâ indulgentiâ pro assequendo gradu magisterii praedicti verbum Dei praedicare deberet, ipse Nicolaus Antonius prior generalis civitatem etiam Paduanam intuitu universitatis studii generalis, quae in eâ existit, comprehensam etiam esse per nos declarari plurimum desiderat: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Sicque declarat Pontifex.

§ 5. Nos igitur, dictum Nicolaum Antonium amplioris favore gratiae prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero, licet inter alia requisita in decreto capituli generalis supradicti praefinita, et praedicatoribus generalibus eiusdem Ordinis pro assequendo gradu magisterii praescripta, lectio sacrae Scripturae pro tempore in ecclesiâ S. Augustini de eâdem Urbe dicti Ordinis comprehensa non sit, nihilominus non solum lectio praedicta cuicumque ex fratribus ipsius Ordinis, qui eam in dictâ ecclesiâ peregerit, ad supradictum effectum suffragetur et suffragari debeat, verum etiam quot annis illam expleverit, tot anni pro requisitis praedictis computentur, auctoritate praedictâ, tenore praesentium decernimus et declaramus.

Etiam quoad civitatem Patavinam.

§ 6. Ac insuper pari auctoritate volumus et praecipimus, ut unusquisque ex eisdem fratribus intra decennium praedicationis, ut praemittitur, pro huiusmodi effectu praescriptum in quibuscumque civitatibus supradictis explendum, in aliquâ omnino civitatum sive Urbis nostrae praedictae, sive Bononiae, sive Florentiae, sive Paduae verbum Dei pro assequendo gradu huiusmodi praedicare debeat et teneatur, alioquin conciones per eum peractae vim legitimi ad praemissa requisiti non obtineant.

Clausulae ad stabiliendam praedictorum omnium observantiam.

§ 7. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inconcusse observari, illisque respective plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon, quatenus opus sit, supradicti Ordinis, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque,

indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX aprilis MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 20 aprilis 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLVI.

*Iubilaeum pro christifidelibus Italiae et insularum adiacentium divinam opem contra Turcas et pestem implorantibus.*

**Clemens Papa XII,**

**universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.**

In calamitatibus recurrendum ad Deum Scriptura docente erudimur.

§ 1. Quam in omnibus fere sacrae Scripturae paginis ad eruditionem unicuique traditam doctrinam, luculentissimis tum veteris tum novi foederis exemplis comprobatam, confirmari in dies experimur, ut, omnem in Deo nostro reponentes fiduciam, opportunum ad avertenda propulsandaque quaecumque impendentia mala per salutaris poenitentiae lamenta, ieiunia, eleemosynas, sincerasque obsecrationes a misericordiarum patre et Deo totius consolationis auxilium praestolemur, hanc, etsi in christifidelium mentibus insitam semper et venerata[1] tamquam fidei galeam et inexpugnabile salutis scutum in omnibus angustiis assumere decet unumquemque, catholica certe Ecclesia tum maxime se obstrictam esse novit, cum, aut gravissimas urgere necessitates, aut adversus christiani nominis cultores ab infensissimis hostibus arma inferri, calamitatesque et excidium intentari, animadvertit.

Orto itaque bello in Hungaria indictae a Pontifice privatae supplicationes.

§ 2. Nos autem, quibus plane immerentibus suprema omnium ecclesiarum sollicitudo et cura a pastorum principe Iesu Christo demandata est, cum bellum, tertius iam annus est ex quo exarserat, in Hungariâ periculosissimum cum Turcarum tyranno agitari inaudivissemus, tum privatis tum publicis indictis precibus Dominum Deum exercituum exoravimus, ut mitteret auxilium suum de sancto, et effunderet iram suam in gentes, quae in fortitudine suâ gloriabantur. Hoc idem elapso anno non intermissis obsecrationum studiis praestare non omisimus.

Ingravescente autem huiusmodi bello eas publicas esse statuit.

§ 3. Quoniam autem tantum bellum maioribus, quam antea, viribus ex toto Oriente comparatis, et efferatiori rabie ab Othomanico furore hoc anno instaurari, pestemque adhuc durare accepimus: primum quidem in humilitate cordis nostri cum gemitibus et lacrymis prosternimus preces nostras ante faciem Dei nostri, ut respiceret in haereditatem, quam acquisivit sanguine suo; deinde vero quaecumque potuimus industriae opisque consilia et auxilia alacri studio conferre curavimus. Tandem, scientes concordem supplicantis Ecclesiae ad Dominum orationem potentiorem quam cetera esse, ut ponat ille oculos suos ad placandum et liberandum populum suum ab iis qui confidunt in quadrigis et in equitatu suo et in multitudine bellatorum, publicas quoque preces iterum, sed ardentiori charitatis fervore coniunctas in universâ Italiâ eique insulis adiacentibus indicendas esse arbitramur, ut dominator caelorum, qui

[1] Videtur legendum *veneratam* (R. T.).

pius et misericors est, et propitiatur invocantibus se in veritate, Deus noster, et, non secundum armorum potentiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victoriam, benedicat nos ac tueatur, et metuant eum adversarii nostri, et confundantur et dispereant, et fiat pax in diebus nostris, et laetemur in salutari suo. Verum, ut orationum suffragia accepta sint in conspectu Dei nostri, et fructuosius omnia peragantur, ex prisco Romanae Ecclesiae omnium matris et magistrae more, caelestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostrae commisit divina dignatio, aperire et liberali manu erogare decrevimus.

Iubilaeum universale indicit in Urbe.

§ 4. Itaque, de omnipotentis Dei misericordiâ ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, ac illâ ligandi atque solvendi potestate, quam nobis Dominus, licet indignis, contulit, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, tam in hac almâ Urbe nostrâ, quam in universâ Italiâ et insulis ei adiacentibus huiusmodi degentibus, quorum iis qui in praedictâ Urbe nostrâ solemni processioni dominicâ primâ mensis maii proxime venturi, in qua Inventionis sanctissimae Crucis D. N. I. C. festum celebratur, ab ecclesiâ S. Mariae in Vallicellâ nuncupatâ de eâdem Urbe ad basilicam Principis apostolorum in Vaticano, universo interveniente clero et populo, agendae devote interfuerint, vel S. Ioannis in Laterano, eiusdem Principis Apostolorum, et S. Mariae Maioris dictae Urbis ecclesias seu basilicas, vel earum aliquam, intra spatium duarum hebdomadarum a supradictâ dominicâ inchoandarum, et usque ad dominicam Pentecostes inclusive decurrendarum, saltem semel devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces ut supra effuderint, ac quartâ et sextâ feriis et sabbato alterius ex praedictis hebdomadis ieiunaverint, et peccata sua confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum in dominicâ die immediate sequenti vel aliâ die intra eamdem hebdomadam reverenter sumpserint, ac pauperibus aliquam eleemosynam, prout unicuique suggeret devotio, erogaverint;

Extra Urbem praescripta forma illud assequendi.

§ 5. Ceteris vero extra Urbem praedictam, ut praemittitur, degentibus, qui ecclesias ab Ordinariis locorum vel eorum vicariis seu officialibus, aut de eorum mandato, et, ipsis deficientibus, per eos qui ibi curam animarum exercent, postquam ad eorum notitiam hae nostrae pervenerint, designandas, vel ecclesiarum huiusmodi aliquam, spatio duarum similiter hebdomadarum a publicatione designationis per Ordinarios vel eorum vicarios, seu officiales, vel alios ut praefertur faciendae decurrendarum, saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quartâ et sextâ feriis ac sabbato alterius ex hebdomadis huiusmodi ieiunaverint, partiterque peccata sua confessi, ac in die dominicâ immediate sequenti, vel aliâ die intra eamdem hebdomadam, sanctissimâ communione refecti fuerint, et pauperibus aliquam eleemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, sicut in anno iubilaei visitantibus certas ecclesias intra et extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus et elargimur.

Quid peragendum sit a navigantibus statuit.

§ 6. Navigantes vero et iter agentes, ut, cum primum ad sua sese domicilia receperint, suprascriptis peractis, et visitatâ ecclesiâ cathedrali, vel maiori, aut parochiali loci eorum domicilii, eamdem indulgentiam consequi possint et valeant: regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in claustris perpetuo de-

gentibus, necnon aliis quibuscumque, tam laicis, quam ecclesiasticis, saecularibus vel regularibus, etiam in carcere aut captivitate existentibus, vel aliquâ corporis infirmitate seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa confessarius, ex iam approbatis a locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare vel in aliud proximum tempus erogare possit, eaque iniungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus et indulgemus.

Facultatem impertitur eligendi sibi confessarium cui peculiares tribuit facultates.

§ 7. Insuper omnibus et singulis christifidelibus utriusque sexus, tam laicis quam ecclesiasticis, saecularibus et regularibus, cuiusvis Ordinis, congregationis et instituti, tam in Urbe praedictâ quam extra eam in universâ Italiâ et insulis ei adiacentibus praedictis ut praefertur degentibus, licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam saecularem quam cuiusvis Ordinis et instituti regularem, ex approbatis ut praemittitur a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris a iure vel ab homine, quavis causâ latis seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus et delictis quantumvis gravibus et enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive nobis et Sedi Apostolicae, etiam in litteris die Coenae Domini legi solitis contentis, et aliàs per quascumque nostras aut Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae et hac vice tantum absolvere et liberare valeant: et insuper vota quaecumque (religionis et castitatis exceptis) in alia pia et salutaria opera commutare, iniunctâ tamen eis et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus poenitentiâ salutari, aliisque eiusdem confessarii arbitrio iniungendis.

A patriarchis ceterisque episcopis huiusmodi iubilaeum pubblicari praecipit.

§ 8. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districte praecipimus atque mandamus omnibus et quibuscumque venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et aliis ecclesiarum praelatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque vicariis et officialibus, vel, iis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut, cum praesentium litterarum transumpta aut exempla etiam impressa acceperint, illa statim absque ullâ morâ, retardatione vel impedimento per suas ecclesias et dioeceses, provincias, civitates, oppida, terras et loca publicent et publicari faciant, ecclesiamque seu ecclesias visitandas designent.

Reservatio casuum.

§ 9. Non intendimus autem per praesentes super aliquâ irregularitate publicâ vel occultâ, notâ, defectu, incapacitate seu inhabilitate quoquomodo contractâ dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi seu habilitandi et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae, neque etiam easdem praesentes iis, qui a nobis et Apostolicâ Sede, vel ab aliquo praelato seu iudice ecclesiastico, etiam eorum nomine speciatim non expresso, excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio contrariorum.

§ 10. Non obstantibus constitutionibus, ordinationibus apostolicis, prae-

sertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes vel dissimiles indulgentiarum et facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regulâ nostrâ de non concedendis indulgentiis ad instar, quorumcumque Ordinum et congregationum, sive institutorum regularium, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, eisdem Ordinibus, congregationibus et institutis illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis ac formam in eis traditam pro servatâ habentes, hac vice specialiter, nominatim et expresse, ad effectum praemissorum, derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 11. Ut autem praesentes nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiasticâ constitutae munitis, ubique locorum, ut praefertur, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXV aprilis MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 25 aprilis 1739, pontif. anno IX.

D. card. PASSIONEUS.

---

## CCLVII.

*Commissio archiepiscopo Mexicano, ut declaret Tertiarios Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae aliis Ordinibus adscriptos, omnium Ordinum promiscue indulgentiis uti posse.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

In Indiis institutus Tertius Ordo Carmelitarum Discalceatorum.

§ 1. Nuper pro parte dilecti filii Vincentii a Conceptione fratris expresse professi ac procuratoris generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae nobis expositum fuit, quod in quamplurimis ex conventibus Ordinis et Congregationis huiusmodi in Indiis existentibus in vim privilegiorum eidem Ordini a felicis recordationis Nicolao V et Bonifacio VIII concessorum, et a Sixto IV et Clemente itidem VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris confirmatorum, Tertius Ordo eiusdem B. Mariae erectus et institutus reperitur.

Huic se adscripsere nonnulli tertiarii Ordinis S. Francisci, qui, cum ex hoc Ordine expuncti forent a superioribus, recursum habuerunt ad archiepiscopum Mexicanum.

§ 2. Verum, quia non pauci ex tertiariis praedictis Tertio Ordini fratrum Minorum sancti Francisci adscripti existunt, in oppido civitate nuncupatâ de Toluca Mexicanae dioecesis dubium excitatum fuit, an tertiarii utriusque Ordinis huiusmodi indulgentiis gratiisque spiritualibus promiscue frui possent; et, licet primodicti Ordinis et Congregationis superiores nullam in hac re difficultatem haberent, nihilominus tertiarii eiusdem sancti Francisci absque ullâ ratione non

solum contradicere, verum etiam ex eorum libris omnes illos, qui Tertio Ordini B. Mariae huiusmodi adscripti erant, delere[1] ausi fuerunt. Quare dicti tertiarii B. Mariae de Monte Carmelo, qui saeculares existunt, et privilegio fori minime gaudent, sed tantummodo indulgentiarum et gratiarum spiritualium indulto fruuntur, eâ de causâ ad venerabilem fratrem modernum archiepiscopum Mexicanum recursum habuerunt qui, auditis rationibus hinc inde deductis, consideransque charitatem, piamque devotionem christifidelium erga regulares Ordines non esse restringendam, sed omnibus ad animarum salutem mediis amplificandam, mandavit tertiarios B. Mariae praedictos reintegrandos, et Tertio Ordini sancti Francisci, unde deleti fuerant, iterum adscribendos esse.

Qui declaravit illos esse reintegrandos.

Procurator generalis Discalceatorum hanc sententiam a Pontifice petit confirmari.

§ 3. Quamvis autem mandatis praedictis tertiarii sancti Francisci praedicti paruerunt, excitataeque controversiae utriusque compositae fuerunt, tamen dictus Vincentius procurator generalis, ad auferendas perturbationes confusionesque quae eâ super re in posterum exoriri possent, instituto Ordinis et Congregationis huiusmodi, hoc unum spectanti ut eiusdem Ordinis et Congregationis tertiarii quodcumque aliud medium ad illorum salutem conducens suscipiant et in illo perseverent, inhaerens, tertiarios utriusque Ordinis, sive alteri ex dictis, sive cuicumque[2] alii adscriptos, omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus promiscue gaudere, per nos declarari plurimum desideret: nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

De consilio itaque Congregationis Concilii committit dicto archiepiscopo ut praefatam declarationem publicet.

§ 4. Nos igitur, piis eiusdem Vincentii procuratoriis generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad quos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, qui dilectum filium modernum procuratorem generalem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ nuncupatorum audierunt, consilio, eidem moderno et pro tempore existenti archiepiscopo Mexicano per praesentes committimus et mandamus, ut, veris existentibus narratis, ad supradictam declarationem, iuxta petita, auctoritate nostrâ apostolicâ pro suo arbitrio et conscientiâ gratis deveniat: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Hasce litteras perpetuo praecipit observari.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon,

1 Edit. Main. legit *deleri* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *cuiuscumque* (R. T.).

quatenus opus sit, Ordinum praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIII maii, MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 13 maii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLVIII.

*Subiectio militiae B. Mariae de Montesa consilio Ordinum a rege catholico instituto.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Adrianus VI et Sixtus V regibus catholicis militiarum de Spatha, de Alcantara, de Calatraba et de Montesa administrationem et regimen commisêre.

§ 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis catholici nobis expositum fuit, quod dudum felicis recordationis Adrianus VI, per quasdam suas sub plumbo IV nonas maii anni MDXXII, administrationem militiarum S. Iacobi de Spatha, de Calatrava, et de Alcantara regno Castellae et Legionis, ac Sixtus V, Romani Pontifices praedecessores nostri, per suas itidem sub plumbo die XV martii MDLXXVII expeditas litteras, alterius militiae B. Mariae de Montesa filialis supradictae de Calatrava regno Aragoniae, seu illorum regi pro tempore existenti, nonnullis tunc expressis causis, perpetuo confixerunt et incorporarunt, ac omnimodam facultatem et potestatem ea, quae dictarum militiarum spiritualia concernerent, per personas supradictarum omnium militiarum regulares, per eosdem Castellae et Legionis ac Aragoniae reges, ad illorum nutum amovibiles, deputandas, probe et laudabiliter exercere facere deberent et tenerentur; quibus sic deputatis personis omnia et singula, quae dictarum omnium militiarum magistri, etiam pro tempore existentes, in eisdem spiritualibus de iure, consuetudine, aut aliàs quomodolibet facere, gerere, exercere, disponere, mandare, ordinare et exequi poterant et consueverant, faciendi, gerendi, exercendi, mandandi, disponendi, ordinandi et exequendi, etiam perpetuo tribuerant; et aliàs, prout in eorumdem Adriani et Sixti praedecessorum expeditis litteris, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, uberius dicitur contineri. Militia vero B. Mariae de Montesa huiusmodi ad usque annum MDCCVII (in quo memoratus Philippus rex consilium regni Aragoniae in civitate Valentiae erectum, per quod militia huiusmodi administrabatur, penitus extinxit abrogavitque) aliter, atque supradictae militiae gubernabantur, administrata fuit. Praeterea regna Aragoniae et Valentiae iisdem absque ullâ differentiâ legibus, quibus regnum Castellae regitur, coeperunt moderari. Idem Philippus rex clietalas[1] seu dependentias dictae militiae B. Mariae de Montesia regio[2] Ordinum huiusmodi consilio univit et incorporavit, et ad dictum Ordinum consilium cognitionem rerum temporalium militiae huiusmodi, et ad illius assessorem generalem rerum spiritualium, prout antea consilium Aragoniae, antequam suppressum fuisset, peragebat, spectare voluit, et totum id

1 Seu *clientelas* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *regis* (R. T.).

usque ad obitum tunc in humanis agentis Vincentii Monserrat ultimi assessoris generalis militiae de Montesa huiusmodi permansit.

*Ac per praesidentem dicti consilii cum peculiaribus definitionibus gubernari voluit.*

§ 2. Quoniam autem dictus Philippus rex, exoptans ut dicta militia B. Mariae de Montesa, tam in spiritualibus quam in temporalibus, prout aliae supradictae militiae gubernentur[1], cum huius tamen militiae particularium definitionum observantiâ in posterum, extincto tamen illius assessoris generalis officio, administretur, ac propter reductionem regnorum Aragoniae et Valentiae gubernio Castellae, ut praemittitur, administratio militiae B. Mariae de Montesa huiusmodi regio Ordinum consilio, prout aliae supradictae militiae existunt, tam in spiritualibus quam in temporalibus, tum pro decisone causarum ad eamdem militiam spectantium, tum pro modo nominandi informantes, ac videndi et decidendi probationes militiae huiusmodi, necnon mandandi pro reliquis ordinationibus, quas dictus Philippus rex expedire iudicaverit, absolute subiecta remaneat, et in civitate Valentiae tribunal locumtenentis generalis dictae militiae, cum qualitate substituti seu dependentis in omnibus et per omnia dicti regii consilii Ordinum, cum observantiâ illius particularium definitionum, sicut praemittitur, remanere debeat, cum conditione quod praesidens seu gubernator regii consilii Ordinum huiusmodi inter ministros dicti[2] consilii aliquem ex fratribus militibus expresse professis militiae huiusmodi, qui dicto consilio regis[3] et negotiis in eo tractandis necessario intersint, semper admittendum et retinendum curet; proinde ipse Philippus rex, officium assessoris generalis militiae huiusmodi tam in spiritualibus quam in temporalibus in posterum, prout aliarum primodictarum S. Iacobi, Calatrava et Alcantara militiarum, cum supra expressis conditionibus, ad dictum consilium Ordinum spectare, et ad hunc effectum praedictis[1] Sixti seu aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus derogari plurimum desiderat:

1 Potius lege *gubernantur* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *dicto* (R. T.).
3 Aptius lege *regio* (R. T.).

*Et Pontifici supplicat pro huius stabilimenti approbatione.*

§ 3. Nobis propterea eiusdem Philippi regis nomine fuit humiliter supplicatum ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

*Petitis annuit Pontifex.*

§ 4. Nos igitur, piis eiusdem Philippi regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, ipsumque Philippum regem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, ad quos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, qui votum dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. praedictae presbyteri cardinalis Belluga nuncupati, ad huiusmodi negocium examinandum ab eisdem cardinalibus deputati, perpenderunt, consilio, officium assessoratus generalis militiae B. Mariae de Montesa, cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate, praeeminentiis, iurisdictione, dependentiis, annexis et connexis, ad effectum praesentium spectantibus, et pertinentiis, quibus assessores generales pro tempore existentes militiae huiusmodi ante deputati usi[2] fuerunt, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, abolemus, revocamus, cassamus, irritamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus[3], ac ex nunc

1 Edit. Main. legit *praedictae* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *uti* pro *usi* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *vacamus* (R. T.).

pro tunc revocatas, cassatas, irritas et annullatas existere et fore decernimus et declaramus, eamdemque militiam B. Mariae de Montesa huiusmodi in futurum tam quoad temporalia quam quoad spiritualia gubernari a consilio aliarum supranunciatarum militiarum, et ad instar illarum, cum praeservationibus supra expressis, auctoritate et tenore praedictis praecipimus, volumus et mandamus; ita tamen ut assistentia fratris militis expresse professi dictae militiae de Montesa cum regiis ministris memorati consilii Ordinum esse debeat suffragando cum eisdem quin pro diversitate negociorum eius assistentia variari possit: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem cardinalium.

Sicque semper et ubique servari praecipit.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac Apostolicae Sedis nuncios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, dictâ Sixti aliisque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictae militiae, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, stabilimentis, usibus et naturis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliâs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 maii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLIX.

*Confirmatio nonnullarum conventionum pro provinciâ Lombardiae Congregationis clericorum regularium sancti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium

Collegia et seminaria, in quibus adolescentes a teneris annis, antequam a vitiorum contagione afflentur, ad pietatem ac religionem informari solent, quantam ad morum[1] compositionem sacrarumque doctrinarum eruditionem in catholicâ Ecclesiâ utilitatem attulerint, semper cogitantes, eorumdem institutionem, quantum cum Domino potuimus[2], promovere, atque incrementa provehere et adaugere statuimus, necnon quaecumque ad ipsorum commodum conducentia, sive pacta, sive uniones, sive conventiones, quocumque modo ac tempore inita, apostolicae nostrae confirmationis robore, cum a nobis petitur, libenter communiri satagimus et gestimus.

1 Edit. Main. legit *mores* (R. T.).
2 Videtur legendum *possumus* (R. T.).

Per provincialem Lombardiae unita insimul collegia duo civitatis Mediolanensis cum appositis conditionibus.

§ 1. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius modernus praepositus provincialis provinciae Lombardiae Congregationis clericorum regularium sancti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum, quod collegio a clericis regularibus Congregationis huiusmodi in civitate Mediolanensi ad educandos instituendosque tam in pietate quam in humaniorum bonarumque artium studiis nobiles convictores erecto, cum alterum simile subinde collegium, quod in eâdem pariter civitate iuxta piam dispositionem quondam Petri Antonii Longone sub eorumdem clericorum regularium regimine ac litterariâ disciplinâ fundandum erat, eidem unitum et incorporatum fuerit: unio seu incorporatio huiusmodi inter dilectos filios Iosephum Mariam Olivazzi clericum regularem Congregationis praedictae, rectorem primodicti collegii, et deputatos collegii sic erigendi sub nonnullis conventionibus et mutuis cessionibus concordata fuit.

Congregationi Concilii dictas conditiones proposuit confirmandas.

§ 2. Ipse vero Iosephus Maria, ut nihil omitteret quod ad dictarum conventionum mutuarumque cessionum stabilitatem conservandam conduceret, ad Congregationem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum pro approbatione et confirmatione earumdem conventionum et cessionum supplicem libellum porrexit.

Dicta Congregatio rem remisit arbitrio archiepiscopi.

§ 3. Quae sane Congregatio cardinalium, auditis prius dilectis quoque filiis praeposito generali dictae Congregationis ac vicario in spiritualibus generali venerabilis fratris archiepiscopi Mediolanensis, commisit eidem archiepiscopo, ut, veris existentibus narratis, supradictam collegiorum unionem, cum conditionibus initis, addito tamen pacto reversivo et regressus ad primaeva iura in casu inobservantiae pactorum seu dissolutionis unionis, pro suo arbitrio et conscientiâ approbaret et confirmaret.

Vicarius generalis ab archiepiscopo subdelegatus eas confirmavit.

§ 4. In vim vero decreti huiusmodi, dilectus pariter filius Ioannes Baptista Campagnoli, vicarius generalis archiepiscopi Mediolanensis, vigore facultatis a praedictâ Congregatione cardinalium archiepiscopo Mediolanensi praedicto attributae, ad huiusmodi negotium subdelegatus apostolicus, confirmavit et approbavit supradictam unionem, cum conditionibus tenoris qui sequitur, videlicet:

*Ioannes Baptista abbas Campagnoli I. U. D., protonotarius Apostolicus, curiae archiepiscopalis Mediolani vicarius generalis, et in hac parte subdelegatus apostolicus, ut infra:*

Litterae testimoniales rei gestae.

Visis praesentibus sacrae Congregationi[1] eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum porrectis pro parte reverendi patris rectoris collegii nobilium Imperialis nuncupati Mediolani, unâ cum decreto eiusdem sacrae Congregationis diei XXII mensis novembris proxime praeteriti directo pro executione illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Mediolani, necnon subdelegatione in nos factâ ad illud exequendum tenoris sequentis, videlicet:

Supplex libellus Congregationi Concilii a praefato provinciali porrectus.

*Eminentissimi e reverendissimi signori.* Don Giuseppe Maria Olivazzi, chierico regolare di S. Paolo, rettore del collegio Imperiale dei nobili in Milano, oratore umilissimo delle EE. VV., affine di unire con evidente utilità al suo collegio, quasi privo d'ogni reddito, altro collegio detto *Longone* in prossimo da erigersi da persone laiche, dotato di molti fondi fruttiferi, in guisa che ambidue formino un sol corpo sotto la perpetua direzione de' nominati religiosi, ha concordate colli deputati dell'altro collegio alcune capitolazioni qui appresso descritte, nelle quali alli numeri I, III, IX si cede ai conservatori di detto collegio Longone il dominio ed amministrazione di quei pochi beni che pos-

1 Edit. Main. legit *Congregationis* (R. T.).

sedeva il primo collegio, da servirsene però sempre in uso de' padri e conservatori di detto collegio; che però per poter venire a detta cessione validamente supplica umilmente le EE. VV. dell'opportuna facoltà, ecc.

*Capitolazioni.*

Conventiones inter utrumque collegium initae.

Essendosi dagl'illustrissimi signori conservatori del collegio Longone sotto giorno il primo ottobre 1723 concessa in affitto ai molto reverendi padri Barnabiti la casa grande in parochia di S. Alessandro, di ragione dell'eredità Longone, in cui aprire potessero un loro collegio de' nobili, quale facesse strada allo stesso collegio Longone, in quel tempo che detti signori conservatori avessero stimato proprio d'aprirlo, e tale accordo fu fatto con quella assistenza ai detti reverendi padri prestata, e con i patti stabiliti che risultano dalla scrittura privata di detto giorno ed anno;

Essendosi pure nel IX capitolo di detta scrittura convenuto che la suddetta concessione avesse il suo fine quando fossero soddisfatti detti signori conservatori de' loro crediti verso detti RR. PP. e determinassero di voler aprire detto collegio Longone, oltre molte altre convenzioni in progresso seguite, delle quali consta per alcune ordinazioni capitolari delli 13 e 17 marzo e 29 giugno dell'anno 1725 passato;

Ed avendo ora li presentanei signori conservatori, dopo diligente scandaglio dello stato dell'eredità Longone, deliberato di aprire nell'anno presente 1737 detto loro collegio Longone, ed in conseguenza di porre fine alla precedente convenzione; del che passatane la notizia ai detti molto RR. PP., abbino stimato proprio di fare varie proposizioni, con che fosse ad essi concessa in perpetuo la direzione di detto collegio, quali riconosciute dai signori conservatori degne della loro approvazione, come è parso ai medesimi di non poter destinare a detto collegio direttori più degni per il regolamento del medesimo, e più confacenti alla mente del fu nobile signor segretario Pietro Antonio Longone, fondatore, quale dimostrò tutta la confidenza ne'medesimi padri, ordinando che li collegiali fossero allevati alle loro scuole: perciò si è venuto alla presente scrittura di convenzione ed accordo, in cui:

I. In primo luogo, atteso gl'infrascritti patti corrispettivi e reciprochi, l'una e l'altra parte si dà per intieramente soddisfatta di quanto rispetto alli signori conservatori hanno sovvenuto e dovrebbero conseguire anche per fitti di case dell'eredità Longone godute da' detti RR. PP. ad uso del loro collegio, e li molto RR. PP. di quanto hanno speso, ed altro nelle case di detto collegio, e nella provisione de' mobili stimati del valore di lire trentadue mila novecento sessantaotto, e soldi quattordici, dico lire 32968,14, quali saranno per l'avvenire di piena ragione e dominio del collegio Longone, e dovranno successivamente mantenersi da' molto reverendi padri direttori, come abbasso, col prodotto delle dozzine ed altri emolumenti che potranno ricavarsi da' signori convittori, quali verranno educati in detto collegio: la stima de' quali mobili si consegna presentemente in forma probante da conservarsi nell'archivio dell'illustrissimo capitolo di detto collegio Longone.

II. Per l'avvenire il collegio dovrà chiamarsi il regio ed imperial collegio Longone, esponendosi, ne' luoghi che li signori conservatori stimeranno più proprî, le armi di S. M. C., sotto la di cui protezione, anche in seguito della mente del fondatore, dovrà perpetuamente conservarsi, come pure dovranno, dove sarà più conveniente a giudizio de' signori conservatori, esponersi le insegne gentilizie del fu nobile signor segretario Pietro Antonio Longone fondatore del medesimo collegio.

III. Il dominio di detto collegio e suoi beni, tanto presenti quanto futuri, e la totale amministrazione delle rendite, s'intende riservato all'illustrissimo capitolo composto dai signori conservatori, esclusa ogni e qualunque ingerenza de' detti Padri, con dichiarazione però, che le dette dozzine ed altri emolumenti procedenti dalla direzione del collegio debbano passare alle mani del molto reverendo padre rettore *pro tempore*, per va-

lersene nella manutenzione de' Padri, signori convittori, servitù, ed altri usi di detto collegio, dando ogni anno tutti i conti dell'entrata ed uscita all'illustrissimo capitolo, o a quello o a quelli de' signori conservatori che saranno dal medesimo a tal effetto delegati, senza che mai per alcun tempo o per alcuna causa possa proporsi eccezione alcuna per iscusarsi, meno esimersi dal suddetto rendimento de' conti ogni anno; rispetto poi alla casa e beni di Castellazzo de' Barzi, che furono acquistati per istromento del giorno 14 luglio 1736, rogato dal notaro e causidico di Milano signor dottor Antonio Giovanni Battista Besozzi a nome del collegio Imperiale de' padri Barnabiti, si dichiara che detto acquisto sia stato fatto con previa intelligenza ed utilità, comodo e conto del collegio Longone, al quale effetto dal molto R. P. rettore Olivazzi è stato consegnato il suddetto istromento con tutte le scritture attinenti al medesimo per riporle nell'archivio dell'illustrissimo capitolo del detto venerando collegio Longone; e come che il motivo di fare detto acquisto fu quello di avere una casa di villa per li signori convittori nel tempo delle vacanze, nè essendo facile comodo agli illustrissimi signori conservatori il maneggio de' suddetti beni, quale all'incontro riuscirebbe meglio alle mani del padre rettore *pro tempore*, anche per convertire i frutti in uso de' signori convittori, perciò la suddetta casa e beni di Castellazzo saranno in amministrazione dei molto RR. PP. rettori *pro tempore*, unendo li frutti de' medesimi beni col prodotto delle dozzine ed altri emolumenti come sopra per renderne conto come sopra, restando a carico dei medesimi padri rettori di compire ancora con detto prodotto l'interesse dovuto a' PP. Somaschi, ed ogni altro carico spettante a detti beni, il prezzo de' quali dovrà pagarsi nella maniera che si spiegherà sotto il cap. VII.

IV. La direzione poi di questo collegio in perpetuo colle suddette ed infrascritte condizioni si trasferisce in detti molto reverendi padri, tenendo li signori conservatori per fermo che intieramente corrisponderanno alla confidenza in loro dimostrata dai signori conservatori e dal fondatore medesimo, e nel regolamento de' signori convittori, e nella elezione de' soggetti per tempo.

V. Per formare col beneficio del tempo un collegio regolare, assegnerà l'illustrissimo capitolo del detto collegio Longone, di mano in mano che andrà occorrendo, le case proprie, ed acquisterà l'altra (come e quando più chiaramente si spiegherà abbasso nel cap. IX), che sono necessarie, in conformità del disegno comunicato al detto illustrissimo capitolo, e che al medesimo si consegna per copia autentica da riporsi e conservarsi nel di lui archivio, riservandosi li detti signori conservatori in detto collegio una sala destinata per li capitoli da farsi ogni mese a tenore delle ordinazioni capitolari, ed anche di più, se porterà il caso, con facoltà ad ognuno de' signori conservatori di chiamarlo, quando sarà spediente, ed in questa sala, se così stimeranno li signori conservatori, potranno riporvi il loro archivio, le chiavi del quale resteranno sempre presso quel signor conservatore che secondo l'istituto deve essere segretario decano della cancelleria segreta.

VI. Delle rendite de' fondi ed altri effetti del collegio Longone si riservano li signori conservatori annue lire tremila di netto per risorsa del medesimo, affine massimamente di reintegrarlo di quelle che per causa della suddetta fabbrica verranno a diminuirsi, o per l'assegno delle case proprie, o per l'acquisto delle altre bisognevoli, con dichiarazione ancora che frattanto, per l'uso delle case delle quali attualmente si valgono i suddetti reverendi Padri ad uso del collegio, in avvenire non pagheranno fitto alcuno.

VII. Il di più di dette rendite, oltre le lire tre mila riservate come sopra, che potesse avanzare di tempo in tempo, di anno in anno dall'illustrissimo capitolo dovrà farsi passare al padre rettore *pro tempore*, correspettivamente a che li Padri mediante l'uso del godimento del collegio senza fitto, ed il prodotto delle dozzine ed ogni altro emolumento da ricavarsi per causa ed occasione dell'educazione de' signori convittori, sa-

ranno tenuti a cinque intiere dozzine, o dieci mezze dozzine, ad arbitrio de' signori conservatori, per altri tanti signori alunni da eleggersi dai medesimi signori conservatori, e per la manutenzione de' mobili, come pure per la fabbrica del collegio, a cui dovranno ridursi le case esistenti, e da comprarsi come sopra, e finalmente per il pagamento del capitale, prezzo della casa e beni di Castellazzo, al quale effetto molto conta sopra le intenzioni che ha favorito di dare col suo prudente ed applaudito zelo il presentaneo padre rettore Olivazzi.

VIII. Resterà altresì a carico di detti molto reverendi padri la celebrazione della messa cotidiana, a cui soggiace la casa della confraternita di S. Vittorello, dopo che sarà acquistata dai signori conservatori per incorporarla nella fabrica, sin tanto, col moltiplico delle lire tremila annue riservate come sopra, sarà pienamente reintegrata l'eredità Longone di tutta l'annua rendita che resterà diminuita per la suddetta ed ogni altra causa; nel qual caso di totale reintegrazione si dovrà dalla detta rendita ristabilita soddisfare all'elemosina di detta messa per il tempo allora avvenire.

IX. Per maggior chiarezza e dichiarazione de' capi precedenti risguardanti le case che devano servire alla nuova fabbrica del collegio secondo il menzionato disegno tanto proprio del capitolo, quanto da acquistarsi dai signori conservatori a conto dell' eredità Longone, e sempre senza pregiudizio della riserva delle lire tremila di detta annua canata destinata alla reintegrazione delle rendite come sopra, si aggiunge, che, oltre la casa grande, e li casini altre volte goduti dal Cogliati e dal signor dottor Caldara di ragione dell'eredità Longone, presentemente godute ad uso di detto collegio, ed oltre la casa nella contrada del Fieno acquistata dal fu padre D. Bartolomeo Sitoni di buona memoria, come dall'istromento del 28 settembre 1728, 22 febbraro 1729, e 3 agosto 1730, rogati dal notaro e causidico di Milano signor Giuseppe Maria Sitoni, e consegnati da riporsi nell'archivio del collegio Longone, quale si dichiara acquistato a comodo di questo collegio Longone, e di dovere ad esso spettare ed appartenere, dovrà acquistarsi presentemente la casa del sig. Lombardi, e di tempo in tempo anche la casa della confraternita di S. Vittorello, del Santissimo, di S. Alessandro, del Lucino, e del signor Rosate, e di S. Giuseppe.

X. Riflettendo però, che la fabbrica non può compirsi in tempo breve, dovendosi ricavare il modo di farla dagli avanzi del maneggio del collegio e di altre diligenze che potessero praticarsi dai detti RR. PP., nè dovendo il collegio restare superfluamente caricato di case inutili sino che venga il tempo del bisogno, nè aspettare all'ultimo momento gli acquisti di quelle che di mano in mano possano bisognare, così sarà cura di quel signor governatore, che sarà deputato dall'illustrissimo capitolo, unitamente al padre rettore *pro tempore*, il riconoscere le circostanze nelle quali si ritroverà lo stato della casa maneggiata dal padre rettore, e da quello prendere il lume necessario per il principio e proseguimento della fabbrica ed acquisti da farsi successivamente.

XI. Perfezionata con l'annua rendita delle lire tremila riservate come sopra la reintegrazione totale della rendita attuale dell'eredità Longone, dovrà scaricarsi l'amministrazione del padre rettore delle dette dozzine de' signori alunni, e caricarsi alla stessa eredità Longone, come dovrà farsi la reintegrazione del prezzo sborsato per l'acquisto fatto della suddetta casa del padre Sitoni, restando frattanto li frutti della medesima nell'amministrazione de' padri rettori *pro tempore*, quali frattanto saranno tenuti al pagamento delle tasse, riparazioni ed ogni altro spettante a detta casa, ed il di più delle annue rendite da ricavarsi tanto dai proprì fondi, quanto dalle dozzine ed ogni altro emolumento come sopra, che risulteranno dall'annuale rendimento de' conti, come anche da ogni e qualunque altra parte, nissuna affatto eccettuata, si dovranno convertire in accrescimento per alunni da eleggersi da' signori conservatori, o in altro vantaggio e comodo del medesimo collegio per il sempre maggior di lei splendore e

avviamento in benefizio pubblico a giudizio dell'illustrissimo capitolo.

XII. Finalmente tutti e singoli li predetti patti vogliono le parti che s'intendano essere come sono correspettivi fra di loro, con obbligo reciproco d'una perpetua immancabile osservanza ed esecuzione, anche in via di condizione, senza la quale non si sarebbe venuto alla presente convenzione, riportandosi per ogni occorrenza delle cose contenute nella presente convenzione, e principalmente per il caso dell'inadempimento (quale però Iddio mai permetta che succeda), al supremo giudizio e cognizione dell'eccellentissimo senato, obbligandosi inoltre li padri infrascritti riportare di questa convenzione la ratifica del reverendo padre generale in ogni più ampla forma con inserzione delli presenti capitoli e del tenore intero de' medesimi, e questa per maggior abbondanza, non mai perchè si creda necessaria per la validità della medema, attesa la precedente delegazione fatta del detto reverendissimo padre generale, quale resta nell'arbitrio dell'illustrissimo capitolo. E per fede, ecc. Milano, 26 marzo 1737.

Sottoscritto D. Francesco Pezzi, proposito di S. Alessandro e conservatore; Giulio Reyna, conservatore; Carlo Maria Cavalli, conservatore; Cristofaro Mussone, visconte, conservatore; D. Giuseppe Maria Olivazzi, rettore del collegio Imperiale e delegato del molto reverendo padre generale; D. Francesco Maria Santini, delegato del reverendo padre generale, attestando l'assenza del reverendo padre provinciale D. Melchior Carpani.

*Subscript.* Ita in actis est. — I. C. Petrus Antonius Rusca, not. act. curiae archiepiscopalis Mediolani.

Commissio per dictam Congregationem data archiepiscopo Mediolanensi.

Die XXII novembris MDCCXXXVIII, sacra Congregatio eminentissimorum S. R. E. cardinalium Concilii Tridentini interpretum, attentis relationibus patris generalis Ordinis clericorum regularium S. Pauli et vicarii generalis Mediolanensis, perpensoque voto eminentissimi domini cardinalis Bichii ad huiusmodi negocium examinandum ab eâdem sacrâ Congregatione deputati, benigne commisit archiepiscopo Mediolanensi, ut, veris existentibus narratis, supradictam collegiorum unionem, cum conditionibus superius expressis, addito tamen pacto reversivo et regressus ad primaeva iura in casu inobservantiae pactorum seu dissolutionis unionis, pro suo arbitrio et conscientiâ gratis approbet atque confirmet.

*Signat.* A. cardinalis Gentili praefect. *Subscript.* C. A. archiepiscopus Philippensis, secret. Et *sigillat.*

Subdelegatio per hunc facta.

*A tergo:* Subdelegamus dominum vicarium generalem nostrum, eique vices nostras committimus, hac die XXIV decembris MDCCXXXVIII. *Signat.* C. C. archiepiscopus.

Visis relatione informativâ praefatae sacrae Congregationi per nos factâ sub die X nuperrime evoluti septembris, ac documentis in eâ citatis per oratorem praefatum exhibitis, ex quibus omnibus vera existere narrata comperimus. Harum itaque serie auctoritate apostolicâ qua fungimur vigore praemissae subdelegationis, omnique alio meliori modo, etc., supradictam collegiorum unionem, cum conditionibus superius expressis, cum pacto tamen reversivo et regressus ad primaeva iura in casu inobservantiae pactorum seu dissolutionis unionis, approbamus atque confirmamus, et seu deveniendi ad ipsam unionem, ac reducendi ad stipulatum, ut supra inter oratorem et praefatos dominos deputatos collegii Longoni concordata, ipsimet reverendo patri rectori facultatem concedimus atque impertimur, decernentes, etc. In quorum, etc. Mediolani ex palatio archiepiscopali hac die XXIV decembris MDCCXXXVIII. *Signat.* I. B. Campagnoli, vicarius generalis et subdelegatus apostolicus.

Ita in actis est. I. C. Petrus Antonius Rusca notarius actuarius curiae archiepiscopalis Mediolani.

Declaratum postmodum in capitulo generali rectori collegii nobilium privilegium competere accedendi ad capitula generalia.

§ 5. Interea vero temporis, quae[1] praemissa peragebantur, capitulum generale clericorum regularium Congregationis praedictae in civitate Mediolanensi anni MDCCXXXVII, celebratum fuit: in cuius

1 Potius lege *qua* (R. T.).

celebratione, ad instantiam dicti Iosephi Mariae, duo super unionis et incorporationis dictorum collegiorum concessione fuerunt proposita dubia, nimirum an collegium Imperiale nobilium Mediolani erectum inter alia collegia dictae Congregationis enumerandum esset, et an rectori dicti collegii concedendum esset privilegium accedendi ad capitulum generale. Super quibus responsum fuit affirmative, prout ex particulâ actorum capitularium tenoris qui sequitur, videlicet:

« Feriâ v, die xvi maii mdccxxxvii, praeside annuente, reverendus pater dominus Marius Maccabei, primus promotor, legit supplicem libellum porrectum a reverendo patre domino Iosepho Maria Olivazzi, etiam de consensu et nomine aliorum patrum in collegio Imperiali Longono secum commorantium, in quo petebatur ut collegium illud hoc anno sufficientibus redditibus in perpetuum firmatum inter alia Congregationis nostrae collegia recenseretur, et rector pro tempore iuribus omnibus ac privilegiis Bononiensis Poenitentiariae rectoris gauderet; cumque dictum fuerit supplicem libellum duas petitiones omnino distinguendas continere, utpote quod secunda maiore indigeret consideratione, idcirco primo facta fuit haec propositio: « Proponitur an collegium Imperiale nobilium Mediolani erectum et modo in perpetuum firmatum enumerandum sit inter alia collegia regularia Congregationis nostrae sub titulo rectoriae ». Et datis calculis, propositio fuit admissa. Secundo facta fuit haec altera propositio: « Proponitur an rectori praedicti collegii concedendum sit privilegium accedendi ad capitulum generale et in eodem votum ferendi »: et, datis calculis, conclusum fuit affirmative. Ego dominus Vacentinus Viani, clericus regularis S. Pauli, et admodum reverendi patris generalis cancellarius, suprascripta omnia fideliter extraxi, et pro fide me subscripsi cum eiusdem admodum reverendi patris generalis maioris sigilli appositione ». *Loco † sigilli.*

Provinciale petente.

§ 6. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus praepositus provincialis, praemissa, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desideret:

Praedicta omnia confirmatione apostolica roborantur.

§ 7. Nos, ipsum modernum praepositum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas conventiones et cessiones inter praedictos Iosephum Mariam rectorem supradicti collegii et deputatos collegii sic erigendi initas, a memorato Ioanne Baptista vicario generali archiepiscopi Mediolanensis, in vim facultatis a praedictâ Congregatione cardinalium illi attributae, cum omnibus et singulis in eis contentis approbatas, et concessionem a dicto capitulo generali factam, ut praefertur, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Clausulae ad firmitatem et observantiam inducendam.

§ 8. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices

ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 9. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon Congregationis et collegii praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII maii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 22 maii 1739, pontif. anno IX.

## CCLX.

*Confirmatio decreti Congregationis indulgentiarum sacrarumque reliquiarum, quo declaravit non spectare nec spectasse ad episcopum Terulensem facultatem benedicendi scapularia, seu parvos habitus B. Mariae de Monte Carmelo, non obstante consuetudine, et aggregatos recurrere ad superiores Ordinis pro novâ aggregatione.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Congregationis indulgentiarum decretum.

§ 1. Emanavit nuper a Congregatione venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium indulgentiis et sacris reliquiis praepositorum decretum tenoris qui sequitur, videlicet:

Episcopi Terulensis expositio.

*Beatissime pater.* Modernus episcopus Terulensis, humillimus S. V. orator, pari humilitate eidem exponit qualiter in civitate Terulensi adest conventus monialium Discalceatarum B. Mariae Virginis de Monte Carmelo nuncupatarum, ac iurisdictioni episcopali subiectarum, in quo ab initio fundationis mos admissus fuit ubique in Hispaniâ receptus induendi nimirum scapularia ab episcopo uti a legitimo superiore benedicta, sive cum ipsius facultate a capellano ordinario, ut usus fert, aliaque ita benedicta mittendi parentibus, propinquis, aut benefactoribus laicis, charitatis aut gratitudinis officio, piâ fide omnibus credentibus, scapularia, quae ita benedicuntur, habere indulgentias a Summis Pontificibus concessas eodem modo, quo ea, quae a fratribus Discalceatis eiusdem Ordinis benedicuntur. Nuper autem, cum praedicti fratres in huiusmodi civitate Terulensi fundaverint, nihil unquam super hoc actum, dictum vel in dubium versum est: sed, cum paucis ab hinc diebus prior in suo conventu sermonem populo dicens non dubitaverit publice asserere nullis scapularibus, nisi illis quae ab ipsismet fratribus benedicuntur, ullas indulgentias competere vel esse concessas, et aliter facientes aut sentientes, deceptos esse, ne, si huiusmodi propositio ad aures monialium perveniat, praebeat illis ansam dubitandi seu fundandi scrupulum circa hanc materiam, et praecipue circa validitatem indulgentiarum: idcirco humiliter S. V. supplicat quatenus benigne declarare dignetur scapularia ab oratore, uti a legitimo dictarum sanctimonialium praelato et superiore, vel ab alio capellano facultatem habente, benedicta, ut moris est, indulgentias praedicto Ordini concessas sine ullo dubio habere, quae utique a gestantibus lucrari valeant, servatis aliàs servandis, quemadmodum sic definiri sperat in summâ S. V. clementiâ. Quam Deus, etc.

Dictae Congregationis decretum.

Die XXII maii MDCCXXXIX, sacra Congregatio indulgentiis sacrisque reliquiis praeposita declaravit non spectare nec spectasse

ad episcopum Terulensem facultatem benedicendi scapularia seu parvos habitus B. Mariae Virginis de Monte Carmelo, non obstante consuetudine, et aggregati recurrant ad superiores Ordinis pro novâ aggregatione. L. episcopus Albanensis cardinalis Picus, praefectus. *Loco* † *sigilli.* I. archiepiscopus Tarsensis, secretarius.

Procuratoris generalis Ordinis petitio pro dicti decreti obtinendâ confirmatione, quam elargitur Clemens.

§ 2. Cum autem, sicut dilectus filius Vincentius a Conceptione, modernus procurator generalis Ordinis eorumdem fratrum B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, nobis nuper exponi fecit, ipse non solum decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, sed etiam, ad quamcumque dubitationem quae fortasse futuris temporibus super facultate et participatione huiusmodi praecidendam exoriri et excitari possit, facultatem benedicendi parvos habitus sive scapularia, quae christifidelibus distribuuntur, et ab ipsis[1] ad finem lucrandi et participandi indulgentias a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris illos et illa gerere solitis concessas, ad superiores Ordinis huiusmodi spectare et pertinere, per nos declarari plurimum desideret: nos, specialem ipsi Vincentio procuratori generali gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus.

1 Deest *gestantur* aut simile (R. T.).

Declaratio, ad superiores Ordinis privative spectare benedictionem scapularium.

§ 5. Ac insuper, ad praecidendam quamcumque dubitationem futuris temporibus fortasse exoriendam excitandamque super facultate benedicendi parvos habitus seu scapularia huiusmodi a confratribus confraternitatum sub invocatione B. Mariae de Monte Carmelo in quacumque mundi parte erectarum et erigendarum[1], ac participatione indulgentiarum gratiarumque spiritualium per Romanos Pontifices praedecessores nostros quibusvis christifidelibus habitum seu scapulare huiusmodi gestantibus concessarum, ad superiores Ordinis fratrum B. Mariae de Monte Carmelo, seu ad alios ab illis deputandos, privative spectare et pertinere, auctoritate et tenore praedictis, decernimus et declaramus: salvâ tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis cardinalium.

Clausulae pro decreti huius firmitate.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras et in eis contenta quaecumque firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Ordinis et Congregationibus huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmi-

1 Videtur deesse *gestari solita* (R. T.).

tate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis adhibenda fides.

§ 8. Volumus autem quod praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XII iunii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 12 iunii 1739, pontif. anno IX.

---

## CCLXI.

*Ut in priorem generalem Ordinis eremitarum sancti Augustini eligi possint ii, qui officium procuratoris vel assistentis generalis exercuerint, nullâ expectatâ temporis vacatione.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Aliàs declaratum a Pontifice procuratorem et assistentes generales eligi non posse in priorem generalem, nisi post sexennium vacationis officii.

§ 1. Cum aliàs, nempe die V februarii MDCCXXXIII, nos, motu proprio ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, statuimus et ordinavimus, ne deinceps, perpetuis futuris temporibus, ille ex fratribus Ordinis eremitarum sancti Augustini, qui procuratoris generalis aut aliquo quatuor assistentium generalium officio perfunctus fuisset, in priorem generalem ipsius Ordinis immediate, ac nisi prius ab officio huiusmodi per integrum sexennium vacaverit seu cessaverit, ullo modo eligi possit et valeret, et aliàs prout in nostris litteris desuper in simili formâ Brevis expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et de verbo ad verbum pro inserto haberi volumus, uberius continetur.

Dictam tollens declarationem quemcumque pristino restituit iuri.

§ 2. Nunc vero, iustis et rationabilibus ex causis nobis notis adducti, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, statutum et ordinationem huiusmodi a nobis, ut praefertur, factam, expeditasque desuper nostras litteras praedictas, cum omnibus et singulis in eis contentis quibuscumque, tenore praesentium revocamus, cassamus et annullamus, viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac ut in proximo futuro anno MDCCXXXIX in conventu S. Ioannis evangelistae civitatis Ariminensis, prout in capitulo anno MDCCXXXIII celebrato statutum fuit, et in quibusvis aliis capitulis generalibus dicti Ordinis pro tempore celebrandis, tam moderni quam pro tempore existentes procuratores et assistentes generales, nullâ temporis vacatione expectatâ, nec non illi et alii quicumque Ordinis praedicti fratres expresse professi, cuiusvis nationis existentes, si ad id idonei ceteroquin reperiantur, et nullum aliud canonicum eis obstet impedimentum, servatis aliàs servandis, ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in priorem generalem dicti Ordinis assumi et eligi, et sic assumpti et electi prioris generalis huiusmodi officium suscipere, gerere et exercere libere et licite possint, respective, motu, scientiâ, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, harum serie decernimus et ordinamus, dictosque fratres, quiqui aliquod ex officiis huiusmodi exercuerint, in pristinum ac eum in quo antequam litterae nostrae praedictae emanassent erant statum, motu, scientiâ et potestate similibus, restituimus et reintegramus, ac in posterum restitutos et reintegratos esse volumus et mandamus.

Sicque in perpetuum servari iubet.

§ 3. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec de subreptionis vel obreptionis aut de nullitatis vitio, vel intentionis nostrae aliove quolibet etiam formali et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut adversus illas[1] aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari, seu etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes litteras ab illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Quibuscumque non obstantibus.

§ 4. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV iulii MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno IX.

Dat. die 24 iulii 1739, pontif. anno IX.

1 Edit. Main. legit *illos* (R. T.).

---

## CCLXII.

*Confirmatio decreti capituli generalis Ordinis eremitarum sancti Augustini super prohibitione receptionis de* mulati *et* mestizî *in fratres provinciae Mexicanae eiusdem Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

In capitulo generali Ariminensi approbatum decretum, quo cavetur recipi in Ordine *Mulatos* et *Mestizos.*

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius Padilla, frater expresse professus et in sacrâ theologiâ magister, ac provinciae Mexicanae Ordinis eremitarum sancti Augustini procurator, quod in capitulo generali dicti Ordinis nuper in civitate Ariminensi celebrato, inter alia decreta a venerabili fratre Nicolao episcopo Isclano tunc dicti Ordinis magistro generali condita, approbatum fuit illud tenoris qui sequitur, videlicet:

Cum compertum sit, summum dedecus nostrae religioni inferri, si ex ignobili vulgo ad illam admittantur, qui in saeculo suis inhonestis et depravatis moribus despectum communem merentur, cuiusmodi sunt omnes illi qui vulgo *mulatos* et *mestizos* appellantur, nimisque indecens existimetur quod isti, animarum regimini incumbentes, superiorum sedes occupare sinantur: stricte praecipimus, sub poenis a nostris constitutionibus, part. II, cap. I, n. IV et VIII contra inhabiles recipientes, ut tales imposterum ad habitum religionis non admittantur; si vero contra hoc decretum recipi aliquando contigerit, irritam et nullam ipso facto receptionem et professionem fore de-

claramus: non enim est animus religionis illos admittere et veluti filios habere, quos respublica saecularis tamquam infamiae notâ affectos contemnit, et ob propriam vilitatem ab officiis honorificis excludit. Quapropter omnibus in futurum religionem ingressuris ante receptionem ad habitum et professionem hoc nostrum mandatum notificari praecipimus. Similiter prohibemus dictos *mulatos* et *mestizos* (si qui in dictâ provinciâ iam fuerint admissi) deinceps ad officia cum curâ animarum assumi, sub poenis ipso facto incurrendis nullitatis electionis aut nominationis, et, quoad eligentes et nominantes, privationis vocis activae et passivae per decennium, quod [1] olim respective ad dictos mulatos praeceptum a nostro praedecessore Fulgentio Travalloni in suis decretis anno MDCLXXXVIII pro dictâ provincia expeditis.

Procurator generalis Ordinis huiusmodi decretum petit confirmari.

§ 2. Cum autem, sicut dictus Ignatius nobis subinde exponi fecit, ipse, decretum huiusmodi, quo firmius subsistat et servetur exactius, apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri, summopere desideret:

Petitis annuit Clemens.

§ 3. Nos, ipsum Ignatium specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum, ac omnia et singula in eo contenta, a praedicto Nicolao episcopo et magistro generali condita, et a capitulo generali praedicto approbata, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique [1] inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus et sanamus.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et spectabit in futurum, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sic [2] in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die VI augusti MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 6 augusti 1739, pontif. anno X.

1 Videtur legendum *quoad*, seu *iuxta*, alioquin syntaxis suspensa maneret; vel post vocem *praefectum* adde *fuit* (R. T.).

1 Aut lege *illisque* (R. T.).
2 Legendum *sicque* (R. T.).

## CCLXIII.

*Confirmatio censurarum Sixti V ac nonnullarum Ordinationum pro Bibliothecâ Vaticanâ Apostolicâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Studium Romanorum Pontificum in libris conquirendis ad religionis decus et praesidium.

§ 1. Dignissimam regibus ipsis ac principibus ethnicae quoque superstitionis viris visam per omnes aetates, etiam antequam Evangelii lux in tenebris illuxisset, curam colligendi libros, et bibliothecas instituendi, quo priorum temporum res gestas et illustria vetustatis monumenta ab interitu eriperent, atque in longam, ad factorum celebritati, hominum laudi, et exemplorum splendori, necnon instituendis populis consulendum, posteritatis memoriam eruditionemque propagarent, laudatissimo studio ac sollicitudine incredibili non modo adaequare, sed superare etiam Romani Pontifices praedecessores nostri adlaborarunt, atque in iis praesertim undique conquirendis libris et codicibus, qui ad catholicae religionis decus, praesidium et incrementum conducerent. Quo factum est ut apostolica bibliotheca, ab iisdem non sine magnis sumptibus et laboribus instructa, semper insignis, post varias temporum vices, in Vaticanis demum aedibus, unde Vaticana pariter nuncupari coepit, collocata, atque ibidem a felicis recordationis Sixto V itidem praedecessore nostro, excitatâ a fundamentis elegantioris formae ditiorisque structurae mole, in salubriorem splendidioremque locum translata, ceterarum omnium bibliothecarum nobilissima et celeberrima habeatur.

Constructa bibliotheca Vaticana.

§ 2. Hanc quidem aliis aulis, armariis, pluteis, codicibus, libris, picturisque per felicis recordationis Paulum V, Urbanum VIII, Gregorium XV, Alexandrum VIII et Clementem XI pariter praedecessores nostros adauctam, haud excipiendis et adservandis impressis codicibus, quibus coëmendis non mediocrem pecuniae summam nos quoque contulimus, satis esse considerantes, primum quidem aliâ insigni aulâ armariis pluteisque constructis anno MDCCXXXII ampliavimus, deinde vero quamplurimis hetruscae vetustatis fictilibus vasis super armaria ipsa affabre dispositis ornavimus, tum etiam trecentaviginti octo aurea, argentea et aerea antiquorum Graeciae et Egypti regum ac Romanorum imperatorum maximi moduli numismata, suis singula ad maius spectantium commodum custodiaeque securitatem mobilibus circulis aereis inauratis innexa, in eâdem bibliothecâ curavimus reponenda, tum demum octoginta scuta monetae romanae in singulos annos in perpetuum eidem bibliothecae pro emendis cartâ, calamis, pergameneis, aliisque huiusmodi necessariis rebus ab apostolico palatio nostro persolvenda assignavimus, ut pecunia illa, quae ex redditibus[1] ex abbatiâ eidem bibliothecae addictâ provenientibus exigitur, ad coëmendos dumtaxat libros et codices erogetur, necnon praeterea quascumque expensas pro specularibus, armariis, pluteis, clavibus, pavimentis, parietibus, tectis, portis, fenestris, ceterisque rebus tam in ipsâ bibliothecâ quam in aedibus eidem annexis sive reparandis sive de novo faciendis necessarias, ab eodem apostolico palatio fieri mandavimus.

Pro firmiori eius statu atque ordine nonnullas stabiliendas leges decernit.

§ 3. Quoniam autem diuturnâ experientiâ compertum est, omnia, quae per summam industriam, maximos sumptus, assiduos labores comparata, ac providis etiam ordinationibus aliàs disposita fuerunt, saepe per hominum incuriam

1 Edit. Main. legit *reditibus* (R. T.).

ac temporum iniurias, nisi accurate custodiantur, novisque legibus opportune iterum atque iterum confirmentur, sensim posthabita ac neglecta, deinceps distrahi atque ad interitum perduci; et nos, qui privatam, dum adhuc in minoribus essemus, bibliothecam nobis construentes, quo meliori potuimus ordine cavimus ne quidquam imposterum deperiret, in hac sacrosancti apostolatus speculâ plane immerentes per divinae bonitatis abundantiam constitutos maxime decet ut maiori sedulitate ac vigilantiâ omnes apostolicae auctoritatis providentiaeque nostrae partes ad perpetuam eiusdem Vaticanae bibliothecae tutelam praesidiumque ac rectum ordinem collocemus.

Inscriptio a Sixto V portae bibliothecae supposita.

§ 4. Hinc est quod nos, praedicti Sixti praedecessoris vestigiis inhaerentes, ipsius Sixti tam inscriptionem ad dexteram portae bibliothecae praedictae suppositam hîc ad perpetuam memoriam inserimus, quae est tenoris sequentis, videlicet: « Sixtus V Pontifex Maximus bibliothecam apostolicam a sanctissimis prioribus illis Pontificibus, qui B. Petri vocem audierunt, in ipsis adhuc surgentis Ecclesiae primordiis inchoatam, pace Ecclesiae redditâ Laterani institutam, a posterioribus deinde in Vaticanum, ut ad usus pontificios paratior esset, translatam, ibique a Nicolao V auctam, a Sixto IV insigniter excultam, quo fidei nostrae et veterum ecclesiasticae disciplinae rituum documenta omnibus linguis expressa et aliorum multiplex sacrorum copia librorum conservaretur ad puram et incorruptam fidei et doctrinae veritatem perpetuâ successione in nos derivandam, toto terrarum orbe celeberrimam, cum loco depresso, obscuro et insalubri sita esset, aulâ peramplâ, vestibulo, cubiculis, circum et infra, scalis, porticibus, totoque aedificio a fundamentis extructo, subselliis pluteisque directis, libris dispositis, in hunc editum, perlucidum, salubrem, magisque opportunum locum extulit, picturis illustribus undique ornavit, liberalibusque doctrinis et publicae studiorum utilitati dicavit, anno MDLXXXVII, pontificatus IV »: quam eiusdem decretum, ad laevam quoque appositum, tenoris qui sequitur: « Sixtus V Pontifex Maximus. Perpetuo hoc decreto de libris Vaticanae bibliothecae conservandis, quae infra sunt scripta, hunc in modum sancita sunt, inviolateque observentur. Nemini libros, codices, volumina huius Vaticanae bibliothecae ex eâ auferendi, extrahendi, aliòve asportandi, non bibliothecario neque quibusvis aliis cuiusvis ordinis et dignitatis, nisi de licentiâ Summi Romani Pontificis scriptâ manu, facultas esto. Si quis secus fecerit, libros partemve aliquam abstulerit, extraxerit, erepserit, rapseritque, concesserit, corruperit dolo malo, illico a fidelium communione eiectus, maledictus, anathematis vinculo colligatus esto; a quoquam, praeterquam Romano Pontifice, ne absolvitor[1] »: non solum quoad libros, codices, volumina tunc temporis ab ipso Sixto praedecessore in eamdem bibliothecam illata et recondita tenore praesentium apostolicâ auctoritate confirmamus; verum etiam quoad omnes et singulos codices, manuscriptos, libros impressos, volumina, numismata, vasa, statuas, et quaecumque alia, sive quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, ac nobis ipsis, et quibuscumque personis cuiusvis status, gradus et conditionis quocumque tempore hactenus donata et empta, sive in posterum, ut praemittitur, donanda et emenda, et in eamdem bibliothecam invehenda, dummodo ta-

1 Edit. Main. legit *absolvitur* (R. T.).

men, postquam illuc invecta fuerint, in indicibus seu syllabis librorum rerumque bibliothecae praedictae descripta et adnotata reperiantur, tenore et auctoritate paribus, sub iisdem poenis et censuris a Sixto praedicto praedecessore inflictis, extendimus et ampliamus.

Leges in antecessum latas perpetuo praecipit observari.

§ 5. Praeterea, ne apostolicae providentiae, ordinationis ac regulae aliàs sapientissime constitutae, lapsu temporis cum eiusdem bibliothecae detrimento in desuetudinem abeant, non solum omnes et singulas leges pro rectâ administratione et conservatione tum a praefatis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, tum a S. R. E. praedictae cardinalibus pro tempore existentibus bibliothecariis, seu eiusdem bibliothecae protectoribus praescriptas, dummodo iis, quae mox statuenda sunt, non adversentur, iterum renovamus et confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo ferimus et promulgamus, verum etiam tenore et auctoritate similibus statuimus et in posterum perpetuis futuris temporibus servari mandamus.

Iubet ea praestari, quae custodibus mandata sunt.

I. Ac primum quidem omnia et singula, per alias nostras in simili formâ Brevis litteras in deputatione tam primarii quam secundi custodis expeditas cuilibet ipsorum iniuncta, iuxta earumdem litterarum seriem et tenorem omnino praestentur.

Inventarium faciendum et subscribendum a custodibus in adeundâ muneris possesione.

II. Antequam utrique, primario scilicet et secundo, eiusdem bibliothecae designato custodi per S. R. E. praedictae cardinalem bibliothecarium seu eiusdem bibliothecae protectorem pro tempore existentem in ipsâ bibliothecâ detur sive seorsim sive coniunctim muneris demandati possessio, conficiatur repertorium seu inventarium omnium et singularum rerum ac librorum in praedictâ bibliothecâ existentium, de quibus omnibus et singulis, cum opus fuerit, ipsi custodes omnimodam reddere tenentur rationem. Repertorii seu inventarii huiusmodi, tum ab altero custode, a quo possessio adeunda est, tum a tabellione seu notario subscribendi, duplex exemplum fiat, alterum in actis eiusdem tabellionis seu notarii, alterum in archivio bibliothecae praedictae custodiendum; semel pro uno custode factum (novâ tamen earumdem rerum librorumque praecedente recensione, additâque aliarum fortasse rerum et librorum de novo illatarum et illatorum accessione) eodem pariter modo subscribatur ab altero custode et tabellione seu notario in possessionis huiusmodi aditione.

Indicum claves penes custodes semper sint, rerum vero quae exteris hominibus inspicienda exhibentur conservatoribus tradi possint.

III. Claves indicum seu syllaborum[1] codicum manuscriptorum, librorum impressorum, aliarumque rerum, sit[2] penes utrumque custodem, exceptis clavibus eorum armariorum, in quibus solita vetustatis monumenta exteris hominibus inspicienda admirandaque exhibentur; hae quidem claves ad effectum huiusmodi et eorumdem hominum exterorum[3] commodum conservatoribus vulgo *scopatori* ad ipsorum custodum arbitrium tradi possunt. Verum, ut longior in aperiendis occludendisque tot armariis, in quibus tam diversa codicum, librorum, rerumque pulcherrimarum copia recondita est, mora auferatur, et maior rerum ipsarum custodia habeatur, in unum aut plura armaria conferantur recondanturque, ea scilicet, quae, ut praemittitur, spectanda sunt.

Nemini pateat aditus ad bibliothecam nisi statutis diebus et horis.

IV. In bibliothecam aditus vel accessus, quemadmodum usque ad hanc diem mos tenet, unicuique iis de mane dumtaxat pateat diebus, in quibus custodes,

1 Edit. Main. legit *syllabarum* (R. T.).
2 Videtur legendum *sint* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *ceterorum* pro *exterorum* (R. T.).

scriptores, aliique ministri suis muneribus functuri per integrum trium horarum spatium interesse debent: quo sane tempore elapso, omnes ac praesertim exteros quoscumque homines abire iubeatur.

Quibus diebus ministri bibliothecae ad eam non accedunt, unus conservatorum ad eam accedat pro rebus bene disponendis.

v. Praeter dies in indiculo per dilectum filium nostrum Angelum Mariam S. R. E. cardinalem Quirinum nuncupatum, modernum bibliothecae praedictae protectorem, approbato ac typis edito, et in aulâ quae dicitur *scriptorum* proposito, descriptos, in quibus omnes, ut praefertur, ministri matutinis horis ad ministerii sui oneribus faciendum satis bibliothecam adire tenentur, alter tantum conservatorum seu scopatorum in reliquis diebus feriatis, tam de mane quam post meridiem, per hebdomadam, sive alternis diebus, illuc accedat, ut inspiciat, an omnia bene se habeant, eaque disponat quae ad tutam rerum omnium custodiam necessaria sunt.

Ministri negligentes a cardinali protectore admonendi.

vi. Si contingat, quemcumque ex antedictis ministris, nullâ legitimâ causâ impeditum, eâ qua par est frequentiâ ac debitâ sedulitate per statos dies bibliothecae non adesse, aut officio suo non satisfacere, certior fiat cardinalis bibliothecarius seu protector, qui delinquentem admoneat.

Codices praestantiores non conferendi, etc. nisi de licentia Summi Pontificis.

vii. Ob ingentem copiam codicum linguis fere omnibus manuscriptorum, tum diuturni temporis notis tum rerum abditarum singularitate insignium, quibus, praeter libros typis impressos propter multiplicium elegantiumque editionum praestantiam plurimi habitos, cumulata bibliotheca Vaticana reperitur, cum factum sit ut undique concurratur ad exempla ex ipsis authographis sive exscribenda sive aliunde sumpta cum iisdem conferenda, variantibusque lectionibus illustranda, id nullo pacto nisi de Romani Pontificis pro tempore existentis facultate in scriptis datâ permittatur, dummodo descriptio sive collatio huiusmodi non foret de rebus non tam gravis momenti, tunc enim facultas, solitis tamen obstricta legibus, penes custodes dumtaxat esto. Verum nolumus, imo expresse prohibemus, descriptiones collationesque praedictas, factâ etiam, ut praemittitur, describendi conferendique potestate, fieri iis diebus, in quibus non solum sunt in bibliothecâ feriae, verum etiam uterque custos fortasse aberit; ab altero enim eorum tradendi sunt codices manuscripti, qui sub utriusque custodiâ, ut praemittitur, habentur.

Horum arbitrio dandum ministris, ut publicae incumbant utilitati.

viii. Utrique custodi sicut iniungimus ut nullo pacto sinant scriptores atque alios bibliothecae ministros per dies bibliothecariis muneribus addictos in alia quaecumque, praeter ea ad eiusdem bibliothecae utilitatem conducentia et proficua ministeria incumbere; ita eorumdem arbitrio relinquimus, ut, si expediens censuerint, alicui ex scriptoribus, opus publicâ luce dignum fortasse aggresso, interdum in diebus etiam huiusmodi in illo dumtaxat adornando immorari indulgeant. Prodest enim bibliothecae, ut eos habeat scriptores, qui non venales et mercenarios pro aliis, sed praeclaros ingenii labores ad publicam utilitatem conferant.

Collationes, etc. in custodum conspectu faciendae.

ix. Collationes descriptionesque quaecumque, sed praesertim ex codicibus manuscriptis faciendae, in eâdem ante bibliothecam aulâ in custodum scriptorumque conspectu fiant, ne manuscripti codices quovis modo corrumpantur, aut folia lacerentur vel decerpantur. Qua super re a custodibus omnem requirimus, iisdemque iniungimus diligentiam.

De codicibus commodandis sanctio Sixti V servanda.

x. De manuscriptis omnibus codicibus aliò quacumque ex causâ transferendis et cuicumque commodandis Sixti praedicti praedecessoris sanctionem sub iis-

dem poenis et censuris renovamus. De libris vero excusis eadem prorsus ratio et consuetudo, usque ad hanc diem retenta, firma remaneat.

Codicum, librorumque prohibitorum invisendorum facultas a Romano tantum Pontifice danda facultas.

xi. Cum erronea haereticorum aliorumque auctorum scripta ac libros pro eorum perpetuâ damnatione in scriniis S. R. E. reservari mandasset Concilium Romanum anno DCCXLVII sub sanctae memoriae Zacharia Romano Pontifice itidem praedecessore nostro celebratum, ac propterea in eâdem Vaticanâ bibliotecâ magna codicum librorumque huiusmodi supellex recondita reperiatur; nos per alias pariter nostras in simili formâ Brevis litteras perpetuis futuris temporibus valituras, quas tenore praesentium iterum confirmamus, satis consuluimus quoad custodes aliosque bibliothecae praedictae inservientes; quoad exteros vero, nemini, nisi cui ab Apostolicâ hac S. Sede facultatem impertitam fuisse constiterit, aut legendi aut describendi codices librosque prohibitos copia fiat.

Ignes, facesque nec de nocte in bibliothecam inducendae.

xii. Insignibus bibliothecis detrimentum atque interitum ex incuriâ custodiae a furibus et ab ignibus allatum fuisse memores, praecipimus ut accurate portae fenestraeque occludantur, neque unquam ignes facesque in bibliothecam praedictam deferantur, minus vero noctis tempore codices, volumina, libros, ceteraque inibi contenta, cuicumque personae cuiusvis auctoritatis et conditionis adhibitis luminibus ostendere quivis audeat.

Opera maioris momenti in pergamenis scribenda.

xiii. Quod antiquis, antequam typographica ars inventa esset, in more positum erat ut res maioris momenti, perpetuae memoriae ad posterorum utilitatem consignandae, in membranis pergamenisque cartis potissimum scriberentur, unde quaecumque illustrium virorum pauca habemus monumenta vetustatem temporumque iniurias vicerunt, in bibliothecâ Vaticanâ, quae prae ceteris ob ingentem codicum in membranis pergamenisque cartis tam scite exaratorum multitudinem maxime commendatur, quantum fieri potest retineatur, cum sive exempla ex vetustissimis in vili cartâ descriptis codicibus, nondum impressis, atque adeo blattis tineisque corrosis, ne pereant, instauranda, sive nova auctorum opera, ceteroquin luce dignissima, quomodocumque lucem non visura, sunt describenda.

Officio scriptoris vacante candidati per concursum probandi.

xix. Praeterea in deputatione cuiusvis scriptoris in posterum faciendâ omnino restituatur ac servetur consuetudo, paucis ab hinc annis interrupta, candidatos nimirum scriptoris officium ambientes per plurium concursum, ut dicitur, probandi, perfecte ne linguam, cuius munus obituri sunt, praeter linguam latinam in qua debent omnes esse non mediocriter versati, calleant; politiori etiam elegantiorique eiusdem linguae, praeter latinam pariter, stilo manuque in exarando praestantiores sint.

In emendis libris editiones praestantiores comparandae.

xv. In emendis quoque libris, editiones elegantiores correctioresque iuxta dignitatem auctoritatemque Vaticanae bibliothecae undique conquirantur, atque ii maxime libri, adhibitâ omni diligentiâ, comparentur, qui ad orthodoxae religionis praesidium subsidiumque salutares et proficui existimantur; nec tamen omittantur libri aliarum bonarum artium, ac doctrinarum, ut bibliotheca apostolica omnium celeberrima magis magisque in dies increscat et adaugeatur.

Cardinalibus bibliothecariis data facultas alias opportunas faciendi leges.

xvi. Cetera denique, si quae in futurum novis per temporum vices legibus ordinationibusque indigere compertum fuerit, ordinanda relinquimus moderno ac pro tempore existentibus S. R. E. cardinalibus bibliothecariis seu

bibliothecae laudatae protectoribus, quos etiam rogantes, iisdem insimul committimus et mandamus ut debitam fidelemque omnium et singularum legum ordinationumque per easdem praesentes nostras litteras praescriptarum executionem et observantiam curent, promoveant, atque ab iis, quorum interest, fortiter suaviterque exigant.

Praesentibus litteris perpetuam dat firmitatem Pontifex.

§ 6. Decernentes, easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIV augusti MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 24 augusti 1739, pontif. anno. x.

---

## CCLXIV.

*Confirmatio ordinationis abbatis generalis Ordinis canonicorum regularium sancti Antonii Viennensis super prohibitione gestandi fictitiam caesariem.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Aliàs prohibitum canonicis huius Ordinis sub poena privationis officii gestandi fictitiam caesariem.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Petrus Verger, modernus procurator generalis Ordinis canonicorum regularium sancti Antonii Viennensis pro parte etiam dilectorum filiorum Nicolai Gasparini abbatis generalis et definitorum dicti Ordinis, quod aliàs, ad auferendum abusum, qui inter nonnullos praedicti Ordinis canonicos regulares irrepere coeperat, utendi fictitià caesarie, vulgo *parucca*, illamque publice gestandi, die XX aprilis MDCCXV tunc existentes abbas generalis et definitores Ordinis praedicti, sub poenâ formalis inobedientiae, per suum decretum prohibuerunt, ne canonici regulares praedicti Ordinis crinitie praedictâ uterentur; quod a capitulo generali eiusdem Ordinis anno MDCCXX celebrato, confirmatum fuit, adiectâ in dicto capitulo poenâ privationis cuiuscumque dignitatis et officii dicti Ordinis per transgressores seu inobedientes incurrendâ: et subinde per aliud decretum a definitorio Ordinis huiusmodi die XIV septembris MDCCXXVII editum primodictum decretum renovatum remansit. Insuper, his non obstantibus, cum abusus huiusmodi sensim magis magisque in dies augeri videatur, dictus Nicolaus abbas generalis die XI ianuarii proxime praeteriti, de eorumdem definitorum unanimi voto et assensu, novam eâ super re ordinationem edidit, qua praemissa non solum confirmavit et innovavit, verum etiam de novo intimavit, decernens in contravenientes poenam suspensionis ipso facto incurrendam, eidemque poenae subiiciens canonicos regulares praedictos caesarie huiusmodi utentes, nisi illam intra terminum unius anni deponerent, prout continetur in eiusdem Nicolai abbatis generalis ordinatione tenoris qui sequitur, videlicet:

*Nicolaus Gasparini Dei et Sanctae Sedis apostolicae gratiâ abbas inclitae abbatiae sancti Antonii Viennensis, necnon canonicorum regularium sancti Augustini, Ordinis eiusdem sancti Antonii magni abbatis superior generalis.*

Ad supremum sancti Ordinis nostri regimen, imparibus licet meritis, divinâ id iubente providentiâ, vocati, sacrum religiosae disciplinae depositum illibatum atque

inviolatum servare, occurrentibus difficultatibus non deterriti, alacri animo, toto affectu et totâ mentis contentione, intendimus, atque erectâ in Deum fiduciâ semper intendimus[1]; illudque praecipue considerantes, nobis, praeter communem omnibus pastoribus vigilantiae curam, impositum esse onus sartam tectam custodiendi laudabilem reformationis nostrae, elapso ab hinc circiter seculo institutae, formam. Verum, proh dolor!, ubi primum ex hac nostrâ laboriosâ sollicitudine fructum aliquem nos accepturos speramus, saepe comperimus malum hominem non desistere, quominus pravi operis semina iaciat, quae bonum semen obruunt. Mala autem semina vocamus abusus et corruptelas identidem renascentes; quos quidem eradicare eo magis studere debemus, quo abundantius repullulant. Quis vero inter huiusmodi abusus invalescentem in dies quorumdam canonicorum nostrorum morem non computet, amisso[2] naturali capitis praesidio, comas sibi adscitias comparandi, sub vano vel salutis corporalis conservandae praetextu, germani capillitii supplendae raritatis, vel etiam, ut nonnulli aiunt, proprii commodi gratiâ? Nam, praeterquam quod hac nimium delicatâ agendi ratione videntur velle personarum saecularium habitum, qua potis est via, aemulari, infirmisque proinde scandalum ponunt, praeter id, inquam, cogitare deberent illi, non decere homines religiosos, praesertimque reformatos, tantam in curandâ cute cautionem adhibere, cum per professionem suam his vitae commoditatibus quantumvis perlicitis nuntium remiserint. Sed quorsum professionis religiosae obligationes commemoramus? Quandoquidem constat canonibus sacris et pontificiis sanctionibus vetitum esse viris omnibus ecclesiasticis, ne textilem caesariem capiti circumponant; quas certe regulas mandatis episcoporum quamplurium renovatas palam est vigere multis in dioecesibus.

Hunc porro, quem insectamur, abusum sublatum cupiens venerabile definitorium, decretum ediderat xx aprilis die anno MDCCXV, quo, sub poenâ formalis inobedientiae, interdicebantur apud nos fictitia capillamenta (gallice *perruques*); quam legem confirmavit generale capitulum anni MDCCXX, sess. XIII, imponens praeterea transgressoribus poenam privationis cuiuscumque dignitatis et officii in Ordine, decreto venerabilis definitorii sub datâ XIV septembris anni MDCCXXVII dein renovatam.

Attamen non sine intimo cordis moerore advertimus, plures e canonicis nostris tam gravis et tam saepe iterati praecepti immemores esse, vel forte, quod peius est, ipsum parvi pendere.

Hac igitur de causâ, de reverendorum patrum definitorum consilio et assensu unanimi, ne videamur silentio nostro subditorum fovere inobedientiam, imo, ut etiam recrudescenti malo fortiora opponamus medicamenta, hocce praesenti mandato innovamus et denuo intimamus decreta tum venerabilis capituli generalis, tum venerabilis definitorii supra laudata; et insuper iubemus ut nemo ea transgredi ultra audeat, aut comas adscititias, vulgo *perruques* dictas, assumat, sub poenâ suspensionis ipso facto incurrendae. Circa eos autem, qui huiusmodi comis fictitiis seu perrucis nunc utuntur, decernimus, ut, nisi eas deposuerint intra annum a praesentium intimatione computandum, simili suspensionis poenae exemplo subiaceant, stricte iniungentes omnibus et quibuscumque respective domorum nostrarum superioribus, ut praesens decretum in oratorio publice legi, in libris insinuationum interseri, ac sedulo observari curent, nosque de praedictorum executione certiores faciant. Datum apud S. Antonium Viennensem die XI iannarii anno MDCCXXXIX. N. GASPARINI abbas generalis S. Antonii. De mandato praefati reverendissimi abbatis generalis S. BOUDET, def. secr. *Loco † Sigilli.*

§ 2. Quoniam autem, sicut dictus Petrus procurator generalis nobis subinde exponi fecit, ordinatio praeinserta, ad regularis disciplinae manutentionem necessaria, debitae executioni adhuc demandata

Dictam legem sub variis praetextibus inobservatam a nonnullis, auctoritate apostolica communiri petiit procurator generalis.

1 Videtur legendum *intendemus* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *abisso* pro *amisso* (R. T.).

non fuit ex eo quod quidam ex praedictis canonicis regularibus, sive in hac almâ Urbe nostrâ, seu in Avenionensi, aliisque civitatibus existentes, sub fictis et ementitis vel saltem vanis et subtilibus praetextibus, caesarie huiusmodi utendi licentiam a nobis seu nostris et Sedis Apostolicae nunciis reportaverint; quod cum religiosae modestiae regularique observantiae contrarium, tum nihil saepius nihilve strictius tum a sacris canonibus tum per Concilium Tridentinum Ordinisque praedicti statuta praeceptum[1] existit, dedecetque viribus regularibus eo uti ornamento: proinde dictus Petrus procurator generalis ordinationem praedictam per nos confirmari, ac in praemissis opportune indulgeri providerique per nos plurimum desideret:

Eam itaque confirmat Clemens.

§ 3. Nos, ipsum Petrum procuratorem generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus suo et eorumdem abbatis generalis et definitorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertam ordinationem a memorato Nicolao abbate generali de unanimi dictorum definitorum voto et assensu ut praefertur factam, cum omnibus et singulis in eâ contentis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dictâ auctoritate supplemus et sanamus, necnon quascumque licentias et facultates gestandi caesariem praedictam per quoscumque dicti Ordinis canonicos regulares tam a nobis quam a nostris et Sedis praedictae nunciis seu a quibusvis aliis, sub quavis causâ, ratione et praetextu obtentas et pro tempore obtinendas, per praesentes, auctoritate et tenore praedictis, annullamus, cassamus et irritamus, viribusque et effectu evacuamus, ac annullatas, cassatas et irritas, ac nullius roboris et momenti fore et esse declaramus.

1 Forsan legendum *prohibitum* (R. T.).

Sicque in perpetuum praecipit observari.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque, firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab illis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et dictae Sedis nuntios, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus apostolicis, necnon dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores, praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemisso-

rum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die IX septembris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 9 septembris 1739, pontif. anno X.

---

## CCLXV.

*Confirmatio regularum pro monachis Graecis Melchitis nuncupatis Congregationis sancti Ioannis Baptistae in Soairo in Monte Libano Romae degentibus ad ecclesiam S. Mariae in Domnicâ, quae ecclesia etiam cum omnibus dependentiis eisdem conceditur.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Prooemium.

Sol iustitiae Iesus Christus fidei nostrae auctor et consummator, qui, sicut aquila provocans ad volandum pullos suos et super eos volitans, expandit alas suas et assumpsit eos atque portavit in humeris suis, gallinae quoque similitudinem congregantis sub alas pullos suos assumere voluit, inter praecipua divinae charitatis ornamenta catholicae Ecclesiae sponsae suae legata, hoc prae ceteris in fine commendare dignatus est, ut tamquam communis omnium fidelium mater ex universis quae sub caelo sunt nationibus filios ad ipsius sinum accurrentes amantissime exciperet ac foveret. Eapropter Romanae Ecclesiae Summi Pontifices praedecessores nostri, quos suos in terris vicarios usque ad consummationem saeculi constituit pastorum princeps, eiusdem exemplis eâ qua decet veneratione semper obsequentes, non solum populos e remotissimis ac dissitis regionibus ad omnium ecclesiarum matrem et magistram venientes benignissime complexi sunt, verum etiam in omnes orbis terrae partes apostolicos viros, qui undique conquirerent, allicerent, atque ad ipsam deducerent filios, mittere consueverunt. Nos autem, quibus nullum est iucundius solatium, quam ut Romanae Ecclesiae per spirituale connubium nobis desponsae[1] eos etiam demus filios, qui, licet alibi nati, hic tamen instituti, ad fratres suos communi matri conciliandos aliquando pergant, nunquam omisimus, quin laudatissima eorumdem praedecessorum nostrorum studia consectaremur.

Ecclesia S. Mariae in Domnicâ monachis Soaritis data.

§ 1. Enimvero inter alios diversarum nationum dilectos filios, quibus in hac almâ Urbe nostrâ et alibi opportuna apostolicae benignitatis commoda impertiti sumus, dilectis itidem filiis monachis Graecis Melchitis dictis Congregationis S. Ioannis Baptistae in Soairo in Monte Libano, qui e Phoeniciâ sive Syriâ Romam appulerunt, ecclesiam S. Mariae in Dominicâ seu Domnicâ, vulgo *della Naviccella*, de dilecti filii nostri Nicolai S. R. E. presbyteri cardinalis Coscia nuncupati eiusdem ecclesiae titularis consensu, die XXIII iulii anno MDCCXXXIV concessimus. Ecclesiae vero adiectarumque eidem parvarum aedium rerumque sacrarum et profanarum possessionem illi die XXIX eiusdem mensis et anni adierunt.

Regulas ii sibi constituerunt.

§ 2. Interea temporis nonnullas sibi regulas pro debitâ iuxta eorumdem institutum regularis disciplinae observantiâ praescripserunt: quas, cum dilectus pariter filius noster Ludovicus S. R. E. praefatae presbyter cardinalis Belluga nuncupatus accurate perpensas probasset, apostolicae etiam auctoritatis nostrae confirmatione dignas existimavit.

[1] Forsan legendum *desponsatae* (R. T.).

Earumdem autem tenor est qui sequitur, videlicet:

*Regulae pro monasterio S. Mariae in Domnicâ monachorum Graecorum Melchitarum Congregationis S. Ioannis in Soairo nuncupatae.*

Monachi post studia parati debent esse ad obeundas missiones.

I. Cum hoc monasterium S. Mariae in Domnicâ a sanctissimo domino nostro Clemente XII, pontifice maximo, ad propagandam conservandamque religionem catholicam Romanam apud Melchitas graeci ritus in Syriâ, monachis catholicis eiusdem nationis Congregationis S. Ioannis in Soairo concessum sit: dabit operam eiusdem loci abbas ut ex monachis, quos de familiâ perpetuo habere debet, nonnulli religiosi ad litterarum studium deligantur, qui, eo completo, prompti paratique sint ad eas missiones obeundas, ad quas illos sacra Congregatio de Propagandâ Fide mittendos iudicabit.

Qualitates requirendae in monachis Romam ab abbate generali mittendis.

II. Oneratur conscientia abbatis generalis, ne Romam mittat nisi monachos iam professos, singulari pietate ornatos, moribus integerrimis praeditos, et optimâ corporis valetudine instructos: ii vero, qui ad studia erunt designati, nec sint aetate minores annis duodeviginti, nec maiores annis quadraginta. Omnes praeterea debent, vel esse sacerdotes, vel ad sacerdotium, aetate a sacris canonibus praescriptâ, hic in Urbe ab episcopo graeci ritus promoveri.

Unus ex cardinalibus Congregationis de Propaganda fide huic monasterio datur in protectorem.

III. Unusquisque dimissorias abbatis generalis secum deferre teneatur, quae statim eminentissimo domino protectori erunt exhibendae. Is autem semper erit unus ex cardinalibus sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, cuius directioni ac regimini tam monachi quam monasterium praefatum S. Mariae in Domnicâ subiaceat.

Iuramentum a monachis studentibus praestandum.

IV. Simul ac Romam pervenerint, expleto mense, spiritualibus exercitiis decem vel octo dierum spatio diligenter incumbant: quibus peractis, qui ad studia sunt destinati, coram abbate iuramentum praestent iuxta formulam hic appositam, exhibendum postea in proprio autographo sacrae Congregationi de Propagandâ Fide: *Ego N. N. monachus professus Congregationis monachorum Graecorum Melchitarum S. Ioannis in Soairo nuncupatae iuro et promitto in manibus R. P. N. N. abbatis monasterii S. Mariae in Domnicâ, me ab hoc monasterio non discessurum, neque discedere curaturum mediate vel immediate per me vel per interpositam personam, nisi ex legitimâ causâ admittendâ ab eminentissimo ac reverendissimo domino cardinali protectore; insuper pro fide catholicâ propugnandâ ad eum locum sine repugnantiâ me iturum, ad quem a sacrâ Congregatione de Propagandâ Fide destinatus fuero. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.*

Tempus morae per singulos monachos in hoc monasterio faciendae.

V. Tam studentes quam ceteri monachi ultra octo annos in praedicto monasterio morari non poterunt. Quod si aliqua urgeat necessitas, et ratio expostulet ut aliquis eorum, vel perpetuo, vel ad aliquod certum tempus, ultra octo illos annos moretur, facultas omnino ab eminentissimo protectore petatur, excepto abbate, cuius mora in hoc monasterio vel regressus in Syriam a generali abbate dependet.

Cui monachi et abbas subiecti esse debeant.

VI. Omnes sint subiecti abbati generali in Syriâ residenti, itemque abbati qui ab eodem in praedicto monasterio constituitur. Abbas autem ad hoc monasterium destinatus patentes suas litteras eminentissimo protectori exhibebit. Nec abbati verò nec aliis liceat aliquem monachum in Syriam, nondum completis octo annis, absque facultate et consensu eminentissimi protectoris dimittere.

Regulae et ritus inibi observandi.

VII. Omnes diligenter observent regulam et monasticas constitutiones, quae apud reliquos eiusdem Congregationis monachos Graecos Melchitas in Syriâ vigent et solent observari. Praeterea servent ritum graecum a S. R. E. approbatum iuxta decretum sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, tam quoad sacram liturgiam ac divina officia, quam quoad ieiunia.

Cura abbatis de monachis.

VIII. Monasterii abbas monachos de rebus omnibus necessariis provideat, et in iis quae ad victum et vestitum spectant, quoad fieri poterit, consuetudinem ceterorum Syriae monasteriorum sequatur.

Studia, quibus incumbere debent.

IX. Doceantur monachi, praeter linguam arabicam et graecam, etiam superiores scien-

tias, videlicet dialecticam, philosophiam ac theologiam, tam moralem quam polemicam. Quod si contingat ut aliquis idoneus ad linguam latinam habeatur, permittat abbas ut ille in monasterio, ultra annos praescriptos, alterum annum vel duos etiam commoretur, habitâ tamen eminentissimi protectoris facultate.

Methodos studiorum praescripta.

x. Lectiones tum linguarum tum scientiarum in publico loco sunt habendae per quinque dies qualibet hebdomadâ, exceptis diebus festis, necnon vacationibus, quas eminentissimus protector describi in catalogo iubebit; horis quidem antemeridianis per horam cum dimidio; horis vero pomeridianis per unam horam: ita tamen ut horarum canonicarum in choro ab omnibus simul pensum quotidianum persolvatur.

Tempore lectionum domo egredi nemo debet nisi ex urgenti necessitate.

xi. Prohibentur lectores et studentes vel se se quotidianis lectionibus eximere, vel domo, diebus sibi ad studium statutis, sub quocumque praetextu vel causâ exire, nisi post completas lectiones absolutasque ceteras exercitationes die illâ peragendas. Primo[1] monasterii tamen necessitate permittitur abbati sacerdotes studentes ad sacram liturgiam celebrandam extra domum destinare ad summum duos per hebdomadam, ita ut in sequenti alii duo primis succedant.

Studentes officiis distractivis non onerandi.

xii. Studentes officiis distractivis non onerentur, ut puta, procuratoris, cellerarii et similibus, quae studiis litterarum obesse credantur.

Visitationes monasterii per eminentissimum protectorem et secretarium sacrae Congregationis de Propaganda faciendae.

xiii. Quolibet semestri publicum habeatur examen circa cuiusque studentis profectum coram abbate, ceterisque monachis sacerdotibus: semel in anno eminentissimus protector unâ cum reverendo patre domino secretario sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, vel hic solus unâ cum aliquo linguae arabicae et graecae perito, necnon scientiarum, quibus monachos operam dare contigerit, visitare monasterium dignetur ad explorandum studentium progressum atque monachorum statum agnoscendum.

Quolibet die dominico habenda catechesis.

xiv. Omnibus diebus dominicis singuli studentes per turnum in publico monachorum conventu concionem, seu catechesim, vel solutionem alicuius casus conscientiae, aut difficultatis ex theologiâ polemicâ habeant.

1 Videtur pro *Primo* legendum *Pro* (R. T.).

Completo studiorum cursu monachi in Syriam transmittendi.

xv. Completis annis octo, nullâ interpositâ morâ, monachi studentes, cum consensu eminentissimi protectoris, in Syriam ad abbatem generalem transmittantur; illosque idem abbas generalis in illo monasterio collocabit, prout magis expedire in Domino iudicabit.

Hospitalitas servanda.

xvi. Peregrini Graeci Melchitae, qui ex Syriâ, Palaestinâ et Ægypto ad Urbem sacra loca visitaturi accedunt, iuxta religiosae hospitalitatis regulam ad triduum excipiantur.

Approbatio regularum per cardinalem Belluga.

Nos infrascripti regulas istas, monachis Graecis Melchitis Congregationis sancti Ioannis Baptistae in Soairo nuncupatae apud ecclesiam S. Mariae in Domnicâ habitantibus praescriptas, diligenter accurateque perpendimus. Cumque nihil contineant, quod orthodoxae fidei, bonis moribus aut disciplinae monasticae adversetur, dignas iudicamus, quae litteris apostolicis confirmentur. In quorum fidem, hac die III augusti MDCCXXXIX.

LUDOVICUS card. BELLUGA.

Ipsi monachi eas confirmari petunt.

§ 3. Quoniam autem, sicut[1] monachi praedicti nobis nuper exponi fecerunt, ipsi supradicta omnia, et praeinsertas regulas, quo firmius subsistant et serventur exactius, apostolicae confirmationis nostrae munimine corroborari summopere desiderant: nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut, non solum sibi in praemissis opportune providere, verum etiam emolumenta eidem ecclesiae addicta sub titulo simplicis beneficii seu canonicatus, dilecto pariter filio Francisco Clementi Ceccarini presbytero collati, et per eum de praesenti possessi, ipsis, post eiusdem Francisci Clementis obitum, nunc pro tunc in perpetuum assignare de benignitate apostolicâ dignaremur.

Praestat Pontifex et monasterio unit benefi-

§ 4. Nos, ipsos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volen-

1 Verba *autem, sicut* nos addimus (R. T.).

cium simplex aliàs in eadem ecclesià erectum.

tes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causà latis, si quibus quomodolibet innodatae existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, concessionem memoratae ecclesiae S. Mariae in Dominicà seu Domnicà eisdem monachis Graecis Melchitis, de consensu dicti Nicolai cardinalis et titularis, cum omnibus et singulis rebus et supellectilibus tam sacris quam profanis in eà existentibus, aediumque ecclesiae praedictae annexarum et connexarum, necnon possessionem praemissorum omnium a monachis praedictis captam, et regulas praeinsertas, auctoritate apostolicà, tenore praesentium, approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus, dictosque monachos, donec et quousque ibidem remanserint, et ecclesiae praedictae inservierint, in locum eiusdem Francisci Clementis, quoad possessionem praefati simplicis beneficii ecclesiastici seu canonicatus nuncupati, dictae ecclesiae annexi, post Francisci Clementis praedicti obitum, in omnibus et per omnia, auctoritate et tenore praedictis, substituimus et subrogamus. Ceterum volumus, ut fructus, redditus et proventus dicti beneficii, donec et quousque ipse Franciscus Clemens vixerit, illi persolvantur, et monachi praedicti, nonnisi post obitum huiusmodi, seu renunciationem aut cessionem beneficii huiusmodi per memoratum Franciscum Clementem ad eorum favorem faciendam, dicti beneficii possessionem apprehendere, illiusque bonorum ac dictorum fructuum, redditnum et proventum administrationem suscipere, gerere et exercere possint et valeant, nec alicui licitum sit post obitum Francisci Clementis praedicti in illo se ingerere, seu de illo disponere.

Praesentium litterarum firmitas.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contrariorum derogatio.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac, quatenus opus sit, piae memoriae Pauli II et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisve apostolicis, ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac dictae ecclesiae et beneficii, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV septembris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 14 septembris 1738, pontif. anno X.

---

## CCLXVI.

*Confirmatio nonnullorum decretorum pro collegio Anglorum noncupatorum de Urbe.*

**Clemens Papa XII, ad futuram rei memoriam.**

Quare statuta in Concilio Tridentino seminariorum erectio.

Apostolica haec Sancta Sedes, ut, quales ad animarum salutem et Dei gloriam Christi ministros et dispensatores ministeriorum Dei optat, tales sibi formaret integerrimos, atque christiano populo exhiberet, in Tridentinâ Synodo statuendum curavit, ut in omnibus ecclesiis cathedralibus, ubi redditum[1] locorumque conditio patiebatur, adolescentium collegia, sive seminaria, ex quibus, experientiâ magistrâ, compertum erat quanta catholicae Ecclesiae utilitas extitisset, instituerentur, atque insimul ratio qua erigantur, erectaque ecclesiasticis institutis erudiantur, consultissime traderetur.

Aliorum exemplo diversa nationum collegia a Pontificibus constructa; et proborum virorum visitationi commendata.

§ 1. Hinc Pius IV felicis recordationis aliique subsequentes Romani Pontificis praedecessores nostri, ut ceteris antistibus exemplo praeirent ac facem praeferrent, quamplurima in hac almâ Urbe praesertim atque alibi a fundamentis excitata, tum pro omnium indiscriminatim tum pro nonnullarum seorsim nationum dumtaxat commodo collegia et seminaria atque instructa, saluberrimis etiam legibus ac regulis communire studuerunt. Quoniam autem omnia sanctissime constituta, nisi advigiletur ut eadem quo ab initio statuta spiritu, atque iisdem deinceps, quibus dum primus in virtutibus proficiendi ardor fervebat disciplinae studiis servata sunt, imposterum custodiantur, lapsu temporis sensim in desuetudinem abire conspiciuntur, ut non solum sarta tectaque semper consisterent, verum etiam stabiliori observantiâ firmarentur, iidem praedecessores nostri consueverunt nonnullos interdum deputare diligentissimos inspectores, qui, collegia seu seminaria huiusmodi, etsi legum regularumque praescriptarum observantissima, adeuntes, abusus, si qui forte irrepsissent, tollerent, novis, quas opportunitas ac ratio suaderent, indicendis legibus collabentem disciplinam instaurarent, et, quaecumque ad virtutum incrementum proficua et magis necessaria perspexissent, praescriberent praeciperentque.

Duobus cardinalibus demandata collegii Anglicani de Urbe visitatio.

§ 2. Nos vero luculentissime eorumdem praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes, quantum cum Domino potuimus, nostras quoque hanc in rem partes conferre non omisimus, ac, postquam nonnulla alibi collegia ereximus, salutaria etiam apostolicae providentiae remedia ceteris huius almae Urbis praedictae collegiis adhiberi voluimus. Quae quidem ne ab ecclesiâ S. Thomae et collegio Anglorum de Urbe nuncupato desiderari pateremur, dilectis filiis nostris Ioanni Antonio de Viâ et Dominico Riviera presbyteris S. R. E. cardinalibus, ac dilecto filio magistro Philippo de Montibus, nostro et Apostolicae Sedis notario protonotario nuncupato, et Congregationis venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. praedictae cardinalium Propagandae Fidei praepositorum secretario, ab anno MDCCXXXIX tale officium commisimus.

Decreta ab eis lata.

§ 3. Qui sane, pro singulari sapientiâ, religionis zelo, charitate et dexteritate,

[1] Edit. Main. legit *reditum* (R. T.).

iniuncto muneri cum cumulatissime fecissent satis, nonnulla pro rectâ rerum omnium administratione et stabilitate ediderunt decreta tenoris qui sequitur, videlicet :

*Decreta sacrae visitationis apostolicae ecclesiae S. Thomae et collegii Anglorum de Urbe.*

**De ecclesiâ.**

Reparationes faciendae.

Cum ex inscripto lapide de consecratione ecclesiae constet, ut in quolibet anno v kalendas octobris celebretur commemoratio, signa consecrationem denotantia, temporis antiquitate quasi penitus deleta, renoventur.

Reaptentur lacunaria et tecta, quorum portio ad meridiem vergens decliviori casu deprimatur, renovatis tignis pluviali aquâ marcidis.

Ligneum altare S. Sabini episcopi ex lapidibus construatur, et altare SS. Crucifixi in lateribus restauretur.

Antiphonaria librique chorales rubris obtegantur membranis, et oricalchi muniantur fibulis.

Dealbentur tabulae chorum dividentes a mesaulâ ecclesiae suprapositâ, in cuius extremitate erigitur sacellum B. Mariae Virgini dicatum, quod decentiori formâ custodiendum decernimus.

Liber retinendus pro adnotandis nominibus mortuorum.

Cum ex Bullâ Eugenii Papae IV concessum fuerit ecclesiae ius tumulandi, retineatur liber, in quo nomina defunctorum eorumque tumulationis dies adnotentur, ne imposterum ambigendum sit de privilegio nuper in iudicium revocato a parocho S. Stephani de Cacco.

**De sacrario**

Sacrae supellectiles renovandae.

Conficiatur infra mensem inventarium sacrarum supellectilium et linteaminum, descriptis etiam argenteis vasibus, et officium custodis sit omnia in suo ordine disposita non minus fideliter quam perpulite asservare.

Addantur armaria, ut lintea et sacra supellex commodius extendatur; quod si angustia sacrarii non omnia custodienda patiatur, ex superioribus cubiculis unum pro dicto usu occupetur.

Planetae viridis et violacei coloris cum duobus manipulis et stolis albis renoventur.

Officium praefecti sacrarii.

Praefectus spiritûs sit etiam praefectus ecclesiae et sacrarii, et omnia, quae ad utriusque pertinent, accurate disponat; et quolibet mense, confecto catalogo missarum et orationum dicendarum, in qualibet recurrentis mensis hebdomadâ de onerum adimplemento diligenter inquirat.

**De oneribus perpetuis**

Singulis legatorum satisfaciendum oneribus.

In conficiendâ novâ tabellâ onerum missarum in sacrario detinendâ adnotetur missa perpetua, elapsis mensibus relicta ab equite Thoma Déhéram iuxta declarationem faciendam a sacrâ Congregatione Concilii, et infra duos menses doceatur de adimplemento omnium legatorum; praeterea in libro missarum scribatur proprio celebrantium charactere non tantum dies, verum etiam altare, in quo et pro quibus fuerit celebratum.

**De hospitio peregrinorum**

Qui sint hospitio excipiendi, et quoto tempore.

Nemo excipiatur hospitio, nisi sit Anglus et Catholicus, praebeatque litteras testimoniales vicariorum apostolicorum Angliae, et Romam venerit devotionis causâ.

Peregrini nobiles per triduum, ignobiles per dies octo alantur, sicut et sacerdotes, licet nobilitate fulgentes; in reliquis observentur antiqua hospitii statuta et decreta cardinalis Francisci Barberini senioris.

In eleemosynis, quae laudabili consuetudine quotidie ex mensae reliquiis per cystulas egenis partiuntur, familias pauperum Anglorum praeponendas mandamus.

**De valetudinario.**

Infirmorum curator.

In quolibet valetudinarii cubiculo exiguum habeatur tintinnabulum, ut infirmi per eius sonitum commode vocare possint curatorem aegrotantium.

Ad invisendos infirmos non adeant simul omnes eiusdem camerae alumni, sed tantum duo vel tres horâ recreationis arbitrio eorumdem infirmorum de licentiâ patris ministri.

**De bibliothecâ.**

De libris controversiarum augendis.

Augeantur aequo sumptu libri controversiarum catholicorum auctorum, haereticas praecipue Anglorum opiniones refellentium.

Distribuantur dies, quibus per classes separatim alumni uti valeant bibliothecâ, ne ad eam turmatim accedant.

Nemo libros sine licentiâ patris rectoris in scriptis obtinendâ in proprium cubiculum deferat, et nactâ facultate, tradat bibliothecae custodi licentiae schedulam, adnotando sub eâ proprio charactere nomen suum, et librum sibi commodatum.

De archivio.

Infra tres menses ordinatim disponantur scripturae et libri relative ad generalem indicem in archivio repertum, et iuxta quem fuerunt olim diligenter retenti.

De collegio.

Porta clathrata introrsum atrii a ianitore clausa custodiatur, ne per eam discurrentibus alumnis per deambulacrum ad vestibulum pateat aditus.

Alumni neque morentur, neque accedant ad vestibulum, neque extraneos in collegium, multoque minus in cubicula admittant absque licentiâ patris rectoris seu ministri.

De cubiculis alumnorum.

Cubicula unius camerae et alterius.

Ordo cubiculorum ita disponatur, ut cubicula unius camerae sint prorsus distincta atque seiuncta a cubiculis alumnorum alterius camerae.

Cum de more in quolibet semestri immutanda sint per sortes alumnorum cubicula, eis vetitum sit tabulas pictas, aliasque imagines, praeter illas retineri solitas, muris figere, ne per glutinamentum sive clavorum foramina dealbati parietes deformentur.

Eisdem pariter alumnis sociorum introductio in cubicula atque comestibilium retentio sine licentiâ superiorum sit omnino vetita.

Non liceat alumnis studii tempore et horis somno assignatis e cubiculis egredi, et cura sit patris ministri per se ipsum vel per alium diu noctuque non modo cubicula, sed etiam armariola alumnorum saepesaepius explorare.

De officinis.

Officialis cuiuscumque officinae, et praesertim custos cellae vinariae et obsonator, librum retineat, in quo dictim et distinctim adnotetur introitus et exitus rerum, ad quamlibet ex officinis spectantium, ut computa a patre rectore vel collegii ratiocinatore semper et quandocumque exigi possint.

De coenaculo.

Dum per alumnos in primâ mensâ epulatur, rigorosum observetur silentium, ut pabulo sacrae et ecclesiasticae lectionis manducantes spiritum reficiant.

Nulla penitus differentia intersit inter mensam patrum Societatis in collegio degentium et mensam alumnorum; quintâ et septimâ feriâ una addatur portio, ut prandium suam singulis hebdomadae diebus quantitatem conformem habeat; solemnioribus autem festis, una ex multis portionibus de more dari solitis subducatur: merendae autem, quae diversis anni temporibus praebentur, omnino tollantur; arbitrio tamen patris rectoris relinquitur facultas concedendi merendas, dum autumnalibus vacationibus Monte Portii alumni rusticantur; et denique praeter ientaculum, prandium et coenam vetitum sit quid minimum cibi vel potus, sive ruri, sive in Urbe, alumnis suppeditare.

De administratoribus collegii.

Numerus patrum Societatis Iesu collegii in servitium.

Administratio et gubernii cura in Anglico exercenda collegio cum provide fuerit a Gregorio XIII patribus Societatis Iesu commissa; idcirco a superioribus dictae venerabilis Societatis destinentur quinque religiosi sacerdotes et quatuor fratres laici, quibus collegii cura sit demandata, neque praefixus numerus quovis praetextu absque speciali facultate eminentissimi protectoris augeatur neque minuatur, ne per incrementum religiosorum numerus alumnorum decrescat, vel per detrimentum necessarii deficiant officiales.

Ex sacerdotibus constituatur rector, minister, praefectus spiritûs et duo magistri; ex laicis ianitor, distributor, obsonator et socius patris rectoris. Praeterea duo adsint praefecti sacerdotes saeculares, et quatuor famuli stipendio conducti, nempe coquus et eius adiutor, sartor et sutor.

De rectore.

Rector ex Italis desumendus.

Cum non modo rectoris officium sit ea quae ad domesticam collegii disciplinam, sed etiam quae ad rectam reddituum administrationem pertinent exercere, in quo

maxima requiritur solertia ad compescendas ministrorum oeconomiam exercentium fraudes atque incuriam, ex quibus collegium non leve tulit detrimentum; ideoque statuimus, ut imposterum deputandi sint rectores Itali, dummodo tamen ex patribus Societatis non adsit Anglus qui diu in Italiâ versatus reperiatur idoneus ad officium rectoratus exercendum: sed cum patris Henrici Sheldon zelus et industria in dicto officio nobis innotescat, confirmandum esse duximus per aliud triennium, et ultra, quatenus expedire videbitur.

Iniungimus rectori pro tempore existenti omnia ad suum munus spectantia, et in praesentibus decretis per nos sancita, accurate et diligenter adimplere, et suo exemplo ceteris praeesse, ut unusquisque, a Deo ad evangelicum opus apostolici instituti vocatus, suum munus, de quo erit Deo rationem redditurus, quamdiligenter absolvat.

**De ministro et praefecto spiritus.**

Patris ministri vigilantiae committitur, ut ab alumnis constitutiones, nec non decreta in praesenti apostolicâ visitatione circa eorum disciplinam exarata, adamussim observentur; et praefecti spiritûs sit nedum illos solidâ pietate imbuere, sed etiam in quolibet mense speciali instructione eis proponere quae missionario decent, et quae sint virtutes excolendae et quae vitia a vineae Christi cultore praecipue vitanda.

**De magistris.**

Duo sint in collegio magistri, unus controversiarum et sacrae Scripturae, alter theologiae moralis; lectiones vero proponendae aptentur speciali instituto Anglicae missionis, ad quam per iusiurandum fuerunt alumni feliciter vocati.

Magister controversiarum sit etiam praefectus studiorum, et sedulo inquirat de profectu studentium, atque eos particularibus exerceat disputationibus suis congruis temporibus praefiniendis.

Magister theologiae moralis habeat onus repetendi lectiones in Collegio Romano auditas a logicis et methaphysicis.

**De laicis et famulis.**

Fratres laici et famuli singillatim observent ea quae disponuntur in instructione decretis adiiciendâ.

**De numero alumnorum.**

Licet ex Bullâ fundationis praescribatur numerus quinquaginta alumnorum, quibus addendi sunt alii duo ex legatis Hugi Orvens et Bernardini Pippi, attamen cum praesentes collegii redditus ad alendum praescriptum numerum minime sufficiant, pro nunc ad quinquaginta tantum comprehensis duobus alumnis legatariis reducimus.

**De admittendis et de methodo observandâ in admissione alumnornm.**

Nemo admittatur inter alumnos, nisi sit anglus catholicus, et, qui natus fuerit in exterâ regione, saltem a patre anglo sit genitus. *Qualitates admittendorum.*

Admittendi humaniores calleant litteras, ut illico ad logicae studium valeant incumbere: et cum hac sanctione, a Bullâ et regulâ fundationis praescriptâ, saepe saepius non sine maximo anglicae missionis detrimento recessum fuerit, ideoque districte iubemus ne imposterum iuvenes in alumnos quavis de causâ recipiantur, nisi humanarum litterarum studia absolverint.

Cum optimus iuvenum delectus non parum ad assequendos uberrimos religiosae institutionis fructus proficiat, summa itaque in electionibus faciendis diligentia adhibeatur; et infrascriptam methodum observandam mandamus:

Rector per annum antea eminentissimum cardinalem protectorem, penes quem tota sit electionis potestas, certioret quae loca fuerint sequenti anno vacatura, ut, expeditis per eum litteris ad vicarios Angliae pro habendis novis alumnis, committat examen iuxta formam praescriptam a decretis cardinalis Barberini senioris; si vero vicarii apostolici optatis iuvenibus careant, tum ab eminentissimo protectore alumni ex collegiis Duaci et Audumaropoli exquirantur.

Ad praeelectos candidatos expediantur litterae nominationis subscriptae ab eminentissimo protectore, et eius sigillo munitae, quibus electi Romam venientes labente autumno ingressum in collegium obtinebunt; verum, priusquam in alumnos excipiantur, *Antea probandi per aliquot menses.*

per quatuor aut sex menses in probatione manebunt; quo tempore officium sit rectoris, ministri et studiorum praefecti de moribus, indole, ingenio, valetudine et vocatione sedulo inquirere, ut, si quis minus idoneus reperiatur, cum assensu eminentissimi protectoris statim dimittatur.

Elapso probationis tempore in alumnos cooptandi per spiritualia exercitia de iuramento praestando a praefecto spiritus triduo instruantur; quibus absolutis, iuramentum ab Alexandro VII praescriptum coram patre rectore praestent, subscribendo ulterius formulam praedicti iuramenti, cuius exemplar sacrae Congregationi de Propagandâ Fide servandum tradatur.

**De alumnorum dimissione et viatico.**

Alumni, qui studiorum cursum compleverunt, et ad sacrum presbyteratus ordinem fuerunt evecti, priusquam ad Angliae missionem expediantur, deputatis examinatoribus ab eminentissimo protectore coram patre rectore diligenti subiiciantur examini, et idonei reperti, ad missionarii munus subeundum, litteris commendatitiis dicti eminentissimi protectoris ad vicarios apostolicos directis, muniantur, atque in Angliam designato itinere, necnon soluto, arbitrio eminentissimi protectoris, viatico scutorum quadraginta, mittantur.

Caveant alumni ita dimissi, et Angliam profecturi, ne in exteras vagent regiones, minusque a iuratâ vocatione quovis praetextu, etiam melioris boni, deflectant; quapropter recto tramite et expedite ad exercendam missionem se conferant, vicariisque apostolicis se sistant, eorum mandatis in evangelico ministerio accurate obtemperando.

Alumni apud monasteria monialium Anglicarum in Belgio degentes sacramento praestito non satisfaciunt.

Cum vero nonnulli ex alumnis sibi male suadeant missionis iuramento satisfacere, si apud monialium anglicarum conventus et monasteria in Belgio existentia confessarii munus suscipiant: maturo hac de re per nos habito examine, necessarium duximus declarare, quod, cum collegii institutum consulere voluerit missionibus peragendis in Angliâ haereticâ pravitate laboranti, praedictum munus, tamquam in exterâ et catholicâ regione exercitum, a rectâ collegii institutione declinat. Vicariis tamen apostolicis relinquimus facultatem eligendi alumnos in confessarios praedictorum conventuum et monasteriorum, dummodo alii deficiant idonei presbyteri qui tali munere perfungantur, et de hac facultate praedicti vicarii apostolici certiores fiant.

**De alumnorum gubernio.**

Alumni omnes in duas pro nunc partiantur cameras, et earum cuilibet praesit sacerdos saecularis, qui tamquam praefectus camerae vigili curâ et prudentiâ eam moderetur, nec sinat quidpiam minus modeste et pie redolere; et si quid corrigendum duxerit, omnia sincere et fideliter rectori et ministro patefaciat.

Inter utramque cameram, quovis tempore etiam autumnalis rusticationis, nullum intersit commercium, quod si alumnus camerae aliquid conferre habeat cum alumno alterius camerae, impetratâ prius licentiâ patris ministri seu rectoris, atque ei expositâ causâ, coram praefecto Camerae alumni postulati italice alloquatur.

Praefectus camerae in associandis alumnis extra collegium curam adhibeat, ne immodeste turmatim et nimis velociter incedant, et ne devient a locis ante egressum a patre ministro designatis.

Constitutiones per nos noviter editae de alumnorum disciplinâ fideliter observentur, et si quid dubium aut omissum in illis inveniatur, in levioribus tantum sit in rectore facultas interpretandi atque adiiciendi, neque alumni quovis praetextu ab eius iudicio audeant divertere.

**De alumnorum pietate et studiis.**

Cum in pietate et studiis reposita sit spes evangelici fructus ex alumnorum educatione praemaxime optati, idcirco districte praecipimus ut omnia pietatis officia laudabiliter introducta sedulo et accurate compleantur, et pro ratione studiorum nova statuatur methodus, per quam nedum alumni in scholis Romani Collegii logicam, methaphysicam, theologiam speculativam, linguasque graecas et hebraicas percipiant, verum etiam in collegio privatas habeant lectiones sacrae

Scripturae, controversiarum et theologiae moralis peculiari eorum instituto accomodatas. Qua de re duo in collegio habeantur magistri, qui quotidianis lectionibus et congruis disputationibus scholares exerceant, atque eos ad missionis officium idoneos reddant, et ordo lectionum repartiendarum imposterum observandus praescribatur.

**De convictoribus**

Nemo uti convictor recipiatur, nisi viaticum in manibus patris rectoris pro discessu deponat, et anticipate alimenta persolvat, et omnia quae de alumnorum victu, vestitu et disciplinâ sancita sunt, indiscriminatim, praeter iuramentum missionis, observare promittat.

**De statu temporali collegii.**

Exhibeantur in mense martii cuiuslibet anni computa eminentissimo protectori, qui cum animadversionibus sui ratiocinatoris ea transmittat ad secretarium sacrae Congregationis de Propagandâ Fide, ad effectum examinandi statum oeconomicum in particulari congregatione constituendâ ex eminentissimis et reverendissimis cardinalibus prrefecto et protectoribus regnorum Angliae, Scotiae et Hiberniae cum secretario praedictae Congregationis.

Insuper, ad evitanda damna collegii redditibus per administratores stipendio conductos grave nimis illata, necessarium duximus praescribendo annectere modum, quo sit imposterum oeconomica administratio a praedictis officialibus exercenda.

Ientaculum, quod per abusum suppeditari consueverat famulis eminentissimorum cardinalium sacrae Congregationis immunitatis ad festum S. Thomae Cantuariensis convenientium, omnino tollatur.

Rector intra sex menses debet docere de adimplemento huiusmodi decretorum.

Tandem, cum parum proficiat novas condere leges, nisi in praxim disposita reducantur, et in memoriam saepe saepius revocentur: propterea patri rectori iniungimus, ut, infra sex menses, de adimplemento in hac apostolicâ visitatione praescriptorum eminentissimum cardinalem protectorem certiorem reddat, atque bis in anno cum interventu omnium ministrorum et officialium decreta et instructiones per nos modo statutas mandet tempore prandii legendo promulgari.

Et ita, salvo, etc.

Datum XI maii MDCCXXXVI. T. A. cardinalis DE VIA visitator apostolicus, D. cardinalis RIVERA visitator apostolicus, PHILIPPUS DE MONTIBUS, secretarius Congregationis de Propagandâ Fide, a secretis.

Ex audientiâ sanctissimi die XVI septembris MDCCXXXIX: Sanctissimus supradicta omnia approbavit, et litteras confirmatorias in formâ Brevis expediri mandavit. PHILIPPUS DE MONTIBUS.

Eadem confirmat Pontifex.

§ 4. Praeinserta autem decreta cum proficua ac salutaria probavissemus, quo firmius subsistant et serventur exactius, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, approbamus et confirmamus, apostolicae firmitatis robur iisdem adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, sanamus et supplemus.

Servandaque ubique statuit.

§ 5. Decernentes, eadem decreta, ac praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollens.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVIII septembris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 28 septembris 1739, pontif. anno X.

## CCLXVII.

*Breve Urbani VIII, quo provinciae Lusitanae Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ reformatorum nuncupatorum fratribus prohibetur transitus ad alias provincias eiusdem Ordinis, studendi causâ, extenditur ad provinciam S. Antonii in Brasiliâ ipsius Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad futuram rei memoriam.**

Ad tollendos abusus provinciae Lusitanae Urbanus VIII suo Brevi cavit.

§ 1. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Emanuel a Resurrectione frater expresse professus, necnon minister provincialis provinciae S. Antonii in Brasiliâ Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Reformatorum nuncupatorum, quod aliàs, ut nonnulli abusus, qui in provinciâ Lusitanâ S. Antonii eiusdem Ordinis, ex qua primodicta provincia dismembrata fuit, irrepserant, tollerentur, emanarunt a felicis recordationis Urbano PP. VIII praedecessore nostro quaedam litterae in simili formâ Brevis expeditae tenoris sequentis, videlicet:

Religiosos eiusdem provinciam ad aliam transire absque provincialis licentiâ.

*Urbanus Papa VIII, ad futuram rei memoriam.* Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Berardus de Martyribus, minister provincialis provinciae S. Antonii Ordinis Minorum sancti Francisci Reformatorum nuncupatorum regni Portugalliae, quod permulti dictae provinciae fratres Reformati huiusmodi ad illius praelatos superiores recursum habent, ut ab eis licentias se se ad studendum extra dictam provinciam conferendi obtineant, non sine gravi aliorum fratrum Reformatorum eiusdem provinciae, in qua sunt studia, detrimento et perturbatione. Quoniam vero, sicut eadem expositio subiungebat, ignari licentias huiusmodi procurant, quo licentius et liberius vivant, et, cum maximo Ordinis eorumdem fratrum Reformatorum dedecore, postmodum in eodem habitu incedunt: nobis propterea idem Berardus minister provincialis humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune et[1] ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eumdem Berardum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, quod de cetero nullus dictae provinciae frater Reformatus huiusmodi extra eamdem provinciam studendi causâ absque pro tempore existentis dictae provinciae ministri provincialis licentiâ et consensu se se conferre ullatenus possit, sub excommunicationis poenâ eo ipso incurrendâ, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, interdicimus et prohibemus. Volentes et expresse mandantes, ut in eventum, in quem aliquis frater Reformatus huiusmodi litteras apostolicas ad hunc effectum obtinuerit et habeat, ille eidem provinciae, in qua studebit, incorporetur, et habitum praefatae dumtaxat, non autem illius, in qua prius erat, [2] provinciae gestari solitum, deferat, dictaeque prioris provinciae, a qua exivit, habitum praeteritum reassumere et in eâ amplius recipi nequeat. Ac decernentes, praesentes litteras validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari debere, ac irritum

1 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).
2 Coniunct. *et* hinc adiicimus (R. T.).

et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac Ordinis et provinciarum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad effectum praesentium, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX decembris MDCXLII, pontificatus nostri anno XX. — M. A. MARALDUS ».

Provincialis Brasiliae ad suam provinciam hoc statutum extendi petit.

§ 2. Quoniam autem dicti abusus de praesenti in primodictâ provinciâ vigent, et nonnulla inconvenientia et incommoda experiuntur, ipse Emanuel minister provincialis easdem litteras, ad favorem dictae provinciae Lusitanae a praedicto Urbano praedecessore editas, ad suam provinciam per nos extendi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut sibi in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de apostolicâ benignitate dignaremur.

Petitis annuit Clemens.

§ 3. Nos igitur, ipsum Emanuelem ministrum provincialem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, ad quos supplicem libellum nobis porrectum remisimus, consilio, praeinsertas eiusdem Urbani praedecessoris litteras ad favorem provinciae Lusitanae eiusdem Ordinis, ut praefertur, editas, omniaque in illis disposita, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, ad eamdem provinciam S. Antonii in Brasiliâ extendimus pariter et ampliamus.

Sicque in perpetuum servari praecipit.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae et Ordinis praedictorum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXX septembris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 30 septembris 1739, pontif. anno X.

---

## CCLXVIII.

*Irritatio electionis Petri Ioannis Meindarts in pseudo-archiepiscopum Ultraiectensem, qui censuris irretitus suspensusque declaratur, additâ prohibitione se in archiepiscopum consecrari faciendi, eaque exercendi quae sunt Ordinis.*

**Clemens Papa XII.**
**Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem.**

Dolet Clemens inter fideles Belgas irrepsisse nonnullos in religione perduelles.

§ 1. Magna nos pro supremi pastoralis officii munere tenet sollicitudo et salutaris metus, ne in commissum tenuitati nostrae dominici gregis ovile intrent in vestimentis ovium lupi rapaces, edantque stragem eo maiorem, quo subdole et incautius illatam. Qua quidem sollicitudine vehementius angimur et conflictamur, cum vos isthic vocati in sortem Domini ante oculos nostros obversamini, undique ab iis circumventi, qui, vobiscum veluti in eâdem familiâ degentes, animos vestros non solum veneno depravatae doctrinae dolose inficere, verum et inaniter, archiepiscopo sibi constituto, per speciem adumbratae huiusce dignitatis, in fraudem inducere connituntur. Quamquam enim experti didicimus, fidem vestram, tamquam aurum igne probatum, puram illibatamque manere; vobisque esse persuasum, quicquid est ecclesiasticae hierarchiae, nonnisi in angulari lapide atque in Apostolicae Petrae soliditate fundatum erigi ac stare posse: tamen, ut pro paternâ charitate, qua vos amantissime complectimur, longius a vobis instructae fraudis periculum amoveamus, ac diligentius aeternae saluti vestrae cautum sit, apostolici ministerii nostri esse duximus vos edocere, quid a nobis, ut haec paucorum perduellium inverecunda protervitas prorsus profligetur, actum fuerit, et quid a vobis, ut eam fugiatis ac detestemini, praestari debeat.

Electionem Petri Meindarts in pseudoarchiepiscopum Ultraiectensem iam improbaverat.

§ 2. Igitur, ubi molestissimus nuntius ad nos pervenit, aliquos factiosos clericos, qui se stulte atque insolenter iactant canonicos Ultraiectensis capituli ab annis supra centum extincti, eo temeritatis devenisse, ut sceleri quotidie magis addentes, et veterem seditionem recenti crimine cumulantes, ausi fuerint die secundâ proxime praeteriti mensis iulii in Ultraiectensem pseudo-archiepiscopum nefarie eligere quemdam Petrum Ioannem Meindarts, pastorem, ut aiunt, Leovardiae, quamquam aperte scirent, istiusmodi execrabile facinus ab ipsis non semel antea patratum, ab Apostolicâ Sede nefandum, irritum, inane declaratum fuisse, deletum, abiudicatum; nos illico, praedecessorum nostrorum sacrarumque legum morem atque exempla sequuti, hanc modo iteratam, illegitimam sacrilegamque electionem, traditâ nobis e caelo potestate, rescidimus, abrogavimus, nullius roboris, vanamque renuntiavimus; eumdem vero Petrum Ioannem, et quotquot, ficto ementitoque canonicorum Ultraiectensium nomine, in ipsum suffragia contulerunt, eique adhaerentes, favorem, opem, con-

silium, consensum praestiterunt, et illius partes sectantur, fovent, tuentur, auctoritate omnipotentis Dei excommunicavimus, anathematizavimus, atque ab ecclesiae communione segregatos, ac prorsus schismaticos habendos et vitandos esse constituimus, indiximus et declaravimus.

Ipsi interdicit ea facere, quae sunt ordinis, sub poena excommunicationis.

§ 3. Mandamus propterea, districteque interdicimus eidem Petro Ioanni, sub poenâ excommunicationis ipso facto sine aliâ declaratione incurrendae, ne audeat iurisdictionem ullam aut pro animarum regimine auctoritatem sibi arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias litteras dare, pastores, missionarios, ministros, deservitores, aut alios, quocumque nomine nuncupentur, ad animarum curam et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu, constituere ac deputare.

Episcopalemque adire iurisdictionem.

§ 4. Simul quoque palam edicimus et declaramus, omnes et singulas antedictorum officiorum deputationes pro animarum regimine, quocumque nomine, iam factas aut fortasse faciendas, cum omnibus inde sequutis, prorsus irritas esse, nulliusque roboris ac momenti. Rursus eidem Petro Ioanni praecipimus atque inhibemus, ne, sub simili excommunicationis poenà, audeat episcopalem iurisdictionem, quam profecto nunquam adeptus est, exercere.

Ab eo sacris initiati, suspensioni et irregularitati obnoxii.

§ 5. Qui vero per ipsius litteras dimissorias fuerit ecclesiasticis ordinibus initiatus, noverit suspensionis vinculo se obstrictum, atque irregularitati praeterea obnoxium, si susceptos ordines exercuerit.

Cum eo nullo modo communicandum.

§ 6. Vobis autem, dilecti filii, et quibuscumque aliis etiam episcopali et archiepiscopali dignitate fulgentibus omnino ac sedulo iniungimus, vetamusque, ne praemonstratum Petrum Ioannem pro vero Ultraiectensi archiepiscopo habeatis et agnoscatis, neve cum eodem, ullo pacto, praesertim in divinis, communicetis, aut ab ipso, aut ab aliis per ipsum perperam deputatis, sacramenta aut ordines accipere, vel ullo modo illi aut illis parere audeatis; immo eosdem, tamquam alienos, Sanctae Sedi contumaces, mandatisque apostolicis refragantes, aversari et vitare praecipimus.

Vetitum ne se ullatenus consecrari faciat, latis poenis in id attentantes.

§ 7. Praeterea, sub poenis canonicis atque etiam indignationis nostrae, interdicimus ac severe prohibemus omnibus cuiuscumque[1] catholicae Ecclesiae archiepiscopis et episcopis, ne antedictum Petrum Ioannem, frustra electum, archiepiscopum consecrare audeant. Cui pariter sub eisdem poenis indicimus atque imperamus, ne se a qualicumque antistite consecrandum praebeat, utpote inaniter et nullo pacto archiepiscopali dignitate donatum; qua sane illicitâ ac nefariâ consecratione tot reliquas subiret canonicas poenas, et nihilominus ab omni suscepti episcopalis eiusdem Ordinis exercitio suspensus maneret.

Adhortatio ad catholicos.

§ 8. Itaque, dilecti filii, mandata haec nostra in spiritu filiorum adoptionis accipientes, iis exequendis navate libenter operam, ac fortiter aversati versuta factiosorum ingenia, quibus nihil suavius est seditioso tumultu perturbatâque religione, debitâ simul obedientiâ prosequuti supremum patremfamiliâs unice prospicientem vestrae felicitati, date documentum filios lucis vos esse, nec habere cum iis rem velle, consuetudinem, societatem, qui ambulant in regione umbrae mortis, ac, praeter pestilentis doctrinae tenebras, quibus obruuntur, eâ denique mentis caecitate laborare incipiunt, ut priscos non unius sectae haereticos imitati, ficti archiepiscopi nomen in suos inducere aggrediantur; contra vero cum fideli grege coniuncti,

1 Videtur legendum *quibuscumque* (R. T.).

verique pastoris vocem audientes, per sincerae fidei, religionis, pietatis pascua eò pervenire contendite, ubi, quantum seductores isti se deceperint, quam rectum vos tenueritis aeternae salutis iter, laeti beatique comperietis. In cuius auspicium apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die VI octobris MDCCXXXIX, etc.

Dat. die 6 octobris 1739, pontif. anno X.

---

## CCLXIX.

*Ut Tertiarii quorumvis Ordinum regularium Tertio Ordini B. Mariae de Monte Carmelo adscripti, indulgentiis et gratiis spiritualibus promiscue uti valeant.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

De salute dominici gregis curae nostrae divinitus commissi paternâ charitate solliciti, caelestes indulgentiarum thesauros, quibus illecti ad ecclesias et pia loca frequentanda et pietatis opera exercenda magis incitentur, libenter erogamus.

In hoc Ordine iam a multo tempore admissi tertiarii.

§ 1. Exponi[1] siquidem nobis nuper fecit dilectus filius Vincentius a Conceptione frater expresse professus ac procurator generalis Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum Congregationis Hispaniae, quod in quamplurimis ex conventibus Ordinis et Congregationis huiusmodi in Indiis existentibus, vigore privilegiorum eidem Ordini a felicis recordationis Nicolao V et Bonifacio VIII Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris concessorum, et a recolendae memoriae Sixto IV et Clemente itidem VIII pariter praedecessoribus nostris confirmatorum, Tertius Ordo eiusdem B. Mariae erectus et institutus reperitur.

Nonnulli sunt insimul tertiarii S. Francisci.

§ 2. Verum, quia nonnulli ex tertiariis Ordinis sancti Francisci in oppido civitate nuncupato de Toluca Mexicanae dioecesis dicto Tertio Ordini B. Mariae denuo adscripti fuerunt, dubium excitatum fuit, an tertiarii utriusque Ordinis huiusmodi indulgentiis, privilegiis et gratiis spiritualibus promiscue frui possint; et, licet primodicti Ordinis superiores nullam in hac re difficultatem haberent, nihilominus tertiarii eiusdem Ordinis S. Francisci non solum contradicere, verum etiam ex eorum libris omnes illos, qui Tertio Ordini B. Mariae huiusmodi adscripti erant, deleri[1] ausi fuerunt. Quare dicti tertiarii B. Mariae eâ de causâ ad venerabilem fratrem modernum archiepiscopum Mexicanum recursum habuerunt, qui, auditis rationibus hinc inde deductis, consideransque charitatem piamque devotionem christifidelium erga regulares Ordines non esse restringendam, sed omnibus ad animarum salutem mediis amplificandam, mandavit tertiarios B. Mariae praedictos reintegrandos, et Tertio Ordini sancti Francisci, unde deleti fuerant, iterum adscribendos esse.

Procurator generalis Carmelitarum supplicat pro nova Pontificia declaratione favore dictorum tertiariorum.

§ 3. Quamvis autem mandatis huiusmodi praedicti tertiarii sancti Francisci paruerunt, tamen dictus Vincentius procurator generalis, ad auferendas perturbationes ac confusiones quae eâ super re imposterum exoriri possent, adscriptos Tertio Ordini sancti Francisci, seu cuicumque alio Tertio Ordini regulari, qui Tertio Ordini B. Mariae huiusmodi adscribi desideraverint, omnibus indulgentiis, privilegiis et gratiis spiritualibus, eorum respective Ordini concessis,

1 De hac eâdem re similem omnino constitutionem habes supra, pag. 555 *b* (R. T.).

1 Potius lege *delere*, prout iam monuimus supra in loc. parall. pag. 556 *a* (R. T.).

promiscue frui posse, per nos declarari plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolicâ dignaremur.

Clemens declarat eosdem promiscue frui gratiis Ordinum.

§ 4. Nos igitur, piis eiusdem Vincentii procuratoris generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque Vincentium procuratorem generalem a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, omnibus et singulis tertiariis cuiuscumque Tertii Ordinis regularis, qui inter tertiarios dicti Tertii Ordinis B. Mariae de Monte Carmelo adscribi desideraverint, ac regulas, statuta et conditiones pro dictis tertiariis B. M. de Monte Carmelo praescripta adimpleverint, omnibus et singulis indulgentiis, privilegiis et gratiis spiritualibus Tertio Ordini B. M. huiusmodi concessis, promiscue unâ cum aliis indulgentiis, privilegiis et gratiis praedictis eorum Tertio Ordini, in quo adscripti reperiuntur, concessis, frui et gaudere possint et valeant, nec tertiarios huiusmodi ab eorum respective Tertio Ordine, in quo adscripti fuerint, propter suam inter tertiarios B. Mariae adscriptionem deleri unquam posse, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, concedimus et indulgemus ac declaramus.

Sicque firmiter servari praecipit.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et in futurum spectabit, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Contraria tollit.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dictorum aliorumque Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat consequendum, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 7. Volumus autem quod earumdem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXIII novembris MDCCXXXIX, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 23 novembris 1739, pontif. anno X.

---

## CCLXX.

*Nonnulla in Constitutione, quae incipit* In supremo iustitiae solio, *contra ho-*

*micidas pro Ecclesiasticâ Ditione iam editâ, ad dominium et ditiones tam terrae firmae quam regni Corsicae et insulae Caprariae reipublicae Ianuensis respective extenduntur*[1].

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

In constitutione laudata confirmatae leges et poenae a Summis Pontificibus latae contra homicidas.

§ 1. Aliàs nos per nostras sub plumbo expeditas litteras, nempe IV kalendas februarii, anno Incarnationis dominicae MDCCXXXV[2], pontificatus nostri anno V, ad compescenda et coërcenda, atque ab hac almâ Urbe totâque in temporali S. R. E. ditione penitus avertenda et eliminanda homicidia, quae a viris sanguinum, divini humanique iuris oblitis, incredibili cum immanitate in dies magis magisque increbescente saepissime patrari non sine gravissimo paterni animi nostri dolore ac moerore inaudiveramus, constitutionem, quae incipit *In supremo iustitiae solio*, promulgavimus, in qua, postquam omnes et singulas constitutiones a felicis recordationis Pio II, Paulo II, Sixto IV, Iulio II, Leone X, Iulio III, Pio IV, Pio V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Innocentio XI, Innocentio XII, ac Benedicto XIII, et quibusvis aliis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris adversus homicidas saluberrime editas, approbavimus, confirmavimus et innovavimus, illasque adversus quemcumque non usum seu contrarium usum, qui quovis modo praetendi vel allegari potuisset, restituimus et plenarie reintegravimus, quae deinceps omnino et inviolabiliter observari praecipimus et mandavimus.

Abatum fori privilegium ex patentibus.

§ 2. Inter cetera in eâdem constitutione contenta, haec praescripta erant, tenoris qui sequitur: « Et quoniam experimento compertum est[1], administrationem ac cursum rectae et expeditae iustitiae, qua reipublicae salus praecipue innititur, summopere obturbari vel ab excessivo numero privilegiatorum vulgariter *patentati* nuncupatorum, vel a minus rectâ intelligentiâ privilegiorum concessorum: proinde, salvis firmisque remanentibus decretis et resolutionibus, quae temporibus felicis pariter recordationis Urbani PP. VIII, et dictorum Innocentii XI ac Innocentii XII praedecessorum, aut aliàs quandocumque eâ super re emanarunt, volumus quod privilegium fori nemini quorumcumque privilegiatorum huiusmodi tam in Urbe quam in reliquo Statu Ecclesiastico praedictis (officialibus aliisque privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium eiusdem S. R. E. cardinalium contra haereticam pravitatem generalium inquisitorum, ac ministris necessariis actu inservientibus archiepiscopis, episcopis ac Ordinariis praedictis, eorumque curiis, dumtaxat exceptis) pro crimine homicidii suffragentur, sed dicti privilegiati, quatenus clericali charactere insigniti, ecclesiasticae, et quatenus laici fuerint, saeculari iurisdictioni subiaceant. Reservantes nobis facultatem declarandi quinam quotque esse debeant veri familiares dictorum archiepiscoporum, episcoporum et Ordinariorum, ac officiales necessarii curiis ecclesiasticis, verum et actuale servitium praestantes.

Statuta forma animadvertendi in clericos.

§ 3. « Insuper[2], quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis et ab omni culpâ et maculâ immunis vitae ac virtutum exemplo praelucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suae vocationis immemores, ut, impellente humani

1 Constitutionem praedictam habes supra, pag. 28 huius tomi (R. T.).
2 Male edit. Main. habet *1734* (R. T.).

1 Vid. ibid. § 8 pag. 32 *b* (R. T.).
2 Vid. ibid. § 9 pag. 33 *a* (R. T.).

generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant: nos, perversorum quorumcumque malitiae obviandum esse non indulgendum probe intelligentes, ad istorum quoque fraenandam pervicaciam, perpetuo itidem statuimus, quod clericus primae tonsurae nullum beneficium ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones clericis huiusmodi a Concilio Tridentino praescriptas servaverit ac servet, pro duobus tamen homicidiis animo deliberato ac praemeditato per eum patratis, privilegio fori et canonis, in odium tanti excessus et ad aliorum terrorem, exuatur, et uti incorrigibilis omnino saeculari potestati subiiciatur, ab eâ tamquam laicus legitimis poenis plectendus, clericus quoque in minoribus ordinibus constitutus, nec praescripta a Concilio Tridentino servans, tam caelebs, quam coniugatus, in causis homicidii dicto privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque a proprio episcopo seu Ordinario repeti, minusque habitum clericalem, quem indigne abiecit, reassumere possit, nisi[1] post totaliter expiatam admissi delicti poenam. Declaratio autem an reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit, ad episcopum aliumve loci Ordinarium omnino spectet, non retardatâ iterum delinquentis assecuratione faciendâ etiam per iudicem laicum nomine Ecclesiae, qui illum pariter Ecclesiae nomine ad illius dispositionem retinere possit ac debeat donec dicta declaratio prodierit: quacumque diversâ, ac etiam contrariâ iuris canonici et apostolicarum constitutionum dispositione seu interpretatione, necnon consuetudine, haud refragante.

Sancitum ecclesiasticâ immunitate non gaudere illos, qui doloso et praemeditato animo quemquam occidunt.

§ 4. « Porro[2] cum idem Benedictus praedecessor, animadvertens homicidia huiusmodi suo etiam tempore increbrescere, nec minus quam alia facinora in celebri constitutione dicti Gregorii XIV, etiam praedecessoris, quae incipit *Cum aliàs*, recensita publicae quieti officere, pro commissi sibi apostolici officii debito, per praedictam suam anno Incarnationis dominicae MDCCXXV, VI idus iunii, cui[1] initium est *Ex quo divina*, evulgatam constitutionem, laicos animo praemeditato ac deliberato proximum suum interficientes ab ecclesiasticae immunitatis beneficio excluserit et repulerit, ac pro exclusis atque repulsis haberi voluerit: nos, ob gliscentem in dies quorumdam ecclesiasticorum nequitiam, qui, nullâ proprii status habitâ ratione, non raro in adeo nefarium detestandumque crimen prolabuntur, ipsorum Gregorii et Benedicti praedecessorum constitutionibus, quas supra confirmavimus atque innovavimus, inhaerentes, et, quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum reos immunitate ecclesiasticâ nequaquam iuvari iterum decernentes, eamdem Benedicti praedecessoris constitutionem, laicos animo praemeditato ac deliberato proximum suum, sicut praemittitur, interficientes a beneficio immunitatis ecclesiasticae excludentem, ad ipsos ecclesiasticos cuiuscumque gradus et Ordinis existant in Urbe ac universâ ditione nobis et Sedi Apostolicae mediate vel immediate subiectâ homicidium animo similiter praemeditato ac deliberato patrantes extendimus quoque et ampliamus[2], dummodo tamen causa admissi per eos homicidii ab illorum iudice ecclesiastico competente cognoscatur, et ab eo, si rei reperti fuerint, citra poenam sanguinis, ad praescriptum

1 Vocem *nisi* nos addimus (R. T.).
2 Vide ibid. § 10 pag. 33 *b* (R. T.).

1 Pessime ed. Main. legit *cum* pro *cui* (R.T.).
2 Pessime edit. Main. legit *amplius* pro *ampliamus* (R. T.).

sacrorum canonum condignâ puniantur animadversione.

Data methodus extrahendi reos e loco immuni.

§ 5. « Ulterius[1] ad varias doctorum, qui eiusdem Benedicti praedecessoris mentem quoad personas in dictâ eius constitutione comprehensas interpretari et explicare voluerunt, sententias et opiniones dirimendas, declaramus homicidii reos natu minores viginti quinque, maiores vero viginti annis, tam laicos quam clericos, atque omnes et singulos sive laicos sive clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam occisori praebuerint, ex quorum singulis pravis actibus homicidium evenerit, in dictâ Benedicti praedecessoris constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque, quatenus opus sit, ad ipsos pariter extendimus, ita scilicet ut illorum extractio e loco immuni, atque traditio curiae saeculari, quoad laicos ad eiusdem curiae saecularis requisitionem, fiat a curiâ ecclesiasticâ, et clerici ab ipsâ curiâ ecclesiasticâ ex officio omnino extrahantur[2] iuxta normam infra dicendam.

Immunitate privati ex causâ homicidii condemnati in contumaciam.

§ 6. « Item[3] declaramus omnes et singulos praedictos tam laicos quam ecclesiasticos, qui in Urbe et ditione praefatis ex causâ et occasione homicidii etiam in rixâ commissi cum armis seu instrumentis suâpte naturâ aptis ad occidendum inquisiti et processati, vel in contumaciam banniti et condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale vel ad propriam defensionem, immunitatis praedictae beneficio minime etiam gaudere.

Diversimode agendum in extractione e loco immuni secundum qualitatem personarum et delicti.

§ 7. « Utque[4] reorum ratione homicidii, ut praefertur, excepti inquisitorum seu bannitorum et in contumaciam condemnatorum extractio ab ecclesiis aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique iudici competenti, legitimis modo et formâ a curiâ ecclesiasticâ fiant, volumus et ordinamus, ut, quotiescumque iudici ecclesiastico competenti innotuerit aliquem laicum seu ecclesiasticum ex causâ homicidii excepti inquisitum atque processatum ad ecclesiam seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate ac personae reitate[1] subministrata vel acquisita suppetant indicia, quae ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc idem iudex ecclesiasticus ex officio, ac nemine etiam requirente, si delinquens sit clericus, sin vero laicus, postquam a curiâ saeculari requisitus fuerit, ad[2] ipsius delinquentis extractionem ab ecclesiâ seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii saecularis, et cum interventu personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae, devenire teneatur; extractumque ad suos, si tuti et securi fuerint, sin minus ad curiae saecularis carceres adsportari, ibique sub tutâ custodiâ detineri curet et faciat.

§ 8. « Ubi vero[3] ex processu informativo desuper conficiendo quoad inquisitum nondum condemnatum dictus iudex ecclesiasticus ex acquisitis seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab extracto homicidium a praedictâ Benedicti praedecessoris et hac nostrâ constitutionibus exceptum patratum fuisse cognoverit[4], ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur; extractum-

1 Vide ibid. § 11 pag. 34 *a* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *extrahatur* (R. T.).
3 Vide ibid. § 12 pag. 34 *a* (R. T).
4 Vide ibid. § 13 pag. 34 *b* (R. T.),

1 Pessime edit. Main. legit *recitatae* (R. T.).
2 Male edit. Main. legit *ac* pro *ad* (R. T.).
3 Ibid. § 13 pag. 34 *b* (R. T.).
4 Male edit. Main. legit *cognoverint* (R. T.).

que, si laicus sit, ministris et officialibus curiae saecularis, si autem clericus, eius competenti iudici ecclesiastico tradere et consignare possit ac debeat, exactis tamen receptisque in actu traditionis et consignationis huiusmodi a iudice quidem saeculari iuramento, et ab ecclesiastico promissione in verbo veritatis, de restituendo extractum ecclesiae locove immuni, sub poenâ excommunicationis latae sententiae nobis et eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatae, quatenus extractus in suis defensionibus, quae ad tramites iuris et ordinationum apostolicarum ei competunt, praefata elidat et diluat indicia, et si illa minime eliserit sive diluerit, et delinquens repertus fuerit, iudici suo, scilicet ecclesiastico in clericum, saeculari in laicum, ut iuris esse censuerit, animadvertere liceat.

§ 9. « Quoties autem[1] de iam bannito aut in contumaciam damnato ex causâ homicidii superius excepti sive laico sive ecclesiastico agetur, quilibet iudex ecclesiasticus, ut praefertur, competens, ad illius, laici nimirum, instante curiâ saeculari, et clerici, ex officio, extractionem ab ecclesiâ locove immuni[2] cum interventu quoque personae ecclesiasticae ab episcopo deputandae[3], ac traditionem suo respective iudici, sicut mox dispositum est, faciendam procedat, solamque sententiae contumacialis et actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus ut dictus iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num istiusmodi sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit ad formam constitutionum apostolicarum, pronunciare et declarare queat et debeat an bannitus et in contumaciam damnatus consignandum veniat nec ne, exactis pariter et receptis, quatenus consignetur a iudice saeculari, iuramento, si delinquens sit laicus, ab ecclesiastico vero, si fuerit clericus, promissione ipsum, ut supra, restituendi ecclesiae locove immuni, sub antedictâ poenâ excommunicationis, si extractus in suis similiter defensionibus[1] ei ad praescriptum praedictarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem et iniustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit. Quod si id praestare nequiverit, et ex eisdem sententiâ et actis rite et recte gestis reus repertus fuerit, iudex eius competens sententiam exequi, et quando aliquem in poenâ irrogatâ excessum deprehenderit, etiam moderari valeat; ita quod quaecumque declaratio a praedicto iudice ecclesiastico facta in iudicio ecclesiasticae immunitatis super consignatione banniti et in contumaciam damnati, eiusque denegatione, nullatenus deservire et a nemine allegari possit in alio diverso ac separato iudicio, in quo scilicet de praefatae sententiae contumacialis executione postmodum disputari contingeret: ad quem effectum dicta declaratio iudicis ecclesiastici perinde habeatur ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo iudicis competentis in cognoscendâ et definiendâ validitate seu nullitate, iustitiâ seu iniustitiâ eiusdem sententiae contumacialis ingeratur ».

§ 10. Quoniam autem dilecti filii nobiles viri dux et gubernator reipublicae Ianuensis nobis nuper humiliter supplicari fecerunt, ut dispositionem praedictae constitutionis nostrae, superius insertam, ad dominium et ditiones

Dux Ianuensis huiusmodi constitutionem ad ditiones Reipublicae petit extendi.

1 Ibid. § 13 pag. 35 *a* (R. T.).
2 Edit. Main. legit *immune* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *deputanda* (R. T.).

1 Pessime edit. Main. legit *definitionibus* pro *defensionibus* (R. T.).

tam terraefirmae, quam regni Corsicae, et insulae Caprariae eidem Reipublicae subiectas, in quibus homicidia quoque frequentissima sunt, extendere et ampliare de benignitate apostolicâ dignaremur:

Concedit Pontifex quoad ea quae huic constitutioni adnecta sunt.

§ 11. Nos igitur, ipsos ducem et gubernatores specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, et ad tam exitiale homicidiorum flagitium, quantum cum Domino possumus, propulsandum exterminandumque advigilantes, praedictam constitutionem, pro universâ, ut praemittitur, S. R. E. praefatae ditione a nobis factam, quoad praeinserta in his praesentibus litteris, respective, ad dominium et ditiones praedictas eiusdem Reipublicae, apostolicâ auctoritate, motu proprio, tenore praesentium, extendimus et ampliamus, atque deinceps omnino ac inviolabiter observari praecipimus et mandamus.

Quae vero de dilatione indiciorum et sententiâ contumaciali sunt, reducit ad terminos iuris municipalis.

§ 12. Volumus tamen, ut, sicut in nostrâ ditione ecclesiasticâ, tum extractus[1] in suis defensionibus, quae ad tramites iuris et[2] apostolicarum ordinationum ei competunt, elidat et diluat indicia, tum sola[3] sententiae contumacialis et actorum, quibus illa fundatur, exhibitio ad hoc sufficiat ut iudex ecclesiasticus, ex illorum inspectione dumtaxat agnito num sententia contumacialis legitime iusteque prolata sit ad formam constitutionum apostolicarum, pronunciare et declarare queat et debeat an bannitus et in contumaciam damnatus consignandus veniat nec ne, tum denique si extractus in suis defensionibus ei ad praescriptum praedictarum constitutionum apostolicarum competentibus nullitatem et iniustitiam contumacialis sententiae praedictae ostenderit, et sceleris indicia diluerit, ita pariter in dominio et ditionibus praedictis haec omnia praemissa ad dispositionem iuris et statuta localia dominii et ditionum huiusmodi intelligi debeant.

Qui pro episcoporum familiaribus accipiendi sint.

§ 13. Ac insuper volumus, ut, donec et quousque sive per nos ipsos sive per Romanos Pontifices pro tempore existentes declaratio huiusmodi facta non fuerit, ii tantummodo familiares et officiales excepti intelligantur et habeantur, quos de iure et iuxta consuetudinem cuiuslibet loci usque ad hanc diem pro familiaribus et officialibus habitos et deputatos esse et haberi ac deputari solitum est.

Clausulae.

§ 14. Decernentes, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus et singulis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime observari, sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ipsius S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, eorumdemque cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi fa-

1 Videtur legendum *tum restituatur extractus si;* at syntaxis adhuc implexa (R. T.).

2 Coniunct. *et* nos addimus (R. T.).

3 Male edit. Main. legit *solae* (R. T.).

cultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Obstantibus derogat.

§ 15. Non obstantibus praemissis, aliisque apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, necnon, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam inmemorabilibus, ac quorumcumque praedecessorum nostrorum litteris, privilegiis, indultis et facultatibus, quibusvis etiam dictis cardinalibus eorumque Congregationibus, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus et aliis decretis, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, vel aliàs quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Terminum praefigit ad praefatae constitutionis observantiam inducendam.

§ 16. Volumus autem, ut, lapsis viginti quinque diebus postquam praesentes litterae per dominium et ditiones praefatas per Ordinarios locorum publicatae fuerint, omnes et singulos in dominio et ditionibus praedictis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter ac nominatim intimatae fuissent; utque ipsarum praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Transumptis fidem addit.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XIV ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 14 ianuarii 1740, pontif. anno X.

---

## CCLXXI.

*Regi christianissimo eiusque successoribus conceditur indultum nominandi ad beneficia in ditionibus Lotharingiae et Bari.*

**Clemens Papa XII,**

**carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum regi chsistianissimo, salutem apostolicam benedictionem.**

Alexander VII regi Franciae nominationem concessit ad ecclesiam Metensem, Tullensem et Virdunensem.

§ 1. Aliàs quidem felicis recordationis Alexander Papa VII praedecessor noster, ob eximia clarae memoriae Ludovici, dum vixit, Francorum regis christianissimi, avi maiestatis tuae, in rem catholicam merita, eidem Ludovico regi, quoad vixisset, ius ipsi Alexandro praedecessori et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus suis successoribus nominandi personas probatas boni nominis et secundum sacrorum

canonum dispositionem idoneas ad cathedrales ecclesias Metensis, Tullensis et Virdunensis respective civitatum, ab ipso Ludovico rege tunc temporis possessarum, quoties illas quibusvis modis et ex quorumcumque personis (non tamen per obitum apud hanc S. Sedem) vacare contigisset, per eumdem Alexandrum praedecessorem suosque successores praedictos ad nominationem praeficiendas reservaverat, concesserat et assignaverat; et aliàs, prout in ipsius Alexandri praedecessoris litteris desuper in simili formâ die XI decembris MDCLXIV expeditis:

Clemens IX huiusmodi concessionem extendit ad omnia beneficia dictarum dioecesum.

§ 2. Subinde vero felicis etiam memoriae Clemens Papa IX, itidem praedecessor noster, firmiter in Domino sperans fore, ut tam ipse Ludovicus quam successores reges christianissimi, gloriosis antecessorum regum vestigiis inhaerentes, religionem christianam et fidem catholicam tueri et propagare, dictaeque Sedis Apostolicae honorem et auctoritatem in universis suis et ipsorum regum successorum dominiis illibatas conservare omni studio curaturi, atque in nominandis ad infrascripta beneficia personis, quae vitae integritate, religione, fide et doctrinâ praestarent, summum studium summamque diligentiam semper adhibituri, nec suam ipsorum conscientiam eâ in re ullo modo laedi forent passuri, ampliorem que ipsi Ludovico regi eiusque successoribus exercendae erga personas benemeritas regiae beneficientiae facultatem apostolicâ benignitate ducens concedendam, eidem Ludovico regi eiusque successoribus regibus christianissimis, in unitate catholicae fidei ac Sedis Apostolicae praedictae obedientiâ perseveraturis, ius nominandi ipsi Clementi praedecessori et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus suis personas probatas bonorum nominis et famae, ac secundum sacrorum canonum disposinem idoneas, ad quaecumque beneficia saecularia, et quorumvis Ordinum regularia, in praedictis Metensi, Tullensi et Virdunensi civitatibus, earumque territoriis, ditioni et dominio temporalibus tunc temporis eidem Ludovico regi subiectis, consistentia, quae extra Romanam Curiam quibusvis modis et ex quorumcumque personis vacare contigisset, et quorum collatio, provisio et omnimoda dispositio eidem Clementi et Romanis Pontificibus successoribus praedictis et dictae Sedi quomodolibet (non tamen ratione obitus apud Sedem eamdem) reservata existeret, per ipsum Clementem praedecessorem eiusque successorem Romanos Pontifices praedictos praeficiendas, et quibus beneficia huiusmodi respective per dictum Clementem praedecessorem suosque Romanos Pontifices successores praedictos conferri debuissent, motu pari, sub certis modo et formâ tunc expressis, reservavit: et aliàs, prout tam in praefatis eiusdem Alexandri quam in dicti Clementis praedecessoris litteris die XXIII martii MDCLXVIII desuper in simili pariter formâ [Brevis expeditis, quarum etiam tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur.

Clemens XII pari modo dictum ius ampliat in ditionibus Lotharingiae et Barii.

§ 3. Nos etiam, eorumdem Alexandri et Clementis praedecessorum praedictorum vestigiis insistentes, ac maiestatem tuam maiorum tuorum regum christianissimorum virtutes aemulantem, deque nobis atque ipsâ S. Sede praeclare mereri pergentem, paternâ charitate complectentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eidem maiestati tuae, ac successoribus tuis Francorum regibus christianissimis in unitate catholicae fi-

dei et Sedis Apostolicae praedictae obedientiâ perseverantibus, ius nominandi nobis et pro tempore existentibus Romanis Pontificibus successoribus nostris personas probatas bonorum nominis et famae, ac secundum sacrorum canonum et Concilii Tridentini decretorum dispositionem idoneas, ad quaecumque et qualiacumque beneficia ecclesiastica saecularia, et quorumvis Ordinum, Congregationum et institutorum (non tamen hospitalia[1] S. Ioannis Hierosolymitani) regularia, etiamsi saecularia, canonicatus et praebendae, dignitates etiam post pontificalem maiores in cathedralibus, ac principales in collegiatis ecclesiis, personatus, administrationes et officia, regularia vero beneficia huiusmodi, monasteria etiam consistorialia, et in libris Camerae Apostolicae taxata, prioratus etiam conventuales, praepositurae, praepositatus, praeceptoriae seu commendae et officia (non tamen claustralia) fuerint, et ad illa consueverint qui per electionem seu alium quemcumque modum assumi (exceptis tamen mediano monasterio, vulgo de *moyen*, Moutier nuncupato S. Hidulphi Ordinis sancti Benedicti, capite Congregationis Ss. Vitoni et Hidulphi, nullius, provinciae Trevirensis in Lotharingiâ, eidem Apostolicae Sedi immediate subiecto, cui per alias nostras sub plumbo pridie idus ianuarii anno Incarnationis dominicae MDCCXXX seu alio veriori tempore expeditas litteras, quarum tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, liberam electionem personae idoneae Ordinis et Congregationis huiusmodi in abbatem dicti monasterii praeficiendae expresse concessimus, aliisque, si quae alia sint, congregationum capita, monasteriis ac parochialibus ecclesiis, earumque perpetuis vicariis, et aliis beneficiis curam sacramentalem animarum parochianorum annexam quomodolibet habentibus omnibus), in ditionibus Lotharingiae et Barii, quae maiestati tuae et successoribus tuis Francorum regibus subiectae sunt, dumtaxat consistentia, quae extra Romanam Curiam quibusvis modis et ex quorumcumque personis vacare contigerit, et quorum collatio, provisio et omnimoda dispositio nobis et successoribus nostris praefatis et dictae Sedi quomodolibet (non tamen ratione obitus apud Sedem eamdem) reservata existat, per nos et successores nostros praedictos monasteriis, prioratibus, aliisque beneficiis praefatis ad nominationem huiusmodi praeficiendas, et quibus eadem monasteria, prioratus et alia beneficia praedicta respective, ut praemittitur, per nos dictosque successores nostros conferri debeant, tenore praesentium reservamus pariter ac concedimus et assignamus.

Clausulae pro concessionis huius firmitate.

§ 4. Decernentes, ius nominandi huiusmodi ad monasteria, prioratus et alia beneficia praedicta tibi tuisque successoribus regibus memoratas ditiones pro tempore possidentibus competere debere, neque sub quacumque quantumvis speciali derogatione comprehendi, vel ei quovis modo et ex quacumque causâ derogari, et, si derogari contingat, id minime suffragari posse, et nihilominus quascumque monasteriorum, prioratuum et aliorum beneficiorum huiusmodi provisiones, commendas et alias de eis dispositiones, etiam cum iuris nominandi huiusmodi derogatione, contra earumdem praesentium tenorem etiam per nos et successores nostros praedictos ac Sedem eamdem absque tuis successorumque tuorum regum praedictorum nominationibus, etiam motu, scientiâ et potestatis plenitudine similibus, quoquo

1 Videtur legendum *hospitalis* (R. T.).

modo pro tempore faciendas, ac desuper conficiendas litteras, et inde secuta quaecumque, nulla et invalida, nulliusque roboris et momenti fore et esse, teque vel memoratos reges successores tuos ad docendum de litteris praedictis seu illas ostendendum et in eis contenta quaecumque iustificandum minime teneri, sed eisdem praesentibus tantum uti posse, illisque tam in iudicio quam extra illud stari debere; sicque et non aliter per quoscumque iudices et commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac eiusdem S. R. E. cardinales, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus quibusvis generalibus vel specialibus monasteriorum et prioratuum, aliorumque beneficiorum praedictorum reservationibus seu affectionibus apostolicis per quoscumque Romanos Pontifices praedessores nostros et nos et Sedem eamdem quomodolibet factis seu pro tempore faciendis, necnon Cancellariae Apostolicae regulis editis et edendis, ac quibusvis aliis apostolicis, necnon in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus, constitutionibus et ordinationibus, ac quarumcumque ecclesiarum et monasteriorum, illorumque Ordinum, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam quasvis clausulas et reservationes in se continentibus, per eosdem praedecessores ac nos et Sedem eamdem ecclesiis et monasteriis, illorumque capitulis, conventibus, et Ordinibus, aliisque personis quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse, motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus, derogamus, et plene derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Terminus constitutus pro personis nominandis.

§ 6. Volumus autem ut tam tu quam successores tui reges praefati intra sex menses, a die vacationis monasteriorum, prioratuum, aliorumque beneficiorum huiusmodi computandos, personas idoneas nobis et pro tempore existenti Romano Pontifici pro collatione, provisione, seu commendâ obtinendâ nominare omnino teneamini, et ad monasteria seu prioratus huiusmodi in titulum concedi solita clerici saeculares, vel alterius, quam monasterii seu prioratus, ad quod seu quem eos per te vel successores tuos reges praedictos nominari contigerit, Ordinis regulares nominandi, habitum per fratres seu monachos illius monasterii seu prioratus gestari solitum suscipere, et professionem per eosdem fratres seu monachos emitti consuetam expresse emittere, omnesque et singuli nominati praedicti super monasteriis, prioratibus et aliis beneficiis quibuscumque praedictis, cuiuscumque valoris annui etiam minimi existant, litteras apostolicas collationis, provisionis seu commendae respective sub plumbo in-

tra alios sex menses a die factae nominationis computandos expedire, ac iura Camerae Apostolicae ac aliis propterea debita persolvere omnino teneantur; alioquin, dictis sex mensibus respective elapsis, de monasteriis ac prioratibus aliisque beneficiis praedictis, ut praefertur, vacantibus, per nos seu pro tempore existentem Romanum Pontificem libere disponi possit.

Huiusmodi privilegio frui quoque concedit Stanislaum regem Poloniae.

§ 7. Volumus pariter ut indulto huiusmodi, tibi ac successoribus tuis regibus christianissimis praedictis ut praefertur concesso, carissimus in Christo filius noster Stanislaus Poloniae illustris ac Lotharingiae et Barii dux non minus pietate quam orthodoxae religionis zelo insignis, quoad vixerit, libere ac licite uti possit et valeat.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die xv ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno x.

Dat. die 15 ianuarii 1740, pontif. anno x.

## CCLXXII.

*Confirmatio regulae et constitutionum monachorum Maronitarum Ordinis sancti Antonii abbatis Congregationis sancti Isaiae in Syriâ.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Primus definitor huius Congregationis Romam concedit.

§ 1. Misericordiarum pater et Deus totius consolationis, qui semper, ac praesertim inter gravissimas sacrosancti apostolatus curas et sollicitudines, consolatur nos in omni tribulatione nostrâ, ut et ipsi paternâ charitate complectentes eos qui in omni pressurâ sunt consolari possimus, ineffabili bonitate suâ consolatus est nos in adventu dilecti filii Petri Hataya monachi expresse professi ac primi definitoris Ordinis sancti Antonii abbatis Congregationis Syriae sancti Isaiae appellatae.

Nomine totius Congregationis Papae porrigit constitutiones approbandas.

§ 2. Hic autem e Syriâ, ubi orthodoxa catholica fides inter adversas superstitionis et haeresis sectas a Maroniticâ natione huic Sanctae Sedi semper addictissimâ integerrime colitur et custoditur, adveniens, nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Simonis Hariddi abbatis generalis, et Abrahami Esaf, Bimini Agia, Petri et Pauli Chiami definitorum, atque omnium monachorum Ordinis et Congregationis praefatorum exponi fecit, quod, licet ipsi[1] easdem constitutiones, in nonnullis levibus rebus immutatas, quas, per alias nostras in simili formâ formâ Brevis die XXI martii anno MDCCXXXII expeditas litteras a nobis approbatas et confirmatas, dilecti itidem filii monachi Syri Maronitae eiusdem quidem Ordinis sancti Antonii abbatis sed Congregationis Montis Libani dictae observant, deque ipsorum Congregatione sancti Isaiae in praefatis litteris nostris facta fuerit mentio, tamen, ut fidelem et constantem, quam eidem Sanctae Sedi profitentur, observantiam et obedientiam alacrius testatam faciant, et nationalis synodi novissime in Monte Libano praedicto celebratae decreto, in quo praescriptum fuit ut monachi omnes Maronitae suas constitutiones ab Apostolicâ Sede praefatâ approbandas et confirmandas curarent, parere satagant, constitutionum huiusmodi, ut praemittitur, iam approbatarum confirmatarumque pro eâdem Congregatione Montis Libani, approbationem confirmationemque pro ipsorum Congregatione sancti Isaiae desiderantes, nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere et de apostolicâ benignitate indulgere dignaremur.

1 Videtur deesse *habeant* vel *observent* (R.T.).

Tenor constitutionum. § 3. Constitutiones autem sunt tenoris sequentis, videlicet:

CONSTITUTIONES.

*Monachorum Syrorum Maronitarum Ordinis sancti Antonii abbatis Congregationis sancti Isaiae Syriae nuncupatae.*

PARS PRIMA.

Cap. I. De obedientiâ. I. Debet monachus abbatem suum Christi loco citra omnem disceptationem habere;

II. Eidemque in omnibus, peccato excepto, obedire;

III. Et illum honore et amore tum interno tum externo prosequi;

IV. Nihilque eo inconsulto statuere;

V. Neque de illius circa fratres regimine subtiliter investigare;

VI. Omnem propriam conversationem, seu bonam seu minus rectam, illi plane patefacere;

VII. Nullas expositiones sive tractatus habere aut scribere, neque concionari aut docere, nisi ipso consulto atque annuente;

VIII. Nec epistolam mittere aut accipere, quam illi non antea exhibuerit;

IX. Nec illo inconsulto depositum aut pignus suscipere;

X. Neque mutuum quidpiam dare aut accipere, neque eleemosynam erogare aut petere, nisi illo annuente: servatis tamen iuris solemnitatibus et acceptâ a legitimo superiore facultate.

Cap. II. De castitate. I. Monachum oportet omnes sensus suos diligentissime cohibere;

II. Atque a feminarum etiam sibi affinium colloquio et consuetudine abstinere;

III. Omnes item omnino feminas ab ingressu sui monasterii prohibere;

IV. Neque cum puero simul habitare: si quos tamen doceri contigerit, extra monasterii claustra docendi erunt;

V. Omnes denique occasiones castitati noxias amputare atque amovere.

Cap. III. De paupertate. I. Monachum convenit nihil omnino proprium possidere;

II. Neque aliquid omnino sibi quasi proprium usurpare;

III. Neque suo cordi aut corpori iungere quidpiam ex bonis parentum aut consanguineorum; necessitate autem cogente, sibi id praestare intelligat non consanguinitatis iure, sed non secus atque ceteris externis.

Cap. IV. De humilitate. I. Monachum decet primatum nusquam appetere, sed contra, aliis ubique cedere, atque novissimum locum tenere;

II. Omnes actus et mores suos externos ad abiectionem et humilitatem componere, et fratribus ubique deferre;

III. Fratres item praevenire verbo *parce mihi*, si rei, quae agitur, natura istud exigat.

Cap. V. De fraternâ charitate. I. Monachum oportet quamdiligentissime ea omnia procurare, quae ad communem concordiam et pacem cum reliquis fratribus conducere intellexerit.

II. Debet itaque reverentiam, urbanitatem, comitatemque verbo et opere exhibere fratribus, non modo superioribus sed etiam aequalibus atque inferioribus, et praecipue illis qui sibi ista praestare detrectant;

III. Caveat item accuratissime, ne quempiam condemnet aut vituperet, neve sibi verbum gestusve excidat, ex quo audientibus moestitia aut suspicio quaevis oriatur.

IV. Satagat praeterea cor habere mundum a quavis appetitione superioris sortis, ne inde livor et invidia subrepat, vitium maxime detestandum et charitati exitiale.

Cap. VI. De patientiâ. I. Monachus debet verbo et opere se ad patientiam comparare perfectae mortificationis studio;

II. Subortâ autem tentatione, aestu iracundiae agitari perturbarive se non sinat; sed longanimitate et silentio omnem sedare perturbationem studeat;

III. Tentationibus atque difficultatibus pressus, ubique Deo gratias agere assuescat.

Cap. VII. De habitu monachorum. I. Monachus debet habitum nigrum habere;

II. Superiorem vestem laneam, cui sancti patris Antonii *Tau* caerulei coloris in sinistro latere sit assutum, adhibeat;

III. Zonâ nigrâ strictâ se cingat; tyrones vero fune ex pilis caprarum contexto;

IV. Zonam non solvat, nec monasticum cucullum deponat aut aliam vestem, cubiturus, nisi quae zonae subesse non solet;

V. In habitu, calceamentis, lecto et stragulis paupertas servetur.

Cap. VIII. De mora in cella.

I. Monachus sine causâ cellam deserere non debet;

II. Neque secum in illâ habitare quempiam permittere;

III. Neque fratris cellam citra ipsius annutum ingredi;

IV. Si quempiam ad eum venire contigerit, illo in cellâ praesente, ianua pateat, neque occludatur, donec illa abierit;

V. Monachi cella ita clausa maneat, ut communi, qua reliquae fratrum cellae, clave reserari valeat;

VI. Cellae munditiem et ordinem curet.

Cap. IX. De iter agentibus.

I. Monachus non debet sine socio extra claustra abire. Quapropter ante suum e monasterio egressum, comitem ab abbate petat.

II. Nullum iter suscipiat, nisi de licentiâ abbatis.

III. De monasterio non exeat, nisi tempore ab abbate constituto.

IV. Sine litteris abbatis sui de altero in alterum monasterium non pergat.

V. Quodcumque monasterium intraverit, eius loci abbati usque ad suum inde discessum omnino pareat.

Cap. X. De mensâ.

I. Mensa monachi cibo obvio et parabili instruatur.

II. Bis in die dumtaxat cibum sumere, prandium, scilicet, et coenam, contentus sit. Si quid amplius sumere necesse fuerit, abbatem consulat.

III. Carnibus abstineat, nec illis, nisi aegritudinis causâ, vesci fas esto, idque de licentiâ abbatis.

IV. Hominem saecularem ad mensam intra monasterii claustra non adhibeat;

V. Ad mensam sine abbatis licentiâ non sedeat supra seniorem.

VI. Mensae assidens neminem salutet.

VII. Post refectionem fas est tantisper animum relaxare, vel in solitario secessu, vel unâ cum fratribus.

Cap. XI. De opere manuum.

I. Monachum oportet operi seu mentali seu corporali vacare, praesertim si firmâ corporis valetudine utitur;

II. Opus autem fratribus utile esto;

III. Illud vero, nisi de licentiâ abbatis, non capiat: sique res ipsa postulat, etiam officinae, in qua est operaturus, praefectum consulat, eiusque annutum petat.

Cap. XII. De silentio.

I. Monachus debet silentium discrete observare;

II. Idque tribus praecipue temporibus, a Completorio, nimirum, ad Tertiam diei sequentis; praeterea in ecclesiâ atque ad mensam: et si quid dicendum fuerit, submissâ voce dicatur.

Cap. XIII. De oratione mentali.

I. Monachus mane et vespere orationi mentali ad semihoram vel horam vacabit: idque fiat vel post absolutas vocales preces, vel ante ad abbatis nutum;

II. Oraturus, vel cum aliis fratribus in ecclesiâ conveniat, vel solus in cellâ maneat;

III. Huiusmodi autem orandi genus non suscipiant, qui laboriosis ministeriis addicuntur, nisi de licentiâ abbatis.

Cap. XIV. De oratione vocali.

I. Monachus septem orandi tempora observet iuxta monasterii consuetudinem: 1° officium vespertinum sub occasum; deinde Completorium ante cubitum; 3°, officium mediae noctis sub horam propriam; 4°, officium matutinum simul cum horâ tertiâ; postremo officium sextae simul et nonae.

II. Annectendae sunt completorio litaniae Deiparae singulis sabbatis, feriis quartis, et in festis beatissimae Virginis Mariae. Completorio succedit conscientiae examen ad octavam horae, quod etiam mane fieri debet post tertiam.

III. Feriâ quartâ et sextâ singuli in cellas suas secedant sub vesperam post conscientiae examen, et psalmum quinquagesimum manibus in crucis figuram extensis recitent quinquies: ceteris vero diebus quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam recitent.

IV. Poenitentiales genuflexiones, quas metanoeas vocamus, ad Laudes singuli peragant.

Cap. XV. De confessione sacramentali.

I. Monachus peccata sua sacerdoti ad confessiones excipiendas constituto confiteri debet: si autem alteri sacerdoti, abbatem consulat.

II. Idque semel quavis hebdomadâ saltem praestet.

III. Sub ingressum in religionem generali confessione peccata sua apud sacerdotem ab Ordinario approbatum deponat; nec re-

cipiatur, nisi exhibitâ attestatione quod confessionem sacramentalem emiserit.

Cap. XVI. De sanctorum mysteriorum communione.

i. Monachus debet opere et desiderio perpetuo paratum se praebere ad perceptionem sanctorum sacramentorum;

ii. Eorumque communionem frequentare atque suscipere diebus dominicis et festis de praecepto;

iii. Sique in eâdem hebdomadâ plura concurrant festa, propter sacramenti reverentiam, iuxta abbatis consilium, in quibusdam a communione abstineat;

iv. Monachus vero sacerdos sacrum non omittat unquam, nisi causâ ab abbate probatâ, vel confessarii consilio;

v. Ob divinorum mysteriorum reverentiam nullus monachorum, sive sacerdos, sive clericus, sive laicus, missam celebret, aut divinam Eucharistiam recipiat, nisi aperto capite;

vi. Cucullum etiam monachi omnes capite deponant, dum sacro interveniunt, et cum datur a celebrante benedictio in choro: ubi demum SS. Sacramentum in ecclesiâ conservatur, quoties ante illud est transeundum, caput detegant et genuflectant;

vii. Monachus diaconus coronam in capite, quam sacerdos paulo minorem, gestet, nec missae solemni nisi habitu diaconi indutus ministret.

Cap. XVII. De modestiâ.

i. Monachus e cellâ egressurus, proprium habitum induat, neque sine eo a quopiam se conspici permittat;

ii. Memineritque inclinare caput abbatibus et sacerdotibus senioribus, circumstantiis loci atque temporis id exigentibus, iuxta traditionem et ordinem atque morem fratrum;

iii. Abiturus, aut cellam subiturus, aut fores patefacturus, aut clausurus, aut pulsaturus, modestiae atque silentii memor esto;

iv. Charitatem hilaritatemque cum timore Dei coniunctam in familiari cum fratribus colloquio praeseferat;

v. In summâ intelligat, in omnibus dictis factisque suis sibi modestiae gravitatisque leges esse servandas.

Cap. XVIII. De aegrotis.

i. Monachus Deo gratias agere debet in statu aegritudinis magis quam in statu valetudinis, sciens se ad proprium profectum a Domino visitari;

ii. Inconsulto abbate corpus affligere aut vexare non debet;

iii. Ægritudinem praesentiens, abbatem moneat;

iv. Pharmaca et remedia abbate inconsulto non adhibeat.

PARS SECUNDA.

Cap. I. De novitiis.

i. Licet abbati in suo monasterio novitios suscipere, atque etiam expellere, de consilio congregationis monachorum.

ii. Novitius non probetur, nisi in monasterio, in quo plures monachi degunt, qui et monasticam regulam observant, et statutis temporibus canonicas preces ceterosque ecclesiasticos ritus peragunt.

iii. Habitent novitii in loco a ceteris separato, et curabit abbas generalis ut pro novitiatu designetur monasterium determinatum, et in eo locus separatus.

iv. Novitiatus ad annum producatur, neque quisquam ante expletum hoc spatium ad habitum admittatur, nisi ex causâ a congregatione hegumenorum probatâ; si vero novitius expleto anno ad hoc minus idoneus reperiatur, omnino dimittendus est.

v. Novitius ante expletum aetatis annum sextum decimum non suscipiatur, neque maior sit quadragesimo quinto: pertinet autem ad congregationem hegumenorum in hoc casu, si aliunde noverit illum Ordini profuturum, sive in defectu aetatis, sive in excessu dispensare, modo non sit minor annis quindecim.

vi. Novitium 1° oportet esse christianis parentibus natum atque orthodoxum; quare si ipse aut alteruter eiusdem parentum christianus non est, aut christianam fidem negavit, vel neophytus ad illam accessit, aut a catholicâ fide ad sectam haereticorum transiit, absque licentiâ congregationis generalis a nemine suscipiatur: qui vero haereticis aut schismaticis parentibus natus est, ab abbate monasterii suscipiendus non est, nisi de licentiâ abbatis generalis: 2° si excommunicatus, interdictus, suspensusve ab exercitio sui Ordinis fuerit, ante absolu-

tionem atque benedictionem proprii episcopi non recipiatur: — 3° non recipiatur novitius publice suspectus vel delatus de criminibus spectantibus ad negotium fidei orthodoxae, vel de homicidio, aut enormi in re turpi delicto, neque notorie infamis, nisi certa sincerae poenitentiae signa antea ostenderit, et obtinuerit absolutionem aut dispensationem a legitimo superiore, prout de iure; — 4° nec recipiatur alieno aere obstrictus, neque reddendis de administratione rei alienae rationibus obnoxius, neque iudicis sententiâ exilio mulctatus, nisi creditoribus et magistratibus satisfecerit; — 5° nec coniugio ligatus, nisi de consensu coniugis, et factâ coram episcopo separatione; — 6° nec in ecclesiasticâ dignitate constitutus, cui curâ animarum annexa sit, nisi in manu sui praelati illam abdicaverit; — 7° nec nothus, neque alio vitio laborans irregularitatem inducente et processum ad sacros ordines impediente, nisi obtentâ ab habente facultatem absolutione, seu dispensatione; — 8° nec aeger corpore, nec morbo cuivis obnoxius, nec insanus, aut mentis minus compos suae, sed corpore sanus et integer sit, et interno externove vitio careat, quo ab ordinibus suscipiendis aut exhibendo fratribus ministerio impediatur; — 9° nec qui in alio monasterio aut Ordine professionem emisit, nisi petitâ a proprio praelato veniâ, et nostrâ generali congregatione annuente. Monachi vero, qui sua nobis monasteria, superiorum permissu, tradiderint, si congregationem nostram optaverint, ad annum sunt probandi, quo peracto, rogatis congregationis monachorum de more suffragiis, ad professionem admittantur, locum vero post monachos, quos invenerunt, obtineant. Qui vero novitius in alio monasterio aut Ordine fuerit, non recipiatur nisi de licentiâ abbatis generalis.

VII. Abbas monasterii, antequam novitium admittat, exploret circa omnia praedicta, et examen fiat in congregatione monachorum. Si abbas novitium post praemissum examen admiserit, deinde vitium in eo deprehenderit, aut impedimentum quodlibet, continuo illum e monasterio dimittat; si vero praedictum examen neglexerit, ab abbate generali graviter erit puniendus. Qui autem novitium susceperit, sciens impedimentum aliquod ex praedictis obstare, ex gradu suo excidat, qui id ausus fuerit, sine morâ, nec ad ullum deinceps in religione gradum idoneus dignusve censeatur ipse et omnes monachi, qui in congregatione unâ cum illo interfuerint, ad triennium; quo expleto, a congregatione hegumenorum restitutionem obtineant. Novitius vero eum in modum receptus, si necdum professionem emiserit, e monasterio expellatur; sin autem professus fuerit, res ad congregationem hegumenorum devoluta censeatur, quae cum reverendissimo domino patriarcha aut legitimo superiore causam definiet.

VIII. Debet insuper abbas de novitii aetate, indole, scientiâ, valetudine, causâ vocationis ad statum religiosum, et ceteris huiusmodi cognoscere: idque fiat in congregatione monachorum.

IX. Postquam ergo abbas cum monachorum congregatione admissionem novitii probavit, tum vero locum a fratribus separatum illi assignabit, ibique ad octo saltem dies citra habitus mutationem maneat, atque interea regulas Ordinis, statuta et consuetudines examinet. Et primum novitius generalem peccatorum confessionem apud sacerdotem ad excipiendas saecularium confessiones ab episcopo approbatum obeat, atque sacram communionem percipiat; postea convocatis monachis, sive matutino sive vespertino tempore, abbas novitium induat tyronum habitu iuxta ritum syriacum.

X. In quolibet monasterio habeatur liber, in quo abbas describat nomen novitii, cognomen, patriam, diem, mensem et annum, quo habitum novitii suscepit. Similiter in codice annotetur dies, in quo professus est, monasticum habitum suscipiendo, et praedictus liber in archivio monasterii reponatur.

XI. Tyrocinii annus supputandus erit a die quo habitum novitii induerit; et prior tempore potior sit in gradu: at sacerdos eum qui sacerdos non est praecedit, et diaconus non diaconum.

XII. Non liceat abbati, neque aliis exigere

aut accipere a novitiis quidquam pro ipsorum receptione ad probationem; sed nec pretium vestis ad probationem necessariae. Si vero novitius sponte quidpiam monasterio obtulerit, id porro palam et in publico conventu fiat, cedatque in communem monasterii usum.

xiii. Novitiorum vestes resque omnes certo in loco reponantur, postquam in codicem singula relata fuerint, ipso novitio praesente unâ cum fratribus; nec ulli liceat inconsulto domino quidpiam ex illis sibi usurpare, aut monasterio applicare: sed nec ipse novitius de rebus suis disponere valeat, probatione durante, aut alteri earum usum cedere, absque abbatis consensu. Si novitius ad saeculum redierit, res suas auferre non prohibetur: illas tamen repetere non poterit, quas sponte et expresse monasterio donaverit, aut si professio sequuta fuerit.

xiv. Novitius ante professionem quovis etiam brevissimo temporis spatio potest de rebus et bonis suis pro arbitrio disponere: post factam vero professionem nullum illi remanet in eâ dominium, nec item abbati, sed illud ad Ordinem statim transire censetur.

xv. Currente probationis tempore, ter de novitio fratrum suffragia rogentur: et primum quidem expletis tyrocinii sex mensibus; iterum vero post nonum mensem; postremo post duodecimum, hoc est elapso probationis anno. Si in postremâ congregatione fuerit approbatus, habitum suscipiat, quamvis in geminis prioribus congregationibus reprobatus fuisset: et e contrario, si in tertiâ reprobatus fuerit, dimittatur, nec priorum duarum congregationum ulla ratio habenda erit.

xvi. Suffragiis monachorum approbatus censetur qui vel unum pro receptione supra medietatem suffragium habet. Si vero suffragia fuerint paria pro receptione et pro reprobatione, iterum rogentur: sique adhuc paria fuerint, reprobatus censeatur.

xvii. Si forte novitius tyrocinii tempore in grave crimen publicum et manifestum prolapsus fuerit, re prius cum congregatione monachorum communicatâ, abbas illum sine morâ eiiciat, ita tamen ut eius famae apud saeculares, quoad fieri poterit, consulatur.

xviii. Novitius, postquam ad suscipiendum habitum in tertiâ congregatione approbatus fuerit, abbas illi habitus susceptionem ad triduum differat: quo intervallo iubeat eumdem de statu suo deliberare; utrum scilicet illi placeat vota emittere, aut contra ad saeculum redire. Si evoluto triduo novitius statuerit religiosam professionem emittere, et monachus fieri, ad ecclesiam adducatur, fratrum coetu deducente; atque coram abbate ad altaris latus assidente genua flectat, duobus saltem monachis professis praesentibus, et abbas de ipsius proposito ac mente illum interroget; sique habitum petierit, induatur iuxta ritum syriacum, postquam pronunciaverit hanc votorum formulam:

*Ego N. N. promitto ac voveo Deo omnipotenti et reverendissimo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, castitatem et paupertatem voluntariam usque ad mortem, iuxta regulam et constitutiones Congregationis nostrae monasticae. Item promitto ac voveo, me nullam dignitatem quaesiturum, sive in nostrâ Congregatione sive extra, nec ambiturum per me ipsum, nec per alios procuraturum, neque subdole aucupaturum, neque etiam acceptaturum nisi ad id me coëgerit imperium superioris mei, cui teneor obedire.*

xix. Si Novitius Ordinem deseruerit, atque ad saeculum fuerit reversus, seu sponte suâ seu congregationis monachorum suffragio dimissus, non erit iterum recipiendus, nisi annuente congregatione hegumenorum: sique horum permissu receptus, sponte suâ aut a congregatione monachorum dimissus fuerit, nunquam deinceps recipiatur. Qui vero post primam discessionem receptus fuerit, probationis eius annus a die reditus supputetur, nec prioris tyrocinii ulla ratio habeatur.

xx. Si novitius a proposito resilierit, et ad saeculum fuerit reversus, atque ibi ab sacros ordines eumdem promoveri contigerit, sine congregationis permissu recipiendus non est.

xxi. Nec abbas, nec congregatio monacho-

rum suffragia ferre potest pro admissione novitii ad professionem absque abbatis generalis consensu, vel expresso vel tacito, quem ille sine legitimâ causâ negare non debet: et nisi expresse et nominatim negaverit, dare consensum censendus est.

XXII. Cum tempus probationis novitius expleverit et professus fuerit, abbas ad generalem abbatem de eodem referat.

XXIII. Non permittenda est novitio promotio ad ullum ordinem ecclesiasticum, neque abbati liceat eumdem ad sacram ordinationem offerre. Qui novitium ad sacros ordines provehi concesserit, a gradu suo excidat, et novitius ad habitus susceptionem inhabilis censeatur.

XXIV. Novitius cum monachis professis suffragium non ferat, neque de rebus ad Ordinem spectantibus interrogetur, neque ullam dignitatem in Ordine habeat dum probatur, sed ministeriis tantum monasterii addici potest. Probationis quoque tempore novitius a monasterio, in quo ad tyrocinium admissus fuerit, ad aliud monasterium non trasferatur sine iustâ causâ, nec sine consilio congregationis monasterii, quò transferendus est, et ex permissione abbatis generalis. Sic autem translatus, cum tempus probationis expleverit, pro eius admissione, eorum monachorum suffragia rogentur, ubi moratur.

XXV. Novitius habitum gerat ab habitu monachorum professorum diversum, nec ante professionem habitum illorum induat.

XXVI. Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae novitius quavis hebdomadâ semel saltem frequentet, neque a divinorum mysteriorum participatione prohibendus est sine consilio patris spiritualis ab abbate eidem assignati. Et si qui sacerdos fuerit, a sacrâ oblatione quotidie peragendâ suspendendus non est, nisi est ex causâ et consulto abbate.

XXVII. Si contingat novitium clericum missae inservire cum altero superioris gradus et loci, sive professus ille sit sive novitius, epitrachelion, hoc est, clericalem stolam non induat, nisi clericus ille, qui loco graduque superior est, illud pariter induerit.

XXVIII. Novitium decet silentium tenere praesentibus abbate atque magistro, neque loqui nisi interpelletur, aut ex iustâ legitimâque causâ, neque cum saeculari, nisi abbate et magistro annuentibus, et alio monacho praesente.

XXIX. Novitius mensae non assideat, nisi iussus ab abbate aut seniore inter fratres. Si contingat ipso sedente praeterire abbatem aut sacerdotem, statim assurgat, et iunctis in crucis modum supra pectus manibus, submissâ cervice, oculisque in terram defixis, perstet, donec ille pertransierit. Pari submissione reverentiâque se gerat, abbate aut alio sacerdote ipsum alloquente, nec nisi iussus assideat.

XXX. Novitius ab abbate aut a magistro reprehensus, statim in genua procidat, tacitusque audiat arguentem: nec, nisi iussus, pro se verba faciat, aut sibi obiecta refellat, nec, nisi illo iubente, assurgat.

Cap. II. De magistro novitiorum.

I. Magister novitiorum intelligat rem esse magni momenti sibi commissam, quandoquidem ex primâ novitiorum institutione pendet maiori ex parte eorumdem profectus et spes nostri Ordinis. Curet igitur ut in dies per studium propriae perfectionis instrumentum aptius ad eos iuvandos reddatur.

II. Amabilem se praestet et vitae integritate ac discretione ita se gerat, ut omnes novitii ad ipsum in suis tentationibus confidenter confugiant, eique res suas libere aperiant, et ab eo consolationem et auxilium in omnibus sperent.

III. In domo probationis monasterio coniunctâ, vel in monasterio ipso (nam locum novitiorum separatum esse magis expediret), refectorium quidem sit commune, sed mensa aliqua novitiis designetur post omnes professos.

IV. Magister novitiorum privatas tantum poenitentias suis novitiis imponere poterit; publicas vero nonnisi consulto abbate.

V. Habeat hic idem magister novitiorum potestatem ordinariam a praelatis absolvendi a casibus reservatis novitios suos, nisi abbati haec facultas aliquâ de causâ restringenda videretur, vel alteri concedenda: sed statutis anni temporibus, saltem bis in anno, extra ordinem confessarius novitiis offerendus est.

VI. Magistrum novitiorum versatum esse

oportet in lectione librorum spiritualium, ut deceptiones, quae in spirituali vitâ accidunt, intelligat. Novitiis vero eos tantum legendos tradet, quos ad eorum profectum conducere iudicabit, quique sint orthodoxi et ab Ecclesiâ catholicâ non reprobati. Semihorae vero spatio eosdem docebit orationem mentalem et vocalem, doctrinam christianam, et regulas atque statuta nostri Ordinis: praesertim qua ratione accedere debeant ad sacramenta Confessionis et Eucharistiae, et quomodo horis canonicis et sacrae liturgiae interesse eos conveniat. Qui autem litteras nesciunt, illos statutas preces recitare docebit.

vii. Abbatis est unum ex sacerdotibus monasterii, qui sit prae ceteris morum probitate et doctrinâ commendatus, magistrum novitiorum designare. Hunc autem si negligentem in novitiis instituendis, aut minus prudentem in eis corrigendis deprehenderit, pro qualitate culpae puniat: idque coram professis, non coram novitiis fiat. Eum vero ab officio removere non poterit, nisi congregatione monachorum consultâ.

Cap. III. De professis.

i. Postquam novitius professionem emiserit, aliquamdiu, abbatis arbitrio, sive in ministerio fratrum, sive in studiis litterarum exerceatur, ut appareat an ad clericorum ordinem promovendus sit, an vero in laicorum coetu manere debeat; nemo enim in nostrâ Congregatione ante novitiatum ad statum clericorum sive laicorum deputatur, sed omnes indifferenter ad quemcumque statum admittuntur: et solum post peractam professionem, postque edita idoneitatis suae signa, ab abbate, consultâ monachorum congregatione, ad clericatum sive ad statum laicorum designantur. Hac tamen in re conscientia ipsius abbatis oneratur, ut nimirum et rationem idoneitatis uniuscuiusque habeat, et monasterii necessitatibus de convenienti numero sacerdotum, clericorum et laicorum consulat.

ii. Antequam vero professus ad statum aliquem determinetur, semper maneat sub custodiâ et curâ vicarii abbatis; et quantum fieri potest, nullum commercium habeat, vel cum novitiis, vel cum aliis monachis, nisi cum paribus et aequalibus suis, aut cum iis qui in eodem ministerio aut studiis iisdem versantur.

iii. Quamquam autem aliquis ab abbate ad statum clericorum deputatus sit, et ordinem etiam aliquem ecclesiasticum acceperit, intelligat tamen ad ulteriorem gradum sibi aditum nequaquam patere, nisi illum bonis moribus et comparatâ ex studiis scientiâ promeruerit. Abbatis igitur et congregationis monachorum arbitrio relinquitur, ut ipsum ab ulteriore ordine accipiendo, ad tempus, vel etiam perpetuo arceant: idque potissimum de ordinibus infra diaconatum intelligendum est: nam qui, servatis servandis, ad diaconatum promotus est, is a sacerdotio accipiendo, nisi urgentissimâ de causâ, nequaquam removeatur.

iv. Pari ratione qui diu in ministerio laicorum deserviit, si idoneus postea repertus fuerit, potest ab abbate et monachorum congregatione ad ordines etiam maiores promoveri, dummodo tamen, postquam ab abbate ad ministerium laicale addictus est, nec litteras didicerit, nec libros legerit, nisi ipso consulto.

Cap. IV. De clericis studentibus, et magistris.

i. Nemo ad ordinem ecclesiasticum promoveatur, nisi aetate in sacris conciliis praescriptâ, aut dispensatione a legitimo superiore obtentâ, et de licentiâ congregationis monachorum atque abbatis, qui ordinandum cum litteris testimonialibus ad episcopum loci aut ad reverendissimum dominum patriarcham mittere debet, tenoris sequentis:

*Reverendissime et religiosissime domine episcope civitatis N.* (aut *Beatissime patriarcha noster domine N.*), *nos abbas et monachi Ordinis sancti Antonii congregati S. Isaiae monasterii N. testamur reverendum patrem N. monachum professum nostri Ordinis, in legitimâ aetate constitutum* (vel *dispensationem aetatis hic annexam habentem*), *et sufficienti doctrinâ bonisque moribus praeditum, nulloque impedimento irretitum, dignum esse qui ordinem N. a reverendissimâ dominatione tuâ* (vel *a beatitudine tuâ*) *accipiat. Quamobrem has ei litteras patentes dedimus sigillo monasterii nostri munitas, et subscriptione nostri abbatis*

*firmatas, die N., mense N., anno N.* Loco † sigilli. *N. abbas monasterii N.*

II. In libro monasterii adnotabitur nomen ordinati et episcopi ordinantis, et dies, mensis et annus.

III. Si quis ex professis permiserit se ordinari absque licentiâ abbatis et congregationis monachorum, negotium eius ad abbatem generalem deferatur, qui illum ab exercitio ordinis suspendat, aliisque poenis plectat.

IV. In quolibet monasterio clericis ab abbate magister deputetur, qui eos doceat, et ipsi litteras diligenter excolant, quarum ope choro deservire valeant, et sacerdotii onera digne ferre, eiusque munera pro dignitate exequi.

V. In qualibet provinciâ, si fieri potest, unum ex monasteriis frequentioribus ab abbate generali ad excolenda studia designetur, in quo, praeter magistrum grammaticae, sint etiam alii duo magistri, alter dialecticae et philosophiae, et alter theologiae, vel saltem unus magister, post peractum grammaticae, dialecticae et philosophiae curriculum, sacram theologiam exponat, et dogmaticam praesertim atque moralem, iuxta methodum ab eodem abbate generali praescribendam. Praeterea constituatur praefectus studiorum, cuius cura esse debet, ut tum a scholaribus, tum ab horum magistris statutus ordo et regula studiorum servetur: idemque praeerit omnibus actibus litterariis et examinationibus scholarium. Etsi autem ad abbatem generalem spectat tam praefectum studiorum quam magistros praedictos deputare, in mortis tamen aut infirmitatis alicuius eorum casu, congregatio monachorum unâ cum abbate illius monasterii alium in eius locum subrogare poterit, donec abbas generalis consulatur: cuius erit spatium etiam annorum assignare, quo grammaticae, philosophiae et sacrae theologiae studium perficiatur, distributionem quoque temporis, tam matutini quam pomeridiani, et vacationes per hebdomadas et annum; ita tamen, ut neque horarum canonicarum, sacrae liturgiae tempora, aliaque monastica exercitia a communi regulâ et constitutionibus praescripta perturbentur, neque vires studentium aut magistrorum opprimantur.

VI. Quolibet mense disputatio publica fiat, et bis in anno examen. Diebus autem dominicis habeantur collationes vel de sacrâ Scripturâ, vel de casibus conscientiae, aut controversiis in Oriente vigentibus adversus schismaticos, haereticos et infideles, iuxta directionem praefecti studiorum.

VII. Syriacam et arabicam linguam probe callere curabunt, ut sacras scripturas, et patres doctoresque legere atque interpretari valeant.

VIII. Omnia ad studium necessaria subsidia ab abbate studentibus procurentur. Studentes vero curent: — 1°, ut animi puritatem et rectam in studiis intentionem habeant; — 2°, ut fervor studiorum non extinguat aut minuat amorem solidarum virtutum; — 3°, ut iis facultatibus operam dent, eosque audiant magistros, quos abbas destinabit; — 4°, ut horas studio tam communi quam privato attributas diligenter observent; — 5°, ut, si magistros studiorum causâ convenire debent, horam certam ab abbate destinatam habeant, extra quam illorum cellas sine peculiari facultate non adeant.

IX. In nostrâ congregatione nullus gradus aut praerogativa magistris aliisve debetur; sed solum abbati generali, hegumenis et abbatibus provinciarum atque monasteriorum, donec in eâ dignitate fuerint; postea sacerdotibus professis, iuxta tempus professionis; deinde clericis item professis, ac postremo laicis. Abbas tamen generalis curabit pro laborum et meritorum ratione, tam magistros quam alios quoscumque sacerdotes monachos remunerari, eos vel monasteriis praeficiendo, vel ab oneribus, quae iunioribus imponi solent, eximendo.

X. Nemo ex monachis librum aliquem, aut tractatum, aut orationem, sive concionem scribat, nisi consulto abbate, qui opus per se legat, aut alicui ex magistris legendum committat. Illud autem in publicum prodire aut typis imprimi non licebit, nisi prius ab abbate generali et episcopo, aut reverendissimo domino patriarcha probatum fuerit.

Cap. V. De sacerdotibus.

I. Quae de disciplinâ religiosâ et instituto nostro servanda omnibus proposita sunt, ea sacerdotes pro ratione sui gradus sibi praecipue dicta existiment et observent.

II. Divinum officium nitantur attente, devote et opportuno tempore recitare, et ad chorum cum ceteris convenire statutis horis. Caeremonias sacrae liturgiae aliarumque ecclesiasticarum functionum accurate discant et observent, sintque hac in re uniformes, patriarchalem ecclesiam sibi tamquam normam proponentes. Cantus etiam ecclesiasticos calleant. Sic demum in liturgiâ divinisque officiis celebrandis pronunciationem, cantum et quamcumque aliam exteriorem actionem moderentur, ut non minus aliorum aedificationi, quam propriae devotioni serviant.

III. Curam animarum nemo ex nostris suscipiat, neque in iis, quae parochorum aut episcoporum iuris sunt, se immisceat. Si quando autem ab episcopo aut reverendissimo domino patriarcha iussus fuerit abbas monasterii ut ipse vel aliquis monachorum in monasterio aut in vicinis seu remotis locis populum doceat, vel confessiones audiat, aut alia quaecumque sacramenta administret, ab eo facultatem in scriptis habere curet.

IV. Nemo ad confessiones nostrorum audiendas accedat, nisi ab abbate deputatus, qui simul intelligat, quam facultatem ad hoc munus habeat. Saecularium vero nemo confessiones audiat, nisi obtentâ episcopi licentiâ. Perspectos autem unusquisque habeat casus reservatos tum reverendissimo domino patriarchae et episcopo, tum abbati generali.

V. In casibus conscientiae, iisque praesertim, qui ad censuras, restitutiones et casus reservatos pertinent, se se diligenter exerceant, earumque rerum compendia et brevem interrogandi methodum, et contra singulorum peccatorum species remedia salutaria, et sacris praesertim canonibus, comparare studeant, collationesque de praedictis inter se diebus festis habeant.

VI. Confessarii ita audiant poenitentes, ut mutuum aspectum fugiant. Quod si locus non erit huiusmodi, ut tabula confessarium a poenitente dividat, manu interpositâ inter faciem propriam et poenitentem, qui ad latus genua flectere debet, id praestabit. In audiendis vero feminarum confessionibus, severos potius quam familiares se exhibeant, ita tamen ut paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat. Nemini autem petere, aut accipere quidquam liceat, sive ab iis, quorum confessiones audiverint, sive ab aliis, quod in pauperes distribuat, vel alteri satisfactionis nomine restituat, inscio et inconsulto abbate.

VII. Qui vocantur ad eos iuvandos, qui morti vicini sunt, ea in promptu habeant, quae eo tempore ad salutem animarum usui esse possint. Caveant autem, ne quem sermonem de loco sepulturae in coemeterio monasterii eligendo, aut de haereditate vel eleemosynâ monachis relinquendâ, infirmo iniiciant.

VIII. Nemo ex nostris ad ullam archipresbyteri, periodeutae, aut chorepiscopi dignitatem se promoveri sinat, sed sacro presbyteratus ordine contenti sint omnes, etiam abbates. Si vero reverendissimus dominus patriarcha voluerit abbates benedicere, eam benedictionem recipere poterunt.

Cap. VI. De monachis laicis.

I. Intelligant omnes, primarium vocationis monasticae finem esse inservire divinae maiestati et propriam salutem procurare, illudque ministerium obire, quod ex obedientiâ sibi commissum fuerit. Contenti ergo statu laicali, ad quem ipsos abbas et monachorum congregatio destinaverit, et in praescripto sibi ministerio sic vitam omnem exigant, ut sibi persuadeant[1], se in eâ re obsequium praestare Creatori, ob cuius amorem schema monasticum induerunt.

II. Qui syriace legere et canere norunt, divina officia in choro statis horis cum ceteris persolvant. Qui vero arabice tantum, horas diurnas et nocturnas ad usum laicorum compositas legant. Qui autem legere nesciunt, certum precum et psalmorum numerum ab abbate sibi praescriptum ad singulas horas memoriter recitare discant. Qua in re ministerii uniuscuiusque ratio habebitur, ac

1 Edit. Main. legit *persuadeat* (R. T.).

praesertim eorum qui in laboriosis exercitationibus occupantur, quique vel primâ luce monasterio ad opus egrediuntur, vel usque ad vesperam regredi nequeunt: his enim horarum loco certas precationes abbas constituet privatim recitandas. Omnes tamen, qui legitimâ causâ impediti non sunt, quotidie divinae liturgiae intersint.

III. Postquam sui officii ministeriis satisfecerint, si quid vacui temporis superfuerit, id totum in alias exercitationes spirituales aut corporales impendant, eiusque rei causâ abbatem adibunt, ut ipsius voluntatem exquirant.

IV. Curent peculiari studio erga omnes clericos, et praecipue in sacris ordinibus existentes, respectum humilitatemque exhibere, idque magis erga sacerdotalem ordinem, sciantque, quod, etiamsi professi sint, in sacris tamen functionibus cedere debent clericis etiam novitiis ecclesiastico habitu indutis.

V. Quia tamen patres nostri statu laicali, vel minoribus ordinibus, aut diaconatu tantum contenti, Deo serviisse, fratribusque praefuisse noscuntur; ideo monachos laicos, vel clericos aut diaconos scientiâ sufficienti praeditos et regimini idoneos, non omnino ab officiis etiam insignibus excludimus, sed posse eos tam ab abbate generali et congregatione hegumenorum, quam ab abbate et congregatione monachorum, atque etiam a congregatione generali eligi in hegumenos, oeconomos, procuratores et consultores, et ad alias similes dignitates promoveri declaramus; hac tamen salvâ conditione, ut nunquam in abbatem generalem aut abbatem provinciae sive monasterii, qui sacerdotes esse debent, eligantur. Qui autem eo, quem diximus, modo electus fuerit hegumenus, intelligat sibi primum post sacerdotes locum convenire extra congregationes; in congregationibus vero post hegumenos sacerdotes, et ante omnes alios etiam sacerdotes.

VI. Caveant monachi laici, ne quid sibi capiant, aut aliis dent, commodent, mittant, aut quidquam huiusmodi faciant absque expressâ licentiâ abbatis, aut eius qui operi praeest.

VII. Librum nullum retinere aut legere iis licebit sine abbatis licentiâ, cuius prudentiae erit eos illis legendos assignare, qui magis ad spiritualem ipsorum profectum expedire videbuntur.

**Cap. VII. De ordine domestico, et de honestate extra monasterium servandâ.**

I. In unoquoque monasterio distributio horarum in tabellâ describatur et in loco patente ponatur, in qua secundum anni tempora diligenter notentur horae chori, idest vesperarum, completorii, nocturni, matutini cum tertiâ et sextae atque nonae; item hora liturgiarum privatarum et solemnium; item hora prandii et coenae; denique hora operis manuum seu ministeriorum aut studii, et hora qua fratres cubitum eunt, usque ad signum quo excitantur.

II. Ab abbate constituatur monachus, sive vicarius, sive alius quicumque, cuius officium erit, tempore orationi et reliquis exercitiis assignato, observare num omnes iis vacent: item observare omnia quae ad honestatem et decentiam externam pertinent, ecclesiam et monasterium in locis publicis perlustrando, et si quid inconveniens deprehenderit, ad abbatem referat.

III. Ad mensam habeatur lectio. Silentium autem nunquam ab abbate dispensetur. Si quem vero extraneum ecclesiasticum aut saecularem contigerit ad monasterium divertere, ipse abbas solus, vel adhibito aliquo alio monacho pro illius viri dignitate, poterit simul cum illo cibum sumere, idque, si fieri poterit, extra refectorium: alioquin vel ante vel postquam monachi in refectorio cibum sumpserint.

IV. Cum monachus de monasterio exire non debeat, nisi socio adhibito quem sibi abbas assignaverit, advertat abbas ut sic socios accommodet, ne sociis graves sint aut molesti, neque nimis familiares aut suspecti.

V. Nisi necessitas coëgerit (quae tamen ab abbate erit cognoscenda et probanda) monachi, ad ministeria sive ad studium intra monasterium addicti, de monasterio egredi non permittantur, nisi bis in hebdomadâ, et cum interpolatione dierum, peractisque prius ministeriis necessariis: idque ita ab abbate per turnum distribuatur, ut et di-

sciplina regularis in monasterio nihil detrimenti capiat, et omnibus per hebdomadam monachis facultas exeundi e monasterio aequaliter detur. Diebus autem dominicis et festis maioribus nemo possit veniam exeundi obtinere, nisi celebratis prius divinis officiis, aut eo dumtaxat temporis spatio, quod a divinis officiis vacuum est.

vi. E monasterio egressi, honestatem et modestiam incessu, manibus, colloquio, oculis exhibeant: loca remotiora et ecclesias minus frequentes adeant; personas, vias, aedes, officinas suspectas aut infames devitent: cum saecularibus non tantum familiaritatis habeant, ut vel secreta monasterii iis revelent, vel ex frequenti eorum conversatione a monasticâ disciplinâ relaxentur: multoque magis a feminarum colloquio abstineant, neque eas invisant, aut ad illas scribant, nisi in magnâ necessitate, aut cum spe magni profectus spiritualis, et consulto expresse abbate.

vii. Non permittat abbas ut monachi munuscula offerant magistratibus, aut eorum aulas frequentent, aut amicitias quocumque modo ambiant; praesertim si deprehenderit eos hac viâ ad ecclesiasticam dignitatem vel in religione gradum prorepere: si quem vero huius ambitus reum invenerit, graviter puniat, et ad abbatem generalem deferat. Idem de abbate dicendum, si, praeter consuetas et necessarias magnatum visitationes, munerumque oblationes, vel quid novum introducere tentaverit, vel ipse magnatum amicitias plus aequo captare deprehensus fuerit.

Cap. VIII. De fundatione monasteriorum, et receptione hospitum, deque vitandâ monachorum vagatione.

i. Nullum monasterium, nisi accedente consensu et benedictione episcopi et reverendissimi domini patriarchae, et de licentiâ abbatis generalis atque hegumenorum, nobis a fundatoribus aut patronis oblatum, accipere debemus, vel de novo fundare possumus. Quisquis vero abbas, sive propriâ, sive congregationis etiam monachorum auctoritate id fecerit, poenae gravioris culpae subiaceat in religione, si licentia tantum abbatis generalis et hegumenorum defuerit; et puniatur etiam ab episcopo et reverendissimo domino patriarcha, si absque horum consensu id factum fuerit; omnesque monachi abbati consentientes, eidem poenae subiaceant, et actus monastici ibidem facti, ut novitiorum admissio ac professio, irriti et inanes declarantur.

ii. Illud vero solum monasterium fundare vel accipere, ut supra, nobis licet, in quo monastica disciplina observari possit, sufficiens monachorum numerus ali; idque vel ex annuis redditibus monasterio legatis, vel ex terrae fundo, de quo ex labore manuum vivere possunt.

iii. Omne monasterium, quod monachi nostrae Congregationis inhabitant, honestâ clausurâ muniatur. Sic autem sit clausum ut mulieribus cuiuscumque dignitatis aut ordinis nullâ ratione pateat.

iv. Extra ipsius monasterii clausuram, vel in loco intra monasterium ad id destinato, hospitium erigatur, in quo hospites ad nos divertentes accipi possint, et mulieres quidem in loco valde remoto ac prorsus separato a viris et a monasterio. Neque abbas, neque congregatio monachorum potest alicui vel ecclesiastico vel saeculari cellam in ipso monasterio vel ad breve tempus assignare, nisi in hospitio locus omnino defuerit, aut personae accipiendae minime convenerit, ut cum episcopus aut reverendissimus dominus patriarcha ad nos divertit.

v. Nulli abbati aut oeconomo licebit monasterium aere alieno gravare absque inevitabili necessitate, nec vendere aut commutare vel quovis modo alienare possessiones, fundos aut annuos census monasterio donatos aut acquisitos, sub poenâ depositionis ab officio et inhabilitationis tam abbatis quam oeconomi et monachorum, si assensum ad hoc praebuerint, nisi obtentâ prius facultate ab iis ad quos spectat, et consensu abbatis generalis.

vi. Pecuniae exactae de redditibus monasterii, aut a benefactoribus monasterio donatae, non retineantur in manu cuiusquam, sed in arcâ statim reponantur sub duplici clave, quarum una sit penes abbatem, et altera penes oeconomum. Item instrumenta fundorum monasterii, vel rerum donatarum, testamentorum clausulae, aut alia quaecum-

que documenta ad res temporales monasterii spectantia, in publicâ formâ redacta, in arcâ vel in archivio communi reponantur sub duplici clave, ut supra.

VII. Quaecumque monacho professo donantur, sive ex haereditate proveniunt, tam mobilia quam immobilia, omnia monasterio statim et sine dilatione applicentur; usus tamen aliquarum rerum, ut librorum, ei concedi poterit ex licentiâ abbatis, ita tamen ut ex eo usu paupertas religiosa non laedatur, neque murmuratio aut aemulatio in ceteris fratribus oriatur.

VIII. Inventarium bonorum tam mobilium quam immobilium in omnibus monasteriis fideliter et accurate descriptum in archivio conservetur, et unum illius exemplar ad abbatem generalem mittatur. Item habeatur inventarium onerum sive obligationum erga fundatores et benefactores tam vivos quam defunctos, quibus abbas satisfieri diligenter curet.

IX. Monasteria nostra ita sint invicem coniuncta, ut monachi possint, abbatis generalis arbitrio, ex uno in alterum libere transferri, et, ubicumque is voluerit, ad tempus vel perpetuo collocari. Eius tamen prudentiae erit ut non temere monachos sic transferat, sed habitâ ratione necessitatis monachorum et monasteriorum, et consultis prius, si fieri poterit, aut expedire iudicaverit, abbatibus, qui debent ipsum de statu suorum monachorum ac monasteriorum certiorem facere. Bona vero mobilia aut immobilia unius monasterii ad alterum nequaquam transferantur; maxime si a fundatoribus ea fuerint certo loco assignata: sed quae monachorum labore, vel ex haereditate consanguineorum, aut donatione amicorum cuiquam eorum factâ, ad monasterii redditus accesserint, iis poterit abbas generalis necessitatibus monasteriorum indigentium prudenter subvenire; sic tamen ut abbates occasionem inde non arripiant monasteria sua negligenter administrandi.

X. Si abbas experimento compererit, quemquam suorum monachorum vel caeli inclementiam ferre non posse, vel aliâ quacumque de causâ communitati expedire ut inde discedat et ad aliud monasterium proficiscatur, de consilio congregationis monachorum abbatem generalem admoneat, qui illum pro suâ prudentiâ ad aliud monasterium migrare iubebit. Si vero in longinquâ regione fuerint, ita ut abbas generalis consuli tempore opportuno nequiverit, tunc abbas de consensu congregationis monachorum mittere poterit monachum cum litteris ad abbatem generalem, qui illum in quodcumque voluerit monasterium transferet. Sive autem ob infirmitatem, sive ob pravos mores dimissus fuerit monachus, omnia, quae ad iter necessaria erunt, magnâ charitatis significatione subministrentur ab eo monasterio, unde dimittitur. Si vero in commodum et utilitatem alterius monasterii mittitur, illius sumptibus et expensis mittetur. Caveant tamen frequentes monachorum translationes, ne monasteriis oneris sint, nec illas sine necessitate fieri permittant.

XI. Quemadmodum nulli monachorum licet recedere de monasterio, in quo per abbatem generalem collocatus est, ita nulli abbatum fas erit advenientem monachum recipere, nisi licentiâ proprii abbatis generalis in scriptis obtentâ: alioquin tam qui recipit, quam qui recipitur, poenam monachorum vagorum subeant arbitrio abbatis generalis. Si quis vero monachus a proprio abbate, vel a fratribus eius monasterii in quo versatur, se iniuriam aut persecutionem pati affirmaverit, volueritque abbatem generalem adire, non idcirco ei licebit inconsulto eodem abbate generali, aut saltem abbate et congregatione monachorum sui monasterii annuente, e monasterio proficisci; sed debet ad ipsum abbatem generalem scribere, et licentiam ab illo primum obtinere: aliàs ab eodem abbate generali tamquam vagus puniatur.

XII. Nullus, etiamsi abbas fuerit, possit ire extra suam provinciam quocumque titulo vel praetextu, neque ad parentes, consanguineos vel affines, neque ullam peregrinationem etiam sacram suscipere, absque speciali licentiâ abbatis generalis, neque ex uno

monasterio ad aliud se transferre, etiam pro rebus proprii monasterii, absque consensu congregationis monachorum, nisi monasterium, ad quod se confert, adeo vicinum sit, ut uno die ire ad illud et redire ad proprium monasterium valeat. Si quis abbas huic constitutioni contravenerit, ab abbate generali puniatur. Ceteri vero monachi non abbates, qui sine licentiâ abbatum suorum de uno monasterio in aliud pergunt, vel peregrinationem suscipiunt, in monasterio includantur[1] arbitrio abbatis, qui ieiunium insuper illis ad tempus praescribat.

XIII. Nulli tam monachorum quam abbatum licebit ostiatim, aut per pagos, sive per ecclesias mendicare. Si tamen aliqua necessitas urgens suaserit aliquid petendum ab aliquâ personâ, id fiat religiose et modeste per monachos ab abbate designatos. Si vero per pagos vel civitates propter gravem monasterii necessitatem mendicandum fuerit, id non fiat nisi licentiâ ab episcopo et reverendissimo domino patriarcha in scriptis habendâ.

Cap. IX De subiectione erga praelatos.

I. Cum noster Ordo in medio nationum haereticarum et infidelium versetur, atque ab universalis Ecclesiae capite marium terrarumque spatiis disiunctus sit, diligentissime curent abbas generalis, hegumeni et abbates monasteriorum atque provinciarum, eorumque vicarii, ne aut ex locorum distantiâ aut proximarum gentium consuetudine charitas atque devotio monachorum erga S. Petri apostolorum principis cathedram et Romanos Pontifices quoquomodo refrigescat; quin sedulo satagant ut omnes monachi intelligant obedientiam et obsequium erga Sedem Apostolicam Romanam esse velut nostrae religionis fundamentum et characterem, quo a ceteris Orientis nationibus Syri Maronitae se discerni voluerunt. Pretiosissimum itaque hoc maiorum nostrorum depositum custodire summopere nitantur, et omni ope contendant, ut tum opere tales se esse palam et publice fateantur, quales eos esse oportet, qui officii sui et beneficiorum ab Ecclesiâ Romanâ acceptorum haudquaquam immemores sunt. Et quoniam divino mandato iubemur proximi etiam nostri salutem curare, diligentissime studeant, antiquorum nostrorum patrum, ac praesertim monachorum S. Maronis, qui pro catholicâ religione strenue decertarunt, vestigiis inhaerendo, occasiones captare ad orthodoxae fidei propagationem, et ad profectum nationum ab Ecclesiâ Catholicâ dissidentium, inter quas versantur: neve earumdem desperent aut negligant conversionem, sed cum omni charitate et patientiâ, divino adiutorio freti, procurare illam, opportune, importune, arguendo, increpando, obsecrando, nitantur.

II. Honoret quoque post Summos Romanos Pontifices matrem suam Antiochenam Ecclesiam et reverendissimum dominum patriarcham toti nationi Ordinique nostro ab eâdem Romanâ Ecclesiâ praepositum, cui tamquam patri peculiari affectu et devotione addicti sint, eiusque decretis et constitutionibus omnibus, quae fidei catholicae aut Romanis Pontificibus non adversantur, pareant et obtemperent. Nomen quoque eius post Romanum Pontificem tam in sacrâ liturgiâ quam in divinis officiis de more commemorent. In rebus dubiis et gravibus, quae Ordinem nostrum concernunt, illum consulant. Antequam congregatio generalis fiat, eius benedictio ab abbate generali petatur; postquam facta est, electi abbas generalis et hegumeni ipsum adeant benedictionem accepturi. Si operâ nostrâ, in rebus ecclesiasticis ad sedem patriarchalem Antiochenam spectantibus, uti voluerit, paratos se exhibeant. Nullum cum ipso aut reliquis praelatis dissidium habeant, neque rebus ad eius sive praelatorum auctoritatem pertinentibus se immisceant; sed meminerint se illius et praelatorum, in quorum dioecesibus versantur, obsequentissimos filios esse. Si quis huic regulae quoquo modo contravenisse compertus fuerit, severissime puniatur. Post reverendissimum patriarcham, episcopo loci debitum honorem et obsequium deferant, eius quoque nomen in sacris diptychis recitantes. Sacramenta exteris non administrent, neque concionem ad illos habeant, aut catecheses faciant, aut

1 Edit. Main. legit *includatur* (R. T.).

ullum ministerium sacrum publicum obeant ad populum, sine expressâ eius licentiâ.

IV. Episcopos, chorepiscopos, archipresbyteros et parochos, omnesque tam reverendissimi domini patriarchae quam episcopi ordinarii ecclesiasticos ministros, quo par est honore prosequantur. In eorum officiis sese ne immisceant, neve sacram ullam functionem cum saecularibus vel erga saeculares exerceant, nisi iussu episcopi et beneplacito parochorum. Curam animarum perpetuam monachi ne gerant, neque etiam ad tempus civitatibus, sine licentiâ reverendissimi domini patriarchae et episcopi ordinarii: in pagis vero, ac praesertim in locis monasterio contiguis, possunt, si episcopus voluerit, ad tempus supplere absentiam vel defectum parochorum, sacramenta necessaria administrando, concionando et catecheses faciendo.

v. Quomodo autem monachi cum principibus et potestatibus saeculi se gerere debeant, monet Apostolus, inquiens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; nec tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.* Reddere autem iubemur omnibus debita, *cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Si quem igitur principum saecularium contigerit ad nostra monasteria divertere, maxime si fidelis fuerit, omni honore illum prosequantur. In negotiis tamen magnatum nequaquam se ingerant: *Nemo enim militans Deo, implicat se negotiis saecularibus;* neque eorum aulas frequentent, aut amicitias ambiant; multoque minus eorum operâ aut patrocinio adversus ecclesiasticas potestates utantur. Si quid vero cum illis circa bona temporalia monasteriorum agendum aut trasigendum erit, id ab abbate aut oeconomo sic fiat, ut religiosae humilitatis nunquam obliviscatur. Curent denique, quantum fieri poterit, ut monasteriorum fundi possessionesque a tributis et vectigalibus immunes sint.

Cap. X. De iis quae observari debent in exigenda ab abbatibus et reddenda a monachis ratione conscientiae.

I. Cum huius regulae finis sit spirituale auxilium monachorum, abbas summopere caveat, ne vitio suo eadem fratribus gravis et intoleranda fiat, atque ab eius observatione paulatim avertantur, cum magno suarum animarum atque Ordinis detrimento. In hoc proinde casu se patrem exhibeat, adeo ut monachus ad ipsum cum filiali fiduciâ recurrere assuescat.

II. Non est cogendus monachus ut conscientiam suam abbati aperiat in iis rebus de quibus confessus est aut confiteri debet apud sacerdotem. Omnia autem, quae abbati in hac materiâ revelantur, intelligat ea sibi sub secreto naturali dicta; quod tamen de iis dumtaxat intelligendum est, quae quis de se ipso suisque defectibus aut tentationibus abbati aperit: quae enim de aliis monachis denunciat, ea sub secretum non cadunt, nisi quoad personam denunciantis.

III. Hoc secretum abbas cautissime servet, nec faciat quidquam ex notitiâ inde habitâ, quoad res denunciantis, nisi expressam ab eodem habuerit facultatem. Si quis vero huius secreti fidem quovis modo fregisse convictus fuerit, denuncietur abbati generali, qui delinquentem severe puniet. Hinc abbas vel praefectus rerum spiritualium satagat, ut fratres intelligant poenas impositas fractioni praedicti sigilli, ut inde metum omnem deponant, et ad usum huius praxis promptiores reddantur.

IV. In domesticis exhortationibus ab abbate inculcetur tam sanctus et laudabilis mos a sanctis patribus nostris inductus, et alumnis suis maxime commendatus. Item eius necessitas et utilitas, non solum ad privatum, sed etiam ad commune bonum spirituale ostendatur.

V. Unusquisque igitur magnâ cum puritate sub sigillo secreti naturalis, aut quacumque ratione ei placuerit, totam animam suam abbati manifestam faciat, aperiendo defectus suos, eos praesertim quibus magis gravatur. Quos vero in fratribus suis deprehenderit defectus, eidem abbati revelet, ut congruum remedium aptare possit.

VI. Capita autem, quibus conscientiae propriae ratio reddenda erit, haec fere sunt; ex quibus cum ea retulerit quae ad plenam sui manifestationem dicenda putaverit, petat ab abbate, ut se ipsum interrogando iuvet, ac suppleat, si quid esse iudicet quod ad

maiorem ipsius monachi profectum opportunum esse videatur. Primo, an vivat contentus iuxta suam vocationem, et quomodo se habeat circa vota substantialia religionis. Secundo, an sentiat aliquas animi perturbationes, molestias, et de facilitate seu difficultate et modo eis resistendi, et ad quos affectus vel peccata sit magis propensus et incitatus, et quomodo observet quae ex constitutionibus et regulis tum communibus tum officii sui ad ipsum pertinent. Tertio, quomodo rebus spiritualibus sit affectus, quarum virtutum studio praecipue intentus, quantum temporis orationi tribuat, et num vocali, an potius mentali iuvetur, num in exercitio rerum spiritualium consolationem habeat, an vero contra, desolationem et vagationem mentis patiatur; de fructu, quem ex sacrâ communione et confessione et aliis exercitiis spiritualibus percipiat; de mortificationibus, poenitentiis, et aliis quae faciunt ad spiritus profectum, et in specie de praeparatione ad iniurias et alia molesta aequo animo ferenda. Quarto, de fratribus, et quomodo ex eorum conversatione proficiat in Domino; et an alicui sit plus familiaris, quam aliis; an aversionem animi sentiat ab aliquo, et an offensus sit in aliquo a quopiam, et quomodo sit affectus erga omnes. Quinto, num post ultimam rationem conscientiae, quam reddidit, maiorem aut minorem fructum fecerit.

VII. Quod monachus cum abbate, idem praestare debet abbas cum aliquo ex monachis circa rationem conscientiae propriae reddendam.

Cap. XI. De renovatione votorum.

I. Ut firmius monastica disciplina retineatur, monachi nostri in die festo sancti patris Antonii, die XVII mensis ianuarii, vota solemnia quolibet anno renovent hoc modo:

II. In congregatione monachorum unâ hebdomadâ ante festum sancti patris nostri Antonii abbas moneat omnes religiosos de futurâ votorum renovatione, ut unusquisque se praeparet ad confessionem sacramentalem in pervigilio festi vel ipso die faciendam, ubi, communione fratrum ac liturgiâ absolutâ, congregentur omnes in locum a saecularibus separatum, in quo abbas faciat brevem adhortationem de votis mox renovandis; deinde cantatis litaniis B. V. M., et recitatis secreto oratione dominicâ et salutatione angelicâ, ipse abbas, flexis genibus coram altari, legat clarâ voce sequentem formulam: *Ego N. N. renovo meam professionem monasticam, et promitto Deo omnipotenti, beatissimae Virgini Mariae, sancto patri nostro Antonio et reverendissimo meo abbati generali N. N. eiusque successoribus obedientiam, paupertatem et castitatem usque ad mortem, iuxta regulam et constitutiones nostras. Item promitto me nullam dignitatem sive in Ordine nostro monastico, sive extra, ambiturum vel postulaturum per me ipsum aut per alios, seu acceptaturum nisi iussu superiorum.* Si sit abbas generalis, omittat ea verba, *et reverendissimo meo abbati generali, eiusque successoribus*, et eorum loco dicat, *et reverendissimo abbati generali pro tempore existenti.* Tum surgens abbas, ad latus dexterum altaris sedeat. Mox alii monachi iuxta antiquitatem suam in professione eamdem formam renovationis votorum ex cartulâ sive libro in manibus abbatis existente genuflexi ante ipsum abbatem proferant. Quibus finitis, surgat abbas, et omnibus aliis genuflexis faciat absolutionem, dicens: *Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra, et condonet peccata vestra, et perducat vos ad vitam aeternam.* Respondent: *Amen.* Abbas: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus.* Respondent: *Amen.*

Cap. XII. De monachis infirmis et decedentibus.

I. Cum monachus graviter aegrotare coeperit, statim confiteatur abbati vel confessario ab eodem deputato, et sacrâ communione reficiatur, servatâ ad hoc horâ magis conveniente, antequam cibum capiat, nisi infirmitas nimium urgeret. Nec ultra unum a gravi infirmitate diem confessio differri poterit, et, si fieri potest, etiam communio, et statim, praesentibus duobus vel tribus monachis, debet infirmus abbati vel oeconomo revelare bona omnia, quorum usum habuit, nec in inventario descripta sunt. Alioquin si monitus ab abbate, omnia quae supra dicta sunt, facere detrectaverit, atque illum mori contigerit, ecclesiasticâ sepulturâ

privetur et suffragiis divinis. Si vero temporalium bonorum administrationem habuerit, postquam coeperit graviter aegrotare, et maxime si nulla sit spes salutis, abbas duobus aut tribus testibus monachis omnia illius repositoria visitet, et faciat debitum inventarium. Sique necessitas postulaverit, eius ministerium alteri tradat, donec infirmus convalescat vel moriatur. Idem de abbate infirmo dicendum, sive abbas monasterii sit, sive hegumenus, sive etiam abbas generalis. Quaecumque autem in cellâ monachi post eius obitum reperta fuerint, monasterio applicentur.

II. Diligens cura infirmorum habeatur, eisque secundum infirmitatis indigentiam et secundum medicorum consilium provideatur de omnibus necessariis. Et aliquis religiosus ac pius monachus non aliunde occupatus eis specialiter assignetur, qui sciat, possit et debeat ministrare. Cumque horas canonicas gravati morbo per se ipsos recitare non possint, tunc, si sustinere possunt, dicantur coram eis ab aliquo.

III. In quolibet monasterio, ubi commode fieri poterit, segregetur locus pro infirmis, etiam cum oratorio: ubi singulis diebus missa celebretur, si quis sit infirmus, qui eam audire possit.

IV. Item in ecclesiâ monasterii decenter et honeste conservetur sacrosancta eucharistia pro monachis et familiaribus nostris, in casu necessitatis eis porrigenda.

V. Item oleo benedicto infirmum ungat abbas vel eius vicarius, iuxta ritum sacrae lampadis sive extremae unctionis: et habeantur in quolibet monasterio libri rituales, tam pro eucharistiae administratione quam pro extremâ unctione, et pro commendatione animae et exequiis.

VI. Nullus monachus permittatur uti scientiâ medicinae tam pro monachis quam pro saecularibus, nisi dispensationem a legitimis superioribus habeat, idque sine periculo, et sine mercede, sed ex solâ charitate faciat.

VII. Abbas monasterii obitum cuiusque monachi in suo monasterio decedentis sine dilatione abbati generali et abbatibus ceterorum monasteriorum denunciet per epistolam encyclicam, ut pro mortuo fiant suffragia; nempe in monasterio, in quo monachus obierit, fiant exequiae more solito et missa solemnis, et unusquisque sacerdos dicat ter psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum; item dicatur pro eo missa solemnis in die quadragesimo obitus et in anniversario. In reliquis vero monasteriis una missa dicatur a quolibet sacerdote, et unum psalterium orationum dominicarum et salutationum angelicarum a non sacerdote. Pro abbate vero generali et unoquoque ex quatuor hegumenis idem fiat in toto Ordine, quod fit in monasterio in quo monachus moritur; idque intelligendum est de illis etiam qui aliquando munere abbatis generalis et hegumenorum functi sunt, etiamsi tales non fuerint cum mortui sunt. Hunc autem missarum et orationum numerum, quem supra expressimus, augere vel diminuere poterit congregatio generalis pro maiori vel minori monachorum numero.

VIII. Auditâ morte summi Romani Pontificis, vel reverendissimi domini patriarchae nostri, fiant exequiae solemnes in singulis monasteriis, et unusquisque sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos centum *Pater noster* et *Ave Maria*, quod est integrum psalterium precum. Idem fiat pro episcopo in monasteriis quae in eius dioecesi sunt, et pro benefactoribus insignibus in monasterio cui benefecerunt.

IX. In omnibus coemeteriis nostris monachi a saecularibus semoti sepeliantur in habitu, quem gessere, sive professorum vel novitiorum.

X. Bis in anno fiat commemoratio pro omnibus monachis defunctis nostri Ordinis; bis quoque pro parentibus, affinibus et amicis monachorum, et pro omnibus qui in coemeteriis nostri Ordinis sepulti sunt, et bis pro benefactoribus et pro illis qui litteras fraternitatis Ordinis nostri habuerunt. Semel scilicet mense novembris, et semel ante initium ieiunii quadragesimalis. In utrâque commemoratione dicatur in unoquoque monasterio missa solemnis, et quilibet sacerdos dicat unam missam, et non sacerdos psalterium precum.

Cap. XIII. De eremitis et inclusis.

I. Quoniam patres nostri non modo coenobiticam vitam, sed etiam eremiticam coluere, nobisque tradidere, ideo, vestigiis eorum inhaerentes, decernimus, fas esse unicuique monacho professo, post exactum tamen a professione monasticâ quinquennium, et petitâ prius obtentâque ab abbate licentiâ, in cellam a communi aliorum monachorum consortio semotam, claustro tamen munitam, secedere ad tempus vel in perpetuum prout ipsi abbati et congregationi monachorum visum fuerit, ubi orationi et spiritualibus exercitationibus vacet. Et si firmo corpore fuerit, agellus ei colendus tradatur, vel illud manuum opus exerceat quod utile fuerit et conveniens. Probet autem abbas spiritum monachi, antequam illi dictam licentiam concedat, ne quid diabolicae fraudis in huiusmodi secessu subrepat.

II. Minus quam duo non sint apud monasterium eremitae, iique in duabus cellis separatis; neque plus quam tres, in totidem cellis. Quod si monasterium frequens sit, et voluerint plures quam tres monachi vitam eremiticam colere, tunc bini bini eremitae separatim ab aliis in suâ quisque cellâ manebunt, et alter alteri eremita ministrabit in rebus spiritualibus et temporalibus, eâdem omnino ratione, quae a regulâ et constitutionibus praescribitur coenobitis erga socios: idque, si ambo vel unus eorum sacerdos fuerit; nam sacram liturgiam et sacramenta confessionis et communionis eodem modo in oratorio privato frequentabunt quo frequentantur a monachis in ecclesiâ monasterii. Si vero ambo non sacerdotes fuerint, id praestare debebunt in ecclesiâ monasterii, ad quam pro rebus spiritualibus convenient certis horis certisque diebus; tum ad cellas suas abibunt. In festo autem Paschatis Resurrectionis et in festo Nativitatis Domini debent omnes eremitae tam sacerdotes quam non sacerdotes ad ecclesiam monasterii accedere, ibique divinum officium cum monachis celebrare, et missam dicere vel audire: tum, si voluerint, poterunt in communi refectorio cibum sumere; alioquin, peractis divinis officiis, et salutato altare[1], in cellas suas pergent.

III. Curet abbas monasterii quae circa illos aguntur perspecta habere, et invigilet ne praetextu eremiticae vitae otio se dent, aut aliud faciant, quam quod huiusmodi institutum postulat. Assignet praeterea unum ex monasterio, qui temporibus suis victum, potum, vestitum et omnia necessaria inclusis, sive eremitis subministret.

IV. Semel in anno per decem aut octo dies teneantur monachi omnes in cellas suas a communi aliorum consortio secedere et spiritualibus exercitationibus vacare: idque sive ante Nativitatem Domini, sive ante dominicam Palmarum. Provideat autem abbas ut secessus huiusmodi inter monachos sic distribuatur, ut nullum vitae communi aut necessariis monasterii ministeriis detrimentum inferatur.

Cap. XIV. De monialibus.

I. Monialium curam Ordo noster non suscipiat, nisi de consensu reverendissimi domini patriarchae et episcopi dioecesani in scriptis habendo; eoque habito, regimen earum ad abbatem generalem immediate pertinebit, qui illarum post reverendissimum dominum patriarcham et episcopum visitator ordinarius erit et gubernator et director, et ad eum spectabit eis providere de patribus spiritualibus seu confessariis, tam ordinariis quam extraordinariis; et ipse etiam poterit earum confessiones per se ipsum audire, si voluerit, et visitatorem aliquem ex monachis nostrae Congregationis substituere, si impeditus fuerit.

II. Si plura fuerint monialium monasteria, nullam ab invicem dependentiam habebunt, nec unius abbatissa alteri praeesse poterit, sed unumquodque a suâ abbatissâ administrabitur, et omnibus abbatissis praeerit abbas generalis, ut modo dictum est. Poterunt tamen moniales ex uno monasterio in aliud ob urgentem necessitatem transferri, modo adsit consensus duarum saltem partium monialium, ad quas transfertur, et episcopi illius loci.

III. Nulla virgo a parentibus aut aliis

1 Legend. *altari*, ni potius *abbate* (R. T.).

coacta, vel seducta, recipiatur in monasterio, nullaque habitu monialium induatur, absque licentiâ abbatis generalis, et nisi ex consensu seu suffragiis plusquam medietatis monialium. Habeat autem eas omnes respective conditiones, quae in novitiis monachis iuxta constitutiones nostras requiruntur; sitque sexdecim annos nata, cum novitiatum incipit, neque annum aetatis quadragesimum quintum excedat. Profiteri autem non poterit ante completum biennium novitiatus. Si qua vero novitia in aetate legitimâ constituta, probationis anno nondum expleto, ob infirmitatem ab hoc saeculo migratura, pro consolatione animae suae ad habitum professarum admitti desideraverit, coram abbatissâ et monialibus ab abbate generali vel ex eius commissione ab aliquo sacerdote monacho admitti poterit ad professionem faciendam.

IV. Non multiplicentur novitiae vel moniales ultra numerum earum, quae ex redditibus propriis monasterii vel ex consuetis eleemosynis commode possint sustentari. Nihil vero pro earum receptione in novitiatu vel professione a monasterio exigatur, excepto vestitu novitiarum; et quando vestiendae erunt habitu novitiarum vel habitu professarum, id fiat in ecclesiâ monasterii coram abbatissâ et monialibus in manibus abbatis generalis, praevio consensu episcopi, vel in manibus ipsius episcopi, monito prius abbate generali.

V. Velum consecrationis nulli monialium detur, nisi ab episcopo; idque virginibus quidem anno aetatis quadragesimo; viduis vero anno sexagesimo; nec nisi expletis saltem quinque annis post emissam professionem. Sic autem velatae, reliquis non velatis, exceptâ abbatissâ, praecedant, et veli formâ distinguantur.

VI. In electione abbatissae, omniumque officialum, moniales professae, quae duos integros post professionem annos in monasterio egerunt, suffragia ferant coram abbate generali vel eius substituto, et coram eo cui de iure competit. Et quoad aetatem eligendae, servetur dispositio iuris canonici: eaque debet esse, quae annos saltem quinque post emissam professionem in monasterio laudabiliter vixerit. Reliquae vero officiales post exactum a professione biennium, omnium officiorum capaces sunt.

VII. Nulla abbatissa vel officialis ultra triennium in eâdem dignitate vel officio manere potest aut confirmari, nisi a dignitate vel officio per integrum triennium vacaverit, nisi necessitas ad petendam dispensationem a reverendissimo domino patriarcha coëgerit. Nullaque monialis succedere poterit in eodem officio alteri sorori germanae, neque in electionibus officiorum, praeter duas sorores, tertia vel quarta suffragium habere potest.

VIII. Moniales omnes vitam communem servent, omni vitio proprietatis penitus ablato. Curet proinde abbatissa, ut omnibus de necessario victu, vestitu, ceterisque aequaliter et sine ullâ distinctione provideatur.

IX. Quoad orationem vocalem et mentalem, et sacramenta confessionis et communionis, et quoad missam audiendam, rationem reddendae conscientiae, silentium, lectionem ad mensam, et ceteras regulas sive constitutiones, omnia observentur a monialibus, quae monachis praescripta sunt. Debent enim in choro temporibus suis horas canonicas cantare, abbatissâ seu vicariâ praesidente; orationi mentali per semihoram in die vacare; peccata sua sacerdoti designato semel quavis hebdomadâ confiteri; Eucharistiam diebus dominicis et festis suscipere; missam quotidie audire; feriâ VI et IV post vespertinum officium, in cellam suam secedentes, manibus in crucis figuram extensis psalmum *Miserere* quinquies recitare; non tamen abbatissae, sed sacerdoti confessario rationem conscientiae suae reddere, idque satis erit si semel in hebdomadâ fiat; silentium in ecclesiâ, in mensâ et a completorio ad tertiam horam diei sequentis diligenter observare; in communi mensâ lectionem libri spiritualis recitare; omnes denique regulas et constitutiones observare, quae earum sexui et statui non repugnant.

X. Operi quoque manuum assuescant, quod nimirum monasterio et sororibus utile sit. Officia autem pro monialium viribus abbatissa et sorores in electione officialium sic

distribuant, ut quae nimium laboriosa sunt, ter vel quater in anno mutare possint et debeant: alioquin abbas generalis, si quae oriantur contentiones vel murmurationes inter sorores de gravaminibus officiorum, auctoritate suâ providere poterit, omniaque officia, praeter abbatissae solius dignitatem, mutare. Abbatissam autem, neque sorores omnes, neque abbas generalis, ante expletum triennium, deponere poterit, absque episcopi aut reverendissimi domini patriarchae licentiâ.

xi. Confessarius monialium eligatur ab abbate generali, qui sit sacerdos gravis, bonae famae et provectae aetatis; nec audeat ingredi earum monasterium, nisi urgente necessitate, et ob gravem alicuius infirmitatem, et nunquam solus, sed cum socio viro probo et maturae aetatis, qui ab eius latere non recedat, ita ut semper alter ab altero videatur; nec ingrediatur, nisi cum stolâ super habitum monasticum; nec aliquam monialem visitet, aut alloquatur; sed ab abbatissâ vel eius vicariâ, unâ cum duabus aliis monialibus, ducatur cum socio ad cellam eius, quae peccata sua confiteri, vel sacramentum Eucharistiae et extremae unctionis recipere debet. Reliquae sacramenta a proprio confessario recipiant in ecclesiâ monasterii: curandumque ut inducatur receptus mos, ubi necdum inductus est, ut nimirum moniales ex patente ad hunc dumtaxat finem fenestellâ communicent, quae, peractâ communione, claudenda erit, clavisque ab abbatissa custodienda. Confiteantur autem per interpositas crates. Horas vero canonicas ex choro decantent cratibus munito.

xii. Curabit abbas generalis, ut quovis triennio confessarius ordinarius mutetur, et alter in eius locum succedat. Quolibet autem anno ipsis monialibus extraordinarius confessarius quater exhibeatur, qui omnium confessiones audire possit.

xiii. Nisi in monasterio sint, quae alias moniales legere, scribere et horas canonicas cantare docere possint, ipse confessarius extra ostium monasterii sedens id praestare poterit, quatuor saltem monialibus praesentibus.

xiv. Etsi curandum sit ut moniales extra septa monasterii nunquam egrediantur, quia tamen id ubique commode obtineri non potest, curent saltem ut ad possessiones monasterio contiguas, ad quas pro necessitatibus monasterii exire coguntur, nisi binae, ternae aut quaternae, non procedant: nec ullum virum quovis praetextu ibi versari, vagari, aut illinc transire permittant. Idque abbas generalis et confessarius ab ipso deputatus, qui in loco a monialibus prorsus separato et aliquantulum remoto domicilium cum socio habebit, apud episcopum et reverendissimum dominum patriarcham diligenter provideat. Si quid vero in dictis possessionibus, aut etiam intra monasterium faciendum erit, quod operarum ministerium requirat, id praesente confessario cum socio, et semotis monialibus fiat. Ad visitandas autem vicinas saecularium vel monachorum ecclesias, vel quaslibet ecclesiasticas aut saeculares personas, e monasterio exire nullatenus permittantur, nisi parentes sint vel affines usque ad tertium gradum, quos graviter decumbere contigerit: ad illos enim, si in vicinia habitent, accedere poterunt, modo tamen sint ternae vel quaternae, nec ibi prandeant, aut coenent, aut pernoctent.

xv. Semel in anno per se ipsum, vel per substitutum sacerdotem monachum, abbas generalis visitet monasterium monialium, et inquirat de observantiâ monasticâ, deque ceteris quae ad moniales monasteriumque spectant. Caveat tamen, quoad fieri poterit, ingressum monasterii; idque nisi urgente causâ non faciat; sique fecerit, unum vel duos socios secum testes adhibeat.

xvi. Nullus ex monachis, etiamsi hegumenus vel abbas fuerit, praeter eos qui ab abbate generali ad regimen spirituale monialium deputati sunt, poterit ad monasterium earum accedere, vel missam in earum ecclesiâ audire aut celebrare, vel illas alloqui aut ad eas scribere, sive litteras et munera ab iis accipere, sub poenâ gravis culpae. Neque moniales possunt ad quemquam monachum, praeter abbatem generalem et confessarium actualem, litteras scribere, aut ad colloquium admittere. Quae-

cumque in hoc deliquisse deprehensae fuerint, severe puniantur.

PARS TERTIA.

Cap. I. De communi regula abbatum et superiorum.

i. Cum abbatum, eorumque omnium qui ad regimen aliquod in nostro Ordine assumuntur, officium sit commune totius Ordinis bonum procurare, nec vires eorum ad tantum onus ferendum sufficere certum sit, in primis divinam opem ipsi implorare non desinant, idque potissimum facient, cum necessitas occurrerit. Deinde noverint se ad laborem et sollecitudinem magis quam ad honorem assumptos esse; meminerintque se exemplo bonorum operum debere fratribus praeire. Communes itaque regulas ipsi accurate servent, et particularia in cibo, indumentis et aliarum rerum usu, quantum fieri potest, devitent.

ii. Calleant rationes officii sui, et ex frequenti constitutionum, tam privatarum suarum, quam communium, aliorumque officialium sibi subiectorum, lectione intelligant, non temere et pro suo arbitrio rem sibi agendam esse, sed ex praescripto regulae, constitutionum et receptarum consuetudinum regendum Ordinem, fratresque gubernandos. Quare receptos mores et a superioribus vel decessoribus suis approbatos servent ac servari faciant, nec mutare vel abrogare valeant, inconsultâ superiore potestate; ipsi vero nullos, nisi superiore approbante, introducant.

iii. Caveant, ne, familiaritate atque indulgentiâ cum quibusdam, alios offendant, aut occasionem offensionis quoquo modo in hac parte praebeant. Neque alienum ab aliquo animum ostendant, sed erga omnes aequaliter et sine personarum acceptione se gerant.

iv. Dent operam ut omnibus fratribus cum omni sollicitudine invigilent, eosdemque ab iis quae nocere possint domi et foris defendant, tum praeveniendo, tum etiam, si quid mali acciderit, remedium adhibendo, ita ut in omnibus honori et famae tum fratrum singulorum tum Ordinis totius consulatur.

v. Efficiant ut secum vel cum aliis a se deputatis de propriâ conscientiâ statis temporibus fratres tractatum habeant; nec spiritualium collationum consuetudinem negligant, sed crebro et magnâ cum charitatis significatione alloquantur subditos, eorumque necessitatibus, non corporis tantum, sed multo etiam magis animi, paterno affectu prospiciant. Quem vero intelligent gravi aliquâ tentatione pulsari, eius peculiarem curam, non solum per se, sed etiam, si necesse fuerit, per alios gerant, caveantque, ne, remedium differendo, difficiliorem morbi curationem faciant.

vi. Quamvis in virtute obedientiae iubere possint, nonnisi rarissime et ex gravi urgente causâ id faciant.

vii. In correctionibus et poenitentiis iniungendis caveant iracundiae aut alterius pravae affectionis speciem; sed personarum dispositionem considerent, aedificationis universalis et particularis illarum rationem habentes. Nisi autem prudentia rebus particularibus adhibenda aliud dictaverit, in correctionibus procedendum erit hoc ordine, ut, qui peccant, primo in charitate quidem, sed eo tamen modo ut eis confusio et rubor iniiciatur, tertio, amori ea, quae timorem incutiant, si opus erit, adiiciantur. De publicis vero defectibus publica debet esse poenitentia.

viii. Sic regimini aliorum tum spirituali tum etiam temporali incumbant, ut nihil de virtutum exercitationibus propriaeque salutis curâ remittant. Omnia igitur, quae ad religiosam perfectionem spectant, monachisque erga abbates et superiores exercenda praecipiuntur, ut puta, reddendae conscientiae ratio, recessus a communi aliorum consortio per aliquot dies spiritualium meditationum causâ, et cetera huiusmodi, ea ab ipsis abbatibus et superioribus facienda intelliguntur.

Cap. II. De regimine et de ordine, atque praeeminentiâ abbatum.

i. Cum dudum, Dei favente gratiâ, ex plurium monasteriorum Ordinis sancti patris nostri Antonii unione Congregatio nostra in Domino coaluerit, cumque in omni bene constituto hominum coetu necesse sit esse aliquem, vel etiam plures, qui boni universalis curam gerant, praeter eos, qui certis provinciis et particularibus monasteriis praesunt, eligendus est abbas generalis, qui

hunc sibi finem constituat, ut universa Congregatio monachorum bene gubernetur, conservetur et augeatur.

II. Quare potestas abbatis generalis summa erit, et ad omnes et per omnia, pro sacrorum canonum dispositione, nostrarumque constitutionum praescripto, extendatur.

III. Is porro ad triennium instituendus est: quo expleto, nisi a congregatione generali ad alterum triennium confirmetur, officium continuo dimittat.

IV. In subsidium vero regiminis, generali abbati in eam quam diximus amplitudinem commissi, eligendi erunt in congregatione generali quatuor hegumeni, quorum officium pariter ad triennium durabit, nisi ab eâdem congregatione generali ad alterum triennium confirmetur.

V. Singulis autem provinciis et monasteriis abbates praeficiantur, quorum potestas etiam expleto, ut supra, triennio cessabit.

VI. Quamobrem quolibet triennio congregatio generalis cogenda est, ad quam vocandi ab abbate generali erunt, praeter quatuor hegumenos supramemoratos, omnium provinciarum et monasteriorum abbates atque officiales maiores, et quotquot officio generalis, hegumeni et abbatis defuncti sunt, modo non fuerint ob aliquos defectus depositi.

VII. Huius generalis congregationis potestas in Ordine nostro suprema est, generalemque abbatem et hegumenos confirmare, atque etiam, si opus fuerit, deponere potest.

VIII. Congregatio hegumenorum singulis saltem semestribus ab abbate generali et quatuor hegumenis habeatur, eiusque potestas omnes et omnia contineat, salvis tamen generalis congregationis decretis.

IX. Quolibet anno congregatio provinciae habeatur ab abbate eiusdem provinciae et reliquis abbatibus monasteriorum subiectorum, eiusque potestas in provinciâ summa est, salvis decretis abbatis generalis et congregationum supramemoratarum.

X. Quolibet saltem mense congregatio monachorum ab abbate monasterii et sacerdotibus professis, quos abbas generalis ei consultores assignaverit, fiat, eiusque potestas in monasterio summa est, salvis decretis congregationum antedictarum, iisque omnibus, quae abbas generalis vel abbas provinciae ordinaverint.

XI. Praeeminentia abbatis generalis excedit omnes aliorum officialium gradus, itaut ceteris omnibus et loco et ordine praecedat. Post hunc quatuor hegumeni pro suâ quisque electionis prioritate, si presbyteri omnes sint vel dignitate; si quis eorum presbyter, et alius non presbyter sit, primum in consessibus et suffragiis ferendis locum tenet. Secundum hegumenos vero, abbates provinciarum; deinde abbates monasteriorum, iuxta uniuscuiusque monasterii dignitatem. Tum ii qui officio abbatum vel hegumenorum defuncti sunt, eodem ordine ut supra. Demum monachi professi, servatâ inter eos sacerdotii dignitate et professionis prioritate.

XII. Si quando autem contigerit, ut eligatur vicarius abbatum aut hegumenorum, is locum illius tenebit, cuius vicariam potestatem gerit, ut puta, vicarius abbatis generalis primum locum ante omnes hegumenos, et sic de vicario hegumenorum et abbatum provinciarum atque monasteriorum. Reliquorum vero officiorum, ut secretarii congregationum antedictarum, socii abbatum vel hegumenorum, procuratoris generalis aut provinciae sive monasterii, et reliquorum, non alia ratio habebitur quam prioritatis sacerdotii et professionis.

Cap. III. De abbate generali.

I. Abbas generalis, cum totius Ordinis curam habere debeat, a toto Ordine in congregatione generali eligendus erit. Is autem ex eorum numero esse debet, qui diu in Ordine et laudabiliter vixisse perspecti sunt: cui proinde nec desit eximia probitas, nec amor erga Ordinem, nec idonea doctrina, nec, ad sustinendum tantum onus, animi corporisque firmitas, qui demum nullum ex iis impedimentis habeat, quae infra cap. *De electionibus* recensentur.

II. Cum vero canonice electus fuerit, et in suâ dignitate legitime confirmatus, omnimodam potestatem habeat in Ordine nostro ad normam regulae et constitutionum. Ad eius itaque auctoritatem pertinet: — 1°, prae-

esse toti Ordini, hegumenis, abbatibus et monachis omnibus, nisi quando in eâdem congregatione generali de ipsius causâ pertractandum sit, ut infra de depositionibus abbatum dicitur; — 2°, in omni congregatione etiam generali suffragium abbatis generalis habet praerogativam praelationis et praecedentiae, ubi suffragia fuerint paria; — 3°, per se vel per alium potest praesidere omnibus congregationibus, visitare omnia monasteria, et quemlibet monachum de provinciâ ad provinciam, vel de monasterio ad monasterium transferre, exceptis hegumenis et abbatibus, omnibusque officialibus qui in congregatione generali aut hegumenorum instituti sunt, quos ab uno loco in alium transferre non poterit inconsultâ congregatione hegumenorum; — 4°, per se, vel per abbates provinciae aut monasteriorum, ad habitum recipere potest eos qui ad institutum idonei videbuntur; potest etiam eosdem dimittere, si factâ probatione minus idonei reperti fuerint; — 5°, ab omnibus abbatibus, sive provinciarum, sive monasteriorum, eorumque vicariis aut procuratoribus, ceterisque officialibus, potest rationes exigere sibi vel aliis reddendas de commisso illis officio aut regimine tum spirituali tum temporali; — 6°, audire potest ac decidere causas omnium abbatum aut monachorum ad se appellantium a gravamine superiorum, vel aequalium vel inferiorum; — 7°, consultâ congregatione hegumenorum recipere potest ad Ordinem omnes monachos fugitivos, sive apostatas, et tam cum illis quam cum aliis monachis, qui contra regulam sive constitutiones quocumque modo peccaverint, misericorditer dispensare super poenitentiis, sive partem poenitentiae sive etiam totam remittendo, prout ad eorum salutem conducere in Domino iudicaverit; potest etiam poenitentias, quae ad satisfactionem quorumcumque defectuum convenire videbuntur, iniungere, habitâ ratione personarum et aliarum circumstantiarum, quarum consideratio eius charitati cum prudentiâ coniunctae committitur; itaut rectitudinem et severitatem cum benignitate et mansuetudine misceat, eo modo se gerendo, ut, etiam qui corripiuntur, hoc ipsum agnoscere faterique compellantur; — 8°, potest locum et vocem his, qui amiserunt, restituere, et inhabiles habilitare ad officia et gradus, nisi commisissent tales culpas aut defectus tales haberent, quorum dispensatio per constitutiones congregationi generali et hegumenorum, aut per sacros canones episcopo vel reverendissimo domino patriarchae reservetur; — 9°, potest congregationem generalem etiam ante praescriptum tempus convocare ex causâ rationabili, vel post exactum terminum differre in aliud tempus usque ad biennium vel triennium, consultis tamen hegumenis et habitâ facultate a reverendissimo domino patriarcha; idem dicendum de congregatione hegumenorum, quam ipse solus convocare potest, quoties de rebus agendum est illius auctoritatem exigentibus; — 10°, potest constituere, quando videbitur sibi expedire, procuratorem apud sedem Apostolicam Romanam, et alterum apud sedem Antiochenam, qui causas Ordinis nostri nomine ipsius abbatis generalis pertractet; — 11°, potest etiam et debet vicarium suum generalem nominare et eligere, qui ipsius e vivis erepti vel legitime impediti vices gerat, tum in regimine totius Ordinis, tum in congregatione hegumenorum, aut etiam generali, usque ad novi abbatis electionem: is autem vicarius semper debet esse primus ex quatuor hegumenis: cumque contigerit abbatem generalem, ut supra, e vivis dececedere, aut legitime impediri, tunc hegumenis ipsis fas esto quintum hegumenum eligendi, qui locum quarti tenebit, cum primus, ut dictum est, tamquam abbatis generalis vicarius habendus sit; — 12°, penes abbatem generalem est omnis facultas agendi quosvis contractus emptionis aut venditionis quorumlibet bonorum temporalium, tam mobilium quam immobilium, omnium monasteriorum, in eorumdem utilitatem et bonum; item nova, si offerantur, monasteria acceptare ex consilio hegumenorum et consensu episcopi ac reverendissimi domini patriarchae; alienare autem aut omnino dissolvere monasteria non poterit, sed tan-

tum ad tempus suspendere, constituto prius oeconomo, idque de consensu congregationis hegumenorum; de iis vero, quae Ordini nostro relinquuntur, si dominus certum monasterium aut determinatum pium opus non designaverit, poterit abbas generalis disponere, prout expedire ad communem Ordinis utilitatem iudicaverit; — 13°, sicut ad abbatem generalem pertinet ut Ordinis constitutiones ubique servandas curet, ita ad eum spectat non modo easdem constitutiones interpretari, quando dubium aliquod occurrerit, sed etiam, ubi opus est, in iis quae accidunt ex iustâ et legitimâ causâ cum aliquibus dispensare, regulae finem intuendo, qui alius non est quam maius Dei obsequium, et illorum qui hoc institutum susceperunt utilitas et profectus; non est autem censendum eum dispensare, nisi expressam constitutionum mentionem faciat in quibus dispensat; non potest tamen constitutiones in congregatione generali iam approbatas omnino abrogare aut irritare; — 14°, sicut potest abbas generalis nostri Ordinis monachos ex legitimâ causâ vinculis censurarum ligare, ita plenam facultatem habet eosdem absolvendi ab omnibus censuris contractis post ingressum religionis; dummodo casus non sint reservati episcopo aut reverendissimo domino patriarchae, quorum notam apud se descriptam habebit, ut sciat limites suae potestatis, tam quoad absolutionem a censuris, quam quoad dispensationem in irregularitate; — 15°, potest casus aliquos in toto Ordine sibi et abbatibus provinciarum aut monasteriorum reservare, a quibus deputati ad audiendas monachorum confessiones, nisi habitâ ab ipso aut abbatibus licentiâ, absolvere nequeant; illos tamen debet in notâ expressos, et in congregatione hegumenorum approbatos, monachis significare; — 16°, cum abbas generalis talenta hominibus nostri Ordinis donata cognoscere debeat, officia magistrorum, praedicatorum, confessariorum et alia huiusmodi per se distribuere potest, aut abbatibus provinciarum sive monasteriorum distribuenda committere: ad hunc autem finem curet per abbates provinciarum et monasteriorum certior reddi de statu omnium monasteriorum bis saltem in anno, item de numero et qualitatibus monachorum: etsi vero aliis inferioribus abbatibus suam facultatem communicet, poterit tamen approbare vel rescindere quod illi fecerint, et in omnibus, quod videbitur, constituere, et semper ei obedientiam ac reverentiam ab omnibus praestari oportebit; — 17°, potest abbas generalis omnia et singula in toto Ordine facere, quae abbates provinciarum et monasteriorum in suis provinciis et monasteriis, et insuper omnia illa, quae ei per constitutiones reservantur. — Denique abbas generalis, et quicumque hac dignitate functus fuerit, potest uti mitrâ et baculo pastorali in ecclesiis monasteriorum nostrorum tantum, extra autem illas nonnisi cum facultate reverendissimi domini patriarchae aut Ordinarii.

III. Ut officio suo abbas generalis rite fungatur, debet: — 1°, statim atque electus sit, litteras ad omnia monasteria mittere, quibus monachos ad regulae constitutionumque observantiam sedulo cohortetur; — 2°, semel quolibet anno monasteria, saltem viciniora per seipsum, remotiora vero per se vel per vicarium visitet; adiuncto ei uno ex monachis maxime idoneis, acceptoque prius ab illis iuramento de servandâ iustitiâ et secreto visitationis, quam postea subscriptione propriâ firmatam sigilloque munitam ad se transmittant, vel personaliter accedentes exhibeant; — 3°, habeat apud se omnia documenta, quae ad Ordinem spectant; catalogum itidem omnium monasteriorum cum suis redditibus et oneribus, et alterum personarum omnium, quae in quovis monasterio versantur, ubi eorum nomina et qualitates scribantur, ita ut omnia perspecta habet, tuteque providere possit quae ad gloriam divinam pertinere iudicaverit; — 4°, rescribere quidem ad abbatem, qui ordo tenendus sit in singulis negotiis rebusque dubiis in quovis monasterio, ad abbatem generalem spectat: sed executionem ordinariis officialibus demandabit: intelligat itaque rebus universalibus sibi

vacandum esse, quas solus ipse obire potest, ita tamen ut de gravioribus particularibus certior fieri curet; non solum autem ad res particulares, ut dictum est, ministris opus habet, sed etiam ad universales; quamobrem hegumenos frequenter consulat, eorumque congregationem in rebus magni momenti semper convocet; in eo vero monasterio, in quo residet, curabit habere apud se viros graves et instituti peritos, quibuscum conferre de rebus occurrentibus possit; — 5°, a congregatione generali eligendum erit monasterium, in quo abbatis generalis et hegumenorum ordinaria sit residentia; ab illo autem, nisi ex legitimâ causâ, abesse non poterit, nec residentiam in aliud monasterium transferre, inconsultâ congregatione hegumenorum; nullius vero monasterii ordinarium regimen per se ipsum exercebit abbas generalis; sed, si contigerit ipsum in aliquo monasterio moram trahere, quod abbate ordinario destitutum sit, illud per substitutum vicarium regere poterit, usque ad novi abbatis electionem in congregatione hegumenorum vel generali faciendam: et sicut ipse non debet abbates ordinarios a regimine monasteriorum impedire aut in illo sese immiscere; ita abbates Ordinarii debent reverentiam et obedientiam generali abbati in suis monasteriis commoranti exhibere, nihilque ipso inconsulto agere; — 6°, ab omni fastu et pompâ abstineat, tam intra monasterii septa, quam extra; nec praeter unum aut duos socios secum habeat, cum e monasterio egreditur, nisi aliud necessitas suadeat; — 7°, monachos in suis gravaminibus ad se recurrentes benigne excipiat et patienter audiat; caveat tamen, ne inde ansam accipiant superiores contemnendi; sed potius curam omnem adhibeat ut subditi superioribus amorem ac reverentiam exhibeant; — 8°, si contingat, aliquid a Summo Pontifice, sive a reverendissimo domino patriarcha, decerni circa monachos nostros, curet illud diligenter promulgari et observari; utriusque etiam favorem et protectionem Ordini nostro conciliare studeat; quod idem praestet cum episcopis locorum Ordinariis, atque magistratibus laicis, in quorum ditione monasteria nostra sita sunt.

Cap. IV. De hegumenis.

I. Hegumeni quatuor in congregatione generali eligendi sunt, qui abbatem generalem in gubernatione totius Ordinis adiuvent.

II. Ad hegumenorum vero auctoritatem pertinet: — 1°, ut in omni congregatione et extra congregationem primum locum post abbatem generalem teneant; — 2°, in omnibus negotiis decidendis ad suam et generalem congregationem devolutis sententiam definitivam post abbatem generalem ferunt; — 3°, unâ cum abbate generali omnes abbates tum provinciarum tum monasteriorum constituunt, et, si opus fuerit, destituunt, vel loco abbatum defunctorum alios substituunt; idem dicendum, si quis hegumenorum obierit, possunt enim eius loco alium eligere cum abbate generali; — 4°, cum eodem abbate generali, aut eo e vivis erepto, vel legitime impedito, soli possunt quintum hegumenum eligere, qui locum quarti teneat, in eo casu, quo primus hegumenus tamquam vicarius, abbate generali legitime impedito aut defuncto, toti Ordini praeesse debebit, usque ad novi abbatis generalis electionem; quam, si expedire visum fuerit, possunt etiam diferre, donec triennium expleatur, quo generalis congregatio convocanda erit; sic etiam possunt vicarium hegumeni deputare, si contigerit illum ex legitimâ causâ ab officii sui executione impediri; — 5°, possunt generalem congregationem convocare, quando abbas generalis in eos casus inciderit, ob quos de eius publicâ reprehensione, aut ab officii suspensione, aut etiam depositione agendum esset: modo tamen conveniant suffragia trium aliorum abbatum, quos in tali casu convocare debent, et tunc suffragia maiora praevalebunt; — 6°, omnia et singula facere possunt, quae ipsis per constitutiones reservantur.

III. Curare debent hegumeni, ut cum abbate generali perfectam concordiam et obedientiam servent: idque tum factis, tum verbis ostendant, auctoritatem ipsius apud omnes non solum conservando, sed omnibus etiam, quibus poterunt, modis au-

gendo. Ipsi vero inter se in sententiis ferendis consentiant, alterque alterum honore praeveniant. Si autem contigerit aliquem eorum in congregatione singularis esse sententiae, nemo ab illo ullam aversionem habeat vel ostendat. Quae vero in congregatione proposita aut dicta sunt, nemo illorum revelet, aut aliis indicet, sub poenâ ad libitum congregationis hegumenorum. Quae demum definientur, ea per secretarium descripta, sigillisque abbatis generalis et uniuscuiusque hegumenorum, manusque eorum subscriptione firmata, cum opus esse iudicaverint, promulgabuntur. Exemplar autem eodem modo firmatum et subscriptum, in archivo Ordinis conservabitur.

IV. Ordinaria hegumenorum residentia, quandocumque fieri potest, unâ cum abbate generali erit in monasterio per congregationem generalem deputando, a quo, inconsultâ congregatione hegumenorum, nemo illorum poterit abesse, neque ordinarium alicuius monasterii regimen exercere. Quod si contigerit quempiam eorum, ex legitimâ causâ in eâdem hegumenorum congregatione probandâ, ad monasterii regimen, sive visitationem[1] deputari, in quo officio ultra sex menses versari debeat, tunc vicarius ei ab eâdem hegumenorum congregatione substituendus erit, qui vices ipsius et auctoritatem gerat. Ut scilicet numerus quatuor hegumenorum abbati generali assistentium nunquam minuatur.

Cap. V. De abbate provinciae.

I. Abbas provinciae in congregatione hegumenorum eligitur ab abbate generali, et a quatuor hegumenis, cuius auctoritas terminis suae provinciae includitur. Provinciae autem earumque abbatum residentia in congregatione generali designentur. Eiusmodi congregationis arbitrio erit huiusmodi abbates instituere, ubi necessarii sunt, vel destituere, ubi illos supervacaneos esse iudicaverit.

II. Singulis annis debet monasteria provinciae suae visitare per seipsum, vel, si impedimentum legitimum occurrerit, per vicarium, ut supra de abbate generali dictum est: et visitationis decreta sigillo suo manusque subscriptione firmata ad abbatem generalem transmittere.

1 Edit. Main. legit *visitatione* (n. t.).

III. Bis quolibet anno ad eumdem abbatem generalem scribat de statu monasteriorum suae provinciae, deque numero et qualitate monachorum.

IV. Non potest esse abbas ordinarius ullius monasterii, neque debet ingerere se in regimine immediato illius monasterii, ubi residet: sed illum liberum et absolutum proprio abbati relinquere, qui tamen in omnibus primum locum abbati provinciae deferat, nihilque magni momenti eo inconsulto suscipiat et praecipienti pareat.

V. Potest monachos de uno monasterio in aliud eiusdem suae provinciae ex causâ rationabili, prout in Domino expedire iudicaverit, pro residentiâ mittere vel transferre, etiam sine consensu abbatis utriusque monasterii; ita tamen ut de hac monachorum missione vel translatione litteras patentes suo sigillo manusque subscriptione munitas conficiat. Non potest autem monachos sibi subiectos ad monasteria diversae provinciae pro residentiâ mittere vel transferre, nisi de consensu abbatis generalis. Sed pro negotiis aut necessitatibus provinciae suae, vel alicuius monasterii sibi subiecti, potest monachos de suâ provinciâ ad aliam mittere cum litteris testimonialibus, in quibus causam significet, tempusque reversionis limitet.

VI. Monachos provinciae suae neque suspendere, neque excommunicare potest, aut casum aliquem sibi in confessione reservare, sine abbatis generalis licentiâ; sed eos regere et iudicare debet ex praecepto regulae et constitutionum, in quibus dispensare nequit, eodem abbate generali inconsulto.

Cap. VI. De abbate monasterii.

I. Abbas monasterii eligitur in congregatione hegumenorum ab abbate generali et a quatuor hegumenis, et a quibus etiam non expleto triennio ob legitimam causam ab officio suspendi, aut deponi poterit.

II. Antequam officio suo fungatur, litteras praefecturae ostendat monachis, easque in publico loco legi faciat. Et, si abbas provinciae in eodem monasterio versetur, illi eas praesentet, vel earum exemplar sigillo monasterii munitum ad illum mittat, si absens fuerit. Postquam vero litterae congrega-

tionis hegumenorum lectae fuerint, monachi omnes coram eo genuflectant, eiusque tamquam abbatis benedictionem poscant. Ipse vero a praedecessore suo vel vicario eius monasterii sigillum et inventarium rerum omnium recipiat, praesente monasterii congregatione, et in cellam abbati destinatam secedat.

III. Domestica ministeria statim distribuat, officiales eligens vel confirmans, quos in Domino idoneos iudicaverit (exceptis quibusdam, quorum electio ad abbatem generalem pertinet) et suas cuique regulas tradens. Ac primo vicarium suum constituat, deinde oeconomum seu procuratorem monasterii, mox alios officiales, iuxta indigentiam et consuetudinem coenobii; eosque identidem visitet, et prout in Domino visum fuerit convenire, vel in eisdem ministeriis detineat, vel ab eis removeat: quod de reliquis officialibus intelligendum est, praeter vicarium et oeconomum: hos enim removere nequit, nisi ex consilio congregationis monachorum. Quia vero officia quaedam, ut bene fiant, experientiam requirunt, non facile mutari debebunt; et in hoc mutationis officialium negotio vitium inconstantiae omnino vitandum est.

IV. Non potest monachos de monasterio, cui praeest, in aliud transferre: sed si necesse fuerit, consulat prius abbatem provinciae, aut abbatem generalem. Pro negotiis vero monasterii sui potest monachum ad aliud monasterium mittere cum litteris testimonialibus congregationis monachorum, in quibus causam significet, et tempus reversionis definiat. Item non potest monachos monasterii sui suspendere vel excommunicare vel casum aliquem in confessione sibi reservare, inconsulto abbate generali.

V. Semel saltem in anno visitet possessiones et bona monasterii: et quolibet mense ab oeconomo rationem accepti et expensi, praesente vicario, exigat, ut totius monasterii administrationis ratio ipsi constet, quam reddere debet unoquoque anno, semel quidem abbati generali, bis autem abbati provinciae. Ut vero nihil ex bonis monasterii depereat, debet infra sex menses suae praefecturae conficere inventarium authenticum omnium rerum, quae ad illud coenobium pertinent, tam mobilium quam immobilium: eiusque inventarii duo describantur exempla, quorum alterum maneat in archivio monasterii sub duabus clavibus, in quo etiam reponantur omnes scripturae ad idem monasterium spectantes; alterum transmittatur ad abbatem provinciae vel ad abbatem generalem. Dictae autem claves sint, altera penes ipsum abbatem, aut eius vicarium, et altera apud oeconomum. Sub iisdem clavibus reponantur redditus monasterii, ita ut nihil inde possit extrahi, nihil magni momenti expendi, sine abbatis seu vicarii et oeconomi notitiâ.

VI. Praeter congregationem monachorum, quae saltem unoquoque mense fieri debet, alternis hebdomadis cum suis consultoribus conveniat (nisi pro re natâ aliquid extraordinarie consultandum esset) deque occurrentibus negotiis cum illis agat, et quamquam, iis auditis, penes ipsum est de singulis statuendi facultas, consultores tamen benigne audiat, et praecipue eum cui monitoris officium commissum est.

VII. Praecepta, edicta et litteras superiorum diligenter legat et exequatur; habeatque librum in quo scribantur visitationes monasterii ab abbate generali aut provinciae factae, et ordinationes illorum alicuius momenti. Legat etiam eas quas praedecessor suus adnotaverit. Distinguat tamen perpetuas ab iis quae ad tempus datae fuerunt. Institutum, quod in regimine monasterii tenere debet, cognoscat, tum lectione regularum tam communium quam sui officii et aliorum qui sub eius curâ sunt, tum ex observatione consuetudinum receptarum et executione ordinationum superiorum, ac demum in rebus dubiis ex recursu ad superiores.

VIII. Sit sollicitus, ne vicarius, oeconomus, et reliqui officiales suo desint officio: item curet, ut ordo, pax, unio et conformitas servetur a monachis in cellâ, in choro, in refectorio, et ubicumque locorum. Quare per se ipsum vel per vicarium visitet chorum, officinas et monachorum cellas. Portam monasterii claudi faciat horâ competenti, cla-

vesque sibi vel vicario tradi. Discursus et vagationes monachorum maxime iuniorum, compescat. Iurgia et contentiones inter eos ortas componat. Nec permittat in monasterio esse arma vel instrumenta musica, aut libros vanos.

IX. Ordinarias tantum poenitentias delinquentibus imponere debet, quae in constitutionibus praescriptae sunt. Delegare autem poterit vicario, ut eas ipse praescribat, vel legi in refectorio praecipiat.

X. In iis, quae ad victum, vestitum, habitationem et alia necessaria pertinent, curet, ut, quamvis sit in quo virtus et sui abnegatio probetur, non desit tamen quo sustentetur natura, habitâ ratione personarum secundum Deum. Ægrotorum habeatur cura magna, tam in victus ratione, quam in ceteris. Hospites tum saeculares tum religiosi benigne suscipiantur et pertractentur. Si cui particulari quidpiam ad potum vel cibum pertinens ab externo aliquo mittatur, id in communem usum accipiatur et dispensetur.

XI. Depositum pecuniae nullum prorsus admittat; aliarum vero rerum nonnisi cautissime, dummodo sine magnâ offensione id negari non possit.

XII. Lites fugiendae, nec ullam, inconsulto abbate generali aut provinciae, vel, si absentes fuerint et urgeat necessitas, inconsultâ monachorum congregatione, intentet, aut intentatae respondeat.

XIII. Si faciendae sint expensae extraordinariae, vel fabrica magni momenti, vel monasterium aere alieno gravandum est, habitâ prius monachorum congregatione, eorumque potiori parte annuente, rem ad abbatem generalem deferat.

XIV. Etsi proprium abbatis officium est monasterium sibi commissum diligenter gubernare, neque is propter aliud quidpiam huic muneri deesse debet; si quando tamen per officii sui occupationem licebit, concionari, et confessiones audire poterit.

XV. Tam abbas quam omnes alii sacerdotes aliquando intra annum officium vel officia eorum qui monasterio inserviunt ad tempus aliquod obibunt, ad exercitium religiosae humilitatis et mortificationis.

Cap. VII. De vicario.

I. Vicarius eligitur ab abbate monasterii, eiusque officium tamdiu durat, quamdiu officium abbatis; nec ab eo removeri debet, nisi de consensu congregationis monachorum. Eius autem locus sit primus post abbatem, et post eos qui abbatis generalis vel hegumenorum officio functi sunt.

II. Munus praecipuum vicarii est abbatem iuvare in iis quae in genere vel in particulari ei commendabit; nec dispensandi, aut mutandi, aut quidquam faciendi, nisi ex eiusdem praescripto, facultatem habebit.

III. Absente abbate omnia facere poterit, quae ipse abbas secundum regulam, constitutiones et consuetudines approbatas sui monasterii. Si vero aliquid extraordinarium acciderit, quod adeo urgeat ut commode abbas expectari nequeat, id expedire poterit vicarius auditis consultoribus, statimque redeunti abbati referat. Praesente vero abbate, eâ tantum iurisdictione utetur, quae sibi fuerit commissa.

IV. Officiales visitet, quoties opus fuerit, observando quomodo suum quisque officium exequatur. Frequenter etiam adeat cellas et alia loca monasterii, ut domus munda sit, et omnia ubique decenter suis locis composita, ac praesertim in iis quae ab externis videri solent. Noctibus singulis portas monasterii videat, an bene clausae sint, et cellas monachorum visitet, ne quis extra cubiculum vagetur. Observet etiam crebro, num aliquid desit ex necessariis, aut abundet monachis, eorumque curam potissimum habeat, qui in corporis curâ minorem de se ipsis sollicitudinem gerunt. Rationemque de rebus omnibus monasterii, quas viderit, aut executus fuerit, abbati, quoties opus fuerit, reddat et referat. Redigatque in memoriam, quae necessaria monasterio iudicabit, ut de emendis rebus ad victum et vestitum necessariis, et fratrum nimio aut exiguo labore, de sanitate, et similibus.

V. Horis omnibus divinis nocturnis et diurnis, atque sacrae liturgiae personaliter intersit, et observet an omnes adsint, et an die statuto ad confessionem et communionem accedant, aut missam celebrent. Item notet, an constitutis horis in refectorio con-

veniant, aut e monasterio egrediantur, sive ad illud regrediantur, an e lecto surgant, aut cubitum eant. Defectus denique omnes, si quos in monasterio animadverterit, vel aliunde intellexerit, et quaecumque alia ad bonam gubernationem sibi occurrerint, abbati referat.

vi. Singulis hebdomadis disponat officia monasterii, tabulasque conficiat ministrorum chori et ecclesiae, horasque missarum inter sacerdotes distribuat. Quam quidem tabulam, ab abbate approbatam, in loco patenti exponat, aut in refectorio legendam curet. Ipse vero sibi hebdomadam, tam in choro quam in missis canendis, sicut et reliquis fratribus tribuat.

Cap. VIII. De oeconomo seu procuratore monasterii.

i. Œconomus sive procurator ab abbate monasterii constituitur, eiusque officium est res temporales monasterii curare et administrare, omniaque tempestive providere, quibus monachi indigent.

ii. In primis igitur nosse debet bona omnia monasterii, tam mobilia quam immobilia, agros, vineas, prata, oliveta, greges ovium, et his similia; quorum inventarium penes se habebit, quaeque saepe cum socio visitare debebit, ne quid detrimenti ex ipsius negligentiâ capiant.

iii. Proventus quoscumque monasterii et eleemosynas, quas ipsum abbas exigere iubebit, exigat et recipiat: syngraphas vero solutionis, quando opus fuerit, ipse dabit subscriptas ab abbate, aut a se ex illius commissione. Utque id facilius assequatur, proventus omnes, et tempora quibus colligendi sunt, in peculiari libro scribat, et seorsim etiam quascumque res aut pecunias ex fructibus monasterii perceperit, addito a quibus et quando eae provenerint. Eleemosynae autem alio in libro scribantur.

iv. Singulis mensibus dati et accepti rationem abbati reddat, debitaque et credita monasterii prorsus intelligat. Nunquam vero oeconomus debita contrahat, sine expressâ abbatis licentiâ. Vicissim singulis mensibus exigat rationem ab officialibus villarum, praediorum, pecorum et similium.

v. Pecunia, undecumque ea provenerit, si alicuius momenti fuerit, iudicio abbatis in arcâ reponatur ad id designata. Huius abbas clavem unam, et ipse oeconomus alteram diversam custodiat. In eâdem liber asservabitur, in quo scribetur pecuniae summa, tam eius quae infertur, quam eius quae effertur. Si quando autem, cogente aliquâ necessitate, pecunia in arcam non inferretur, nihilominus accepti et expensi summa in eodem libro statim scribatur. Quotiescumque vero ex arcâ pecuniam accipiet, eius summam et diem in libro suarum rationum adscribat; in aliâ vero libri parte expensi ratio constet.

vi. Diligenti curâ asservabit in archivo ad hoc designato instrumenta originalia, quibus constet de iure eorum quae a monasterio possidentur: chirographa, syngraphas, inventaria et alia huiusmodi. Et archivi quidem clavem unam ipse habeat, abbas vero alteram diversam.

vii. Advertat, num ea, quae a monasterio possidentur, reparatione indigeant, ut ad abbatem referat. Si quid autem vendendum videretur, eodem inconsulto ne faciat.

viii. Curet, ut res omnes, praecipue diu duraturae, tempestive et quamopportune emantur, ne has non perinde bonas, aut non aequo pretio cogatur comparare. Caveat etiam, ne, dum nimium pecuniae parcit, non bonas, aut insalubres res emat. Videat autem, num ea, quae empta sunt, illaesa conserventur: atque animadvertens aliqua non ut oportet conservari aut expendi, abbatem aut vicarium admoneat.

ix. Emptori pecunias ad quotidianos sumptus subministrabit, a quo singulis diebus expensarum exigat rationem ex codice: summam vero in librum suum ipse referet. Emptor vero, quid empturus sit, ab abbate seu eius vicario intelliget: resque emptas cellerario tradat, sive in cellario reponendas, sive coquo committendas.

x. Cum extraneis contra decentiam status monastici negotiari non praesumat.

xi. Curet, ut saeculares, tam in monasterio, quam in praediis eius servientes, honeste et christiane vivant: cogat omnes ut diebus festis et dominicis sacrae liturgiae

et divinis officiis intersint, et in festis solemnioribus sacramenta confessionis et communionis frequentent. Mercedem itidem debitam suo tempore iis persolvat. Querelas eorum libenter audiat; causas vero nunquam sine abbate iudicet. Neque eos insolitis poenis et oneribus aggravet, neque plus uni quam alteri eorum faveat. Quando vero aliquis eorum dimittendus sit, id fiat cum omni charitate et cum plenâ eius satisfactione quoad debitum stipendium.

xii. Ita demum oeconomus rerum temporalium sollicitudinem gerat, ut a monasticae vitae perfectione animum non relaxet. Quare orationem, ieiunium, ceterasque religiosi instituti disciplinas, quoad fieri poterit, non secus atque reliqui monachi, colere debebit; saeculares vero, quibuscum conversatur, verbo et exemplo aedificare studeat.

xiii. Sicut ad abbates monasteriorum pertinet res temporales sibi commissas per oeconomum curare, ita poterit abbas generalis, si id expedire cognoverit, constituere oeconomum generalem, qui illum in conservandis bonis temporalibus totius Ordinis opportune adiuvet.

Cap. IX De consultoribus.

i. Abbas suos habeat consultores, tres saltem monachos senes, et in religiosâ perfectione exercitatos, quorum consilio et relatione adiutus, melius et facilius gubernare possit.

ii. Qui huic muneri deputabuntur, sint amatores boni communis, illudque in omnibus consultationibus prae oculis habeant.

iii. Cum abbas, illis auditis, aliquid statuerit, iudicium suum illius iudicio submittent, neque extra consultationem, aut quid statutum fuerit, sibi displicere, aut se in aliâ fuisse sententiâ significabunt, sed laudent potius abbatis consilium apud alios, atque tueantur. Quod si ob rei gravitatem ad abbatem generalem id esse deferendum iudicarent, re mature consideratâ et oratione praemissâ, faciant.

iv. Si quid tamen in mentem venerit, quod ad commune bonum vel alicuius personae particularis utilitatem pertineat, poterunt id abbati proponere.

v. Si quid circa victum, vestitum, labores et occupationes monachorum, aut circa gubernationem abbatis, moderandum, augendum vel mutandum censerent, illum praemissâ oratione admonendum curent, quod per admonitorem faciant.

vi. Si quis cum eis de difficultate aliquâ suâ aut perturbatione agat, ita eum suis monitis et consilio iuvare studeant, ut semper, quantum possint, existimationem abbatis tueantur.

vii. Ita suum munus exequantur, ut nullam gubernationis partem sibi assumant, atque eâ submissione se gerant ut ceteris obedientiae exemplum praebeant.

viii. Singuli consultores bis in anno ad abbatem generalem aut provinciae de statu monasterii[1], et si quid esset corrigendum aut mutandum, eidem exponant; atque hae litterae a seniore inter eos obsignatae mittantur.

ix. In monasteriis frequentioribus poterit unus ex consultoribus designari ab ipso abbate, qui admonitoris nomen habebit:[2] officium erit admonere abbatem de iis quae consultores ei dicenda iudicaverint. De aliis vero, quae sive ipsi in mentem venerint, sive ab aliis monachis suggerentur, non facile eum admonebit: sed de iis dumtaxat, quae non levis momenti post orationem esse censuerit, sive ad officium abbatis pertinebunt. Et quorum abbatem admonuerit, meminerit ea tacitus apud se servare.

Cap. X. De praedicatoribus.

i. Eligantur ab abbate generali, vel ab abbate provinciae, in singulis monasteriis duo saltem graves et docti monachi, qui admittendos ad praedicationem verbi Dei vel ad audiendas confessiones etiam ipsorum monachorum, ac magistros publicos, et promovendos ad quoscumque ordines diligenter simul examinent, antequam probentur et ad huiusmodi ministeria vel ordines admittantur.

ii. Qui ad praedicationis officium admissi sunt, debent primo sacram Scripturam semper prae manibus habere, legere, et, quoad fieri poterit, quotidie aliquid memoriae man-

1 Forsan deest verbum *scribant* (R. T.).

2 Videtur deesse *eius* vel *cuius* (R. T.).

dare. Legant etiam expositiones patrum in utrumque testamentum, vitas sanctorum, historiam ecclesiasticam, opera ascetica patrum, conciones, homilias doctorum virorum, et alia similia, quibus evolvendis residuum temporis, quod ab officio divino aliisque spiritualibus et corporalibus exercitiis remanserit, impendant. Deinde nunquam sine praeparatione concionem faciant, sed illam prius scripturae commendent, et sedulo memoriae tradant.

III. Extra monasterium nemini monachorum fas erit concionari, aut docere, aut confessiones audire, sine expressâ episcopi ordinarii licentiâ: cum vero ad aliquod oppidum vocati fuerint, dabunt operam, ut primo episcopi, chorepiscopi, aut parochi benevolentiam sibi comparent: deinde caveant discursum per domos, sed in aedes alicuius pii et exemplaris ecclesiastici se recipiant, ibique paupertatem religiosam in cibo, potu et ceteris omnibus servent, modestiae et gravitati coniunctam.

IV. Media autem spiritualia, quibus, iuxta nostrum institutum et abbatis beneplacitum, uti[1] poterunt, haec fere sunt: ministerium verbi Dei in praedicationibus, privatisque exhortationibus et colloquiis; sacramentorum confessionis et eucharistiae administratio; exercitiorum spiritualium traditio; dissidentium reconciliatio; casuum conscientiae et sacrorum rituum ad ecclesiasticos privata explicatio; christianae doctrinae ad pueros aliosque rudes publica declaratio.

Cap. XI. De praefecto rerum spiritualium.

I. In omnibus monasteriis designandus erit praefectus rerum spiritualium, cuius munus sit confessiones monachorum excipere, eorumque profectum in spiritu promovere.

II. Cognitionem itaque instituti habeat, et zelum boni progressus fratrum, quem procurare debet verbo et exemplo: amabilem praeterea se eis exhibeat, ut ad eum omnes confugiant, confidenterqne sua omnia detegant, et ab eo consolationem et auxilium sperent in Domino.

III. Instruat monachos privatim, secundum uniuscuiusque captum: praesertim ut puram intentionem divini servitii habeant et familiaritatem cum Deo in spiritualibus devotionis exercitiis.

IV. Petat quem procedendi modum in oratione habeant, et an contra suos defectus examen particulare observent, et an contra inordinatos affectus propria remedia adhibeant, et in solitis virtutibus acquirendis, praesertim obedientiâ, amore Dei et proximi, quibus utantur mediis, et de poenitentiis et aliis pietatis exercitationibus.

V. Versatum eum oportet esse in lectione librorum spiritualium, et unicuique decernat tempus et modum cum fructu eos legendi.

VI. Peculiarem curam habeat consolandi afflictos, et tepidos exhortandi, remedia pro cuiusque necessitate adhibendo, qualia sunt: frequentius Confessionis et Eucharistiae sacramenta obire, plus temporis orationi impendere, plus aliquid poenitentiae assumere, libros aliquos spirituales legere, et similia. Praecipuam vero curam adhibeat circa monachos laicos, novos praesertim et infirmiores, ut quieti sint et sorte Marthae contenti, dirigatque eos ubi opus fuerit. Praeter eos vero, quos satis instructos abbas iudicaverit, cum unoquoque agere de his ultra mensem non differat. Saepe vero consideret, quem fructum bonorum operum ex oratione et meditatione et ex reliquis rebus spiritualibus colligant, ut in dies magis in Domino proficiant.

VII. In his omnibus videat, ne ordo unicuique praescriptus impediatur, nisi cum abbas aliter iudicaverit.

VIII. Curam habeat novitiorum, si qui in monasterio fuerint, nisi ab abbate aliunde prospectum sit; et erga eos observare studeat quae iuxta regulas magistri novitiorum observari commode poterunt.

IX. Confessiones monachorum audiet; et, si abbas indicaverit eidem alium vel alios adiungere, poterit, non autem plures quam quatuor, et quidem in frequentioribus monasteriis tantum.

Cap. XII. De praefecto ecclesiae.

I. Praefectus ecclesiae ab abbate constituitur, cuius officium est res ecclesiae et chori custodire, et curare ut divina officia suo tempore decenter ac debite fiant.

[1] Edit. Main. legit *ut* pro *uti* (R. T.).

II. In primis habebit inventarium rerum omnium ad ecclesiam et chorum spectantium tam in libris quam in sacris vestibus et vasis aliisque: cuius inventarii duo exempla erunt, alterum penes ipsum, alterum in archivo monasterii, in quo scripturae et instrumenta asservantur. Et quando novus ecclesiae praefectus instituitur, coram abbate et oeconomo rationem rerum omnium iuxta inventarium exiget a praedecessore.

III. Librum etiam habeat dati et accepti pro ecclesiae expensis, ut rationem abbati unoquoque mense reddere possit.

IV. Eleemosynas quocumque modo obvenientes, et pecunias pro manutentione ecclesiae collectas, apud oeconomum deponat, ut in arcâ reponantur, cuius clavem unam habeat abbas, alteram ipse oeconomus. Quae vero pro missis celebrandis oblatae fuerint, diligenter describat in tabellâ sacristiae, ut missae dicantur secundum intentionem benefactorum; et notetur in libro, quo die et a quo sacerdote earumdem oneri fuerit satisfactum.

V. Satagat, ut necessaria ad divinum cultum non desint, ut altaria sint munda et bene praeparata, atque ut vasa sacra, ornamenta, libri et cetera omnia in suis locis apte reponantur et conserventur, panni omnes linei semper mundi serventur, et separatim corporalia et purificatoria laventur. Saepe etiam res pretiosiores visitet, ne aut laedantur aut amittantur. Templi, paramentorum, librorum instaurationes curet, sicut ab abbate fuerit praescriptum. Nihil vero eorum extrahere e monasterio, aut cuipiam alteri ecclesiae vel monasterio, etiam nostrae congregationis, commodare poterit, sine congregationis monachorum licentiâ.

VI. Det operam ut nullo modo lumen desit ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, neque interdiu, neque noctu, ubi illud asservari contigerit. Oleum sanctum, ut oportet, asservatum singulis annis renovandum curet, et sanctorum reliquias in vasculo ad id deputato decenter custodiat. Si quando autem devotionis causâ ostendendae erunt, duo cerei accendantur.

VII. Curet ut hostiae mundae sint et in vase decenti repositae; item vinum, quod ad sacrificium paratur, sit bonum et merum, eoque ipso die haustum; similiter et aqua et ampullae sint mundae; et thuribula identidem a fuligine extergat.

VIII. Qualibet hebdomadâ catalogum conficiat, quo dies festi ac ieiuniorum proximae hebdomadae describantur, et horae missarum inter sacerdotes distribuantur: vices quoque hebdomadariorum, ministrorumque, tam in divinis officiis, quam in missâ solemni celebrandâ, notentur. Eum porro catalogum ab abbate seu eius vicario approbatum in loco patenti affigat, aut in refectorio recitandum curet in prandio sabbati. Det autem operam, ne plura simul sacra inchoëntur, sed commode omnia suis spatiis distinguantur. Curamque gerat missarum perpetuarum, quae pro benefactoribus annuatim celebrandae sunt, easque referat in tabellam, quae appendenda erit in sacristiâ. Ubi et in aliâ tabellâ notari debent casus superioribus reservati, et indulgentiae, si quae sint concessae.

IX. Ante missam et psalmodiam chori, signa ipse pulsabit: quod etiam faciet, cum primum quis ex fratribus vitâ functus fuerit, ut omnes eius animam commendent. Lumina tam in choro quam in dormitorio fratrum accendet.

X. Per se, vel per alium ab abbate designatum, promovendos ad sacerdotium instrui curet, et videat an omnes observent statutas caeremonias. Si quem defectum animadverterit, ad abbatem referat, vel ipse emendet. Notet etiam qualibet die nomina sacerdotum celebrantium, ut id abbati aut vicario referat.

XI. Externos sacerdotes ad sacrum faciendum non admittat, nisi intelligat eos a legitimis superioribus habere facultatem, cuius testes Ordinarii litteras cum ii exhibuerint, humanissime illos excipiet, et distinctis etiam pro uniuscuiusque dignitate paramentis indui curet. Saeculares quoque ad ecclesiam nostram adventantes benigne tractet.

XII. Habeat sibi subiectum aedituum monachum, maxime in frequentioribus mo-

nasteriis, cui vices suas in rebus minoris momenti committet, dum ipse in gravioribus occupatur.

Cap. XIII. De praefecto bibliothecae.

i. In maioribus monasteriis designandus erit monachus sacerdos, qui librorum curam habeat.

ii. Omnium itaque librorum monasterii catalogum describat; utque libri unius monasterii ab aliis distinguantur, in primo cuiusvis libri folio haec verba notet: *Hic liber est monasterii N. Ordinis sancti Antonii Congregationis S. Isaiae.*

iii. Nullum librum ex bibliothecâ cuipiam monachorum dabit sine abbatis licentiâ, neque externo cuipiam sine licentiâ congregationis monachorum; et advertat, ne quis librum, etiam cum licentiâ, se inscio accipiat. Fratres autem, quibus aliquem librum tradet, propriâ manu scribant in codice, quo die et quem librum acceperint: cumque illum restituerint, notam deleant, aut e regione restitutio eius notetur. Quod si externis librum ex licentiâ, ut supra, dederit, ipse bibliothecarius in codice notabit diem, personam et tempus, quo liber sit restituendus.

iv. Monachos ad bibliothecam non admittat sine licentiâ, multo minus externos.

v. Abbatem moneat, si quos libros pro monasterio necesse sit comparare: nullum autem librum donare, vendere vel oppignorare poterit sine expressâ congregationis monachorum licentiâ.

vi. Curet ut bibliotheca munda sit et composita, quam semel in hebdomadâ verret, et ex libris pulverem excutiet. Caveat etiam, ne libri humiditate aut aliâ re laedantur.

vii. Semel in anno librorum rationem dabit abbati iuxta inventarium bibliothecae: quod et praestabit, cum alter in eius locum succedit.

Cap. XIV. De socio et sigillo abbatis generalis, hegumenorum, et abbatis provinciae, atque coenobiarchae.

i. Abbas generalis, hegumeni et abbates provinciae ac monasterii deligant sibi ex monachis professis socium, qui secretarii munus gerat, ipsosque in litteris scribendis adiuvet, exeuntesque e monasterio comitetur.

ii. Unusquisque ex dictis abbatibus et hegumenis sigillum proprium habeat, quod in cellâ suâ diligenter custodiat cum imagine, si fieri potest, sancti patris Antonii magni, aut emblemate figuram *Tau* repraesentante, et cum inscriptione officii quo unusquisque fungitur, videlicet: — *sigillum abbatis generalis Ordinis sancti Antonii Congregationis S. Isaiae: — sigillum primi* (vel *secundi*, vel *tertii*, vel *quarti*) *hegumeni Ordinis sancti Antonii Congregationis S. Isaiae; — sigillum provinciae N. Ordinis sancti Antonii Congregationis S. Isaiae; — sigillum monasterii N. Ordinis sancti Antonii Congregationis S. Isaiae.* Idque duplex sit; alterum maius, cuius usus erit in rebus magni momenti, et alterum minus, quo in rebus communibus utentur.

iii. Nullus monachus litteras suas alio sigillo firmabit, quam abbatis monasterii.

iv. Ad officium socii et secretarii electus, quaecumque audierit, legerit aut scripserit, debet profundo silentio celare, nec, nisi urgente necessitate, a communibus monasterii officiis vacare.

Cap. XV. De infirmario.

i. In singulis monasteriis constituendus erit infirmarius, vir pius et patiens, qui curam habebit infirmorum: quorum aegritudo simul atque ei indicata fuerit, si censuerit rem esse alicuius momenti, abbatem aut vicarium admoneat.

ii. Studeat, ut, quae aegrotanti danda sunt, ea et opportune emantur, et bona sint, et bene praeparata ministrentur.

iii. Curet ut aegrotorum cubicula sint valde munda, et lecti concinne sternantur.

iv. Ægrotum consolari et exhilarare studeat verbis spiritualibus et laetis. Habeat etiam libros, quorum lectione aegroti recreari et iuvari in spiritu possint.

v. Quaecumque aegrotantium usui necessaria esse iudicabit, habere curet, et in loco convenienti custodire.

vi. A medico praescripta exacte servet: dies aegrotationis et horam febris advertat, tum ut medicum et superiorem admoneat, tum ut cibum tempestive praebeat.

vii. Si morbus sit contagiosus, supellex separari debet, ne cuiquam noceat.

viii. Convalescentes e lecto surgere non permittat, priusquam id medicus concesserit.

IX. Patientiae et charitatis erga aegrotos meminerit. Quare curabit, ne debita ministeria aegrotis desint.

X. Morbo ingravescente, abbatem moneat, ut aegrotus, antequam iudicii usu privetur, omnia sacramenta accipiat. Quod si aegrotus diu, licet sine periculo, decumbat, curet ut octavo quoque die communicet, nisi aliqua ratio iudicio abbatis impediat.

XI. Instante mortis articulo, sive proximo periculo, abbatem admoneat ut orationibus omnium fratrum valde peculiaribus infirmum iuvari faciat, atque eo magis, quo morti propinquiorem viderit, et ut morienti quo plures poterunt ex fratribus adsint, qui convenientibus illi articulo auxiliis moribundum iuvent. Et cum primum vitâ functus fuerit, praefectum ecclesiae seu aedituum admoneat ut consuetum signum pulset.

XII. Provideat ut mortuorum fratrum corpora ad sepulturam praeparentur, et ut spatio unius diei naturalis decenter super terram teneantur.

XIII. Non infirmis tantum praesit, ut dictum est, sed sanorum etiam curam gerat in iis quae ad sanitatem conservandam spectant. Quare eius munus est observare, num quis ex nimiâ fatigatione corporis aut spiritus plus aequo laboret, vel aliâ de causâ morbi periculo se exponat. Et, si in cibis, aëre, frigore, aut aliâ quapiam in re aliquid probabili ratione animadvertat, quod communi omnium vel alicuius saluti obesse possit, abbatem admoneat.

Cap. XVI. De ianitore.

I. Monasterium perpetuo sit clausum, clavisque in portâ non relinquatur: ac propterea ianitor ab abbate constituatur monachus mansuetus, humilis, patiens et sedulus, qui ianuae custodiendae semper assistat, eamque nemini monachorum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam obtinuerit. Nullus autem e monasterio egrediatur, nisi cum socio, licentiâque petitâ ac impetratâ, et benedictione acceptâ ab abbate seu vicario, aut, in horum absentiâ, ab antiquiore ex professis.

II. Vocantibus cito adsit, et respondeat: non tamen prius portam aperiat, quam per fenestram videat qualitatem personae advenientis. Quae si eius conditionis fuerit ut paucis verbis expediatur, id faciat cum omni humanitate. Si vero fuerit persona gravis aut religiosa, portam aperiat, interroget quid velit, ad locum honestum ad id destinatum intromittat, et sine morâ significet abbati.

III. Neminem monachorum sine facultate abbatis ad ianuam vocet, nec, nisi urgeat necessitas, ianitor licentiam pro illo vocando ab abbate petat, aut abbas illam det, cum tempus sit divini officii in choro, prandii, coenae, silentii, aut congregationis. Nec facile idem abbas licentiam dabit introducendi saeculares in claustra monasterii, et multo minus in dormitorium fratrum, nisi sint magni viri, aut praelati.

IV. Monasterii portas ante noctem claudat ianitor. Exinde vero eas nullius causâ aperiat, inconsulto abbate. Et antequam cubitum eat, claves eidem tradens, si quis foris maneat, illi renunciabit. Abbas vero aut vicarius quandoque de nocte eas observet.

V. Litteras omnes et schedulas, et quaecumque alia domesticis mittuntur, abbati reddat, ut ea videat, et ad eos, ad quos diriguntur, si velit, transmittat. Caveat etiam, ne alicuius domestici litteras, aut quid simile, externis det sine[1] iussu abbatis.

VI. Nihil custodiendum a quopiam extraneo recipiat, abbate inconsulto.

VII. Si pauperes ad ianuam eleemosynae causâ accedere contingat, cum iisdem benigne se habeat, et sedulo quaerat quid eis erogari possit, iuxta abbatis arbitrium.

VIII. Mulieres, si quando ad ostium accedant, paucis verbis dimittat; aut, si pluribus opus esse videretur, in ecclesiam, si extra monasterii claustrum sit, ad aedituum eas mittat, ubi ipsis responderi poterit, aut aedituum seu abbatem vocet, ut earum negotia expediant, prout res postulaverit.

IX. Si quis eleemosynam ad ianuam dabit, eam oeconomo statim tradet.

X. Loca portae vicina munda servet, et ut iuxta ianuam omnes submissâ voce loquantur curet.

XI. Ut ianitor ad portam sollicitus assistere possit, primo post persolutas matuti-

1 Edit. Main. legit *in* pro *sine* (R. T.).

nas horas sacrificio intersit. Cum autem cibum sumit, aut in aliquo ministerio intra vel extra monasterium occupatur, alius ab abbate seu vicario ad custodiam portae destinetur.

Cap. XVII. De custode vestium.

i. Servare debet omnem supellectilem, sive lineam, sive laneam, et quidquid ad indumenta, et, ubi opus fuerit, etiam ad calceamenta attinet. Quae diligenti curâ, ut res pauperum Christi, custodiet in loco ad id destinato.

ii. Inventarium rerum, quae ipse custodit, si alicuius momenti sint, in libro habeat. Et seorsim scribat quae de novo fiunt, ut abbati sui muneris rationem reddere queat.

iii. Vestes ordine dispositas servet; ne corrumpantur, videat, et resarciendas etiam curet. Quas vero non amplius usui fratrum futuras iudicabit, eas abbati ostendat, ut ille de iis statuat.

iv. Quae singuli novitii ad monasteria attulerint, ea alicubi separatim asservet, donec professionem emittant.

v. Singulis mensibus cellas visitabit, ut, ex abbatis arbitrio, si quid eis desit, suppleri possit. Si quid etiam superfluum invenerit, vestes duplices, instrumenta itineris, et similia, in vestiariâ officinâ custodiantur.

vi. Inspiciat etiam quinam vestibus indigeant, ut abbati referat: eo vero inconsulto, nihil cuipiam dabit.

vii. Linei panni lotori, sive externus ille sit, sive domesticus, scripto numero dentur et accipiantur.

viii. Tunicae singulorum, quae staturae induentium convenire debent, signis particularibus internoscantur, ne eas permisceri contingat.

ix. Sabbati vespere linea munda per omnes cellas distribuat: dominicâ vero die, mane, ex eisdem cellis immunda colligat; et an omnia, quae dederat, recipiat, animadvertat.

Cap. XVIII. De cellarario.

i. Custodiendis in monasterii cellario victualibus ab abbate cellararius deputetur, vir sobrius et non prodigus: idemque curam habeat omnium eorum quae ad cibum et potum spectant, singula in locis suis reposita et clausa servans.

ii. In rebus distribuendis iussum abbatis sequatur: et quamvis communiter aequalitatem inter omnes servare debet, habeat tamen infirmorum, convalescentium, eorumque qui laboriosa opera exercent, rationem, prout ei fuerit ab abbate praescriptum, sine cuius arbitrio neque ientaculum, neque aliud quidpiam ulli concedet.

iii. Antequam penitus absumantur victualia quae in monasterio reconduntur, abbatem admoneat ut tempestive per oeconomum providere possit.

iv. Curet munditiem tam cellarii quam refectorii, eorumque omnium quae eius usibus serviunt, utque mensae rebus necessariis paratae sint, cum refectionis signum dabitur.

v. Catalogum habeat rerum quae ad cellarium et ad refectorium pertinent; alterum etiam eorum quae per hebdomadas aut menses debebit fratribus ministrare tam in cibo quam in potu; tertium denique eorum qui mensae ministraturi sunt.

vi. Quae ex mensâ supersunt, colliget, atque coquo tradet, qui illa conservabit, memor paupertatis, ut de domesticis et externis pauperibus usui esse possint iuxta praescriptum abbatis.

Cap. XIX. De coquo.

i. In iis omnibus quae ad suum munus pertinent, munditiem servet ipse, et ab aliis servandam curet: detque operam ut omnia recte et opportune parentur, ea praesertim quae ad aegrotos pertinent.

ii. Semihorâ, aut saltem quartâ horae parte, antequam in mensâ sit sedendum, praeparati omnes cibi esse debent.

iii. Circa qualitatem et quantitatem, ordinem ab abbate praescriptum sequatur.

iv. Coquere, aut aliud quidpiam pro aliquo particulari parare, infirmario tantum excepto, neminem sinat, neque ipse faciat sine abbatis facultate.

v. Scriptum in codice habeat catalogum rerum, quarum est usus in coquinâ, quas ipse servare debet.

vi. Diligentiam in rebus, quas consumit, adhibebit, ne quid non necessarium insumatur contra paupertatem religiosam.

vii. Si quem adiutorem haberet, satagat ut eum verbo et exemplo aedificet, praesertim novitios.

Cap. XX. De hebdomadario mensae.

I. Abbas monasterii, seu eius vicarius, singulis hebdomadis catalogum faciet, quo, per turnum monachorum omnium qui legere norunt, notetur hebdomadarius mensae.

II. Officium hebdomadarii mensae est libros ad mensam legere. Ab hoc officio eximitur abbas monasterii.

III. Hebdomadarius mensae libros pro lectione ante mensam apertos habeat; et quando leget, attendat in quo emendetur ab abbate aut vicario; et emendatus assurgat cum humilitate, et repetat, prout emendatus fuerit. Ad signum abbatis aut vicarii finiet lectionem; libri autem, qui legentur, sunt: Sacra Scriptura, vitae sanctorum, historia ecclesiastica, et opera ascetica, quae ab abbate assignari debent, servato ordine, ut primum legantur aliquot versiculi ex Scripturâ, deinde succedat lectio ex vitis sanctorum, aut ex historiâ ecclesiasticâ, et claudatur lectione alicuius tractatus ascetici.

PARS QUARTA.

Cap. I. De congregatione generali.

I. Congregatio generalis de triennio in triennium celebretur, nisi forte ob aliquam urgentem necessitatem esset anticipandum tempus aut prorogandum ex decreto congregationis hegumenorum, quod debet opportune toti Ordini significari. Casus autem, ob quos congregatio generalis prorogari vel anticipari potest, sunt: — Primo, mors abbatis generalis, aut eius ad altiorem dignitatem promotio, aut quando de eiusdem depositione, suspensione vel publicâ reprehensione agendum sit, ut dictum est supra parte III, cap. IV, n. II: — Deinde publica rerum regionumque perturbatio ob pestem vel bellum, aut propter persecutionem infidelium vel haereticorum vel schismaticorum, aut communem totius Ordinis vel principalium potiorumque monasteriorum necessitatem, quae iudicio congregationis hegumenorum urgens visa fuerit: in quo nihilominus casu significandum id erit abbatibus monasteriorum.

II. Penes abbatem generalem est congregationem indicere, eique praesidere usque ad successoris electionem. Si vero ipse mortuus fuerit aut promotus, aut de ipsius causâ consultandum sit, tunc ad hegumenos spectabit illam indicere, eique praesidere usque ad novi abbatis generalis electionem, aut veteris probatam innocentiam: servatâ semper vicarii generalis inter hegumenos praeeminentiâ, ut dictum est alibi. Vivente tamen abbate generali, etiam quando de ipsius causâ agendum est, in litteris, in quibus ab hegumenis congregatio indicetur, nomen eiusdem abbatis praeponatur nominibus hegumenorum.

III. Duobus saltem mensibus ante diem quo celebranda erit congregatio, indicatur per encyclicas epistolas ab abbate generali et hegumenis subscriptas, et ad omnia nostri Ordinis monasteria missas. Si quod vero monasterium longius distet, tot mensibus ante indicenda erit, quot sufficere videbuntur iudicio hegumenorum. Dies autem congregationis celebrandae destinari solita, est XV octobris, qua Ordinis nostri congregatio instituta fuit.

IV. Ad congregationem generalem vocandi erunt, eique interesse, et in eâ vocem habere poterunt, praeter abbatem generalem et quatuor hegumenos eorumque vicarios (si qui antea electi fuerant), abbates omnes tam provinciarum quam monasteriorum, et cum unoquoque abbate socius a congregatione monachorum illius monasterii electus; quotquot praeterea officio abbatis generalis vel hegumenorum functi sunt, modo non fuerint ob defectus aliquos depositi. Iis autem unumquodque monasterium de necessario viatico providebit, tam in eundo quam in redeundo, ob quem finem a primoribus tum ecclesiasticis tum saecularibus illius provinciae abbates eleemosynam colligant, et eam secum deferant.

V. Si quis abbas, vel officio abbatis generalis aut hegumeni defunctus, ob legitimum impedimentum a congregatione monachorum probandum, per se ipsum adesse nequiverit, mittat monachum idoneum, qui vices suas in congregatione generali suppleat, habeatque locum in congregatione tamquam absentis procurator. Qui vero propter contumaciam vel inanes causas adesse neglexerit, cognitâ et declaratâ eius causâ in congre-

gatione generali, excommunicetur, et monachi ab eius obedientiâ absolvantur: socii autem abbatum, qui in congregatione monachorum electi fuerint, neminem possunt sibi substituere, nec suae electioni renunciare.

vi. Nemo in congregatione generali vocem habeat, nisi sex annos in Ordine compleverit, inchoando ab annis probationis, et nisi triginta annos aetatis saltem inchoatos habeat. Item nemo in monasterium ad celebrandam congregationem destinatum intret, nisi tribus diebus antequam inchoanda sit congregatio, exceptis iis qui ex longinquâ regione per mare veniunt. Qui ad congregationem venerint sine licentiâ, per totum tempus, quo congregatio durabit, detineantur in loco poenitentiae; congregatione autem terminatâ, decernat de eis congregatio hegumenorum. Si quis vero querelas habeat ad congregationem deferendas, mittat eas cum abbate vel eius socio propriâ manu subscriptas.

vii. Unusquisque abbas ad congregationem veniens, aut vicarium suum mittens, debet afferre secum, vel cum vicario mittere: 1° Sigillum monasterii; 2° Catalogum, in quo descriptus sit numerus monachorum vivorum, et quot defuncti sunt post ultimam congregationem, et quot recepti; 3° Rationem dati et accepti toto regiminis sui tempore. Socius vero abbatis debet secum afferre: 1° Litteras monachorum de suâ deputatione; 2° Querelas eorumdem, si quae erunt.

viii. Abbas generalis, vel, eo absente, hegumeni, opportuno tempore provideant de rebus ad celebrandam congregationem necessariis. Quare: 1° Abbatem monasterii, in quo congregatio celebranda est, vel, eo absente, monachum alium constituant, qui oeconomi congregationis generalis nomen gerat, curetque ut locus congregationi opportunus praeparetur, ut adsint victualia, lecti et quaecumque ad receptionem monachorum hospitum necessaria sunt; 2° Deputent duos saltem confessarios cum facultatibus opportunis, necnon unum scribam congregationis qui suffragia notabit et litteras ad congregationem directas coram omnibus leget; unum praeterea aedituum, qui curam habebit sacelli ubi congregatio fiet, et unum ianitorem, qui portas congregationis observabit. Ii vero omnes, praeter abbatem supradictum, idest confessarii, scriba, aedituus et ianitor, debent esse ex eorum numero qui suffragia non habent in congregatione. Reliqua autem coenobii ministeria, tam in ecclesiâ quam in choro et refectorio, per eiusdem coenobii monachos diligenter obeantur, nec congregationis praetextu quidquam ex regulari disciplinâ omittatur.

ix. Cum dies assignata advenerit, non obstante cuiuscumque absentiâ, congregatio incipiatur. Cognitores autem suffragiorum sunt: 1° Abbas generalis; 2° Quatuor hegumeni; 3° Duo ex monachis congregationis a communitate vocalium electi, in quorum tamen electione neque abbas generalis, neque hegumeni vocem habebunt.

x. Congregatio generalis per septem dies durabit. Singulis autem diebus, post cantata divina officia et celebratam sacram liturgiam, scrutinium fiet, cui praemittetur sermo paraeneticus ab abbate generali aut alio quopiam ad conventum monachorum per semihoram.

xi. In primo triduo, Ordinis statum examinent, seduloque explorent, si quid supplendum aut resecandum sit. Singulisque permittitur, quodcumque apud se statuerint, suggerere abbati generali aut hegumenis, qui monachorum suggestiones in commentarium relatas coram congregatione recitabunt. Interim hegumeni iussu abbatis generalis a monasteriorum abbatibus statum et rationes exigant singulorum monasteriorum, easque, in tabularium totius Ordinis referendas, eidem generali abbati exhibeant. Quartâ die proceditur ad electionem abbatis generalis et hegumenorum ut infra. Si autem non ob electionem superiorum, sed ob aliam causam coacta fuerit congregatio, de illâ tractabitur. Tribus postremis diebus monachorum causae finiantur, eorumque postulatis satisfiat, et si quid contra regulam, constitutiones vel consuetudines Ordinis peccatum est, corrigatur.

xii. Septimo die postquam congregatio terminata est, dato signo a generali abbate, aperiatur porta, ita ut etiam non vocales adesse possint et audire. Tum a scriba congregationi legatur: 1° Tabula novorum officialium a totâ congregatione sive ab abbate generali et hegumenis electorum, necnon monachorum ad monasteria, quae idem abbas generalis designaverit, mittendorum; 2° Constitutiones, si quae fuerint a congregatione sancitae; 3° Recitantur nomina monachorum omnium ab ultimâ congregatione defunctorum, ut pro iis omnibus una missa solemnis celebretur; 4° Recenseantur etiam nomina insigniorum benefactorum, simulque omnes moneantur, ut pro iis sacerdotes quidem unam missam celebrent, laici vero dicant quinquaginta *Pater noster*, *Ave Maria*. Abbas generalis faciat absolutionem generalem, et sic congregationem dimittat.

xiii. Dimissâ congregatione generali, unâ cum hegumenis faciat congregationem hegumenorum, et primo quidem eligantur abbates provinciarum et monasteriorum, singulisque patentes litterae tradantur ut ad officia sua adeant.

xiv. Forma litterarum congregationis monachorum, cum mittunt ad congregationem unâ cum abbate monasterii seu provinciae socium ab ipsis electum: *Reverendissimi patres, notum facimus vobis congregationem nostram habitam in monasterio N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendum patrem N., ut, nomine totius monasterii* vel *provinciae, unâ cum nostro abbate ad congregationem generalem accedat. Quocirca tradimus ei potestatem agendi pro nobis in congregatione generali omnia et singula, quae facere possemus, si praesentes essemus, ratum gratumque habituri quidquid in eâdem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N., die N.* — Sigillum † monasterii. — Et subscribent omnes iuxta ordinem suum.

xv. Forma litterarum abbatis provinciae vel monasterii, cum mittit vicarium vel procuratorem ad congregationem generalem: *Reverendissimi patres, notum facio vobis, me, ob causam N. impeditum, elegisse reverendum patrem N., ut tamquam meus vicarius et procurator ad congregationem generalem accedat: eique sigillum et rationes officii mei tradidisse, necnon facultatem in congregatione generali omnia et singula agendi, quae ego facere possem, si praesens essem; ratum gratumque habiturus quidquid in eâdem congregatione factum fuerit. Datum in monasterio N., anno N., mense N., die N.* — Sigillum † officii. — *N. abbas provinciae vel monasterii N.*

Cap. II. De electione abbatis generalis et hegumenorum.

i. Ante electionem legantur constitutiones de requisitis eligendorum, deque eorum officio.

ii. Nemo potest in abbatem generalem aut hegumenum eligi, nisi compleverit annum aetatis trigesimum, et annum in nostro Ordine octavum quidem abbas generalis, sextum vero hegumenus.

iii. Electio nullo modo fiat per absentium, sed praesentium dumtaxat suffragia, eaque secreta sint, non publicatis eligentium nominibus.

iv. In loco pro electione deputato, aedituus aram maximam, ubi venerabile Eucharistiae sacramentum in ciborio conditum prostabit, solemniori, quam in primo triduo congregationis, ritu instruat. Super altari ante ciborium alta crux collocetur, sex hinc inde accensis candelis. A dextris crucis evangeliorum codex pretioso velo coopertus, a sinistris vero imago sive reliquiae sancti patris nostri Antonii, et codex regulae cum constitutionibus. Infra altare ad latus dexterum ponatur mensa, iuxta quam assidebit scriba seu secretarius, qui, datâ servandi secreti fide, solus ex patribus non vocalibus in congregationem introducetur. Super mensam vas seu arcula collocetur, in quam ab electoribus schedulae emittendae erunt. Sic autem fabricetur, ut demissae e superiori orificio schedulae dilabi aut extrahi nequeant, donec, functione peractâ, legitime a cognitoribus suffragiorum reseretur. Alterum praeterea vas intra cancellos altaris praeparetur aquâ oppletum, in quod schedulae praedictae statim proiiciantur.

v. Habeatur sermo paraeneticus ad electores per semihoram de eligendo digniori

abbate generali, dignioribusque hegumenis, deque votorum renovatione praemittendâ ab omnibus.

VI. Absolutâ paraenesi, abbas generalis et quatuor hegumeni hinc inde ad dexteram laevamque ipsius ante portam mediam in genua procident, et post[1] hos, provinciarum monasteriorumque abbates, deinde reliqui monachi, secundum antiquitatem propriae professionis, postremo scriba seu secretarius et aedituus, et ad portam ianitor.

VII. Sequatur votorum renovatio, abbate generali et hegumenis praeeuntibus, deinde reliquis simul prosequentibus, de verbo ad verbum, et cum pausâ, ut supra, part. II, cap. XI.

VIII. Abbas generalis, absolutâ votorum renovatione, beatissimae Virginis Mariae litanias cum cantu inchoabit: quibus finitis, fratres admoneat, ut, praemisso contritionis actu, intentionem pariter rectam habere studeant, simulque omnes dominicam orationem recitent, et SS. Trinitatis opem, necnon Deiparae et S. Antonii intercessionem implorent. Mox assurgit ipse, et, fratribus in genua adhuc provolutis, generalem absolutionem pronunciat. Post universi e templo egressi, ad ferenda suffragia accedunt, si alibi electio facienda est; si vero in eodem templo, aedituo foras egresso, porta clauditur, quam ianitor ab exteriori parte observabit.

IX. Antequam ad novi abbatis generalis electionem procedatur, debet is, cuius officium expirat, sigillum et officium in manibus hegumenorum resignare ac deponere in haec verba: *Reverendi patres, in manibus vestris resigno ac depono officium abbatis generalis, quod mihi indigno congregatio generalis commisit, simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.* Hoc idem facere debet unusquisque hegumenus coram electo abbate generali, cum ad successoris sui electionem procedendum est, dicens: *Reverendissime pater, in manibus vestris resigno ac depono officium hegumeni, quod mihi indigno commissum est, simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.* Factâ tamen resignatione, in suo loco et ordine tamdiu stabit, donec successor declaretur. Si per obitum aut promotionem abbatis generalis, aut aliquod legitimum eius impedimentum, electus fuerit vicarius generalis, hic etiam ante electionem novi abbatis generalis resignabit officium in haec verba: *Reverendissimi patres, in manibus vestris resigno ac depono officium vicarii generalis, quod mihi indigno commissum est, etc.* Idem dicendum de vicario hegumeni.

X. Suffragiorum ordo est: Primus, abbas generalis, ad mensam accedens, suum suffragium in schedulâ scribat, nomine tantum electi expresso, hoc modo: *Eligo reverendissimum patrem N. in abbatem generalem nostri Ordinis.* Tum schedulam propriis manibus complicet, atque in praeparatam arcam iniiciat. Sequantur ordinatim singuli hegumeni, postea abbates provinciarum et monasteriorum, postremo reliqui patres vocales, habitâ semper ratione antianitatis professionis. Si quis patrum indigeat operâ scribae, hic suggestum ab illo nomen scribat in schedulâ, eamque plicatam ipsi reddat in praedictam arcam ab eodem propriâ manu statim dimittendam.

XI. Post lata suffragia, in locum suum unusquisque regrediatur: loca autem extra cancellos altaris disposita erunt. Tum vero abbas generalis solus cum quatuor hegumenis et duobus a patrum coetu ad cognoscenda suffragia electis, sanctuarium ingressus, schedulas ex arcâ extrahat, mox numeret; et si patrum numerum superent aut minime aequent, electio non constabit, nec aperiendae erunt schedulae, sed continuo in vas aquâ oppletum immittantur, et nova electio fiat. Si vero suffragiorum numerus bene constet, tunc abbas generalis singulas schedulas coram hegumenis et duobus suffragiorum cognitoribus aperiat, nomenque electi altiori voce pronunciet, ut monachi in templo stantes audiant, et illud a secretario in cartâ notetur.

XII. Si pars suffragiorum supra dimidium vocalium maior convenire in electione reperiatur, eâ censetur facta: sin autem in

1 Pessime ed. Main. legit *pone* pro *post* (R.T.).

duas personas suffragia dividantur, his a ferendo suffragio exclusis, iteretur scrutinium. Si rursus aequalis pro utroque suffragiorum numerus constiterit, praeferendus prior tempore professionis. Si autem professionis tempore aequales fuerint, aetas attendenda, et senior iuniori praeeligatur.

XIII. Si vero suffragia in diversas personas distrahantur, ita ut in neminem maior congregationis pars conveniat, secundo, ac tertio scrutinium repetatur. Quod si etiam tunc nemo habeat maiorem suffragiorum partem, contingat autem duos vel tres habere plura suffragia, ita ut singuli quartam saltem partem suffragiorum obtineant, per abbatem generalem promulgentur his verbis: *Reverendus pater NN. et reverendus pater NN. habent plura suffragia quam reliqui. Ex his igitur potestis unum eligere in abbatem generalem totius Ordinis.* Tum illis, qui nominati sunt, exclusis, vocales reliqui ad electionem modo supradicto procedant, unum ex nominatis eligentes, in quem maior pars suffragiorum convenerit.

XIV. Finito scrutinio, electus abbas generalis promulgetur a suo praedecessore, vel si ipse in officio confirmatus fuerit, a primo hegumenorum, his verbis: *Reverendi patres, factâ suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris NN.; ideo nomine totius congregationis nostrae, et potestate per vos omnes mihi concessâ, pronuncio et declaro reverendissimum patrem NN. electum fuisse, et esse nostrum omnium totiusque Ordinis nostri abbatem generalem.*

XV. Factâ electionis proclamatione, primus hegumenus, aut dignior inter vocales, intonat psalmum XIX, reliquis alternatim prosequentibus: *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob, etc.* Interea hegumeni ducunt electum ad sedem ad cornu sinistrum altaris paratam, qui osculatur primum altare, deinde sedet. Tum a digniori traditur ei liber regulae et constitutionum, ac sigillum officii: qui retinens sigillum, tradit uni ex vocalibus, ut legat caput III partis III, quod est de praeeminentiâ et officio abbatis generalis. Interim fratres singuli iuxta ordinem suum ad eum accedentes, genibus flexis, manus eius osculantur. Ipse vero tamdiu in loco suo sedebit, donec hegumeni quatuor eligantur: nec e sede suâ recedit, nisi cum suffragium proprium scripturus est, et in arcâ immissurus, et suffragia monachorum, ut supra, cogniturus, electumque proclamaturus: quo statim proclamato, ad sedem suam redibit.

XVI. Si electus absens fuerit, postquam proclamata est illius electio, cantatur psalmus XIX, ut supra: quo finito, statim proceditur ad electionem hegumenorum, quorum primus vices abbatis generalis geret, donec abbas generalis aderit. Quod si adesse possit antequam congregatio generalis absolvatur, tunc enthronismus eius modo supradicto fiat.

XVII. Neque abbati generali, neque hegumenis fas est electionem suam recusare aut officium abdicare. Si vero contigerit eos ex legitimâ causâ ab officii executione impediri, in congregatione hegumenorum potest vicarius eius substitui, ut dictum est part. III, cap. IV.

XVIII. Absolutâ abbatis generalis electione, continuo ad electionem quatuor hegumenorum iuxta praedictum ordinem procedent, etiamsi electus generalis absens fuerit. Primum hegumenus in manibus abbatis generalis, vel, eo absente, in manibus dignioris ex vocalibus resignat sigillum et officium, ut supra. Mox suffragia feruntur, et si duo vel tres plura suffragia habere reperiuntur, ita ut quartam saltem partem singuli obtineant, abbas generalis recens electus, vel, eo absente, dignior ex vocalibus (exclusis iis qui nominantur), dicat ad coetum monachorum: *RR. PP. NN. et NN. habent plura suffragia, quam reliqui. Ex his igitur potestis eligere unum in hegumenum.* Finito scrutinio, electus hegumenus promulgatur ab abbate generali, aut, eo absente, a digniori ex vocalibus, in haec verba: *Reverendi patres, factâ suffragiorum collatione, invenimus maiorem partem congregationis nostrae convenire in electione reverendi patris N. Ideo, nomine totius congregationis nostrae*

*et potestate a vobis mihi concessâ, pronuncio et declaro reverendissimum patrem N. electum fuisse, et esse hegumenum.* (Addat in fine, *primum*, *secundum*, *tertium*, vel *quartum*, iuxta uniuscuiusque hegumeni locum). Hegumenus electus abbati generali genuflectat, eiusque manus deosculatus, ad dexteram ipsius vel sinistram iuxta ordinem suum stabit. Abbas vero generalis illum ad osculum admittet, eique sigillum officii tradet. Tum fratres iuxta ordinem suum, factâ prius altari, deinde abbati generali et hegumenis antea electis aut officio confirmatis reverentiâ, coram hegumeno recens electo genuflectentes, manum eius osculantur. Hegumeni vero antea ut supra electi, collegam admittunt. Si hegumenus sacerdos non fuerit, solâ pacis apprecatione, omissâ genuflexione, honorabitur.

xix. Penes congregationem generalem est abbatem generalem confirmare vel novum eligere. Hegumenorum pariter potestatem prorogare aut abrogare, sive quosdam confirmare, et alios de novo eligere: nam omnes simul eodemque tempore mutare minus expedire videtur, ut nimirum novus hegumenus a veterano rudimenta novi officii capiat. Si vero, attentis circumstantiis, secus agendum electoribus in Domino visum fuerit, ad omnium etiam hegumenorum depositionem tuto procedent.

xx. Secretarius congregationis tam generalis abbatis quam hegumenorum electionem in acta referat, quae, subscriptionibus omnium vocalium firmata, in archivo asservetur.

xxi. Absolutâ quatuor hegumenorum electione, divinae maiestati gratiae agendae sunt. Quocirca abbas generalis cum hegumenis et omnibus patribus vocalibus ante portam mediam altaris procidat in genua, primus ipse, deinde quatuor hegumeni, mox reliqui iuxta ordinem suum. Tum incipiat psalmum CXLVIII, reliquis hunc et duos sequentes psalmos mox alternatim cantantibus: *Laudate Dominum de caelis*, *laudate eum in excelsis*, *etc.* Quibus finitis, assurgens abbas generalis, stansque in portâ mediâ, conversus ad altare, fratribus genuflexis, sequentem precationem recitabit: *Gratias agimus tibi, Deus noster, Trinitas Sanctissima, Pater, et Fili, et Spiritus Sancte, quoniam, sicut ad tuum nos peculiarem famulatum assumpsisti, atque in sanctis tabernaculis tuis collocasti, fratresque in spiritu coniunctos effecisti, et constituisti in monte Sion, qui est religiosus status, ponens pacem fines suos, muroque circumdatus obedientiae, castitatis et voluntariae paupertatis, quo spectaculum fieremus angelis et hominibus: ita hodie gratiâ tuâ innovasti vinculum, quo iungimur dilectioni tuae: nosque in hierarchias et choros in similitudinem angelorum distinxisti ad officia ministerii tui in paradiso domus tuae, quem plantasti nobis, et in quo nos collocasti, nosque illum operaremur, beneplacitum tuum perficientes, et divinae voluntati tuae obsequentes. Et nunc, Domine Deus, tuere nos, et custodi vineam istam quam plantasti dexterâ tuâ, et domum tuam aedifica, quam virtute tuâ fundasti: quia, nisi tu, Domine, aedificaveris domum, frustra vigilant qui custodiunt eam. Da, Domine, assistricem sedium tuarum sapientiam iis, quos ad ministerium domus tuae elegisti. Benefac nobis, et corda nostra sanctifica, mentesque nostras in obsequio tuo confirma: intercedentibus sanctâ Dei genitrice Mariâ Virgine, et beatissimo patre nostro S. Antonio magno, et omnibus sanctis.* Fratres: *Amen.* Deinde abbas generalis, factâ altari reverentiâ, ad eos adhuc genuflexos conversus, facit absolutionem generalem in haec verba: *Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra, et tribuat vobis absolutionem et remissionem omnium peccatorum vestrorum, in nomine † Patris, et † Filii, et † Spiritus Sancti.* Fratres: *Amen.* Et surgunt, eiusque manum ordinatim osculantur, et ad suas singuli cellas secedunt.

Cap. III. De Congregatione hegumenorum et electione abbatum provinciae vel monasterii.

i. Congregatio hegumenorum de semestri in semestrem ab abbate generali et quatuor hegumenis celebretur, et quoties de rebus agendum est aut valde urgentibus aut potestatem eiusdem congregationis exigentibus.

ii. Penes abbatem generalem est illam indicere eique praesidere. Si vero ipse mortuus fuerit, aut promotus, aut de ipsius causâ et reatu consultandum sit, tunc ad

omnes simul hegumenos spectabit illam indicere, et prior in ordine praesidebit tamquam vicarius abbatis generalis, ut supra dictum est.

III. Per septem dies ea durabit: singulis autem diebus, praemissâ oratione dominicâ, et litaniis beatissimae Virginis, coram altari ab aedituo parato, ianitore portam observante, et secretario ad mensam assidente, nec non duobus monachis suffragiorum cognitoribus, suffragia ferent, ut supra dictum est de congregatione generali. Porro secretarius, aedituus, ianitor et duo suffragiorum cognitores ab abbate generali et hegumenis praeeligendi sunt. Antequam vero prima congregatio inchoëtur, sermo paraeneticus fiat ab idoneo monacho, quem abbas generalis designaverit.

IV. Si post congregationem generalem eligendi sint abbates provinciarum et monasteriorum, primo congregationis die, sedentibus in ordine suo abbate generali et hegumenis, accedunt abbates, quorum officium expirat, vel eorum vicarii, unus post alium; et genuflexi, sigillum et officium in manibus abbatis generalis et hegumenorum resignant, et deponunt in haec verba: *Reverendissimi patres, in manibus vestris resigno ac depono officium abbatis provinciae N.*, vel *monasterii N.*, *quod mihi indigno commissum fuit, simulque veniam peto de omnibus culpis a me in eo commissis.* Si vicarius fuerit, aut procurator, dicat: *Reverendissimi patres, nomine ac vice reverendi patris N., in manibus vestris resigno ac depono officium abbatis provinciae N.*, vel *monasterii N.*, *quod ipsi commissum fuit, simulque veniam peto de omnibus culpis ab ipso in eodem officio commissis.* Factâ resignatione, unusquisque extra congregationem recedet; et clauso ostio, legat secretarius coram abbate generali et hegumenis excessus vel defectus, si quos dicti abbates in suo officio commiserint, oblatas adversus eos subditorum monachorum accusationes, et similia, quae in ultimo triduo congregationis generalis examinata sunt, et in acta relata, ut cap. I huius partis num. II dictum est. Mox generalis et hegumeni de iis deliberent: et si quid in regulam, constitutiones, consuetudines vel monachos peccasse deprehensi fuerint, vocentur singillatim, et introducantur ad congregationem, ibique reprehendantur, et dignâ malefactis poenitentiâ mulctentur: aliàs omnes simul introducantur, et genuflexi benedicantur ab abbate generali, et absolvantur iis verbis: *Deus misereatur vestri, etc.*, ut capite superiori circa finem. Tum extra congregationem dimittantur, et abbas generalis cum hegumenis per suffragia secreta eligat abbates provinciarum et monasteriorum eodem modo quo supra de electione generalis et hegumenorum dictum est. Suffragium in schedulâ scribatur sic: *Eligo reverendum patrem N. in abbatem provinciae N.*, vel *monasterii N.* Extrahuntur autem suffragia a duobus monachis eorum cognitoribus, et scribuntur in cartâ a secretario. Et unus ex illis duobus professione antiquior nomen electi altiori voce pronunciat, ut generalis et hegumeni audiant: et qui plura suffragia habuerit, ille abbas erit: quem proinde generalis proclamabit in haec verba: *Nomine congregationis nostrae pronuncio et declaro reverendum patrem N. abbatem provinciae N.*, vel *monasterii N.* Finito scrutinio, omnes electi abbates, qui in eo monasterio praesentes fuerint, genua flectunt coram abbate generali et hegumenis, manumque eorum deosculantur, et invicem ab his ad osculum pacis admittuntur. Abbas autem generalis tradit unicuique eorum sigillum officii sui: deinde, omnibus praeter hegumenos genuflexis, impertitur benedictionem, dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater † et Filius † et Spiritus † Sanctus.* Fratres: *Amen.* Et procedunt unusquisque ad cellam suam. Abbas generalis et hegumeni tradunt singulis patentes litteras tenoris sequentis: *Venerabilibus fratribus Ordinis sancti patris nostri Antonii congregationis S. Isaiae provinciae N.*, vel *monasterii N.*, *salutem in Domino et benedictionem. Notum facimus vobis, fratres, congregationem hegumenorum habitam die N., mense N., anno N., communi consilio elegisse reverendum patrem N. in abbatem vestrum proprium et peculiarem, qui carne et*

*spiritu vos gubernet iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam; quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, ut eidem secundum nostrae congregationis regulam pareatis, eumque abbatem seu patrem nostrum appelletis, ipsique veluti legitime praeposito vestro debitam obedientiam, honorem atque reverentiam exhibeatis. Si quis illi subesse noluerit, noverit se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in monasterio N. die N. mense N. anno N. — Congregatio hegumenorum. — Sigillum † generalis et hegumenorum.* Cum dictae litterae ad monasterium venerint, unus ex fratribus, reliquis audientibus, in ecclesiâ vel refectorio, abbate electo praesente, illas legat: finitâque lectione, continuo abbati electo vel confirmato, omnes genuflectant; abbas vero iis benedicat, dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater et Filius † et Spiritus Sanctus.* Et respondent, *Amen.* Et surgunt, eiusque manum osculantur. Abbas suae electionis patentes litteras apud se custodiat; cumque statuto tempore exauctoratus, vel confirmatus fuerit, abbati generali illas restituet. Secretarius autem monasterii eas de verbo ad verbum describat et in archivo reponat. Sequentibus sex diebus in congregatione hegumenorum de rebus ad universum ordinem spectantibus agetur.

v. Si vero congregatio hegumenorum non post congregationem generalem, sed praestitutis temporibus suis fiat, primo die de gravioribus negotiis agendum erit, postmodum reliqua definiantur.

vi. Terminatâ congregatione, describi curent a secretario acta omnia, electiones officialium et constitutiones, si quae factae fuerint; sigilloque et propriâ generalis atque hegumenorum subscriptione firmentur, et in archivo reponantur. Quae vero monachis significanda sunt, ea per encyclicas litteras a generali et hegumenis subscriptas significentur. Exemplum autem litterarum omnium, quae nomine congregationis huius mittentur, a secretario eiusdem congregationis descriptum maneat in libro regestorum, qui in congregatione generali tradatur novo abbati generali et novis hegumenis in archivo reponendus.

Cap. IV. De congregatione provinciae et monasteriorum.

i. Congregatio provinciae unoquoque anno per triduum celebretur ab abbate provinciae et abbatibus monasteriorum subiectorum; congregatio vero monasteriorum fit quolibet mense per unum diem ab abbate monasterii et monachis omnibus professis. Primam autem indicit abbas provinciae, alteram abbas monasterii: et illa quidem uno saltem mense ante constitutum diem significari debebit: haec vero tribus ante diebus.

ii. Quo mense facienda erit congregatio provinciae, praemittenda est opportuno tempore congregatio uniuscuiusque monasterii, ut in promptu habeat abbas, si quid ad eam congregationem referendum sit. Similiter quo anno celebrabitur congregatio generalis, opportune praemittatur congregatio provinciae.

iii. Congregationi provinciae, praeter abbates monasteriorum, intererit socius abbatis uniuscuiusque monasterii a congregatione monachorum eligendus. Eius autem electio fieri debet tribus saltem diebus antequam ad congregationem provinciae procedatur, ut sufficiens tempus habeat ad sumendum informationem de statu monasterii, deque querelis et causis monachorum: idem dicendum de socii abbatum ad congregationem generalem discessu. Omnia autem, quae socius congregationi generali vel provinciali nomine monachorum praesentabit, debent esse sub sigillo monasterii clausa et ab iis subscripta.

iv. In utrâque congregatione idem ordo servetur, de quo supra in congregatione hegumenorum dictum est num. iii et vi. Secretarius autem, aedituus et ianitor ab abbate eligantur; duo vero suffragiorum cognitores a monachis ad congregationem convocatis.

v. Agendum porro erit primo de rebus spiritualibus ad profectum monachorum spectantibus, inquirendumque in mores uniuscuiusque, si quid contra regulam, constitutiones et consuetudines peccetur; secundo de regimine superiorum et subiectorum

obedientiâ; tertio de temporalibus monasteriorum rebus.

VI. Abbate ad congregationem generalem eunte, aut vicarium mittente, adhuc celebretur congregatio monachorum de mense in mensem, cui ipse abbas vel eius vicarius praeerit: non tamen celebrari poterit congregatio provinciae, nisi de anno in annum, et ipso abbate praesente.

VII. Si abbas monasterii decesserit, vicarius mortem eius tam abbati provinciae, quam abbati generali statim significabit, et interim monasterium administrabit usque ad novi abbatis electionem et adventum. Quod si vicarius in illo monasterio non fuerit, tunc antiquior professione vicarius erit; et inter aequales professione, antiquior aetate praeferatur, et sacerdos non sacerdoti. Mortuo autem abbate provinciae, abbas illius monasterii, in quo residere solet, ad abbatem generalem litteras scribat: nemo tamen in eius officio se immiscebit, donec abbas generalis in congregatione hegumenorum de successore aut vicario decreverit.

Cap. V. De congregatione hebdomadali.

I. In qualibet hebdomadâ per omnia monasteria feriâ VI, aut aliâ die non impeditâ, debet fieri congregatio omnium monachorum.

II. Sedentibus omnibus, et novitiis, si qui erunt, stantibus, abbas seu vicarius aliquid ex libris spiritualibus legat vel legi faciat ad monachos.

III. Deinde (novitiis foras dimissis) idem abbas seu vicarius faciat brevem exhortationem contra defectus in monasterio occurrentes, nullam tamen personam nominando.

IV. Absolutâ exhortatione, abbas stans, reliquis genuflexis, dicat: *Deus misereatur nostri, et dimittat debita nostra, et tribuat nobis absolutionem et veniam omnium peccatorum nostrorum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus † Sancti.* Fratres, *Amen.* Et surgunt, eiusque manum deosculantur, et ad suas uniusquisque cellas abeunt.

Cap. VI. De electione in communi.

I. Ab electione tam activâ quam passivâ in quolibet officio Ordinis nostri, donec cum eo fuerit dispensatum specialiter, arcetur omnis excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, non professus, et qui non subest nostrae Congregationi, etiamsi fuerit monachus professus Ordinis sancti patris nostri Antonii: item qui ab Ordine nostro apostataverit, et qui ab illo ad alium Ordinem, etiam cum licentiâ superiorum, transivit, nec postea ad nostrum rediit: item, qui habet impedimentum naturale, ut fatuus, delirus, lunaticus: item qui est notorie infamis ob publicum delictum, ut est homicidium, fornicatio, furtum, periurium, ebrietas: item subornator, qui prece, pretio, minis, vel quocumque alio modo induxerit eos, qui in electione vocem activam habent, ut seipsum vel monachum aliquem determinatum eligant, singulatim eum nominando: item, qui per se ipsum vel alium procurat sibi dignitatem aliquam extra Ordinem: item, qui publice et scandalose Romano Pontifici, aut patriarchae vel Ordinario loci detraxerit, aut eorum canonicas sanctiones contempserit: denique, qui monachum notorie indignum sciens et prudens aliquando elegerit.

II. In iis impedimentis, quae ex iure canonico proveniunt, dispensatio petenda est a legitimo superiore (qualis est sanctissimus Romanus Pontifex, reverendissimus dominus patriarcha, et ordinarius loci episcopus respective). In aliis vero, quae ex nostris constitutionibus inducuntur, abbas generalis dispensare poterit, vel, eo absente, congregatio generalis.

III. Nemo eligi aut eligere poterit in abbatem generalem aut hegumenum sive in abbatem provinciae aut monasterii, nisi triginta annos saltem inchoatos aetatis habeat, et nisi sex annos in Congregatione nostrâ compleverit, includendo annos probationis.

IV. In congregationibus hegumenorum, provinciae et monasterii, ii tantum vocem activam habent, quorum mentio ibi fit. Vocem vero passivam in congregatione generali et hegumenorum habere possunt omnes monachi professi. In congregatione vero provinciae et monasteriorum ii tantum monachi, qui sunt illius provinciae et monasterii.

V. Nemo potest habere plures voces acti-

vas, etiamsi habeat plura in Ordine officia, sed unusquisque unam tantum vocem habeat.

vi. Omnis electio fiat per suffragia secreta.

vii. Ante electionem legantur constitutiones de officio eligendorum et de electione.

viii. Si suffragia fuerint aequalia, aut in diversas personas ita distrahantur, ut in nullum maior pars conveniat, id fiat quod supra, cap. ii, num. xii et xiii, dictum est.

Cap. VII. De visitatione.

i. Abbas generalis semel saltem in triennio visitet omnia monasteria Ordinis, et abbas provinciae semel quolibet anno monasteria sibi subiecta, ut dictum est part. iii, cap. iii, num. iii, et cap. v, num. ii.

ii. Si legitime fuerint impediti, substituent vicarium visitatorem, cui tempus et auctoritatem per suas litteras definiant, eique socium seu secretarium adiungent. Nulli autem vicario visitatori credatur, nisi litteras suae delegationis antea exhibuerit coram monachis in congregatione convocatis in eo monasterio quod visitandum erit. Eam vero monachorum congregationem abbas convocabit statim atque ei exhibitae fuerint litterae abbatis generalis, aut hegumenorum, aut abbatis provinciae. Si autem abbas fuerit absens, aut obedire noluerit, tunc ipse vicarius visitator eam convocabit. — Forma litterarum vicarii visitatoris : *Venerabilibus fratribus Ordinis sancti patris nostri Antonii congregationis S. Isaiae provinciae N.*, vel *monasterii N., salutem in Domino et benedictionem. Notum facimus vobis, fratres, nos elegisse reverendum patrem N. in vicarium nostrum, eique vices nostras commisisse, ut visitet vos et vestrum monasterium in temporalibus et spiritualibus, et inquirat in omnia ad vos dictumque monasterium spectantia, iuxta nostras consuetudines, constitutiones et regulam, cum facultate decernendi, quae decernenda esse urgens necessitas compulerit; alia vero ad nos deferendi; non tamen alium in locum suum substituendi, nec visitationem in quolibet monasterio ultra triduum prorogandi. Quocirca mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae, ut reverendum patrem N. tanquam vicarium visitatorem a nobis deputatum recipiatis, eique debitam reverentiam et obedientiam iuxta commissum ipsi officium exhibeatis. Si quis illi contradicere ausus fuerit, noverit se suorum votorum transgressorem fore. Benedictio sit super obedientes. Datum in monasterio N., die N., mense N., anno N. — Abbas generalis*, vel *hegumeni*, vel *abbas provinciae N. — Loco † sigilli.*

iii. Lectis in congregatione litteris, statim omnes genuflectent, excepto vicario visitatore; deinde surgentes deducunt illum in ecclesiam a dextris abbatis monasterii procedentem. Si abbas generalis aut abbas provinciae personaliter ad visitandum monasterium venerit, convocatâ ab abbate loci monachorum congregatione, significabit breviter ut praeparent se ad reddendam rationem, quam sequenti die exigere incipiet: deinde procedet unâ cum abbate monasterii et monachis ad ecclesiam, ut supra.

iv. Ante aram maximam omnibus ordinatim genuflexis, abbas seu vicarius visitator, item genuflexus, ad portam mediam orabit aliquantulum, deinde intonabit psalm. cxlviii *Laudate Dominum de caelis, etc.*, quem unâ cum duobus sequentibus psalmis monachi alternatim cantent [1]. Et dicto *Gloria Patri*, surgit abbas, seu vicarius visitator, et factâ ad altare reverentiâ, conversus ad monachos genuflexos, faciat absolutionem, dicens : *Deus misereatur vestri, et dimittat debita vestra, et tribuat vobis absolutionem et veniam omnium peccatorum vestrorum. In nomine Patris †, et Filii †, et Spiritus † Sancti.* Fratres, *Amen.* Et surgunt, eiusque manum ordinatim osculantur, et abeunt in cellas suas.

v. Visitator primum locum tenebit cum socio suo, qui secretarii munus geret, etiam ante abbatem monasterii. Cum autem officio suo functus fuerit, ipse et socius locum iuxta dignitatem suam vel antiquitatem professionis habebit.

vi. Primo visitationis die, cantatis divinis officiis, ac terminatâ per abbatem loci aut vicarium sacrâ liturgiâ, antequam detur a celebrante benedictio, omnibus monachis ordinatim genuflexis, visitator diligenter visitabit totam ecclesiam : ac primum aram

1 Edit. Main. legit *cantet* (r. t.).

maximam, ubi repositum est sanctissimum Eucharistiae sacramentum, deinde reliqua, si quae erunt, altaria, an omnia munda sint, et decenter ornata et composita. Qua visitatione absolutâ, reversus ad portam mediam, et factâ altari reverentiâ, dat benedictionem dicens: *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater †, et Filius †, et Spiritus † Sanctus.* Fratres, *Amen.* Visitator prosequitur hanc admonitionem: *Auctoritate Dei totiusque Ordinis nostri praecipio vobis in virtute sanctae obedientiae, ut, cum unusquisque vestrum de omnibus et singulis personis ac rebus ad hoc monasterium spectantibus interrogatus fuerit, debeat secundum conscientiam pure et veraciter revelare, secluso omni odio, favore et affectu: nec ullus vestrum extra monasterium discedere praesumat, sine expressâ nostrâ licentiâ.* Visitator, depositâ stolâ, in sacristiam vadit cum socio, abbate monasterii, et praefecto ecclesiae, seu sacrista, eamque diligenter visitat, considerando an munda et composita sint vasa sacra, vestes, libri, et omnia utensilia. Deinde procedit visitator cum socio ac abbate loci ad cellam ipsius abbatis, qui primo offert visitatori scripta nomina et officia singulorum monachorum et personarum, etiam saecularium qui monasterio inserviunt; secundo, librum regulae et constitutionum Ordinis; tertio, librum decretorum, quae alii visitatores ei monasterio reliquerunt; quarto, libros proventuum et expensarum monasterii et ecclesiae. Quibus peractis, visitator ad cellam sibi destinatam per ipsum abbatem loci, aut monachum ab eo designatum, advocabit singulos monachos, et inquisitionem inchoabit a iunioribus, et desinet in ipsum abbatem, qui de singulis ipsi reddet rationem. Quae autem a singulis monachis referuntur, per socium et secretarium visitationis in cartâ notabuntur, in quorum fine unusquisque nomen suum subscribat, vel, si scribere nescit, ipse secretarius eius nomen subscribat de ipsius mandato.

VII. Postridie visitator cum secretario lustrabit primo die cellas omnium fratrum; secundo alias monasterii mansiones, ut scholam, bibliothecam, hospitium, infirmariam, vestiariam, cellariam, coquinam et refectorium, praesentibus abbate loci, eoque monacho qui cellae illius curam habebit.

VIII. Tertio et postremo die, convocatâ totius monasterii congregatione in locum ad id paratum, visitator brevem adhortationem faciet ad procurandam regulae et constitutionum observantiam, et legi faciat per secretarium monita relicta monasterio, moneatque omnes et singulos ut se ad poenitentiam negligentiarum faciendam disponant. Tum genuflexis omnibus coram visitatore, culpas suas dicant ordinatim incipiendo ab abbate loci usque ad iuniorem monachum, et veniam petant a visitatore, qui singulis cum discretione et charitate poenam iniungat salutarem. Mox faciat absolutionem, dicens: *Deus misereatur vestri, etc.*, ut supra, n. IV: atque ita cum osculo pacis dimittat congregationem.

IX. Si ipse generalis aut abbas provinciae visitationem facit, utatur auctoritate suâ in correctione abbatis et monachorum: si vero fuerit vicarius, ad substituentem omnia referat. Non tamen abbatem loci deponere, aut ab officio suspendere poterit, nisi specialem facultatem habuerit a congregatione hegumenorum. Quod si necessitas requirat, ut monachum de illo monasterio in aliud transferat, id auctoritate suâ facere poterit, si generalis fuerit aut abbas provinciae: si vero delegatus fuerit, consentiente abbate loci, in quo est, et abbate monasterii, ad quod transferendus est monachus, id faciet; illis autem dissentientibus, rem ad delegantem referet.

X. Haec fere sunt de quibus visitator inquirere debet: an singuli debitam abbati obedientiam exhibeant; an abbas officio suo erga omnes aequaliter utatur; an inter omnes et singulos pax et concordia servetur; an sit aliquis proprietarius in monasterio vel scandalosus, ebriosus, otiosus, assuetus iurare vel turpia loqui, notatus de suspectâ familiaritate intra vel extra monasterium, cum scandalo alium non alloquens, rixosus, contumeliosus; an ab omnibus observentur regula et constitutiones quoad divinum officium, confessionem, communionem, ora-

tionem mentalem, ieiunium, refectorium, silentium, aliaque communitatis officia, et quomodo ritus et caeremoniae ecclesiasticae observentur; an aliquid desit vel superfluum sit in victu, potu, vestitu, et quomodo tractentur ab abbate tam monachi sani quam infirmi et hospites; quomodo monachi iuniores instruantur, et qui sint mores saecularium qui sunt in ministerio coenobii.

xi. Acta omnia a secretario excepta, sigilloque munita, in archivum Ordinis inferat, et si vicarius sive delegatus fuerit, ad abbatem generalem vel provinciae referat.

xii. Omnem operam adhibeat ut pacem et concordiam in monasterio relinquat.

PARS QUINTA.

Cap. I. De processu iudiciali.

Cum monachorum causae a superioribus iudicandae sint, communis ordo iudiciorum servetur:

i. Iudex secretarium praesentem habeat ab ipso aut a maiori superiore eligendum, qui examini adsit, et dicta examinandorum excipiat, et sententiam scribat.

ii. Iudicium introducendum erit vel per accusationem, vel per denunciationem, vel per diffamationem. Si per accusationem processus inchoëtur, certus esse debet accusator, et capita accusationis porrectae suâ manu subscribat: ante omnia autem examinandus accusator, an sit integrae famae, an moveatur aliquo odio, aut alio pravo affectu, an quae proponit habeant aliqua adminicula vel indicia veritatis, puta, quia accusatus aliàs in eodem genere peccati deliquerit, aut alio modo eius fama et existimatio laboret. Haec autem exactius observanda sunt, quando accusator procedit contra abbates: isti enim falsis delationibus et querelis maxime obnoxii sunt, et rursus, cum regiminis columina sint, non facile, neque ex levibus delationibus in periculum existimationis et famae vocandi sunt. Si per denunciationem procedatur, denunciator similiter certus sit, subscribere se debet denunciationis capitibus, sicut accusator, etsi ipse non tenetur processum prosequi et obiecta probare. Si autem per diffamationem procedatur, examinandum primo, an fama aut diffamatio a probis et honestis viris ortum habeat, eaque diffamatio non semel, sed saepius ad aures superiorum pervenerit.

iii. Post accusationem seu denunciationem seu diffamationem, iudex ad testium examinationem deveniat, a quibus exhibito de veritate dicendâ iuramento, vel facto iis de veritate dicendâ in virtute sanctae obedientiae praecepto, primo, si sint extranei, generaliter interrogabit super eorum qualitatibus; deinde super praedictis capitibus accusationis, annotetque diem, mensem et annum quo singuli testes fuerint examinati, et quaecumque deposuerint; demum curabit ut iidem testes manu propriâ subscribant suas depositiones, et si ipsi litteris [1] ignorant, apponant suâ manu figuram crucis, et alius ex ipsorum mandato subscribat eorumdem nomina, annotando se illorum iussu subscripsisse.

iv. His peractis, iudex accusatum seu denunciatum vel diffamatum citabit, eumque examinabit super praedictis, non semel, sed bis vel ter, cum intervallo tamen, ut, si contradictoria dixerit, possit ex suâ confessione redargui. Et si opus fuerit ad reum convincendum eumque ad veritatem dicendam inducendum, poterunt coram eo produci testes qui ipsum convincant.

v. Finito examine, dandum erit ipsi reo exemplar depositionum testium examinatorum, sine eorum nominibus, cum termino competenti ad faciendas suas defensiones. Et si delicta sibi obiecta non diluat, eaque sint probata sufficienter, vel per rei confessionem, aut per testes reus fuerit convictus, poterit praeviâ citatione ad sententiam deveniri, et reus in poenâ eius delicto debitâ condemnari. Si vero diluerit legitime, erit absolvendus aut declarandus innocens. Sin autem de eius innocentiâ non plene constiterit, debet absolvi, nihilominus appositâ clausulâ *ex hactenus deductis,* quia innocentia rei non fuit plene probata.

vi. Si abbas generalis, aut hegumeni, vel abbas provinciae commiserint alicui ut causam examinet et iudicium ferat, is de-

1 Aptius lege *litteras* (R. T.).

bet primo terminos facultatis suae non excedere, sed intra eos se continere; nimirum si examen tantummodo ipsi commissum fuerit, non debet sententiam ferre; secundo, confectum, ut supra, processum iudicialem, propriâque manu subscriptum et sigillo monasterii signatum, transmittat ad superiorem.

VII. Monachi omnes curare debent: primo, ut delinquentem charitative moneant, iuxta sanctum Evangelium, antequam accusetur vel denuncietur: secundo, ut, quantum fieri potest, evitent formam iudicii, multoque magis exceptiones quae dari solent vel possunt contra solemnitatem iuris in processu facto et sententiâ latâ. Nam institutum monasticum, quod assumpsere, docet eos non contendere iudicio, sed propriae voluntati renunciare, poenitentiam agere, et pro Domino pati.

VIII. Non debet in re levi vel ex merâ suspicione fieri accusatio aut denunciatio, sed in delicto gravi et certo, vel quasi certo. Item ab accusatione excluduntur ebriosi, detractores, iracundi, aut similibus vitiis laborantes, qui, prius frequenter moniti, emendati non fuerint. Et qui voce activâ et passivâ privati sunt, iidem non debent a iudice ad testimonium admitti, bene tamen ad informationem. Quando vero ex processu constiterit innocentia accusati, debet a iudice accusator in poenâ talionis condemnari.

IX. Si delictum, de quo quis accusatur, aut denunciatur, vel inquiritur, non fuerit publicum, curare debet iudex ne illud evulget, sed secretum servet, quantum fieri potest.

X. Qui poenitentiam sponte facere recusaverit, compelli poterit per censuras. Quod si istas proterve spreverit, acriora remedia adhibeantur, semper tamen habito respectu circumstantiae loci, temporis et personae.

Cap. II. De culpis et poenis. Cum constitutiones nostri Ordinis non obligent ad culpam, nisi propter contemptum et scandalum, sed solum obligent ad poenam transgressoribus infligendam; ideo dicendum nunc est de poenis, quae ad correptionem culparum imponuntur.

I. In primis superiores intelligant, sibi cum fratribus agendum in spiritu lenitatis, nec nisi causâ attente perspectâ, ad acriora remedia esse progrediendum. Quare plerumque praemittenda erit admonitio charitativa seu per se seu per alios, ita ut subditus doceatur, emendationem delictorum a superiore quaeri, non delinquentium ruinam.

II. Intelligant pariter subditi, eâdem piâ animi praeparatione sibi suscipienda esse ista charitatis remedia, cum qua a superiore illa applicari iustum est credere, cum magno scilicet desiderio proprii profectus et emendationis; neque dandum locum diabolo suggerenti futiles querelas adversus superiores, aut secum ipsis, aut, quod omnino cavendum est, cum aliis, praesertim externis, etiamsi contingat poenitentias iniungi insontibus ex falsâ, ut aliquando accidere necesse est, delatione et errore.

III. Praeterea superiores frequenter recogitent, se de suis subditis rationem Deo reddituros, ac proinde diligenter serioque caveant ne ex propriâ indulgentiâ et remissione regularis disciplina laxetur, dum nimirum subditi, impunitatem sibi ex superioris conniventiâ pollicentes, quodlibet audere paulatim assuescunt. Quamobrem caute circumspecteque attendant ne quis contra constitutiones abusus quovis praetextu inducatur, noverintque ex parvis transgressionibus magnam quandoque ruinam disciplinae regulari imminere, idque, si ipsorum vitio contingat, gravissimae ipsos noxae reos fore.

IV. In poenis iniungendis superiores haec praecipue observent. Primum, ut, auctâ gravitate culpae ex gravitate circumstantiarum, poena pariter augeatur: et in iis quidem monasteriis, in quibus est frequentior monachorum numerus, ad mensam communem, ex schedulâ a superiore vel eius vicario scribendâ, legatur culpa et poena, indicato etiam nomine delinquentis, ad communem aedificationem, nisi forte ipse reus eodem in loco ex suâ devotione velit se ipsum simili modo accusare: quod etiam superior, cum id expedire in Domino iudicaverit, in-

iungere poterit. Secundum, ut poena gravior et gravissima nonnisi cum maturiori consilio patrum seniorum ab abbate infligatur, eaque in scriptis, et postquam de culpâ constiterit per confessionem rei, vel per competentia testimonia; et, si id rei gravitas exposcat, abbatis etiam generalis sententia rogetur. Tertium, ut fratribus provectae aetatis, quoad aliquas poenas aetati minime convenientes, abbas ita dispenset, ut alias simul magis congruentes iniungat: in graviori vero et gravissimâ culpâ, taxatam in constitutionibus poenam nullâtenus mutet, nisi causa commutandi sit legitime probata coram abbate generali. Quartum, ut abbas, dum alicuius culpam redarguit, aut poenam ei iniungit, caveat summopere, ne id ex irâ aut odio aut vehementi animi perturbatione faciat, multoque minus ne iniuriosis verbis aut contumeliis sive imprecationibus reum excipiat: quod si id fecerit, a seniore monasterii moneatur semel, bis, tertio; sique emendatus non fuerit, ad abbatem generalem deferatur, qui ei debitam culpae poenam omnino iniungat.

v. Si quis ex fratribus iniunctam sibi poenitentiam ex proterviâ aut aliâ animi perturbatione subire detrectaverit, in cellam includi reum iubeat abbas; et postea mittat ad eum seniores patres, qui illum moneant ad poenitentiam et inducant ad obedientiam: quam si fecerit, bene erit; si autem adhuc in contumaciâ perseveraverit, triduo illum includi in cellâ iubebit, et pane tantum et aquâ vesci. Idque cum culpa, ob quam poena iniungitur, non sit gravior aut gravissima: nam in eo casu augenda erit poenitentia iuxta qualitatem delicti, quemadmodum infra dicetur cap. xiv, num. i.

vi. Cum culpae aliae sint leves, aliae graves, graviores et gravissimae, debet abbas poenitentias iuxta culparum qualitatem iniungere, ut infra praescribitur. Poenas vero commutare, et pro gravibus leves iniungere, aut viceversâ pro levibus graves imponere, non poterit sine consilio et congregatione monachorum. Quae autem hîc taxatae non sunt poenae, cum consilio eorumdem monachorum in Domino taxabit.

Cap. III. De levi culpâ et poenâ.

Levium culparum non est numerus. Ex his autem, quae hîc apponuntur, de ceteris iudicare pronum erit. Levis culpa est:

i. Si quis ad inchoationem officii, vel congregationis, vel collationis spiritualis non adfuerit;

ii. Si quis aliquid dixerit vel fecerit, unde fratres offendantur;

iii. Si quis quidpiam utensilium ex desidiâ fregerit aut perdiderit, vel cibi potusve aliquid effuderit;

iv. Si quis communi refectioni non interfuerit;

v. Si quis constitutis horis silentium fregerit;

vi. Si quis pro victu, aut vestimentis, aut aliâ re murmuraverit;

vii. Si quis eorum, qui communibus officiis deputati sunt, munus suum in re aliquâ neglexerit;

viii. Si quis potum vel cibum sine licentiâ sumpserit;

ix. Si officio in tabulâ assignato defuerit;

x. Si quis in caeremoniis missae divinorumque officiorum minus decenter se gesserit, aut aliquid omiserit, vel de suo addiderit;

xi. Si quis oculos vagos ad vanitatem direxerit;

xii. Si quis strepitum in cellâ, vel monasterio, aut ecclesiâ, sonitumque fecerit.

Quicumque in praefatos et similes defectus inciderit, et de illis proclamatus fuerit, vel ipse se sponte proclamaverit, vel aliunde hoc ipsum constiterit, abbas iniungat peccanti unum psalmum, vel aliquot orationes dominicas, vel psalmos seu genuflexiones in refectorio aut ecclesiâ, iuxta modum quo excessit, et qualitatem personae.

Cap. IV. De gravi culpâ et poenâ.

Gravem culpam censemus:

i. Si quis frater cum fratre vel externo, intus vel foris, rixas habuerit, si quis fratri vel saeculari contumeliam dixerit, vel minas et maledicta in eosdem protulerit;

ii. Si quis inter fratres discordiam, dicta unius alteri referendo, vel alio modo, seminaverit;

iii. Si quis iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere, ad risum alios ineptis gar-

ritionibus provocare, silentium frangere, cum offensione prasertim fraternâ, in consuetudinem duxerit ;

iv. Si quis cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis loci, temporis et personarum, suspicionem aliquam vitii ingesserit aut ingerere potuisse iure praesumptus fuerit ;

v. Si quis dormierit sine tunicâ et cucullo;

vi. Si quis exiverit sine socio assignato, aut illum mutaverit, aut extra monasterium reliquerit, vel solus sine licentiâ iverit, vel horâ, qua in monasterium redire debet, non redierit ;

vii. Si quis ex cellâ egrediatur et per monasterium vagetur tempore dormitionis ;

viii. Si quis medicinam sumpserit aut sanguinis minutionem fecerit sine licentiâ;

ix. Si quis culpam praeteritam fratri, pro qua satisfecerit, improperaverit ;

x. Si quis ieiunium ab Ordine praescriptum fregerit ;

xi. Si quis missam, confessionem, communionem, aut officium divinum in choro sine licentiâ omiserit.

Pro supradictis et similibus culpis iniungatur ieiunium, et strictum silentium per aliquod tempus, genuflexiones et prostrationes tempore refectionis communis, aut in ecclesiâ, psalmi etiam et orationes aliquot dominicae, secundum discretionem abbatis.

Cap. V. De graviori culpâ et poenâ.

Gravior culpa est :

i. Si quis ieiunia Ecclesiae violaverit ;

ii. Si quis peccatum mortale manifeste commiserit contra praecepta Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissimâ culpâ sermo erit ;

iii. Si quis sciens et volens sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit a iure vel ab homine latam, tam a praelato ecclesiastico, quam a superiore religioso, exceptis item casibus, in quibus, ob gravissimam culpam, excommunicatio vel suspensio infligitur ;

iv. Si quis sciens se esse excommunicatum aut suspensum, ut supra, celebraverit, vel in suis ordinibus ministraverit ;

v. Si quis calumniam in fratrem struxerit, sive in iudicio, sive privatim ;

vi. Si quis per fas aut nefas procuraverit ut ipse vel alter eximatur a potestate superioris tam monasterii quam provinciae aut abbatis generalis;

vii. Si quis per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens suo superiori fuerit, vel cum eo intus aut foris contenderit;

viii. Si quis secreta congregationum generalis, hegumenorum, provinciae et monasteriorum, aliis monachis sive professis, sive novitiis, vel etiam externis temere revelaverit ;

ix. Si quis decretis congregationum antedictarum se se opposuerit, aut superiori, praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae, contradixerit ;

x. Si quis praelato ecclesiastico aut principi saeculari, in eis quae ad illos spectant, inobediens et contumax extiterit.

Pro huiusmodi et similibus culpis iniungantur ieiunia ; item assignetur ultimus locus, prostratio ante fores templi vel refectorii vel chori, dum fratres intrant, seiunctio aut sequestratio a fratribus, ita ut nullus fratrum audeat se illi coniungere vel aliquod ei mittere, nec vocetur ad aliquod officium in ecclesiâ vel in choro ; mensa ponatur eidem sequestrata, ne cum aliis commisceatur ; demum privatio vocis activae et passivae in strictâ formâ ad aliquos annos iniungatur. Ex praedictis autem poenis superior, cum consilio seniorum patrum, plura vel pauciora, longius vel brevius, iuxta culpam, poenitenti imponat.

Cap. VI. De gravissimâ culpâ et poenâ.

Gravissima culpa est :

i. Si quis haeresim aut schisma contra unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam secutus fuerit, aut a fide christianâ defecerit ;

ii. Si ab Ordine nostro post professionem apostataverit, dimisso vel retento habitu ;

iii. Si quis proprietarius fuerit in pecuniâ, libris, vestibus, aut re aliâ magni momenti, tam recipiendo quam dando, vel alienando ;

iv. Si quis graviter fratrem vel extraneum quemcumque percusserit, et leviter etiam superiorem, idque irato animo ;

v. Si quis sigillum confessionis fregerit ;

VI. Si quis litteras nomine abbatis generalis, hegumenorum, abbatis provinciae vel monasterii, aut monachi alicuius vel monachorum confinxerit, sive eas sigillo officii aut dignitatis vel personae firmaverit, sive non; item qui litteras ad abbatem generalem aut hegumenos directas interceperit, aut aperuerit et legerit;

VII. Si quis beneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut quamcumque aliam diaboli invocationem exercuerit;

VIII. Si quis publicum scandalum vel infamiam gravem Ordini fecerit per manifestum lapsum carnis, cuiuscumque speciei sit;

IX. Si quis maligne conspirationem in superiorem suum machinatus fuerit;

X. Si quis machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis attentaverit;

XI. Si quis a superiorum sententiâ ad tribunalia saecularia appellare aut confugere ausus fuerit; quod si ab abbate gravari se praetenderit, ad abbatem generalem aut ad congregationem hegumenorum vel ad congregationem generalem recurrat; et si adhuc ab his praetenderit se gravari, recurrere poterit ad patriarcham, aut Romanum Pontificem;

XII. Si quis ordinem aliquem ecclesiasticum sine superiorum licentiâ ab episcopo acceperit, aut sine licentiâ episcopi ordinarii ausus fuerit ad saeculares concionari, eorum confessiones audire, a casibus Ordinario reservatis sciens et volens illos absolvere, aut sacramenta baptismi, extremae unctionis vel matrimonii administrare, uno verbo ministeria parochi obire.

Pro talibus criminibus, cum consilio fratrum seniorum, praeter poenas gravioris culpae, reus privetur cucullo et coronâ, et in cellam tamquam in carcerem detrudatur, ab omnium fratrum consortio seiunctus ad aliquos menses. Ne tamen huiusmodi poenitens propter impatientiam suam in desperationem praeceps ruat, mittat ad eum quandoque superior patres seniores, qui illum blandis verbis commoneant ad poenitentiam, et provocent ad patientiam: foveant per consolationem et inducant ad emendationem. Recogitet autem abbas, qualem Deo sit ipse redditurus rationem, si forte suâ impatientiâ et imprudenti severitate fratrem perdat pro quo Christus mortuus est. Memineritque sanctum patrem nostrum Antonium solitum fuisse dicere: « Fratrem in aquas lapsum, erigendum esse, non ad naufragium impellendum ».

I. Quaecumque de levi, gravi, graviori et gravissimâ culpâ et poenâ dicta sunt, ea de superioribus respective intelliguntur, ita ut delinquentem abbatem monasterii abbas generalis puniat, hunc congregatio generalis: idque intelligendum de poenis suspensionis ab officio, depositionis et privationis vocis, loci et coronae, de quibus infra sermo erit. Cap. VII. De culpis et poenis superiorum.

II. Levis culpa abbatis est, si cellas monachorum et officinas per se vel per vicarium visitavere neglexerit; si ad divinum officium et ad communem refectionem sine causâ aliquoties non venerit; si e monasterio sine necessitate exierit; si caeremonias ecclesiasticas minus decenter exercuerit; si quid dixerit vel fecerit, unde fratres offendantur; si in cibo, potu et vestimentis fratres cum indebitâ parsimoniâ tractaverit; si erga aliquem fratrem plus favoris vel asperitatis exhibuerit; si quid poculentorum vel esculentorum, in re tamen parvi momenti, extraneis dederit sine causâ legitimâ. Pro huiusmodi defectibus ab abbate maiore corripiatur, et psalmi vel aliquot orationes dominicae seu genuflexiones ei iungantur.

III. Gravis culpa est, si fratri vel externo verba iniuriosa dixerit, maledicta et imprecationes pronunciaverit; si discordias inter fratres seminaverit; si iurare, mentiri, turpia vel scurrilia dicere frequenter deprehensus fuerit; si saecularium domos sine necessitate frequentaverit; si cum feminis aut pueris colloquendo, attentis circumstantiis, suspicionem aliquam vitii ingesserit; si dormierit sine tunicâ et cucullo; si medicinam sine licentiâ medici sumpserit; si culpam praeteritam, pro qua satisfactum sit, alicui exprobaverit; si sine socio extra monasterium iverit; si ieiunium ab Ordine praescriptum fregerit; si missam, divinum

officium in choro sine causâ omiserit; si absque eorum culpâ officiales ab officiis maligne removerit. Pro huiusmodi culpis iniungatur ieiunium per aliquot dies: item psalmi aliquot et orationes dominicae et genuflexiones.

IV. Gravior culpa est, si peccatum mortale manifeste commiserit contra praeceptum Dei vel Ecclesiae, praeter casus infra recensendos, cum de gravissimâ culpâ sermo erit; si sciens et volens sententiam excommunicationis aut suspensionis incurrerit; si sciens se esse excommunicatum vel suspensum, celebraverit, vel in suis ordinibus ministraverit; si rationem dati et accepti in libro describere neglexerit; si quem novitium admiserit non praevio examine; si nomina novitiorum et professorum non descripserit; si abbati generali aut abbati provinciae de statu sui monasterii aut provinciae non scripserit, ut supra suo loco dictum est; si monachum de suo monasterio in aliud sine causâ et sine congregatione monachorum miserit; si calumniam in fratres struxerit; si procuraverit ut ipse vel alter eximatur a potestate superioris, aut in officio confirmetur; si per contumaciam vel manifestam rebellionem inobediens superiori fuerit, vel cum eo contenderit; si secreta congregationum revelaverit; si decretis congregationum vel abbatis generalis sese opposuerit; si superiori praecipienti aliquid in virtute sanctae obedientiae non obedierit; si quid parvi momenti in virtute sanctae obedientiae fratribus praecipere consueverit; si praelato ecclesiastico aut principi saeculari in eis, quae ad illos spectant, contradicere culpabiliter, ac temere praesumpserit; si fratribus propriae conscientiae rationem iuxta morem reddentibus, secretum non servaverit. Pro similibus culpis iniungatur ieiunium per plures dies, item psalmi plures, et orationes dominicae, et genuflectiones; aut demum ab officio suspendatur vel removeatur, ex consilio congregationis hegumenorum.

V. Gravissima culpa est, si haereticus aut schismaticus fuerit, aut a christianâ religione defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, et leviter etiam superiorem; si absque superioris licentiâ fabricam magni momenti praeceperit; si munus a fratre acceperit ut ei officium aliquod committat; si bona mobilia aut immobilia monasterii sine congregatione monachorum aut abbatis generalis, aut eorum, ad quos spectat, licentiâ, alienaverit; si monachum propriâ auctoritate e monasterio eiecerit sine licentiâ abbatis generalis; si sciens et volens novitium impedimentum aliquod habentem admiserit, nec facultatem habuerit vel a legitimo superiore obtinuerit; si sigillum confessionis fregerit; si litteras nomine abbatis generalis vel hegumenorum vel congregationis generalis confinxerit, aut nomine monachorum; si litteras ad superiores directas interceperit, vel aperuerit et legerit; si veneficium, incantationem, sortilegium, necromantiam, aut alias huiusmodi diabolicas artes exercuerit; si legitime convictus fuerit peccatum carnis admisisse; si conspirationem in abbatem generalem molitus fuerit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis attentaverit; si a superiorum sententiâ ad tribunal saecularium appellaverit; si sine licentiâ abbatis generalis ordinem aliquem ecclesiasticum acceperit, aut sine licentiâ episcopi ordinarii ausus fuerit concionari ad saeculares, eorumque confessiones audire, aut reliqua facere, quae facultatem Ordinarii requirunt. Pro talibus criminibus, ex consilio congregationis hegumenorum, praeter poenas gravioris culpae, reus in cellam ad aliquos menses, tamquam in carcerem detrudatur; praeterea voce activâ et passivâ per quinquennium privetur. Si vero apostata fuerit vel homicida, aut proprietarius, eam poenam subibit quae infra describetur. Eamdem apostatarum poenam luent, qui a sanctâ catholicâ fide ad haeresim, vel schisma, vel infidelium sectam defecerint.

Cap. VIII. De percussoribus.

I. Si quis fratrum vel abbatum animo irato percussionem alicui comminatus fuerit, poenam gravioris culpae per hebdomadam sustinere cogatur; si vero aliquem fratrem aut extraneum manu percusserit,

eamdem poenam luat per quindecim dies, nisi gravis laesio fuerit; si vero percusserit ligno aut lapide, vel aliâ re, sine gravi laesione, per mensem eidem graviori poenae subiaceat.

II. Propter gravem autem laesionem fratris vel extranei, sive manu, sive quacumque aliâ re percussio fuerit, vel levem etiam laesionem superiori factam, percussor poenam gravissimae culpae per duos menses sustineat, et utrâque voce per triennium careat, a solo abbate generali absolvendus.

III. Si vulnus lethale inferatur, mors tamen non sequatur, eamdem poenam gravissimae culpae per sex menses absque ullâ dispensatione sustineat, et per quinquennium voce careat. Si autem (quod Deus avertat) usque ad homicidium aliquis prolaberetur, talis omnino sine ullâ dispensatione puniatur poenis gravissimae culpae per decennium, et utrâque voce perpetuo careat.

IV. Tantum vero praedictis poenis addatur, quantum abbati de consilio patrum seniorum visum fuerit expedire, attentâ qualitate personae percutientis, percussae, percussionis, et scandali magnitudine.

V. Frequentans hoc vitium, etiam levi percussione, ad nullum officium eligibilis censeatur.

VI. Percussores superiorum, praeter expressas poenas, voce utrâque perpetuo careant cum suis complicibus et fautoribus.

Cap. IX. De proprietariis.

I. Qui cibum, potum, aut alia parvi momenti sine licentiâ superioris receperit, primâ vice charitative moneatur a superiore; pro secundâ gravius reprehendatur; deinceps vero poenâ graviori puniatur pro arbitrio abbatis.

II. Si pecuniam aut aliquam rem magni momenti sine licentiâ a quocumque habuerit vel alienaverit, non debet a confessario absolvi, nisi prius ipse poenitens illud superiori praesentaverit, aut alienatum, si possibile fuerit, recuperaverit. Deinde, si peccatum proprietatis publicum fuerit, aut a superiore per indicia vel testes deprehensum, proprietarius, praeter privationem vocis activae et passivae, per mensem gravioris culpae poenam luat, quae augeri et minui poterit iuxta qualitatem delicti et quantitatem materiae. Debet autem a congregatione generali determinari quantitas materiae sufficientis ad culpam gravem proprietatis, ut dicatur res magni momenti quae recipitur vel alienatur, et propter quam incurritur in casum reservatum et in poenam graviorem, atque eadem notificari.

III. Si post mortem proprietarius quis inventus fuerit, sive subditus, sive abbas, nec in infirmitate peccatum confessus fuerit deque eo doluerit, sacrificium aut aliquod officium pro ipsius animâ non fiet, et sepulturâ ecclesiasticâ privetur, idque cum consilio patrum seniorum, nisi forsan ex tali poenâ scandalum saecularibus generaretur.

IV. Surripientes aliquid tam ex monasterio, quam ex cellâ fratrum, et ab externis, praeter infamiam, duplicatâ poenâ proprietariorum puniantur.

V. Qui non revelat pecunias aut bona mobilia seu immobilia acquisita a se vel ab aliis fratribus, inter proprietarios recenseatur et poenâ proprietariorum plectetur. Eamdem culpam et poenam incurret abbas, qui bona monasterii in loco abscondito ponit sine duorum saltem fratrum notitiâ.

Cap. X. De apostatis.

I. Monachus quicumque, si post professionem habitum sponte dimiserit, aut retento habitu, sed inconsulto superiore, monasterium deseruerit, cum magnâ charitate et prudentiâ a superiore requiratur: qui proinde per se vel per alios omnes operam impendat ut ovem errantem ad ovile quamprimum reducat: redeuntem cum omni charitate et paterni amoris significatione recipiat: et antequam ad poenas poenitenti iniungendas procedat, eumdem doceat per se vel per aliquem ex patribus senioribus, non eas imponi ad ipsius poenitentis destructionem, sed ad aedificationem et salutem. Cum autem ad suscipiendam correptionem illius animum bene praeparatum fuisse compererit, sequentes poenitentias eidem iniungat cum consilio patrum seniorum. Primo ad praelationem per quinquennium inhabilis fiat, et voce tum activâ tum passivâ pri-

vetur, et primo anno ultimum locum teneat: et per mensem integrum coronâ et cucullo privetur, si habitum dimisisset; secus, si eum retinuisset: si vero laicus aut clericus in minoribus ordinibus constitutus esset, per quinquennium novissimus sedeat, et voce activâ et passivâ privetur, perque mensem cucullo privetur, si habitum dimisisset. Secundo, per aliquot menses in cellam includatur, et ieiunet in pane et aquâ. Tertio, per unam hebdomadam, postquam e cellâ egressus et ad consortium fratrum admissus fuerit, sequestratum locum habeat in ecclesiâ, in choro et in mensâ.

II. Si secundo vel tertio apostataverit, poenae suprapositae ei multiplicentur ex consilio patrum seniorum. Quod si cum scandalo, relicto Ordine, inhoneste vixerit, aut diutius extra Ordinem permanserit, poena illi augeatur iuxta qualitatem scandali, delictorum et morae diuturnitatem. De quo vero non constat, quod habitum dimiserit, aut ex Ordine fugerit, sed tantum vagus intra vel extra provinciam, praetextu adeundi superiorem, in habitu circumierit, is poenas gravioris culpae sustineat, iuxta moram vagationis et qualitatem delictorum; tamen, ut superior prudenter prospiciat, quid attento praesenti statu poenitentis in Domino expediat, adhibito etiam seniorum patrum consilio, ne remedia, quae in salutem infirmorum fratrum excogitata sunt, in eorum ruinam et exitium vertantur.

III. Apostata ab Ordine monastico, vel fugitivus, sive monachus fuerit sive abbas, a nullo absolvi potest, nec in monasterium recipi, praeterquam ab abbate generali: ad quem proinde remittendus erit reus, vel saltem scribendum. Cum autem abbas generalis facultatem suam abbati monasterii commiserit, tunc, convocatâ monachorum congregatione, genuflexus reus humiliter culpam suam dicat, et abbas intonat psalmum LI *Miserere mei Deus*, quem fratres alternatim prosequuntur. Dictoque *Gloria Patri*, abbas illum absolvit, dicens: *Deus misereatur tui et dimittat debita tua, et ego, auctoritate ipsius et reverendissimi patris nostri N. abbatis generalis, absolvo te a vinculo excommunicationis, in quam propter apostasiam vel fugam ex Ordine incurristi, et restituo te communioni et unioni fidelium, et participationi sanctorum Ecclesiae sacramentorum. In nomine Patris † et Filii † et Spiritus Sancti. Amen.* Sed si fuerit abbas generalis, dicat: *Deus misereatur tui, et ego auctoritate ipsius absolvo te, etc.* Tunc iniungat ei poenitentiam, ut supra.

IV. Tempus apostasiae vel fugae non computatur monacho inter annos monachatûs.

V. Idem dicendum de apostasiâ a fide christianâ vel catholicâ ad haeresim, schisma aut infidelium sectam, quod dictum est de apostasiâ a professione monasticâ: ab eo tamen casu absolvi nequit nisi ab Ordinario competente.

I. Solus abbas generalis potest poenam excommunicationis infligere monachis. Id tamen raro admodum fiat et ex urgentissimâ necessitate. Et primo quidem ex consilio et deliberatione congregationis hegumenorum; Cap. XI. De excommunicatione.

II. Ob unam ex culpis gravissimis, quae supra cap. VI et VII recensentur;

III. Post factum canonice processum, et praemissâ trinâ monitione canonicâ cum certis intervallis, ut puta unius, vel plurium dierum, aut etiam horarum, si periculum sit in morâ.

IV. Affigenda erit sententia excommunicationis cellae eius, qui excommunicatur, aut legenda in congregatione monachorum sive excommunicatus praesens, sive absens fuerit.

V. Vulgandum erit eius nomen omnibus illius monasterii et provinciae monachis, ut ab omnibus devitetur. Sententia vero excommunicationis concipietur in hunc modum: *Ego N. abbas generalis, habitâ hegumenorum NN. NN. congregatione, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, auctoritate Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et exigente contumaciâ patris NN. ob tale delictum* (quod debet omnino exprimi), *ipsum excommunico, et pro excommunicato haberi declaro; et tamdiu ipsum vitandum denuncio, donec adimpleverit quod mandatur.* Si abbas monasterii vel visitator

ex commissione abbatis generalis sententiam excommunicationis pronunciet, dicat: *Ego N. abbas monasterii N.*, vel *visitator monasterii* aut *provinciae N.*, *specialiter ab abbate generali et hegumenis deputatus, per hanc sententiam, quam in scriptis pronuncio, etc.* Cum erit absolvendus, utatur abbas formulâ, quae supra descripta est cap. x.

vi. Omnis excommunicatus quacumque excommunicatione, sive a canone sive ab homine, tam a praelato ecclesiastico quam ab abbate generali, non ingrediatur ecclesiam vel chorum, neque ad communem cum fratribus mensam admittatur. Neque officio ullo aut dignitate fungatur in monasterio, neque vocem activam aut passivam habeat in electionibus. Quinimo, quamdiu sic steterit, ab omnibus evitetur, donec resipiscat, et a legitimo superiore absolvatur, postquam id, quod praeceptum est, adimpleverit.

Cap. XII. De privatione vocis, loci, cuculli et coronae.

i. Qui privatur voce passivâ, per hoc redditur inhabilis ad maiora officia in nostro Ordine; minora tamen potest exercere, ut sunt infirmarii, ianitoris, coqui et similia. Privatus autem voce activâ non potest suffragium ferre in aliquâ electione aut congregatione, neque potest fieri accusator, aut testis adversus fratrem: potest tamen assumi secreto pro aliquâ informatione rei necessariae. Privatus voce omnimodâ nullum fratrem poterit alloqui, nisi prius a superiore licentiâ petitâ pro aliquâ re necessariâ.

ii. Nullus abbas audeat fratrem privare voce, nisi in casibus supra positis; idque adhibito consilio et consensu fratrum seniorum.

iii. Privatus loco, ultimum locum occupet in choro, ecclesiâ et refectorio: sacerdos quidem inter sacerdotes, diaconus inter diaconos, et sic deinceps.

iv. Qui poenâ erit maiori dignus quam sit privatio loci aut vocis propter suam protervian et pravissimam culpam, poterit cucullo et coronâ privari, et ad obsequia infima[1] in monasterio destinari, ut dictum est supra, cap. v, vi, vii, viii et x.

1 Ed. Main. legit *infirma* pro *infima* (R. T.).

Cap. XIII. De suspensione et depositione ab officio.

i. Abbas, qui suspenditur ab officio, per hoc inhabilis redditur ad illud exercendum, et insuper utrâque voce carebit. Si vero proterve officium exercuerit, procedi debet ad depositionem, et inhabilis redditur per quinquennium in[1] omne officium, et utrâque voce per integrum annum carebit.

ii. Qui deponitur ab officio, per hoc privatur non solum eo officio, quod statim alteri committi debet; sed etiam voce activâ et passivâ per annum carebit.

iii. Solus abbas generalis cum congregatione hegumenorum suspendere potest aut deponere hegumenum et abbatem provinciae ac monasterii. Abbatem vero generalem suspendere ac deponere non potest nisi congregatio generalis.

iv. Qui praeter abbatem generalem, hegumenos et abbates provinciae vel monasteriorum ab officio suspenduntur vel deponuntur, non idcirco voce privabuntur, nisi in culpam graviorem et gravissimam incidissent.

v. Nemo ex abbatibus suspendi aut deponi debet, nisi ob culpam de qua supra.

vi. Si acciderit aliquod ex peccatis (avertat id Deus) quae sufficiunt ad abbatem generalem ab officio suspendendum vel privandum, simul atque per testimonia sufficientia, vel ipsius confessionem, aut facti notorietatem constiterit, quatuor hegumeni unâ congregati, rem, donec veritas elucescat, secretam tenentes, congregationem generalem abbatum provinciarum et monasteriorum, litteris omnium subscriptione signatis, convocabunt, ut dictum est supra, part. iii cap. iv, num. ii. Si vero res divulgata et manifesta esset, non expectatâ hegumenorum convocatione, abbates locorum et provinciarum alii alios vocando conveniant. Et primum audiantur accusatores, deinde reus; nisi res notoria esset, reo foras dimisso, primus hegumenorum cum antiquiore abbate et cum secretario ad hanc causam electo, de toto negotio scrutinium faciet. Et primo quaeratur an constet de peccato, quod obiicitur; secundo an huiusmodi sit,

1 Videtur legendum *ad* (R. T.).

ut propter illud ab officio suspendi aut deponi debeat. Et idem suffragia promulget, quae, ut sufficiant, duas tertias partes excedent; et tunc statim de alio eligendo agatur; et, si fieri potest, non prius inde egrediantur, quam electionem perfecerint. In qua re duo animadvertenda sunt. Primum, ut, si defectus ad suspensionem aut depositionem sufficientes non deprehenderentur, aliis de rebus agatur, propter quas convocata congregatio videatur, et quod ad abbatem generalem attinet, dissimuletur, imo vero nullo tempore divulgari debet: et sic, cum abbates convocantur, praemonendi sunt de secreto. Secundum, si constitutum fuerit illum ab officio suspendere aut deponere, tunc etiam cum eodem abbate generali secreto agendum est, ut ipsemet se officio abdicet, ut, cum hoc promulgatum fuerit, peccatum et officii propter peccatum privatio occultetur. Si autem defectus non fuerit eiusmodi, ut privandus officio suo non sit, sed tantum corrigendus videretur, quinque eligentur, quibus cura iniungatur considerandi, quae correctio ei conveniat, et ipse omnino obedire congregationi generali teneatur.

vii. Crimina, ob quae abbas generalis suspendi vel deponi ab officio potest, sunt haec: si haereticus fuerit aut schismaticus aut a Christi fide ad sectam infidelium defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si graviter fratrem vel extraneum percusserit, aut homicidium commiserit; si fabricam magni momenti praeceperit, aut bona religionis alienaverit, aut novum monasterium acceperit vel fundaverit, aut vetus deseruerit, inconsultâ congregatione hegumenorum; si novitium contrà constitutiones Ordinis receperit habentem impedimenta, a quibus ipse dispensandi non habet facultatem; si sigillum confessionis fregerit; si litteras ad congregationem generalem vel hegumenorum directas interceperit et occultaverit, aut aperuerit legeritque; si veneficium, sortilegium et quid simile exercuerit; si peccatum carnis admiserit; si munera a fratre acceperit, ut ei officium aliquod daret; si muneribus, dolo, vi aut arte qualibet officium sibi ipsi aut aliis dari aut confirmari procuraverit; si machinationes et schismata ad destructionem vel divisionem Ordinis fecerit; si a sententiâ congregationis generalis aut hegumenorum ad tribunal saecularium appellaverit vel confugerit. Si sine licentiâ Ordinarii ea sacramenta administraverit, quae expressam licentiam requirunt; si vero infirmo corpore et adversâ valetudine fuerit, ita ut regimine vacare non possit, non debet deponi, sed ei a congregatione hegumenorum vicarius substituatur, donec commissi regiminis triennium compleatur.

viii. Si quis hegumenorum in unum ex supra enumeratis criminibus inciderit, debet ab abbate generali et reliquis hegumenis deponi.

Cap. XIV. De poena eiectionis ex Ordine.

i. Qui unum vel plures ex gravioribus vel gravissimis criminibus a cap. v ad cap. xiii supra descriptis commiserit, saepeque monitus non resipuerit et qui poenitentiam pro illis non acceptaverit, sex mensium spatio in ieiunio probetur, et ad tres menses ab omnium consortio segregetur. Idque praeter privationem vocis activae et passivae, aut etiam loci, coronae et cuculli, quam subire debebit iuxta qualitatem culpae gravioris aut gravissimae. Si vero unum ex infrascriptis gravissimis criminibus commiserit, atque semel, iterum, ac tertio admonitus et correctus ad idem crimen redierit, post tertiam admonitionem, ne alios contagione pestiferâ perdat, eiici tandem poterit, servatis servandis, non aliter tamen, quam ab abbate generali de consilio et assensu quatuor hegumenorum; deque eius eiectione certior fiat reverendissimus dominus patriarcha ab eodem abbate generali.

ii. Eiectus extra Ordinem degens, sit perpetuo suspensus ab executione Ordinum.

iii. Quia vero sumus in medio nationis pravae, ne forte eiectus ad haereticos vel infideles accedat, debebit abbas generalis rem antea cum patriarcha tractare, hominemque in manus eius consignare, ut pro suâ prudentiâ et arbitrio de eo disponat.

iv. Crimina, ob quae monachus ex Or-

dine eiici potest, postquam admonitus et correctus non resipuerit, idest ter ea commiserit, terque de iis non resipuerit, quamvis ter admonitus et correctus, sunt haec: si a sanctâ catholicâ ecclesiâ ad haereticos, schismaticos vel infideles defecerit; si ab Ordine nostro apostataverit; si fratrem vel extraneum graviter percusserit aut occiderit; si fornicatus fuerit; si rem magni momenti furatus fuerit e monasterio vel a saecularibus; si sciens et volens cellam, monasterium, templum, aut quod simile incenderit; si sigillum confessionis fregerit; si veneficia, incantationes et cetera huiusmodi exercuerit; si in iudicio periurus fuerit; si ab obedientiâ Romani Pontificis, aut patriarchae proterve rebellaverit; si sine licentiâ Ordinarii sciens et volens ea sacramenta administraverit quae expressam licentiam requirunt; si machinationes et schismata fecerit ad destructionem vel divisionem Ordinis; si a sententiâ abbatis generalis, aut a congregationis generalis vel hegumenorum ad infideles provocaverit; si ad infideles confugerit, ut procurent sibi vel aliis aliquod officium vel dignitatem in Ordine aut extra Ordinem. Penes congregationem hegumenorum erit iudicare, poenamque eiectionis infligere etiam ei monacho, qui non in idem ex supradictis criminibus ter incidit, sed tria diversa, vel plura ex iis crimina commisit.

v. Atque hoc loco rursus superiores admoneantur, ne suâ socordiâ aut vitiosâ severitate fratres suos ad hunc miserabilem saltum de monasterio ad saeculum, de saeculo in infernum adigant; sed, cum vix ullum ingenium sit, adeo pertinax et ferox, quod, adspirante Dei gratiâ, mansuetudine et lenitate superiorum vinci, tractuque temporis ad bonam frugem revocari non possit, ut superiores ad hoc extremum remedium devenire non cogantur, discant ab Apostolo omnia sua in charitate esse facienda: *charitas autem patiens est, benigna est; charitas non aemulatur, non agit perperam, non inflatur; non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, sed gaudet veritati.* Quamobrem antequam ad eiectionis poenam progrediantur, praemittenda erunt omnia alia remedia a sanctis Patribus praescripta, adeo ut, si fieri potest, communi omnium et privatae singulorum fratrum aedificationi et saluti prospiciatur.

Cap. ultimum. Monita generalia pro observatione constitutionum.

i. Ut defectibus in Ordinem sensim irrepentibus occurratur, et religiosa perfectio conservetur, vel etiam augeatur, possunt aliquae novae constitutiones pro toto Ordine praesentibus addi, quae eamdem vim ac robur habeant, sive nonnullae ex iis mutari vel abrogari, dummodo regula, quae in prioris partis capitibus duodeviginti continetur, intacta maneat; idque non aliter fiat, nisi in congregatione generali. Insuper, pro bono particularium monasteriorum, possunt ab abbate generali, aut a congregatione hegumenorum, vel a visitatoribus a generali vel hegumenorum congregatione deputatis, aliquae particulares constitutiones fieri, quae tamen generalibus hisce constitutionibus expresse non adversentur, sed iis, quantum fieri potest, accomodentur.

ii. Explicatio constitutionum et regulae pertinet ad solum abbatem generalem cum consilio hegumenorum; isque erit genuinus earum sensus, in quem maior pars congregationis hegumenorum consenserit.

iii. Omnes abbates tenebuntur habere in quolibet monasterio duo saltem exemplaria regulae et constitutionum tam generalium quam particularium, si quae sunt, proprii monasterii, illasque in publicâ mensâ aut congregatione faciant legi fratribus, sub poenâ suspensionis ab officio, quolibet mense, die determinandâ, per congregationem generalem; idque intelligitur de primâ, secundâ et quintâ parte; nam tertia et quarta pars constitutionum legi debent semel in anno, die item per congregationem generalem determinandâ.

iv. Et quia per vigilantiam aut socordiam superiorum, ut plurimum, profectus aut defectus monachorum in Ordine constant, idcirco omnes superiores in Domino monentur, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso: ac propterea omni studio invi-

gilent, ut, quae ex disciplinâ sancti patris nostri Antonii et ex regulis sanctorum patrum nostrorum Pachomii et Basilii, aliorumque sanctorum, in hoc codice collecta sunt, quaeque maxime circa vota Ordinis, chorum, orationem mentalem, ieiunium, aliaque spiritualia exercitia praescribuntur, omnia et singula adamussim observentur: intelligantque super his veluti fundamentis totius monastici instituti aedificium construendum et ampliandum esse.

V. Ut vero omnia ordinate peragantur, monachus quisque officii sui regulas seu constitutiones in tabulâ vel codice scriptas apud se habeat, easque diligenter perlegat et observare satagat.

*Ad laudem et gloriam Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et ad honorem SS. Virginis Deiparae Mariae, et sancti patris Antonii, omniumque sanctorum. Amen.*

Supra relatas constitutiones plenissime probat Clemens.

§ 4. Nos igitur, ipsorum Simonis abbatis, et Abrahami, Bimini ac Pauli definitorum et monachorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, istiusmodi supplicationibus inclinati, omnes et singulas regulas ac constitutiones praeinsertas, et in eis contenta quaecumque, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti, ac solemnitatum quarumlibet in similibus etiam de necessitate observandarum, aliosve quoslibet etiam formales et substantiales defectus, si qui in praemissis, principaliter vel accessorie, aut alio quovis modo intervenerint, seu intervenisse dici, censeri vel praetendi possent, penitus et omnino supplemus et sanamus.

Sicque semper et ubique servari iubet et definiri.

§ 5. Decernentes, easdem praesentes litteras, ac regulas et constitutiones praeinsertas, semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. praedictae cardinales, etiam de latere legatos et Apostolicae Sedis nuntios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentiâ et potestate fungentes et functuros, sublatâ eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogat obstantibus.

§ 6. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac, quatenus opus sit, Congregationis et Ordinis praefatorum, aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, etiam Congregationi et Ordini praedictis, illorumque superioribus monachis et personis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis, in genere vel in specie, seu aliàs quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confir-

matis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis fidem addit.

§ 7. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, sic impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio quam extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVII ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 17 ianuarii 1740, pontif. anno X.

## CCLXXIII.

*Breve Alexandri VII, quo usus transeundi ad aliam religionem, provinciis Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi fratrum Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum concessus, abrogatur, extenditur ad provinciam S. Antonii in Brasiliâ eiusdem Ordinis.*

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Breve Alexandri VII, de quo in rubrica.

§ 1. Emanarunt dudum a felicis recordationis Alexandro PP. VII praedecessore nostro litterae in simili formâ Brevis expeditae tenoris qui sequitur, videlicet:

« *Alexander PP. VII, ad futuram rei memoriam.* Cum, sicut dilecti filii ministri provinciales et fratres provinciarum Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi Ordinis Minorum sancti Francisci de Observantiâ Discalceatorum nuncupatorum regni Hispaniarum nobis nuper exponi fecerunt, ipsis aliàs provide consideraverint incommoda, quae eisdem provinciis in dies proveniunt ex eô quod nonnulli earumdem provinciarum religiosi huiusmodi, praetextu vitae melioris, praetendant e dicto Ordine transire ad fratres Carthusianos, petitâ dumtaxat, licet non obtentâ, ad id suorum superiorum licentiâ: nobis propterea iidem exponentes, ut eaedem provinciae in eorum statu reformato et in pacis et quietis universalis amoenitate conserventur, humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune ut infra providere de benignitate apostolicâ dignaremur. Nos igitur, eosdem exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personaset a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium negociis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum consilio, atten-

tis narratis, ad evitanda exposita inconvenientia, ac aliis iustis de causis, ut in futurum nulli Ordinis huiusmodi religioso professo, etiam sub praetextu arctioris vitae, seu quovis alio quaesito titulo, liceat ad quamcumque aliam religionem quantumlibet strictiorem transire, nisi prius in pleno definitorio licentiam transeundi petierint, eamque per maiorem partem suffragiorum favorabilium legitime obtinuerint; ac nullum et inane quidquid secus gestum fuerit, apostolicâ auctoritate, tenore praesentium, decernimus: cognitionem vero causarum praetensorum gravaminum propter denegationem praedictae licentiae eisdem cardinalibus etiam privative quoad alios quoscumque iudices, quantumvis specificâ et specialissimâ mentione dignos, avocamus et reservamus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis firmitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XVIII martii MDCLIX, pontificatus nostri anno IV ».

Huiusmodi Breve ad provinciam S. Antonii in Brasiliâ extendi petit provincialis.

§ 2. Quoniam autem dilecti filii moderni minister provincialis, custodes et definitores provinciae sancti Antonii in Brasiliâ eiusdem Ordinis fratrum Minorum sancti Francisci de Observantiâ Excalceatorum nuncupatorum nobis nuper exponi fecerunt, ipsi litteras praedictas ad huiusmodi provinciam per nos extendi plurimum desiderent[1]:

Concedit Clemens.

§ 3. Nos, piis eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praeinsertas memorati Alexandri praedecessoris litteras, omniaque in illis disposita quoad provincias Ss. Ioannis Baptistae et Iosephi dicti Ordinis regnorum Hispaniarum, ad provinciam S. Antonii in Brasiliâ eiusdem Ordinis, auctoritate apostolicâ, tenore praesentium, extendimus pariter et ampliamus.

Firmitas harum litterarum.

§ 4. Decernentes, easdem praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon provinciae S. Antonii ac Ordinis huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione apostolicâ, vel quavis fir-

1 Edit Main. habet *desiderant* (R. T.).

mitate aliâ roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

Transumptis danda fides.

§ 6. Volumus autem ut earumdem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum; tam in iudicio quam extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXII ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 22 ianuarii 1740, pontif. anno X.

---

## CCLXXIV.

*Damnatio et prohibitio libri gallico idiomate impressi sub titulo* Histoire du livre de réflections morales sur le Nouveau Testament et de la Constitution *Unigenitus. A Amsterdam.*

**Clemens Papa XII, ad perpetuam rei memoriam.**

Exordium.

Inter ceteras pastoralis curae sollicitudines, quibus premimur assidue, illa potissimum nos urget, ut ad succrescentia pravarum doctrinarum atque haeresum zizania, quae nequitiae operarii in vineâ Domini, quae est Ecclesia, licentius superseminare nituntur, ex[1] iniuncto nobis divinitus apostolici muneris debito, quantum cum Domino possumus, convellenda iugiter animum intendamus.

Libellum haereses Iansenianam et Quesnellianam innovans, erroneisque scatens propositionibus,

§ 1. Eapropter, cum non sine intimo cordis nostri moerore accepimus[2] in lucem prodiisse librum quemdam in quatuor tomos distributum, gallico idiomate impressum, cui titulus *Histoire du livre des réflexions morales sur le Nouveau Testament et de la Constitution* Unigenitus, *A Amsterdam*, plures autem fratres nostri S. R. E. cardinales, auditâ libri huiusmodi censurâ sibi relatâ, illum, tamquam continentem propositiones falsas, captiosas, piarum aurium offensivas, scandalosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in potestates saeculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, necnon haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses, et praecipue[3] Iansenianam ac Quesnellianam manifeste innovantes et asserentes respective, prohibendum ac condemnandum esse censuerint:

Damnatur.

§ 2. Nos itaque, ne christifidelium animae apertis mendaciis ac damnabilibus deceptae opinionibus a veritatis et iustitiae semitâ amoveantur, de eorumdem cardinalium consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictum librum sub supra expresso aliove quocumque titulo ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hucusque impressum,

1 Edit. Main. legit *et* pro *ex* (R. T.).
2 Ex syntaxi legendum *acceperimus* (R. T.).
3 Edit. Main. legit *praecipuae* (R. T.).

aut imposterum, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam (praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente), nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Exemplaria locorum Ordinariis tradenda, ut flammis consignentur.

§ 3. Volentes et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque librum huiusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere et consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Publicatio damnationis.

§ 4. Ut autem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impresis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem, tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat die 26 ianuarii 1740, pontif. anno X.

---

## CCLXXV.

*Damnatio et prohibitio cuiusdam libri Gallico idiomate impressi sub titulo* Histoire du Concile de Trente écrite en italien par Frà Paolo Sarpi de l'Ordre des Servites, et traduite de nouveau en françois avec des notes critiques, historiques et théologiques par Pierre François le Courayer, docteur en théologie de l'université d'Oxford, et chanoine régulier et ancien bibliothecaire de l'Abbaye de S. Geneviève de Paris. *A Amsterdam chez I. Welstein et G. Smith*, MDCCXXXVI.

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium.

Creditum humilitati nostrae divinitus pastoralis curae atque vigilantiae munus salubriter exequi, adiuvante Domino, satagentes, a perniciosis pravarum doctrinarum pascuis dominicum gregem universum arcere, et orthodoxae fidei puritatem servare, quantum nobis ex alto conceditur, iugi studio nitimur, ne animae, pretioso Salvatoris et domini nostri Iesu Christi sanguine redemptae, pestiferâ tabe inficiantur, et in perpetuae damnationis periculum adducantur.

Liber, de quo in rubricâ, erroneis, haereticisque scatens propositionibus.

§ 1. Cum itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit quidam liber gallico idiomate editus, cui titulus *Histoire du Concile de Trente écrite en italien par*

*Frà Paolo Sarpi de l'Ordre des Servites, et traduite de nouveau en françois avec des notes critiques, historiques et théologiques par Pierre François le Courayer, docteur en théologie de l'Université d'Oxford et chanoine régulier et ancien bibliothécaire de l'abbaye de S. Géneviève de Paris, A Amsterdam chez I. Wetstein et G. Smith* MDCCXXXVI; venerabiles autem fratres nostri S. R. E. cardinales in tota republicâ christianâ contra haereticam pravitatem generales inquisitores a Sede Apostolicâ specialiter deputati, auditâ libri huiusmodi censurâ sibi relatâ, illum tamquam continentem propositiones falsas, temerarias, scandalosas, captiosas, seditiosas, aliàs damnatas, omnibus episcopis, Sanctae Sedi, totique catholicae Ecclesiae iniuriosas, erroneas, schismaticas ac haereticas respective, nec non ad stabiliendum systema religionis impium et haereticum tendentes, prohibendum et damnandum esse censuerint:

E fidelium consortio eliminatur.

§ 2. Hinc est quod nos, de memoratorum cardinalium consilio, ac etiam motu proprio et ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, supradictum librum sub supra expresso aliove quocumque titulo ubicumque et quocumque alio idiomate seu quavis editione aut versione hucusque impressum, aut in posterum, quod absit, imprimendum, tenore praesentium damnamus et reprobamus, ac legi seu retineri prohibemus; ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo a quoquam (praeterquam a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente), nisi in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus.

Locorum Ordinariis, flammisque tradendus.

§ 3. Volentes, et auctoritate apostolicâ mandantes, ut, quicumque librum huiusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere atque consignare teneantur: hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent: in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Harum litterarum publicatio transumptorum.

§ 4. Ut autem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent; ipsarum autem litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae haberetur eisdem praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 ianuarii 1740, pontif. anno X.

D. card. PASSIONEUS.

## CCLXXVI.

*Damnatio et prohibitio cuiusdam folii gallico idiomate impressi, cui titulus* Arrest de la Cour du Parlement, portant suppression d'un imprimé intitulé *Lettres de plusieurs évêques sur l'obligation de priver de l'oblation du sacrifice de la messe et des suffrages de l'Église ceux qui meurent appellants de la constitution* Unigenitus; *à Ypres, chez Pierre Jacques Rave, imprimeur de monseigneur l'évêque, rue Messine, 1739, avec approbation.* A Paris, chez Pierre Simon, imprimeur du Parlement, rue de l'Harpe à l'Hercule, 1739.

**Clemens Papa XII,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Damnatur folium, de quo in rubricâ.

Cum, sicut nobis innotuit, in lucem prodierit quoddam folium gallico idiomate impressum, cui titulus: *Arrest de la Cour du Parlement portant suppression d'un imprimé intitulé* Lettres de plusieurs évêques sur l'obligation de priver de l'oblation du sacrifice de la messe et des suffrages de l'Église ceux qui meurent appellants de la constitution *Unigenitus*. A Ypres, chez Pierre Jacques Rave imprimeur de monseigneur l'évêque, rue Messine, 1739, avec approbation. *A Paris, chez Pierre Simon, imprimeur du Parlement, rue de l'Harpe à l'Hercule 1739.* Hinc est quod nos, pro commissâ nobis divinitus gregis dominici curâ, animarum periculis atque detrimentis, quae ex eiusdem folii lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere volentes, motu proprio, ac ex certâ scientiâ et maturâ deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, folium supradictum, tenore praesentium, damnamus et reprobamus, ac legi et retineri prohibemus, ipsiusque folii descriptionem, retentionem, lectionem et usum omnibus et singulis christifidelibus, etiam specificâ et individuâ mentione et expressione dignis, sub poenâ excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque aliâ declaratione incurrendâ, a qua nemo per quemquam, nisi per nos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, praeter quam in mortis articulo constitutus, possit absolvi, omnino interdicimus. Volentes et auctoritate praedictâ mandantes, ut, quicumque folium huiusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum, statim atque praesentes litterae eis innotuerint, locorum Ordinariis vel haereticae pravitatis inquisitoribus tradere et consignare teneantur; hi vero folia sibi sic tradita illico flammis aboleri curent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Demandata damnationis publicatio.

§ 2. Ut autem praesentes litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedictâ decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum ac Cancellariae Apostolicae, necnon Curiae generalis in Monte Citatorio et in acie Campiflorae de Urbe, per aliquem ex cursoribus nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes et singulos, quos concernunt, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent;

Fides transumptorum.

§ 3. Ipsarum autem litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiasticâ dignitate constitutae munitis, eamdem prorsus fidem tam in iudicio quam extra illud ubique locorum haberi, quae ha-

beretur eisdem praesentibus si exhibitae forent vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die XXVI ianuarii MDCCXL, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 ianuarii 1740, pontif. anno X.

D. card. PASSIONEUS.

---

## CCLXXVII.

*Approbatio nonnullarum resolutionum Congregationis particularis a Sanctissimo deputatae super registris in officiis notariorum sacrae Rotae auditorii emanatarum.*

**Clemens episcopus,**
**servus servorum Dei,**
**ad perpetuam rei memoriam.**

Prooemium. Romanus Pontifex, providus iustitiae cultor a Deo constitutus in terris, ex vigili operosae suae mentis indagine libenter intendit ad ea, per quae in quibuslibet tribunalibus, praesertim in causarum palatii nostri auditoris[1], notariorum labor illorumque merces in eiusdem iustitiae lance aequo inter se subsistant pondere, et litigantium iura in eorum officiis fideli ad iudiciorum laudem et perennem litigantium indemnitatem serventur studio, extinctisque litibus, nova non oriatur super litium extinctarum huiusmodi expensis litis occasio, sed iustitia et charitas in eodem auditorio, in quo graviores universorum fidelium promoventur causae, veluti in earumdem concluso horto, invicem inter se prospiciant et mutuo osculentur amplexu.

Ad tollendos abusus, qui in variis Urbis tribunalibus irrepserant, Congregationem particularem deputat Clemens. § 1. Cum itaque nos nuper, ad submovendas nonnullas inter dilectos filios causarum palatii nostri apostolici notarios ex unâ et causarum huiusmodi patronos et respective litigantes ex alterâ partibus exortas quaestiones, nenon ad dirimendos nonnullos in eorumdem auditorii huiusmodi notariorum officiis in illorum et litigantium praeiudicium, contra formam et tenorem constitutionum et decretorum aliàs pro aequali litigantium et notariorum huiusmodi indemnitate a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris emanatarum et editorum, quarum et quorum respective tenores praesentibus pro expressis haberi volumus, irreptos abusus, Congregationem particularem duorum S. R. E. cardinalium duorumque Romanae Curiae praelatorum, videlicet, Vincentii tunc S. Honuphrii, nunc vero S. Petri ad Vincula, Petra, poenitentiarii maioris ac visitatoris apostolici super omnibus tribunalium nostrae Urbis officiis specialibus ad id facultatibus concessis delegati, ac Marcelli S. Mariae in Aràcaeli respective titulorum presbyterorum Passari respective nuncupatorum, ac proauditoris nostri, dilectorum filiorum nostrorum, necnon Marcellini Corio, tunc nostrae Urbis praedictae gubernatoris et vice-camerarii, ac magistri Ludovici Merlini, signaturae nostrae iustitiae votantis, et in Congregationis praedictae secretarium electi, dilectorum filiorum, et quoad Marcellinum nunc S. R. E. cardinalem Corio nuncupatum nostri[1] deputavimus[2]:

§ 2. Et Congregatio praedicta habita sub die XXVII ianuarii anno Domini MDCCXXXV, re mature discussâ, auditisque ad singulas resolutiones tam notariis auditorii praedicti, quam dilectis pariter filiis Dominico Ionantonii et Guglielmo Ricca ex antiquioribus patronis de collegio patronorum causarum palatii nostri praedicti pro interesse litigantium Editae inde nonnullae leges.

1 Aptius lege *auditorio* (R. T.).

1 Vox *nostri* praeter rem esse videtur (R. T.).
2 Ex synt. legend. *deputaverimus* (R. T.).

et procuratorum praedictorum de mandato nostro adscitis,

Notarii aere proprio regestris consignare debent iura producta ab MDCLXXI ad MDCCXXVIII.

I. Videlicet notarios auditorii praedicti a confectione regestrorum omissorum ab anno Domini MDCLXXI usque ad diem XXVIII aprilis anni eiusdem Domini MDCCXXVIII, qua constitutio felicis recordationis Benedicti Papae XIII praedecessoris nostri desuper emanavit, absolvendos esse, cum hoc tamen quod notarii praedicti propriis eorum sumptibus omnia iura producta in singulis causis, quarum regestra omissa fuerunt, recolligere, eademque in protocollis diligenter asservanda respective redigere teneantur;

Iura vero post annum MDCCXXVIII registranda sub poenâ hic enunciatâ.

II. Regestra omissa per notarios palatii nostri huiusmodi in causis expeditis a dictâ die XXVIII aprilis praedicti anni MDCCXXVIII, qua praedicta constitutio Benedicti praedecessoris emanavit, omnino reintegrare, eaque facere in termino unius anni a die praesentis statuti, quo elapso, et non confectis regestris omissis praedictis, notarium seu notarios, qui defecerint, in decem scutis aureis pro qualibet die Congregationi S. Hieronymi Charitatis de Urbe gravari, respective decreverit et censuerit:

Adunata iterum Congregatio.

§ 3. Iterum vero praefata Congregatio sub die IX mensis septembris anni eiusdem Domini MDCCXXXVII coadunata, adiunctisque ad petitionem notariorum praefatorum pro Camerae nostrae Apostolicae interesse thesaurario eiusdem Camerae generali, illiusque commissario:

Statuta merces pro regestris imposterum in expeditione causarum vel ad instantiam partium faciendis.

III. Regestra imposterum in actu expeditionis causarum, vel ad partium requisitionem facienda esse, et in utroque casu mercedem tantum deberi:

In aliâ Congregatione praedictâ omnia confirmata.

§ 4. Et demum, adiuncto dilecto pariter filio magistro Carolo Calcagnini, eiusdem auditorii auditorum et capellanorum nostrorum decano, eodemque interveniente, Congregatio praefata die IV praesentis mensis ianuarii, reassumptis perpensisque sub maturo omnium examine tum praefatis resolutionibus, tum nonnullis aliis ad diversos effectus praecedenter acceptis, tam in praefatis quam etiam in aliis congregationibus intermedio tempore habitis, ad maiorem notariorum auditorii praefati, ac litigantium indemnitatem, recesserit a decisis; quo vero ad cetera alia superius non reassumpta et non expressa, et in reliquis, persistendo in decisis quoad resolutiones praedictas:

Pro regestris causarum renunciatarum nihil a notariis exigendum.

IV. Quoad regestra formalia, seu instrumenta actorum facta per eiusdem auditorii notarios in causis iam renunciatis vel transactis, comprehensis etiam illis factis a die XXVII mensis ianuarii anni MDCCXXXV usque ad diem IX mensis septembris anni MDCCXXXVII, nihil notariis praefatis deberi, nullaque iura ad eorum favorem esse reservanda;

Quid in causis reassumendis exigendum sit.

V. Tamen eisdem notariis emolumentum solius mercedis citationum et actorum in omnibus et singulis causis etiam renunciatis et transactis, seu renunciandis et transigendis, tam pro praeterito quam pro futuro; exceptis dumtaxat causis renunciatis vel transactis ante diem IX praefati mensis septembris dicti anni MDCCXXXVII, pro quibus faciendam esse condonationem collitigantibus in compensationem regestrorum per eosdem notarios usque ad diem, qua praefata constitutio Benedicti praedecessoris praefati emanavit omissorum, dummodo tamen eaedem causae renunciatae seu transactae ante diem IX praefati mensis septembris dicti anni MDCCXXXVII nullo modo reassumantur, et sic respective, reservato iure notariis praedictis consequendi eorum mercedem, quatenus aliquam earumdem causarum quoquo modo reassumi contingeret etiam quoad incidentia deberi;

Notariis pro mercede actio competit tam contra procuratores, quam contra principales causarum.

VI. Pro exactione mercedis dictorum actorum et citationum factorum et faciendorum ad formam, ut praefertur, actionem notariis praefatis tam contra principales quam contra procuratores exercendam ad eorum arbitrium competere;

Causarum dubia non subscribenda, nisi praevia attestatione notarii de citationibus, iurium transportationibus, etc.

VII. Causarum dubia in praedicto auditorio proponenda sub poenâ nullitatis subscribi non posse, et subscripta non proficere, nisi in actu dictae subscriptionis unâ simul exhibita fuerit auditori ponenti fides notarii actuarii gratis omnino danda, in qua de praedictis citationibus et respective actorum processuum seu extractorum et iurium transportationibus seu repetitionibus in suis respective casibus praecedenter factis plenaria attestatio, in omnibus et per omnia, iuxta eiusdem auditorii decretum praevio vivae nostrae vocis oraculo die XIII mensis octobris anni proxime praeteriti publicatum, habeatur;

Renunciatio causae penes quemcumque notarium fieri potest.

VIII. Ac demum renunciationes causarum pendentium et imposterum respective agendarum in eodem auditorio ad libitum litigantium, etiam extra acta eiusdem auditorii notariorum, et penes quemcumque aliorum tribunalium notarium, dummodo hoc casu fides authentica renunciationis extra eiusdem sacri auditorii acta emissae in actis notarii eiusdem auditorii, qui in causâ scripsit, intra quindecim dies exhibeatur, fieri posse, et aliàs prout in praedictâ Benedicti praedecessoris huiusmodi constitutione, et in illius § *Quamvis* in eiusdem paragraphi fine, cuius exactam observantiam iterum in hac signanter parte iniungendam esse censuerit:

Praelaudata decreta apostolicâ auctoritate confirmantur.

§ 5. Nos igitur, omnibus et singulis praedictae Congregationis, a nobis, ut praefertur, deputatae, provide censitis, debitâ meditatione pensatis, et attendentes quod ex illorum observantiâ iustitiae decor et cultus, necnon litigantium indemnitas et publica oritura sit utilitas, motu proprio et ex certâ scientiâ et apostolicae potestatis plenitudine, omnia et singula censita praedicta, et eorum quodlibet, apostolicâ auctoritate, tenore earumdem praesentium, perpetuo approbamus et confirmamus, omnesque et singulos defectus, etiam substantiales, si qui in eis quomodolibet interrvenerint, seu intervenisse dici possit, auctoritate motuque nostris praedictis, supplemus:

Praesentes litterae observandae et nullo notandae vitio.

§ 6. Eaque ab eiusdem auditorii notariis, illiusque causarum patronis, ac in eodem auditorio litigantibus, sub poenis praedictis, inviolabiliter observari, et ab eis nullo unquam tempore, sub quovis praetextu, titulo aut colore, aut quavis causâ, minime resiliri posse, necnon praesentes et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque alii, in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes, ad praemissa minime vocati et auditi, minusque causae, propter quas eaedem praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullâtenus iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno, inexcogitato et substantiali, sive etiam ratione enormis, enormissimae et totalis laesionis, aut quocumque alio praetextu aut iure, etiam in corpore iuris clauso, seu etiam occasione vel causâ, etiam quantumvis iustâ, rationabili et privilegiatâ, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium dispositionum

revocationibus, limitationibus, aut aliis contrariis ordinationibus pro tempore quomodolibet faciendis comprehendi, sed semper ab illis exceptas, perpetuo validas, firmas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere, ab omnibus et singulis, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum, inviolabiliter observari, sicque et non aliàs in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices, etiam palatii nostri apostolici praedicti auditores, ac praedictae S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos, ac alios quavis auctoritate et potestate fulgentes, in quavis causâ et instantiâ, sublatâ eis et eorum cuilibet aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§ 7. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac nostrâ de non tollendo iure quaesito, aliisque Cancellariae Apostolicae regulis, necnon erectionibus officiorum praedictorum, et illorum concessionibus, acquisitionibus, gratiis, privilegiis, facultatibus et indultis quibuscumque, ac aliàs quomodolibet motu, scientiâ et potestatis plenitudine paribus ac etiam consistorialiter, et aliàs quomodolibet per Romanos Pontifices praedecessores et successores nostros, ac etiam per nos hactenus concessis, etiam sub quibuscumque clausulis, etiam insolitis, ac derogatoriarum derogatoriis, irritantibus et aliis decretis; quibus omnibus et singulis, ceterisque, illorumque tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et formâ in illis traditâ observatâ et inserti forent, praesentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, harum serie, derogamus et derogatum esse volumus.

Poenae contra temeratores huiusce Constitutionis.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, confirmationis, defectuum suppletionis, decreti, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis dominicae MDCCLX, VI kalendas februarii, pontificatus nostri anno X.

Dat. die 26 ianuarii 1740, pontif. anno X.

A card. pro-datarius.

*Visa de Curiâ.*

N. Antonellus.

I. B. Eugenius.

Finis Constitutionum Clementis PP. XII.

# MONITUM.

Eam operis partem, quae mihi sorte obtigerat, ut potui, Deo iuvante, adimplevi. Ne vero quis mihi aliquid amplius adtribuat, quam quod reipsa peregi, moneo me elapso fere biennio post evulgatum tomum decimum provinciam hanc primum suscepisse. Quatuordecim quae sequuntur volumina, quinque annorum spatio, dum ederentur, solus ipse curavi. Quo studio, quantaque diligentia, non est quod ipse dicam, nam ipsa volumina praesto sunt. Hoc unum gaudeo, istiusmodi me labore potuisse aliquod vel minimum obsequii mei erga Sedem Apostolicam testimonium exhibere. Iam nunc quae adhuc supersunt edenda volumina parare, iuniori cuique valentiorique concedam. Ceterum si dum corrigendis alienis ἁμαρτήμασι intentus fui, et ipse erravi aliquando, lectorem rogo ut mihi indulgeat, precceturque pro me, ut et peccata mea mihi donet Deus.

Ioseph Buroni Presb. Congr.nis Miss.nis

# INDEX

## NOMINUM ET RERUM PRÆCIPUARUM.

---

NUMERUS PAGINAM INDICAT, *a* PRIMAM COLUMNAM; *b* SECUNDAM DESIGNAT.

### A


Abbatia. — Circa vacationem abbatiarum obtinendarum in Congregatione regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini praescriptio Benedicti XIII confirmatur, 68 *a* et *seq.*

Abbatia archimandritalis SS. Salvatoris, *vide* SS. Salvatoris.

Acquaviva (de) cardinalis Troianus tituli S. Caeciliae, *vide* Troianus.

Albanensium Italo-Graecorum seminarium, seu collegium, *Corsini* nuncupatum, 186 *a*; *vide* Collegia.

Albanus Annibal, *vide* Annibal Albanus.

Aldovrandus Pompeius, nunc S. R. E. cardinalis, tunc auditor antiquior S. Rotae et archiepiscopus Neocaesariensis, 12 *a*; illi tamen decanatus auditorii sub Benedicto adiudicatus fuit, *ibid.*

Alternativa. — Quoad alternativam in provinciis Ordinum regularium, *vide Ordines regulares sub propriis eorum titulis.*

Altieri Ioannes Baptista auditor cubiculi Clementis PP. XII, 74 *b*.

America Meridionalis. — Plures in vastissimis illius provinciis fundati parvi regulares conventus Ordinis Praedicatorum et Ordinis Eremitarum S. Augustini, vel in locis a civitatibus valde remotis, vel in oppidis parvis et miserrimis pro utilitate fidelium, 1 *b*; item alii qui dicuntur *prioratus* pro Indorum christifidelium assistentiâ, 2 *a*; eorum suppressio a Paulo V intimata, sed nunquam executioni demandata, 2 *a* et *b*; ipsis parvis conventibus et prioratibus privilegia maiorum conventuum vindicantur, 3 *a*.

Anconitana civitas, 296 *a*; super distributione salis *a cartella* nuncupatâ duo chirographa Pontificis referuntur, 296 *b*; et iterum confirmantur, 304 *a*.

Anglorum collegium in Urbe, *vide* Collegia.

Annibal Albanus episcopus Sabinensis, cardinalis S. Clementis, modernus S. R. E. camerarius, 48 *b*, 57 *b*.

Antonelli Nicolaus Senogalliensis, unus ex familiaribus Clementis PP. XII 74 *b*.

Antonii (S.) Abbatis Ordo, 604 *a*; *vide* Monachi Maronitae.

Antonii (S.) Viennensis Ordo, *vide* Canonici regulares Ordinis S. Antonii Viennensis.

Approbatio apostolica. — Approbatio constitutionum Ordinum regularium, *vide Ordines regulares sub suis titulis*; — decretorum capitulorum generalium vel provincialium, *vide* Decreta capitulorum Ordinum regularium, *et loca citata*; — decretorum Congregationum, *vide* Decreta Congregationum S. R. E. cardinalium, *et* Constitutiones particulares et acta publica.

Archiconfraternitas. — Archiconfraternitas nationis Senensium in Urbe in ecclesiâ S. Catharinae erigitur, 198 *a* et *seq.*; *vide* Confraternitas.

Archihospitale S. Spiritus in Saxiâ impotens foret ad ferendum onus admittendi ac alendi proiectos intra et extra Urbis districtum natos qui ad illud quotidie numerosissimi afferuntur, 316 *b*; id incumbere unicuique provinciae statuitur, 317 *a*; confessariis in illo conceduntur facultates iam concessae presbyteris confessariis hospitalis B. M. de Gratiâ, Consolatione et Porticu, 364 *b* et *seq.*

Artes medicinae et chirurgiae exercendi facultas tribuitur Capuccinis Gallis missionariis in partibus infidelium, 26 *b*.

Auditorium Sacrae Rotae, *vide* Rotae Sacrae Auditorium.

Augustiniani. — Provinciarum Peruntinae et Chilensis conventus, in quibus octo religiosi ali non possent, supprimi mandavit Paulus V, 1; suis privilegiis restituti, 3 *a*; incorrigibiles qua methodo ab his provinciis eiiciendi, 496 *b*; quatuor antiquiores parochi provinciae Mexici huiusce Ordinis fruuntur privilegiis priorum provincialium eiusdem provinciae, 387 *b* et *seq.*; quoto tempore huiusmodi parochi curam animarum debent exercere ad privilegia provincialium consequenda, *ibid.*; tres quoque fratres provinciae huius antiquiores doctores graduati in universitate Mexicanâ magistrorum Ordinis privilegiis uti valent, 392 *b*; conditiones requirendae ad acquisitionem huiusmodi privilegiorum, *ibid.*; fratres huius provinciae confugientes ad alios Ordines suis superioribus restituendi, 509 *a* et *seq.*; quales civitates Italiae principaliores intelligendae sint, in quibus religiosi cursum decennalem praedicationis verbi Dei peragere debent ad magisterii lauream consequendam, 550 *b*; lectio quoque Scripturae per idem tempus habita in ecclesiâ S. Augustini de Urbe sufficit ad eumdem effectum, 551 *a*; in priorem generalem eligi ii possunt, qui officium procuratoris generalis vel assistentis generalis exercuerunt, nullâ expectatâ temporis vacatione, 568 *a* et *seq.*; in hoc Ordine, ac praesertim in provinciâ Mexicanâ, non recipiendi *mulatti* et *mestizi*, 569 *b* et *seq.*

Augustiniani Excalceati. — Capitulis generalibus Ordinis huius Excalceatorum Congregationis Hispaniae et Indiarum prohibita collatio provincialatuum honorariorum, 103 *a* et *seq.*; vicarii generales, quo tempore extra capitulum ad vicariatum in vim statutorum et Congregationis huiusmodi subintraverint,

eisdem privilegiis fruuntur quibus electi in capitulo gaudent, 216 *a* et *seq.*; post celebratum capitulum provinciale si aliquis definitorum quocumque modo deficiat, eius vocem et vices supplere debet unus ex religiosis, qui pro patribus additis definitorio provinciali in praecedenti capitulo electi sunt, 537 *b*; electio vero regentis provincialis in casu obitus alicuius ex prioribus provincialibus fieri debet a vicario generali unâ cum definitoribus provincialibus, 539 *b*.

B

Barnabitae. — Eisdem suas ecclesias visitantibus indulgentia concessa in die festo S. Francisci Salesii, 219 *b*; extenditur ad universos fideles eorum ecclesiam visitantibus, *ibid.*; collegium erigunt in civitate Mediolanensi ad curandos instruendosque nobiles convictores, 559 *b*; *vide* Collegium *Longone*.

Beatificatio. — Venerabilis servus Dei Ioseph a Leonissâ, sacerdos expresse professus Ordinis fratrum Capuccinorum, Beatus dici potest, 287 *a* et *seq.*; item coli, eiusque nonnullis in locis recitari officium, *ibid.*

Bellum inter principes christianos dirum et atrox, 14 *b*; iterum repentinum et luctuosum in Italiâ insurrexit, longe lateque in aliis Europae partibus diffusum, adeout inter acerbissimos belli motus Italia pene tota exarserit, 382 *a*.

Beneventana civitas, 369 *a*; illi confirmantur privilegia concessa a Pio II, Iulio II et Sixto V, et ab Urbano VIII confirmata, praesertim quod primae et secundae instantiae causarum temporalium vel civilium extra dictam civitatem cognosci non possint, 369 *a* et *seq.*

Bethlehemitae. — Incorrigibiles qua methodo eiiciendi ex Ordine, 105 *a*; vice-generalis qua polleat facultate procedendi contra eosdem, *ibid.*; qui sint vocales capituli generalis, 105 *b*; qualia officia in Ordine sint incompatibilia, 106 *a*; quae sit servanda methodus in accipiendâ renunciatione officiorum, et subrogatione ad eâ faciendâ, *ibid.*; qualitates requirendae ad hoc ut quis in assistentem generalem eligi queat, 106 *b*; in omnibus electionibus exquirenda maior votorum pars, 107 *a*; nemo gaudet voce activâ et passivâ nisi post triennium ab emissâ professione, *ibid.*; capitula generalia cogenda in urbe Guatimala, 107 *b*; quid praestandum si absens in generalem eligatur, *ibid.*; in uno regno generalis praefectus, in altero vice-generalis eligendus, 108 *a*; ipsis absentibus ad quem provinciarum regimen devolvatur, 108 *b*; quae praemittenda ad hoc ut tertiarii vel donati transeant ad professionem admittendam, 109 *a*; capitula generalia quolibet tenenda novennio, *ibid.*; dubiorum circa regulam insurgentium solutio ad quem pertineat, 109 *b*.

Bibliotheca Vaticana. — A Clemente XII aulâ, libris, vasis fictilibus, numismatibus certisque locupletata redditibus, 571 *b*; leges pro eâ a Sixto V PP. latae confirmantur, 572 *a*; novae conditae leges pro custodibus scriptoribusque, 573 *a* et *seq.*

Bibliotheca et Archivium conventus de Arâcaeli de Urbe Ordinis fratrum Minorum S. Francisci de Observantiâ nuncupatorum, 293 *a* et *seq.*; ordinationes pro illorum administratione, 294 *a* et *seq.*

Bona ecclesiastica. — Iamdiu ab haereticis occupata in Palatinatu Rheni inferiori et in ducatu Neoburgensi iis condonata qui ad fidem catholicam convertuntur, 59 *b* et *seq*.

Botteri Ioannes Florentinus capellanus secretus Clementis PP. XII, 74 *b*.

## C

Cadavera missionariorum Ordinum regularium in partibus Syriae et Palestinae quomodo tumulanda, 41 *a*.

Caesaries fictitia prohibetur canonicis regularibus Ordinis S. Antonii Viennensis, 576 *b* et *seq*.

Camera Apostolica. — In ratiocinatores pro eâ assumpti tres legum periti a collegio procuratorum, 47 *b* et *seq*.; ratiocinatorum Camerae emolumenta, 50 *b*; quale munus, 53 *a* et *seq*.; cuilibet novo Pontifici bilancium expensarum praeteriti regiminis tradendum, 56 *a*; Camerae officiales debent Papae suggerere, ea quae eiusdem Camerae utilitati proficere possint, 56 *b*.

Canonici regulares Ordinis S. Antonii Viennensis. — Laici huius Ordinis professionem nonnisi post undecimum annum novitiatus emittere poterant, 484 *b*; huiusmodi terminus ad quadriennium redactus, 485 *a*; canonicis huius Ordinis fictitiam caesariem gestare vetitum sub poenâ suspensionis ipso facto incurrendae, 576 *b* et *seq*.

Canonizatio. — B. Vincentius a Paulo, fundator presbyterorum saecularium Congregationis Missionis et societatis Puellarum Charitatis, Sanctorum fastis adscriptus, 232 *a* et *seq.*; item B. Franciscus Regis presbyter Societatis Iesu, 246 *b* et *seq*.; item B. Catharina Flisca Adurna Genuensis, 261 *a* et *seq.*; item B. Iuliana Falconeria Tertii Ordinis Servorum B. M. V. fundatrix, 275 *a* et *seq*.

Capuccini, *vide* Minores Capuccini.

Cardinales. — Ducatos septuagintaquinque, quos, iuxta constitutionem Pauli V, ministris sacri Collegii solvere debebant, post mortem cardinalium, illorum haeredes, deinceps solvere debebunt ipsi cardinales intra mensem suae promotionis, 4 *a* et *seq*.

Cardinalis vicarius, *vide* Vicarius cardinalis de Urbe.

Cardinalium Congregationes, *vide* Decreta.

Carmelitae. — Reformatae constitutiones nonnullae Ordinis huius, 89 *a*; prior provincialis provinciae Romanae nullâ gaudet iurisdictione in conventibus S. Martini ad Montes, S. Mariae in Transpontinâ et S. Antonii Praenestini, *ibid.*; in capitulis provincialibus provinciae huius ius suffragii habent prior generalis, magistri provinciae etiam degentes in dictis tribus conventibus, lector Sapientiae et regens Transpontinae, 89 *b*; sociis generalibus ius suffragii competit tam in capitulo quam in definitorio generali, *ibid.*; iis vero praedecentia non competit in religione, nisi quando sunt in actuali exercitio muneris, *ibid.*; innovatae litterae Summorum Pontificum, quibus fratribus Ordinis huius Congregationis Hispaniae prohibetur transitus ad aliam quamcumque Congregationem, 545 *b*.

Carmelitae Excalceati. — Confraternitates erectae vel erigendae in Congregatione Hispaniae et oratoria ruralia exempta a visitatione Ordinariorum, 208 *a* et *b*; Tertiarii huius Ordinis et Congregationis, aliis Ordinibus adscripti, omnium respective Ordinum fruuntur indulgentiis, 555 *b* et 593 *a* et *seq.*; conventus Varsaviensis aliàs attributus provinciae Lituaniae denuo unitur provinciae Poloniae, provinciae vero Lithuaniae assignatur conventus Lublinensis, 288 *b* et *seq.*; nova provincia Hiberniae dudum reviviscens erecta, cui conventus omnes existentes et imposterum recuperandi adiudicantur, 305 *a* et *seq.*

Carolus Borbonius Hispaniarum Infans, 382 *a*; regni Siciliae cum totâ terrâ citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae, armis a patre Philippo Hispaniarum rege sibi traditis et donatis, integram et pacificam possessionem obtinuit, *ibid.;* petit et obtinet investituram regni utriusque Siciliae, 383 *b* et *seq.*

Carolus Cerrius auditor minus antiquus in auditorio S. Rotae, 12 *a*; illi non fuit adiudicatus decanatus auditorii in concursu Pompeii Aldovrandi archiepiscopi Neocaesariensis, *ibid.*

Carolus comes Palatinatus Rheni petit et obtinet ut haereticis, qui ad fidem catholicam convertuntur, bona ecclesiastica, quae possident, dimittantur, 59 *b* et *seq.*

Carolus Maria Sacripantes thesaurarius generalis Camerae Apostolicae, 48 *a*.

Carthusiani. — Fratres huius Ordinis non solum erigere possunt oratoria et altaria in granciis et domibus, in quibus resident sacerdotes saeculares, sed etiam ad huiusmodi effectum sufficit, quod dicta oratoria et domus visitentur a visitatoribus Ordinis, 291 *a* et *seq.*

Cassinenses. — Monasterium S. Scholasticae annuam contributionem monasterio Sacri Specus, non in pane, vino, ceterisque huius generis, sed in pecuniâ numeratâ facere debet, 37 *b*; ubi fuerint monasteria Ordinis huius, non construenda hospitia pro abbatum vel monachorum habitatione, 487 *b*; praelati absque legitimâ causâ a monasteriis abesse non debent, 488 *a*; monachorum mutatio de monasterio ad monasterium non facienda, 488 *b*; quomodo temporalia per abbates sit administranda, 489 *b*; de visitatoribus et modo visitationis faciendae, 490 *a*.

Catechismo interessentibus adultis, in Urbe, etc., indulgentiae communicantur iam concessae adultis docentibus et pueris discentibus doctrinam christianam, 45 *a*; extenduntur universis christifidelibus ubicumque locorum existentibus, 195 *b*.

Catherinae (S.) confraternitas nationis Senensium in Urbe, *vide* Confraternitas.

Chiapppinus Vitelli, florentinus, unus e familiaribus Clementis PP. XII, 74 *b*.

Chirurgia ars, *vide* Medicinae.

Cistercienses. — Monasterium S. Mariae Sagittarii unitum provinciae Tusciae, 220 *b*; monachis huius Ordinis non licet transire ad alium quemcumque Ordinem praeter Carthusianum, 356 *b*; superioribus Ordinis huius Congregationis Portugalliae data facultas applicandi collegio universitatis Colimbriensis spolia monachorum pro dissolvendo aere alieno, 498 *a* et *b*; Ordinis huius capitulum generale habitum Cabillone anno MDCCXXXIX, editaeque in eo constitutiones confirmantur, 542 *a* et *b*.

Clemens XII. — Restituit parvos conventus regulares in vastissimis Americae Meridionalis regionibus olim a Paulo V suppressos, 3 *a*; providet promptae ad-

